C
~~Shelf 3 No 7~~
~~Shelf 9 No 5~~ 12 Press B
Shelf 15 No 2d
1C / 911
389



Le Clerc, Jean, 1657-1736.

HISTORIA ECCLESIASTICA

DUORUM PRIMORUM

A CHRISTO NATO

SAECULORUM,

E VETERIBUS MONUMENTIS

DEPROMTA

A

JOANNE CLERICO.



AMSTELODAMI,

Apud DAVIDEM MORTIER.

MDCCXVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/historiaecclesia00lecl

LECTORI CANDIDO
P. S. D.
JOANNES CLERICUS.

DE utilitate aut etiam neceſſitate cognoſcendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non agam hîc, apud te, Lector Candide, quem novi nihil, hac de re, docere poſſem. Omnes uſus, qui è quavis Hiſtoria manant, ex hac, ut noſti, capiuntur; aliique præterea peculiares, qui alibi nuſquam inveniri queant, enaſcuntur. Ex hac ſola ſcire licet non tantùm à quibus conditæ Religio & Eccleſia Chriſtiana, ſed etiam quo modo ab hominibus cœleſtis doctrina excepta, & deinceps, per vitia & errores hominum, à Deo Opt. Max. incolumis conſervata, atque ad nos uſque propagata ſit. Hinc dumtaxat intelligimus, quibuſnam in rebus cum Veteribus ſentiamus, aut in diverſa abeamus, & ubi ſit ſempiterna Veritatis norma quærenda. Quæ ſi ignorentur, Veteris Hiſtoriæ non ignorantia modò ſubrepit, ſed, quod deterius eſt, falſa prorſus & commenticia imago animo fingitur; résque putantur fuiſſe, non quales re verâ fuerunt, ſed quales ab uno quoque, pro ingenio ſuo, fuiſſe optantur. Tum verò falsò etiam ea crediſſe cenſentur Veteres, quæ ſunt conſentanea iis, quæ ſibi quisque vera eſſe perſuaſit; eorúmque dicta torquentur, ne cum receptis partium, in quas hodie lacerata Chriſtiana res eſt, ſententiis pugnent. Vel maximè diſſidentes contendunt ex æquo à partibus ſuis ſtare Patres, qui ſæpe ab hodiernis omnibus Theologis diſſenſerunt. Jactatur falsò cum noſtris doctrinis eorum conſenſus, qui ab omnibus Chriſtianis, quorum hodie diſtincti ſunt cœtus, longè diſſident, aut certè ab iis qui maximè omnium eos ſibi favere dictitant. Damnantur quaſi omnibus ſæculis adverſantes, qui ab Antiquis remotiores non ſunt, quàm alii. Laudantur etiam, quaſi eruditionis conſummatæ homines, Apoſtolicorúmque dogmatum, per omnia, fidi Interpretes; qui hujus ætatis viris doctis longè inferiores fuerunt, nec iis ingenii, aut doctrinæ dotibus in-

 ſtructi,

ſtructi, quæ ad intelligendas ſacras Utriuſque Divini Fœderis tabulas, rectáque ex iis ratiocinando ducenda conſectaria, neceſſariæ ſunt. Habentur tamen ii, quaſi Lesbiæ Scripturarum normæ, ſic enim quosdam ſentire & loqui non pudet, correctores, atque ex quorum ſolorum ſententia, de Divinorum Librorum doctrina ſit judicandum; nedum ut in hominibus minimè adflatis laudetur, aut vituperetur, ut par erat, quod cum ea conſentit, aut diſſentit. Nec eorum tantùm placita, ſeu verè eorum fuerint, ſeu fuiſſe tantùm putentur, locum cœleſtis Veritatis obtinent; ſed multorum etiam in aliter ſentientes inhumana acerbitas & ſævitia, veluti exemplar, nobis proponitur; pugnet licèt cum manſuetudine Chriſti & Apoſtolorum, diſertiſque eorum præceptis; quaſi, pravâ conſuetudine, divinæ leges poſſent abrogari! Verùm hæc malo è lectione ipſa Hiſtoriæ colligi, ne à me temerè hìc dicta videantur. Igitur ea nunc miſſa faciam, ut Operis hujuſce rationem Lectoribus aperiam.

Cùm ſint jam tot Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, non Latinè tantùm, ſed etiam vernaculis Europæ Linguis ſcriptæ, mirabuntur fortè nonnulli me ad ejuſmodi opus animum adpuliſſe. Verùm ſciant oportet, duabus potiſſimùm de rationibus, me ad ſcribendum adductum fuiſſe. Altera eſt, quòd res ipſæ ſat bonâ fide, aut ſat adcuratè, ut jam dixi, in pleriſque Hiſtoriis, expoſitæ non viderentur; altera quòd via & ratio, quâ diſpoſitæ erant, mihi non placerent.

Dogmata ipſa Veterum paſſim non verè prodita ſunt; facta etiam, non qualia fuerunt, narrata. Innumera diſſimulata, aut falſis coloribus picta. Laudabilia, dum pravè exponuntur, vituperata; & cenſoria nota digna, aliter deſcripta, quàm par erat, in cœlum laudibus ſublata. Vera, datâ operâ, præterita ſunt, aut neglecta; falſa iis oppoſita conficta, aut è monumentis ſuſpectis, vel nulla fide dignis prolata, quaſi vera; aut certè dubia & incerta pro exploratæ veritatis factis aut dictis venditata, & acriter contra dubitantes, aut etiam falſitatis firmis rationibus arguentes defenſa. Talia ſunt Agbari litteræ ad Chriſtum datæ; Simonis Magi iter Romam, ejúsque à Petro licèt, ut aiunt, devicti conſecratio; mors Jacobi, ut ab *Hegeſippo* narratur; Fulmineæ Legio-

Legionis hiſtoria, litteræque M. Antonini, in gratiam Chriſtianorum, quæ nequaquam obſtitere quo minùs, paucis pòſt annis, Chriſtianos, ex eorum etiam ſententia, qui veras credunt, inſectaretur. Ceterorum exempla non adfero, non quòd rara, aut obſcura ſint; ſed quia ſatius eſſe in ipſa Hiſtoria legi exiſtimo, & quæ dixi ſpeciminis loco abundè eſſe poſſunt. Monere tamen hìc neceſſe habeo me non meminiſſe innumerorum, quæ IV, aut V. Sæculo, vel etiam poſterioribus, fabularum longè feraciſſimis, litteris mandata ſunt de I. vel II. Sæculo, virisque eorum eximiis, nullis prolatis ex antiquioribus Scriptis teſtimoniis. Vel ſolum *Euſebii*, qui antiquiora omnia diligenter perlegerat, ut ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentia undique colligeret; ſolum, inquam, *Euſebii* ſilentium ſatis gravis eſt ratio, cur rejiciantur. Sed ad hoc accedunt rerum ſæpe manifeſta abſurditas, & teſtium levitas; qui traditiones, hoc eſt, fabulas ſine pudore narrant. Quare ſi quis capiatur talibus narratiunculis, quæ ne dignæ quidem ſunt quæ ſeriò confutentur, alibi eas quærat per me licet. Non deſunt qui eas tradiderint, &, irrito etiam labore, cum certa Hiſtoria in concordiam redigere conati ſint. Innumeri olim exſtiterunt libri, ut vocantur, *Apocryphi*, quorum & nonnulli ſuperſunt, qui ſtudiosè à viris doctis collecti, & qui fabulis, aut certè incertiſſimis rumoribus poſterioris ævi referti ſunt. Eſt & ingens copia Martyriorum, cùm Græcorum, tum Latinorum, non melioris frugis; quæ figmenta nobis pleno modio admetiuntur, & quæ expendere ſingillatim longum & inutile, ut mihi videtur, fuiſſet. Omnia ergo eodem loco habuimus, ac ſi numquam dicta fuiſſent; nec ulla confutavimus figmenta, niſi perpauca, quæ antiquitas vendibiliora facere videbatur; qualia ea ſunt, quorum nominatim antea meminimus. Sunt etiam viſa nocturna & ſomnia (nam hìc *habent & ſomnia pondus*) de corporibus ſanctorum virorum, etiam ante multa ſæcula mortuorum; quorum aperta, ex ejusmodi revelationibus, ſunt ſepulcra, antea omnibus ignota; ubi reperta cadavera, quæ in pulverem diſſoluta dudum eſſe oportebat, & quæ verè ſanctorum, quorum dicebantur, hominum eſſe confictа ſine numero & pudore miracula probabant. Talia quidem,

primis tribus Sæculis, minimè jactata ſunt; ſed tamen ejuſmodi commentorum, ſequentibus ætatibus, amantes, in eorum Sæculorum Hiſtoria fabulas etiam id genus narrant, quòd ad homines tunc mortuos pertinerent.

Nec in Hiſtoria dogmatum minùs à Recentioribus peccatum, qui non quid in Veteribus legamus quæſivere, ſed quod eſſe deberet, ut idem cum Hiſtoricis recentioribus ſentire viderentur; quod antea monui, & cujus plura exempla hîc, ut opinor, invenientur, quàm in ulla alia, quam quidem noverim, Hiſtoria. Pleræque omnes aut diſſimulatione, aut violentâ interpretandi dicta Veterum licentiâ, falſa in vera, vera in falſa mutarunt. Nec quiſquam hîc mihi objiciat majorem Veteribus reverentiam deberi, quàm ut errores, aut delicta eorum aperiantur; perinde enim hoc eſt, ac ſi quis negaret ſcribendam eſſe Hiſtoriam Eccleſiaſticam, niſi diſſimulationibus & mendaciis interpolatam; quod demum eſſet univerſam Antiquitatem verè infamare, cùm ejus facta & opiniones proferri non poſſe, ſine ſumma ejus infamia, ab iis qui ita loqui ſolent, ſtatuantur. Nos verò lapſus & hallucinationes bonorum virorum eorum virtutibus & in Chriſtianam rem meritis facilè quidem condonari, ſed minimè diſſimulari oportere cenſemus. Ex iis cùm alios, tum etiam hos fructus decerpi poſſe putamus; quòd hinc intelligimus eos homines fuiſſe, qui interdum laberentur; nec eos Chriſtianæ Religionis, librorúmve Apoſtolicorum auctores; nec ſuo ingenio eam propagaſſe, quæ res Divinæ Providentiæ tota debetur, quod aliquoties monuimus. Indidem deducimus, quod exigui usûs non eſt, minimè eſſe homines quapiam in re errantes, quæ ſummam Religionis non adtingit, temerè quaſi impios damnandos, quod nimis quàm frequenter fieri ſolet. Verùm nec hanc in rem exſpatiari in brevi præfatione licet, & multa huc pertinentia, in ſex primis Epiſtolis III. *Artis Criticæ* voluminis, jam diximus.

Ad diſpoſitionem rerum quod adtinet, eam, quam plerique ſequuti ſunt, non probamus; quòd multa priorum errata, in temporibus, à viris doctis poſtea emendata ſint. In anno natali & emortuali Chriſti, amplexi ſumus ſententiam eruditiſſimorum virorum *Henr. Noriſii*, *Antonii Pagii*, & alio-

aliorum, qui veterum Chriſtianorum & ipſi ſequuti erant auctoritatem, ut oſtendimus peculiari Diſſertatione de iis Chriſti annis, *Harmoniæ* noſtræ *Evangelicæ* ſubjecta. In annis verò Apoſtolicis digerendis, præiverunt nobis *Jac. Uſſerius*, in Annalibus Sacris, & *Joan. Pearſonius*, in Paulinis; quorum alteruter, prout commodiorem viam iniiſſe videbatur, dux nobis fuit. Poſterior etiam, unà cum *Henr. Dodwello*, ſuppeditavit primorum Romæ Epiſcoporum annos, quos magnâ ſollertiâ retexerunt, & quibus factum eſt ut Secundi Sæculi Hiſtoria, prorſus inverſa ab aliis, ſuo ordine commodiſſimè detexeretur, ut è re ipſa abundè liquebit. Paria Conſulum è duobus, quos primos adpellavimus, à nobis ſumta ſunt. Nec omiſimus, ſuis locis, gratiam iis aliiſque referre, atque ad doctiſſimos viros Lectores amandare; nam à tricis Chronologicis, datâ operâ, abſtinuimus, ne Hiſtoriæ decurſum interturbarent; niſi ſi quid innovavimus, quod raró factum eſt.

Ad facta quod adtinet, fermè Veterum verbis narrata ſunt, niſi ubi, vitandæ prolixitatis causâ, res eſt à nobis contracta; & ubique loca, è quibus ſingula deſumta ſunt, diligenter adnotavimus. Recentiorum enim ſedulitati nuſquam fidem habuimus, ſed ſemper è fontibus hauſimus, qui in rivulis ex iis derivatis ſæpe magnam mutationem paſſi fuerant. Nec tamen temerè Veterum ipſorum auctoritatem ſequuti ſumus, ſed omnia ad amuſſim rectæ Rationis, & certioris Hiſtoriæ exegimus; iis damnatis, quæ ab ea diſſentiebant, aut dubitanter prolatis, quæ non ſatis explorata videbantur.

Eodem modo nos geſſimus, in exponendis opinionibus rectè, aut ſecus ſentientium; quas verbis ipſis Veterum conceptas plerumque protulimus. Nec monere prætermiſimus non poſſe ſemper & per omnia fidem haberi adverſariis adverſariorum placita referentibus; cùm facilè fieri potuerit, ut rerum obſcuritate, & nonnullo etiam adfectu, quem homines, quamquam boni, in hac vita vix penitus exuunt, fallerentur. Ad Scripta etiam utriuſque Sæculi, quæ exſtant, animadverſiones nonnullas addidimus, ut pleniùs Scriptores ipſi eorúmque opiniones & lapſus innoteſcerent, & quidem ſine ulla vel minima acerbitate; niſi fortè in Hæreſes, ſi

modò

modò ea ſenſerint Hæretici, quæ iis tribuuntur; quos & interdum paucis confutavimus, ubi oportere fieri viſum eſt.

Quia verò narrationis ſeries ſæpiùs abrumpenda fuiſſet, aut perpetua quædam diſſertatio, potiùs quàm Hiſtoria, ſcribenda; ſi omnia ad rem facientia & memoratu non indigna inſerenda narrationi fuiſſent, aut ſi nomine omnes adpellandi, qui res, quas pro certis ſumimus, demonſtrarant; ideò paginis ſubjecimus adnotationes, in quas quæ commodè rerum contextui miſceri non poterant rejecimus. Copioſiores facilè à nobis undequaque colligi potuiſſent, ſed eruditionis intempeſtivam oſtentationem res redolere videbatur.

Cur Prolegomena omnibus præfixerimus & Hiſtoriam *Herodis* M. vitæ Chriſti præpoſuerimus, res ipſa oſtendet. Aliud nihil addemus, niſi nos hoc conſilii, gravibus de rationibus, cepiſſe, ut Hiſtoriam ſex primorum à Chriſto nato Sæculorum pertexeremus, ſi Deus vires & tempus conceſſerit; quod quia, niſi pluribus annis, abſolvi non poterat, duo prima, interea dum perficiendis reliquis operam navamus, emittenda cenſuimus. His fruere CANDIDE LECTOR, & quæ, unius Veritatis & Utilitatis publicæ ſtudio, tibi traduntur, in meliorem partem accipito, votiſque nos apud Deum Opt. Max. adjuvato.

Dabam Amſtelodami Calendis Januariis anni MDCCXVI.

Errata quædam feſtinanti oculo deprehenſa.

P. 33. ℣. 19. *Dii*, lege *Dei*.
456. 10. *inelligere*, lege *intelligere*.
469. 12. *credidit*, lege *credidere*.
511. 5. *non poſſit*, dele *non*.
515. 14. *a. d.* adde *VI*.
528. 1. poſt *Teſtamenti* adde *ſequebantur*.
529. 28. *quinquagenteſimum* lege *quinquageſimum*.
544. 17. *Senecio*, lege *Senecione*.
644. 11. *Irenæus*, lege *Juſtinus*.
694. 26. *an ſe*, dele *ſe*.
696. 29. *poterunt*, lege *potuerunt*.

HIS-

HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROLEGOMENA,

De Generis Humani Statu, cùm CHRISTUS *in terras venit.*

PROOEMIUM.

ANTEQUAM Eccleſiæ Chriſtianæ natales tradere & quî paullatim creverit oſtendere adgrediamur, ſtatum Humani Generis, priùs quàm Chriſtus veniret, deſcribere neceſſe habemus. Hinc quantis in erroribus & miſeriis homines jacerent, quàm indigerent Servatoris adventu, & cur tanti Evangelii fuerint ſucceſſus liquebit. Non enim erat perinde, quacumque ratione eſſent adfecti homines, cùm illis nunciaretur. Si ad Gentes adlatum eſſet, quibus ignotus omnino Deus, ignota prorſus Virtus erat; ab ipſis fundamentis inchoari ædificium oportuiſſet. Docendæ fuiſſent eſſe Deum, à quo omnia creata; hominem proinde ab eo conditum, qui Veritatem ac Virtutem amaret, & quanam in re ſitæ eſſent; denique aliam eſſe vitam, poſt hanc mortalem, in qua potiſſimùm præmia futura Virtuti, ſupplicia Vitio; aliáque id genus, cum hiſce connexa, & quæcumque ad conſequendam Beatitudinem faciunt. Sed cùm hæc apud pleroſque omnes, præſertim intra Romani Imperii fines, eſſent nota, certè ex aliqua parte; non neceſſe fuit omnia doceri, ſed tantùm vera confirmari, falſa admiſta confutari, & quod deerat ſuppleri. Quod ut magis pateat, quænam eſſent hiſce de rebus Judæorum atque Ethnicorum ſententiæ, & quas probarit, emendarit ac addiderit Chriſtus paucis exponam.

Nec opinionum tantùm, ſed & morum ratio habenda fuit; neque enim caſtigatioris vitæ homines, aut certè minùs flagitioſæ eodem modo ac improbos prorſus & conſceleratos adloquaris, ſi emendatos cupias. Nec uſque adeò doctrinæ veræ de Deo & Virtute adverſantur, qui moribus non ſunt omnino profligatis, ac homines quorum nequitiæ parum aut nihil addi queat. Ideóque & de moribus eorum, quibus nunciatum eſt olim Evangelium, mihi erit agendum.

Temerè hæc à me non dici, res ipſa mox ſatis ſupérque oſtendet; ſed & in fronte Operis nihil vetat nos animo reputare, apud quos tandem

populos Evangelium latiùs ſparſum fuerit & altiores radices egerit. Ii, nimirum, fuerunt qui Romano Imperio parebant, & qui omnium cultiſſimi erant; à quibus primùm exceptum eſt, & in animos ita demiſſum, ut numquam ex iis poſtea evelli potuerit. Ultra Euphratem in Parthorum Imperio, aut apud remotiores Indos, ad ortum; in interiore Africa, ad meridiem; in Hiſpania, Gallia, Britannicis Inſulis & Germania, ad occaſum; in Europæ atque Aſiæ ſeptemtrionalibus tractibus, aut nulla fuere, Apoſtolicis temporibus, ſemina Evangelica jacta, aut brevi, ob inſcitiam & barbariem populorum, exaruere. Quibus rebus factum eſt, ut nulla ad nos Apoſtolicæ, apud eos, prædicationis transmiſſa ſit certa memoria, nec proximè ſequentibus ſæculis ulla ejus ſuperfuerint veſtigia; nam confictas ſeriùs hiſtorias, quas res ipſa & vetuſtiorum ſilentium arguunt, nihil moramur. Si quid Chriſtianiſmi ad eas Gentes penetravit, & inconcuſſum manſit; ſeriùs id & jam dudum in Romanis Provinciis florente Evangelio, in remotas illas oras delatum eſt, atque à vicinis Chriſtianis excultum. Satis ergo conſtat populos, à finibus Romani Imperii paullò remotiores, eosdémque ignorantiâ juxta cæcos ac barbarie efferatos, excipiendæ Evangelicæ ſementi, Apoſtolico ævo, nondum paratos fuiſſe. Nec erant alii ita adfecti, ut admitti illico & fructifera eſſe, ut par erat, poſſet; ſed tamen minùs, apud eos, alieni erant à cœleſti Veritate animi; ſeu quòd eam jam partim & veluti per nebulam cognoſcerent, ſeu quòd eorum mores non uſque adeò ab ejus præceptis abhorrerent. Quarum rerum causâ, erat cur Deo Optimo Maximo, qui exſtingui apud eos omnem Veritatem & Virtutem, ut apud alios, pati noluerat, gratias haberent. Nos certè eorum poſteri hodie eas agamus, quòd nos naſci voluerit in iis oris, quibus à parentibus unà cum lacte Evangelii cognitionem accipere potuimus; nóſque gratos, fideli ac conſtanti obſequio, ejus optimo ac ſapientiſſimo auctori præbeamus.

Hunc hujus Hiſtoriæ finem unicum præ oculis ſemper habuimus; ut dum primis Chriſtianitatis ſæculis dicta, & facta cognoſcimus, non doctiores tantùm, ſed & meliores in dies evadamus; quod Lectoribus meis, non aliter ac mihi, precor, voveóque, & laboris mei, non exigui, ampliſſimum fructum eſſe ſemper exiſtimabo; nam ad humana præmia quod adtinet, non ſunt iis quærenda, aut exſpectanda, qui ſe totos uni Veritati manciparunt; quæ, ſi uſquam alibi, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua potiſſimùm inveniri eam oporteret, *odium parit.* Sed votis nolumus hîc querelas miſcere, *ne tum quidem gratas futuras*, ut ſummi Hiſtorici verba uſurpem, *cùm forſitan & neceſſariæ erunt.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE STATU JUDÆORUM, AD RELIGIONEM QUOD ADTINET.

CAPUT I.

De Sectis Judæorum & Dogmatibus, quæ eis communia fuerunt.

I. EPIPHANIUS quidem, in Opere de Hæreſibus, ſeptem Judæorum Sectas memorat, *Sadducæos*, *Scribas*, *Phariſæos*, *Hemerobaptiſtas*, *Naſaræos*, *Oſſenos*, *Herodianos*. Sed multa narrat falſa, parúmque cohærentia, ut rectè obſervavit [1] *Dionyſ. Petavius*, & Sectas facit, quæ non fuerunt, ut *Scribarum* qui fuere Legis periti; & *Nazaræorum*, qui homines erant voto quidem adſtricti, ſed nullis peculiaribus placitis à ceteris Judæis diſtincti. Itaque iis omiſſis, nobis conſtat, è Novi Teſtamenti libris, duas potiſſimas fuiſſe Judæorum Sectas, *Phariſæorum* & *Sadducæorum*; quibus tertiam addunt *Philo* [2] & *Joſephus*, *Eſſenorum*, Sacris Scriptoribus nuſquam memoratam. Si quæ erant minores Sectæ, aliter à conditoribus dictæ, eas non moramur, cùm nihil ad rem noſtram faciant; quippe quæ Evangelio non aliter adverſatæ ſint, aut faverint; quàm tres memoratæ, quæ ampliſſimæ & notiſſimæ fuere.

II. SECTIS autem illis duplex genus Dogmatum, ad Religionem pertinentium, fuit. Alia omnibus communia, alia ſingulis peculiaria fuerunt. Quare neceſſe eſt ea diſtinguere, ut quibus quidem in rebus conſenſerint, in quibus verò diſſenſerint intelligamus. Quædam Dogmata ad Deum ipſum pertinent, alia ad ejus cultum faciunt, alia denique ad vitam inter homines inſtituendam; quæ ordine trademus.

III. INTER eos primùm conveniebat eſſe unum DEUM, hoc eſt, Naturam unam æternam, intelligentem & inconſpicuam, nec ad humanam formam effingendam, ſapientiſſimam, optimam, potentiſſimam, omnibúſque eximiis adtributis præditam: 2. Omnia à Deo creata, ab eo conſervari, & providentiâ regi, ac proinde nota ei eſſe: 3. Deum eſſe Virtutis amantem, & Vitium odiſſe, quamobrem res ſecundas bonis concederet, adverſas malis immitteret: 4. Futura ab eo præſciri & ſæpe

pe

1 *In Not. ad Epiph. p.* 21. & 27.

2 *Vide* Philonis *Lib.* Omnem probum eſſe liberum, *&* de Therapeutis, & *Joſephi Ant. Jud. Lib.* XIII, 9. XVIII, 2. *de Bello Lib.* II, 12.

pe etiam prædicta, ut ex Propheticis Scriptis liquet; ea enim à Sadducæis rejecta minimè conſtat, ut poſtea videbimus.

IV. Consentiebant & in hiſce, 1. veram eſſe Hiſtoriam à Moſe conſcriptam, Leges eum à Deo acceptas Hebræis tuliſſe, eáſque diligenter obſervandas, ab iis qui vellent præmia à Deo conſequi, pœnáſque, quibus ſancitæ ſunt, vitare: 2. Veram eſſe reliquam Hiſtoriam, quæ in Sacris Hebræorum Libris exſtat; ac proinde Deum, inter omnes Orbis terrarum Gentes, Jacobi, vel Iſraëlis poſteros ſibi, quaſi peculiarem populum, ſelegiſſe, & fœdus cum eo feciſſe; quod apud Moſem deſcribitur, & de quo ſæpe Prophetæ: 3. Poſt Moſem, ad Iſraëlitas miſſos fuiſſe ſubinde Prophetas, ad tempora uſque reditûs è Captivitate Babylonica; quorum aliquot Scripta exſtabant, inter Sacros Hebræorum Libros: 4. Eſſe ſolum Deum Hebræorum colendum, adoratione, precibus, gratiarum actionibus, fiduciâ in eo repoſitâ, & præſertim ſacrificiis: 5. Ceteros Deos figmenta hominum eſſe, potiúſque abominandos, quàm colendos. An Meſſiam, ſeu Regem eos liberaturum omnes æque exſpectarent non conſtat. At Phariſæos exſpectaſſe credibile fit ex Evangeliis, ubi quaſi exſpectantes inducuntur. Vide Matth. II, 5. XXII, 42.

V. Nemini eorum dubium erat quin 1. omnia juſtitiæ officia exhibenda eſſent Iſraëlitis: 2. quin iidem eſſent amandi, & benevolentiæ officiis omnibus excipiendi: 3. quin ceterarum omnium gentium homines, niſi Judaïcam Religionem amplecterentur, eſſent, quatenus licebat, fugiendi, & ab omni familiari ſecum commercio arcendi; quippe polluti, & idonei, qui Iſraëlitas à cultu veri Dei avocarent: 4. quin Virtus quævis, ut à Moſe & Prophetis præcipitur, colenda eſſet, & Vitium quodvis, ab iis damnatum, fugiendum.

V. In hiſce conſentiebant *Phariſæi*, *Sadducæi* & *Eſſeni*, ſine quibus Judaïca Religio ſtare non poterat; quamvis in multis diſſentirent, variáque alia peculiaria haberent. Certè in memoratis capitibus diſſenſiſſe eos, ex iis, quæ de tribus Sectis, apud Veteres, habentur colligere non poſſumus. Chriſtus etiam & Apoſtoli, qui vitia & errores *Phariſæorum* & *Sadducæorum* ſæpe exagitant, nihil iis exprobrant, unde intelligere poſſimus eos in capitibus, quæ recenſuimus, à Legibus Moſaïcis defeciſſe. Ubique ſtatuunt hæc ab omnibus admiſſa, nec uſquam, quaſi in controverſiam ab ullo vocarentur, demonſtrare adgrediuntur. De *Eſſenis*, altum eſt in eorum Scriptis ſilentium; cujus rei cauſam poſtea aperiemus.

CAPUT

CAPUT II.

De Phariſæorum ſecta ejúſque ſingularibus placitis, & moribus.

I. PHARISÆI dicti ſunt à verbo פרש *pharaſch*, ſeparavit, ſecrevit; unde, Chaldaïcâ flexione, פרישאי *phariſchae*, & Græcè Φαρισαῖοι vocati ſunt; non tantùm quia ſtudio ſingulari Legum, quod maximè jactabant, à plebe erant ſejuncti; ſed & quia munditiei Legibus præſcriptæ, & mandatorum, ſeu ſcripta fuiſſent, ſeu ſine ſcriptis per manus ad eos deveniſſent, uti putabant, erant omnium obſervantiſſimi. Hinc apud *Suidam*, è *Cedreno* p. 201. Ed. Pariſ. Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. *Phariſæi, ſi vocem interpreteris, ſunt* ſeparati, *quòd ſe ab omnibus aliis ſejungerent & ſepararent, ut vitam puriſſimam & adcuratiſſimam ſecundùm Legis præcepta agerent.* [1] Rectè hactenus, ſed malè addit: Φαρὲς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται, ἢ διακοπή: Phares *enim in Hebraïca Lingua vertitur ſeparatio, aut abſciſſio.* Nam non à פרס *phares*, quod nomen fuit filii Judæ, ſed à verbo פרש *pharaſch*, deducitur nomen Phariſæorum. Idem tamen habet *Epiphanius*, in Hæreſi Phariſæorum §. 1.

II. NON ſatis conſtat quo tempore orti ſint Phariſæi; ſed credibile eſt tum eos cœpiſſe, cùm *Machabæi* Rempublicam populi Hebræi recuperarunt; quo tempore, vocabantur חסידים *Hhaſidim*, aut, Chaldaïcâ flexione, חסידאי *hhaſidae*, hoc eſt, *pii, miſericordes, benigni.* Ἀσιδαῖοι dicuntur, in libris Macchabæorum, 1. Lib. II, 42. VII, 13. 2. Lib. XIV, 6. Non videtur tam antiquum Phariſæorum nomen, ſed tamen nihil vetat rem nomine antiquiorem fuiſſe. *Aſidæi* potuere primùm dici, quo nomine obſoleto, ut fit, *Phariſæi* vocati ſunt, quod vocabulum poſtea in libris *Joſephi* frequens eſt. Singularem iis fuiſſe conditorem certò nemo dixerit, cùm nihil ea de re habeat aut *Joſephus*, aut ullus Veterum fide dignus, qui de iis egerit.

III. VERUM hæc ad rem noſtram parum faciunt, Dogmata enim Phariſæorum hîc potiùs, quàm ortum, quærimus. Igitur iis miſſis, præter communia cum ceteris Judæis Dogmata, ſingularia nonnulla habuerunt, aut ab aliis admiſſa omnium maximè urſerunt; ritúſque aliis etiam obſervatos diligentiùs multò obſervandos ſuſceperunt. Quæ paucis exponemus è Novo Teſtamento, aut *Joſepho*, & nonnullis Veteribus; nam recentiores Hebræi, cùm nulla habuerint antiquiora monumenta, non

1 Vide & *Joan. Buxtorfium*, in Lexico Thalmudico, in radice פרש, ad vocem פרוש *pharouſch*. Inde פרישות phriſchouth, *ſeparatio*, ſumitur pro ſanctitate, apud Rabbinos, ut idem docebit multis locis, quibus adde *Pirke Aboth* Cap. III, 13.

non ſunt teſtes fide digni. Hoc unum ad rem noſtram facit, quod Doctores Thalmudici fuerint reverâ Phariſæi, quamvis eorum tempore nomen illud non fuerit uſque adeò uſitatum. Dogmata certè eorum omnia pro veris habent, ut omnibus qui eos verſarunt notum eſt.

IV. 1. Non ſatis habebant Legem Moſaïcam ceteróſque Libros Sacros admittere, unde Religionem Judaïcam diſcerent, ſed & præterea *παραδόσεις*, ſeu *traditiones Veterum*, non ſcriptas, addendas iis putabant, & pluris faciebant, quàm ipſa ſcriptis mandata præcepta; quod iis exprobrat Chriſtus Matth. XV, & XXIII. Sepoſitâ divinâ Chriſti auctoritate, res etiam è Judæis Scriptoribus conſtat. *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XIII. c. 18. Νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι, ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις, καὶ διὰ τοῦτο τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Multa quaſi legitima tradiderunt populo Phariſæi accepta à Patribus, quæ non ſunt ſcripta in legibus Moſis; quæque propterea ſecta Sadducæorum rejicit, dicens illa quidem oportere haberi legitima, quæ ſcripta ſunt; quæ verò ex traditione Patrum ſunt, non eſſe ſervanda.* Libri omnes Thalmudici traditionibus ejusmodi conſtant, de quibus vide quæ collegit *Joan. Buxtorfius*, Synag. Judaïcæ Cap. I.

V. 2. Pharisæi, ſi *Joſepho* credimus, Deo & Fato omnia tribuebant. Sic ille, De Bello Jud. Lib. II. c. 12. Φαρισαῖοι μὲν οἱ δοκοῦντες μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα, καὶ τὴν πρώτην ἀπάγοντες αἵρεσιν, εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖςον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι· βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαςον καὶ τὴν εἱμαρμένην. *Phariſæi quidem, qui putantur adcuratiùs leges explicare & qui primam ſectam conſtituunt, Fato & Deo omnia tribuunt; & facere juſta, vel ſecùs, plerumque in hominum poteſtate eſſe putant; ſed ad ſingula adjuvare etiam Fatum.* Hæc repetit Ant. Jud. Lib. XIII. c. 9. & Lib. XVIII. c. 2. Satis tamen conſtat, in Hebraïcis Veteris Teſtamenti Libris, nullam eſſe vocem, quæ reſpondeat voci εἱμαρμένη, aut *Fatum*. Maluiſſem *Joſephum* verbo tenus protuliſſe quid dicerent Phariſæi, quàm Græco more expreſſiſſe. *Deum* ac *Dei voluntatem*, aut *conſilium*, agnoſcunt Veteres Hebræi; *Fatum*, non magis quàm *Fortunam*, norunt; nec puto Hebraïcè, aut potiùs Chaldaïcè loquentes, tempore *Joſephi*, vocem ullam habuiſſe, quo alterutrum exprimerent. [2] Rabbini quidem poſtea גזרה *gzerah*, aut גזירתא *gzertha* decretum divinum, & מזל *mazzal*, fatum Aſtronomicum vocarunt; ſed notiones illæ à Græcis, non à priſcis Hebræis, deſumtæ, nomina ſeriùs nacta ſunt.

VI. 3. Indidem defluxit Aſtrologiæ Apoteleſmaticæ ſtudium, apud

2 *Rabbini quidem*] Vide ad ſequentes voces *Joan. Buxtorfium*, in Lexico Thalmudico.

3 *Liberum arbitrium.*] Vulgaris, hanc in rem, Thalmudicorum ſententia à *Joan. Buxtorfio* F. jam in Florilegio ad tit. *Liberi Arbitrii* adlata: הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים, *omnia in manibus Dei, præter metum Dei*; quâ ſignificant Deum libertati humanæ vim non adferre, ſed imperare tantùm, ita

apud Phariſæos, ſed, ut videtur, ſeriùs. *Epiphanius* in Hæreſi Phariſæorum § 2. Εἱμαρμένη καὶ 'Αςρονομία παρ' αὐτοῖς σφόδρα ἐχρημάτιζεν, αὐτίκα γοῦν τὰ ἑλληνικὰ ὀνόματα τὰ ἐκ τῶν πεπλανημένων ἀςρονομίας, κατὰ τὴν Ἑβραΐδα διάλεκτον, ἑτέροις ὀνόμασι παρ' αὐτοῖς μετωνόμαςαι. *Fato & Aſtronomiæ multùm tribuebant; continuò igitur nomina Græca eorum, qui de Aſtronomia errant, ſecundùm Hebraïcam Linguam, in alia nomina apud eos tranſlata ſunt.* Tum profert nomina Hebraïca Planetarum & Signorum Zodiaci, ſed valdè mendosè in Codicibus noſtris ſcripta ſunt; ut vix in Hebraïca Lingua nonnulla inveniri queant. Fuerunt reverâ poſtea Judæi Aſtrologiæ ſatis addicti, ad imitationem, nempe, Græcorum; ſed an eo morbo ab initio laborarint non liquet. Si credidere *fatum Aſtronomicum*, hoc eſt, influxum ſtellarum in inferiora; oportuit etiam vaniſſimæ ſcientiæ aliquo modo addictos fuiſſe. Vide *Joan. Buxtorfium*, in Lexico Chald. & Thalmudico, ad radicem נזל *nazal*.

VII. 4. Attamen *Joſephus*, locis antea memoratis, [3] Liberum hominibus Arbitrium, ex Phariſæorum ſententia, ineſſe dixit. Sic habet Ant. Jud. Lib. XIII. c. 9. Τινὰ καὶ οὐ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι λέγουσιν ἔργον. τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι. *Quædam, non omnia, Fati eſſe ajunt opus; quædam enim in ſua poteſtate eſſe, contingeréque & non contingere.* Quod paullò diſtinctiùs exprimit Lib. XVIII. c. 2. *Cùm omnia*, inquit, *fato fieri putent, voluntatem in ipſo adpetitu humani generis non tollunt, quia viſum eſt Deo temperamento quodam res fieri, cùm ipſius conſilio, tum etiam hominum volentium cum virtute, vel cum vitio progredi:* δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι, καὶ τῷ ἐκείνης (malim ἐκείνου) βουλευτηρίῳ καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς, ἢ κακίας. Si hæc benignè interpretemur, nihil hîc erit, quod à Chriſtianis non admittatur; cùm actiones hominum, liberæ licèt, à Divina Providentia regantur. Quod eſt à fato Aſtronomico, quo nihil relinquitur in hominum poteſtate, remotiſſimum. Nec fortè cauſa ulla erat *Epiphanio* hanc poſteriorem ſententiam Phariſæis tribuendi; quamvis rectè fatalem illam neceſſitatem, cum ultimo Judicio, conſiſtere poſſe neget.

VIII. 5. De animis hominum, eorúmque poſt mortem ſorte hæc fuit, ut ait *Joſephus*, eorumdem ſententia, *immortalem vim eſſe animis, & ſub terra pœnas eſſe & præmia iis, qui virtuti aut vitio in vita addicti fuiſſent, & his æternum carcerem propoſitum eſſe, illis verò facilem ad vitam reditum:* 'Αθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίςις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προςίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαςώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Quod paullò clariùs interpretatur Lib. II. de Bello Jud. c. 12. ubi ait, ex ſententia

ita ut ſemper poſſit non parere. Sic & in Pirke Aboth: הכל צפוי והרשות נתונה *Omnia nota* (Deo) *ſed arbitrium datum.* C. III. 19. quibus hoc volunt, quamvis Deus præſciat omnia, nihilo ſeciùs liberum arbitrium homini datum. Qua de re, vide Interpretes Miſchnæ & *D. Kimchium* ad 1. Reg. XVIII, 37.

tentia Phariſæorum, *animum omnem eſſe incorruptum, tranſire verò in alterum corpus ſolum bonorum, malorum verò æterno ſupplicio puniri:* ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην· τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι· Quæ Pythagoricam μετεμψύχωσιν manifeſtò redolent, ac ſanè videntur Judæi nonnulli, jam tempore Chriſti, credidiſſe animos defunctorum in alia hominum corpora migrare. Vide Matth. XVI, 14. Joan. IX, 3. Sed ex Evangeliis & Actis Apoſtolicis liquet aliam planè ἀναβίωσιν, ſeu alium ad vitam reditum creditum eſſe vulgò à Phariſæis; reſurrectionem, nimirum, hominum, non ut in alia corpora animi migrent, ſed ut cum ſuo corpore felicitate æterna fruantur, aut pœnas dent. Paulus certè, cauſam dicens, apud Synedrium, Act. XXIII. ſuam de reſurrectione ſententiam à Phariſæorum placitis minimè diſtinguit, uti nec Chriſtus ſuam, in Evangeliis. Vide Matth. XXII, 23. & ſeqq. Itaque crediderim aut *Joſephum* tribuere omnibus Phariſæis, quod nonnullis, qui Philoſophiam Græcam nimio in pretio habebant, ſingulare fuit; aut mutatam, à tempore Chriſti, ad ætatem *Joſephi*, Phariſæorum ſententiam; quorum poſterius vix admitti queat, cùm inter Pauli & *Joſephi* ætatem exiguum, aut fortaſſe nullum fuerit intervallum. Fortè etiam *Joſephus*, aut qui eum in ſcribendo adjuvit, hac in re, ut in aliis, nimiùm, Ethnicis gratificatus eſt, dum Judæorum ſententias ad eorum opiniones detorquet. Præmia certè & pœnæ *ſub terra* Græcanica ſunt ſomnia, potiùs quàm Dogmata Judaïca. Nec aliter quàm Chriſtiani ſentiunt Rabbini, de reſurrectione corporum; ut docebunt *Jac. Windetus*, in Libro de vita functorum ſtatu, & *Joan. Buxtorfius* Synag. Judaïcæ Cap. I.

IX. 6. Ut liquet Phariſæis creditum immortales eſſe animos, ac proinde ſine corpore non minùs eſſe poſſe, quàm corpore indutos: ſic quoque non dubitarunt quin eſſent Angeli, ſeu Spiritus quidam corporis expertes. Quod colligimus ex Act. XXIII, 1. ubi Lucas ſic de Sadducæis & Phariſæis loquitur: *Sadducæi dicunt non eſſe reſurrectionem; neque Angelum, neque Spiritum* (humanum, nimirum, corpore deſtitutum) *Phariſæi autem utraque confitentur.* Vide illic verſum ſequentem.

X. Hæc fuerunt veluti Theoretica Phariſæorum placita; quibus addendum hîc præterea eſt quodnam fuerit eorum vitæ inſtitutum; cùm ad cultum Dei, tum etiam ad reliquos mores quod adtinet. 1. Frequentibus & longis orationibus non tantùm in conventibus, ea de cauſa, congregatis, ſed etiam in viis ipſis publicis utebantur. Vide Matth. VI, 5. XXIII, 14. Luc. V, 33.

XI. 2. Precibus crebra jejunia adjungebant, ut habemus Matth. IX, 14. Luc. V, 33. & conſtanter quidem bis in Hebdomade, ut habet Lucas c. XVIII, 12. *Epiphanius*, loco laudato, ait hoc factum ſecundâ & quintâ feriâ; hoc eſt, die Lunæ & die Jovis, qui etiam dies jejunii ſignantur in libro Thalmudico תענית *thahanith*, unde liquet

à

à fide dignis hoc habuiſſe *Epiphanium*, cui alioqui ſoli tutò per omnia credere non poſſumus.

XII. 3. Sabbathum multò adcuratiùs ſervare, quàm ceteri, videri volebant; quamobrem Chriſti diſcipulis indignabantur, quòd die Sabbathi eſurientes ſpicas vellerent, quas comedebant, Matth. XII, 2. Quin & Chriſtum violatæ Legis abſurdè arguebant, quòd miraculo ægrum die Sabbathi curaſſet, Ib. 10. & ſeqq. Joan. VII, 22. & ſeqq. Cùm Deus vetuiſſet die Sabbathi quidquam facere, interpretati tamen eam legem ita fuerant, ut liceret ovem, ſi in foſſam decidiſſet, ex ea educere, Matth. XII, 11, 12. Cùm juſſum eſſet quieſcere, nihilo ſeciùs, licitum eo die iter duobus millibus cubitorum definierant; qua de re, Interpretes ad Act. I, 12. Quidni etiam, in Chriſti facto, ſimilem æquitatem adhibebant?

XIII. 4. Nihil ſanctius eſſe debet Religione jurisjurandi, adeò ut quidquid, eo interpoſito, promiſſum eſt præſtetur. Quod cùm non ignorarent Phariſæi, novas jurandi formulas commenti ſunt, quibus fraudem Legi facerent, atque homines fallerent. Jurabant *per cœlum*, *per terram*, *per Jeroſolimam*, *per caput ſuum*, ut iis exprobrat Chriſtus Matth. Cap. V, 34. & ſeqq. item *per Templum*, *per Altare*, nec ſe teneri ejuſmodi ſacramentis putabant, ſi modò non juraſſent *per aurum Templi*, aut *per donum* Altari impoſitum; quas fraudes arguit Chriſtus Matth. XXIII, 16. & ſeqq. Cùm fallere non liceat, nullo dato jurejurando, multò minùs licet, additâ jurandi formulâ, quæcumque ſit; quia reverâ ſacramenta concepta per res ſacras, aut à nobis nequaquam pendentes, Dei numen, cui ſacræ ſunt, aut à quo pendent, complectuntur, quamvis paullò occultiùs. Liquet hoc ex eo quòd qui jusjurandum accipit ita id interpretatur, non accepturus, niſi rem ſic intelligeret.

XIV. 5. Sed Phariſæi, jurisjurandi religionem minimè violandam præ ſe ferentes, ea abutebantur, ut ne facerent quæ Lex fieri præceperat, nec ullâ eludi exceptione patiebatur. Sic cùm Lex *honorari parentes* juſſiſſet, hoc eſt, coli & omni ratione adjuvari; ne quid darent parentibus, hoc jusjurandum commenti erant: *Munus, quodcumque ex me tibi proderit*, Matth. XV, 5. hoc eſt, *Korban* (Hebr. קרבן) ut habet Marcus, ſeu *donum eſto*, *quocùmque à me*, vel *quo è meo juvari poſſes*. Quibus verbis quiſquis Patrem, aut Matrem compellaſſet, perinde erat ac ſi dixiſſet: *conſecratum Deo eſto*, vel mihi illicitum ſit aliò avertere *id quo poſſes à me juvari*. Eam formulam etiamnum legere eſt in Thalmudicis Doctoribus, à quibus probatur; qua de re vide *Hug. Grotium* & *Lud. Capellum*, ad hunc locum. Adde & *Ed. Pocockium* ad Portam Moſis, Cap. IX. ſub finem. Eo modo quàm ſceleratè fraus fiat Legi, de honorandis parentibus, nemo non videt; cùm non liceat jurare à nobis factum non iri, quod neceſſariò nobis impoſitum eſt, ac proinde irritum ſit per ſe id jusjurandum, nec ſervari debeat. Sed ea fuit

prava Phariſæorum religio, improbáque indoles; ut, ſi modò hominibus illuderent, Deo ſatisfacere ſe putarent.

XV. 6. Lata Phylacteria gerebant, quod docet Chriſtus Matth. XXIII, 5. ut obſervantiores viderentur Legis, quæ exſtat Exod. XIII, 9. licèt perperam intellectæ, ut ad eum locum oſtendimus. Quidquid in oculos incurrebat, quo fama religioſi animi parari poterat, ſtudioſiſſimè factitabant, ipſam Religionem flocci faciebant.

XVI. 7. Eadem de cauſa, magnas adſuebant veſtibus ſuis fimbrias, ex Lege, quæ exſtat Deut. XXII, 12. ubi vide à nobis notata. Fuit hoc ſignum, quo Judæi ab aliis gentibus ſecernebantur; non pars ulla ſanctitatis, quâ Deo grati fieri poſſent.

XVII. 8. Antequam ederent, lavabant manus, ſingulari quadam ratione, quod & à foro redeuntes facere ſolebant, ne quid pollutionis fortè iis adhæreret, damnabántque aliter facientes. Eadem de cauſa, pocula & lectos diligenter abluebant. Hæc iis exprobrat Chriſtus Marci Cap. VII, 3, 4. ad quem locum vide Interpretes & *Eduard. Pocockium*, in notis ad Portam Moſis Cap. IX. Adi & Matth. XV, 2.

XVIII. 9. Cibum non capiebant, cum hominibus profligatæ vitæ, quos *peccatores* vocabant, nec ab iis tangi ſe patiebantur. Quare à Chriſti diſcipulis quærebant, Matth. IX, 11. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* & Luc. VII, 39. *Hic*, inquiebant, *ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.*

XIX. 10. Decimas ſolvebant, non tantùm eorum terræ fructuum, quorum ex Lege decimæ debebantur, ſed & *mentæ & rutæ & cujusvis oleris*; è quibus decimæ non poterant jure exigi. Vide *Joan. Seldeni* Diſſert. de Decimis Cap. II, 7. Hæc iis objicit Chriſtus, quaſi meram pietatis oſtentationem, Matth. XXIII, 23. Luc. XI, 42. Quin & omnia quæ habebant decimabant, ut liquet ex Luc. XVIII, 12.

XX. 11. Ut pietatem ſuam erga memoriam Prophetarum oſtenderent, non tantùm negabant ſe eos occiſuros fuiſſe, ſi eorum temporibus vixiſſent, ſævitiámque Majorum ſuorum damnabant; ſed & ſepulcra ſanctorum illorum virorum, quæ per Judæam oſtendebantur, inſtaurabant atque ornabant ſuis ſumtibus, quaſi pietatis ſuæ monumenta, cùm Majoribus ſuis meliores non eſſent. Vide Matth. XXIII, 29.

XXI. 12. Multam & adcuratam obſervationem minutorum rituum, quos ipſi tamen minimè obſervabant, niſi fortè ab hominibus adſpicerentur, aliis imponebant; quod illis exprobrat Chriſtus, Matth. XXIII, 4, 5. *Adligant onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Qualia ſunt in Thalmudicis tabulis innumera.

XXII. 13. Magno ſtudio tenebantur faciendorum Proſelytorum, ſeu Ethnicorum ad Judaïcam Religionem adliciendorum. *Circuitis*, aiebat illis Chriſtus, *mare & aridam, ut faciatis unum Proſelytum*, Matth.

XXIII,

XXIII, 15. Sic & in *Capitibus Patrum*, Cap. I, 1. inter tria præcepta Prophetarum, hoc legitur: *facite diſcipulos multos*, quod de Proſelytis intellexerim. Id autem ſtudium, non tam ex Religionis ſtudio ortum videtur, quàm ut amicos & patronos apud Gentes, inter quas vivebant, ſibi compararent, utilitatibúſque ſuis conſulerent.

XXIII. 14. Si credimus *Epiphanio*, magna erat, nonnullorum certè Phariſæorum, auſteritas. *Quidam enim*, ut ait in eorum Hæreſi §. 1. *cùm aſçeticam vitam agerent* (ὅτε ἤσκεν) *decem, vel octo, vel quatuor annorum ſibi ſpatia præfigebant, quibus virginitatem, aut caſtimoniam colerent. Hoc tempus continuis precibus traducebant, & id certaminis frequentiùs inſtaurabant; ne ullam corporis labem contraherent, néve furtim in ſomnis profluvium aliquod turpe obreperet. Ergo alii tabulas ad eum uſum parabant, latitudine non ampliùs dodrantali, in quibus poſt veſperam jacebant, ut, ſi fortè dormirent, in pavimentum prolapſi rurſus ſeſe ad orandum excitarent; quò ſomni, quoad liceret, expertes ætatem tranſigerent. Alii collectos calculos ſubſternebant, quorum vellicatio profundiorem ſomnum arceret, ut vel inviti pervigiles eſſe conſueſcerent. Nec defuere, qui iiſdem de cauſis ſpinas ſubjicerent.* Eſſeni, ut poſtea videbimus, auſterum etiam vitæ inſtitutum ſequebantur. Quò reſpexiſſe videtur Paulus Col. II, 23. 1. Tim. IV, 8. Sed omnia hæc animum vitiis nequaquam purgabant, ac proinde Deo accepta eſſe non poterant.

XXIV. 15. Hæc Phariſæorum inſtituta effecere ut à multitudine magni fierent. *Propter hæc*, ait *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 2. *facilè plebi perſuadent quod volunt, réſque divina, ad preces & ſacra quod adtinet, ex horum interpretatione fit. Tantum habent à civitatibus virtutis & inſtitutorum ad omnia meliora tendentium teſtimonium, in vitæ ratione & in ſermonibus!* Καὶ δι' αὐτὰ τοῖς τε δήμοις πιθανώτατοι τυγχάνεσι, καὶ ὁπόσα θεῖα εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως ἐξηγήσει τῇ ἐκείνων τυγχάνουσι πρασσόμενα· ἐς τοσόνδε ἀρετῆς αὐτῆς αἱ πόλεις ἐμαρτύρησαν ἐπιτηδεύσει τοῦ ἐπὶ πᾶσιν κρείσσονος, ἔν τε τῇ διαίτῃ τοῦ βίου καὶ λόγοις. Attamen è moribus ipſis ſæpe licebat animadvertere improbos homines eſſe, quod idem *Joſephus*, quamvis iis faveret, reticere non potuit Lib. XVII. c. 3. *Erat*, inquit, *pars quædam Judæorum adcuratâ cognitione patriæ Legis valde ſuperbiens; quibus, quaſi Deo, ut videri volebant, caris, addictæ erant mulieres* (Gynæceum, nempe, Herodis de quo loquitur) *Phariſæi vocantur, qui Regibus maximè poſſunt adverſari, providi, & qui apertè bellum gerere & lædere audebant.* Ἦν μόριόν τι Ἰεδαϊκῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα Φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ Θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιςα ἀντιπράσσειν, προμηθεῖς, κἀν τοῦ προὖπτοῦ εἰς τὸ πολεμεῖν καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. Poſtea narrat, cùm Judæi Regi & Cæſari ſacramentum dixiſſent, ſex millia Phariſæorum jurare detrectaſſe, & in ſequentibus eorum audaciæ & ſeditioſi animi ſat exemplorum profert.

XXV. Sed hominum improbitatem & ſimulationem intelligere licet, è teſtimonio omni exceptione majore Jeſu Chriſti; qui paſſim in

Evangeliis, ut jam obiter vidimus, [4] religionis larvam eis detrahit, & præſertim quidem Cap. XXII. Matthæi, quod non exſcribemus. Satis jam hinc liquet quantopere indigerent Judæi, non Rege, qui eorum opes ſimúlque, ut fit, vitia augeret; ſed Propheta, qui mores eorum emendaret, & pravas opiniones confutaret: quemadmodum fecit Jeſus Chriſtus. Sed hac de re poſtea pluribus agemus.

CAPUT III.

De Secta Sadducæorum, ejúsque ſingularibus placitis & moribus.

I. SADDUCÆORUM nomen deductum creditur à quodam *Saddoko*, Hebraïcè צדוק tſaddok, unde Chaldaïcâ formâ צדוקאי *Tſadducæ*, quæ Græcæ adpellationi Σαδδουκαῖοι originem fecit. Dicitur diſcipulus fuiſſe *Antigoni* Sochæi, è cujus verbis, perperam intellectis, condendæ hæreſeos occaſionem adripuit. Dictum *Antigoni* habetur, in Capitibus Patrum Cap. I, 3. *Ne ſitis inſtar mercenariorum, qui domino ſerviunt, eâ conditione ut accipiant mercedem; ſed ſitis inſtar mercenariorum, qui ſerviunt domino, ſed non eâ conditione ut accipiant mercedem; ſitque timor Dei, apud vos.* Recta quidem eſſe poteſt horum verborum ſententia, ſed *Saddokus* [1] rem ita cepit, ut narrant, quaſi *Antigonus* voluiſſet nulla eſſe præmia, nec ſupplicia poſt mortem exſpectanda, adeóque animum cum corpore interire. Erat ei condiſcipulus, cui nomen *Bæthoſo* aut *Bæthuſo* fuit, Hebraïcè ביתוס, à quo condita eſt familia *Bæthoſiorum*, vel *Bæthuſiorum*; qui Sadducæis paria ſenſere, atque inter Samaritas egere, ſi credimus *Epiphanio*, in Hæreſi Sadducæorum. An hæc ita habeant, necne, nemo dixerit; paſſim enim Judæi confictas hiſtorias narrant, ubi veræ non ſuppetunt. *Sadducæi* ipſi videntur nomini ſuo aliam originem quæſiviſſe, & derivaſſe à nomine צדק *tſedek*, quod *juſtitiam* ſignificat. Sed, ſi ita res haberet, dicti fuiſſent צדיקים *tſaddikim*, hoc eſt, *juſti*, non *Sadducæi*; nec priori etymo favere potuiſſet *Epiphanius*, ſi Analogiæ rationem habuiſſet.

II. DE tempore, quo primùm orti ſunt *Sadducæi*, non conſtat; ſed credibile eſt unà cum Phariſæis, circa tempora Macchabæorum, aut paullò pòſt, exortos. Cùm Phariſæi plus æquo tribuerent Traditionibus Patrum & Scripturam ex iis pro arbitrio interpretarentur, nec ſatis, ex Vetere Teſtamento, animi immortalitatem & corporis reſurrectionem probarent; videntur alii, qui quàm incertæ eſſent Traditiones videbant,

4 *Religionis larvam detrahit*] Quin & Thalmudici ipſi varia genera pravorum hominum memorant, quos *Phariſæos* vocant, *Sota* in Gemara Cap. III, 11. ubi vide adnotata *Joan. Chriſtoph. Wagenſeilii.*

1 *Vide* Maimoniden *ad locum.*

bant, in contrariam partem nimiùm tetendiſſe, & quidquid diſertis verbis, in Libris Sacris Hebræorum, non exſtabat, negaſſe.

III. 1. Sadducæi Phariſaïcas Traditiones rejiciebant, ut docet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XIII. c. 18. ubi poſtquàm egit de Phariſæorum Traditionibus, eas repudiari ait à Sadducæis. Ejus verba ſuperiore Capite jam protulimus, quibus hæc addit: περὶ τέτων ζητήσεις αὐτοῖς καὶ διαφορὰς γενέσθαι μεγάλας, *de hiſce quæſtiones illis & diſcrepantias fuiſſe magnas.* Quod intelligere etiam licet ex Evangeliis & Actis Apoſtolicis. Vide Matth. XXII, 23. & Act. XXIII, 6. & ſeqq.

IV. 2. Sadducæi fatum planè tollebant, & Deo mali ullius procurationem tribuendam negabant. *Joſephus* de Bello Jud. L. II. c. 12. Σαδδουκαῖοι δὲ τὸ δεύτερον τάγμα τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι, καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾷν τι κακὸν ἢ ἐφορᾷν τίθενται: *Sadducæi, alter ordo, Fatum planè tollunt, & Deum extra mali cujusvis patrationem, vel inſpectionem conſtituunt.* Ubi τὸ ἐφορᾷν non meram cognitionem, ſed & procurationem ſignificat; nam alioqui nec Providentiam, nec Omniſcientiam Divinam negabant Sadducæi.

V. 3. Liberum arbitrium hominibus concedebant, ut idem eodem loco docet: *aiunt*, inquit, *vel bonum, vel malum hominum electioni eſſe propoſitum, & unumquemque, prout ei videtur, ad alterutrum ferri.* Φασὶ δὲ ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τό τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, καὶ τὸ κατὰ γνώμην ἑκάςῳ τούτων ἑκατέρῳ προσιέναι. Quod verum quidem eſt, ſed non ſine Providentia Divina hæc fiunt, licèt à libera hominis electione pendeant. Nec fortè hoc negabant Sadducæi, qui nuſquam Providentiam Deo detraxiſſe leguntur; quam ſi negaſſent, nulla ratio fuiſſet, cur Deum colerent, Judaïcæque Religioni adhærerent.

VI. 4. Iidem *animos* (poſt mortem) *permanere, ſuppliciáque & præmia in inferis negabant.* Ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι. Cùm verò animos humanos eſſe ſeorſim negarent, poſſétque eis objici Angelos tamen eſſe, ut è Vetere Teſtamento liquet; hoc quoque negandum ſibi eſſe cenſuerunt, quòd difficilius creditu non eſſet animos humanos, quàm Angelos, ſine corpore eſſe poſſe. Hoc vult Lucas Act. XXIII, 8. *Sadducæi dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*, μήτε πνεῦμα, videlicet, humanum; non Spiritum Sanctum, ut voluit *Epiphanius.* Quærunt verò viri docti, quî poſſent Sadducæi *Angelos* negare, cùm Scripturam admitterent. *Joan.* quidem *Camero* putavit eos fortè reſpondiſſe Angelos, qui in Libris Sacris memorantur, ſpectra fuiſſe à Deo excitata & mota. *Hugo* verò *Grotius* locum è *Juſtini* Martyris Libro contra *Tryphonem* adtulit, ubi docet quoſdam crediſſe Angelos non eſſe ſeorſim, ſed ut ſol lucem in terras mittit, ab eo non diſtinctam, neque ſeparabilem: ſic Deum potentiam ſuam emittere, quæ vocetur Angelus. Sic loquitur p. 358. Ed. Pariſ. Ὁ πατὴρ, ὅταν βούληται, λέγουσι, δύναμιν αὐτοῦ προπηδᾷν ποιεῖ, καὶ ὅταν βούληται, πάλιν ἀναςέλλει εἰς ἑαυτόν· κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον καὶ τοὺς ἀγγέλους

ποιεῖν αὐτὸν διδάσκουσι. *Pater quando vult*, inquiunt, *potentiam ſuam proſilire facit, & quando vult iterum ad ſe ipſum retrahit. Hoc modo, Angelos eum facere docent.* Vix alii poſſunt hæc docuiſſe, præter Sadducæos, aut qui cum iis ſentirent, quamvis *Juſtinus* eos nominatim non adpellet.

VII. Haec habet *Joſephus* de Sadducæorum Dogmatibus, de quibus breviùs agit Ant. Jud. Lib. XIII. c. 9. & Lib. XVIII. c. 2. Hoc tantùm obſervatu dignum, quòd nuſquam exprobret non creditam ab iis *reſurrectionem mortuorum*; quam ne ipſe quidem ſatis crediſſe videtur, eo certè modo, quo à veteribus Phariſæis, tempore Apoſtolorum, credebatur. Nam antea vidimus eum ἀναβίωσιν quamdam animorum, in corporibus aliis, inter homines, ei ſubſtituiſſe. Erat autem *Joſephus* Phariſæus, ut in vita ſua ipſe profitetur. Mirum etiam eſt à *Philone* nuſquam memoratam eſſe reſurrectionem, ſi eam crediderit, cùm de immortalitate animi ſæpe agat.

VIII. Ad Religionis externos actus quod adtinet, videntur Sadducæi, qui in Judæa erant, nihil à vulgo Judæorum diſcrepaſſe, & ſacra Jeroſolimæ, inſtar ceterorum, feciſſe. Certè nihil illis, hanc in rem, à Judæis objicitur, & fuere Pontifices Maximi, qui Sadducæi erant, ut ſatis liquet ex poſtremis *Antiquitatum Judaïcarum* libris. At ſi qui Sadducæi apud Samaritas fuerunt, ut *Bæthuſæi*, videntur in Garizitano Templo ſacra, cum reliqua gente, feciſſe.

IX. Quidam volunt à Sadducæis ſolam admiſſam Legem, Prophetas verò ceteros rejectos. Sic *Tertullianus*, aut alius, de Præſcriptionibus Hæreticorum Cap. XLV. *Taceo Judaïſmi Hæreticos, Doſitheum, inquam, Samaritanum, qui primus auſus eſt Prophetas, quaſi non in Spiritu Sancto loquutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes auſi ſunt ad hanc hæreſin etiam reſurrectionem carnis negare.* De *Doſitheo* illo, Hebraïcè דוסתאי *Doſthai*, antiquiore Sadducæis, aliiſque recentioribus *Doſitheis*, multis egit *Joan. Druſius* Lib. II. de tribus Sectis Judæorum. Videtur fuiſſe Samarita, ac proinde cum Samaritis ſolum Pentateuchum admiſiſſe. Sed Sadducæos ab eo ortos minimè conſtat, nec proinde ab iis rejectos Prophetas. Certè nuſquam à Chriſto & Apoſtolis, nuſquam à *Joſepho* iis hoc flagitium exprobratur; nec ſcio an à Judæis tolerati fuiſſent, ſi Prophetas rejeciſſent. Attamen *Hieronymus* in Matth. XXII. memoratis eorum pravis Dogmatibus jam notatis: *hi quinque tantùm libros Moyſis*, inquit, *recipiebant, Prophetarum vaticinia reſpuentes.* Sed hoc habet à *Tertulliano*, quod ſi aliqua ex parte verum eſt, de Sadducæis Samaritanis, non de Judæis, intelligendum videtur.

X. Ad mores Sadducæorum quod adtinet, longè iis Phariſæos præfert *Joſephus* Lib. II. de J. B. c. 12. *Phariſæi quidem*, inquit, *ſunt ſui invicem amantes & in communem utilitatem concordiam colunt; Sadducæorum verò mores, & erga alienos magis feri, & cum ſui ſimilibus verſantur, quemadmodum cum alienis.* Φαρισαῖοι φιλάλληλοί τε καὶ τὴν εἰς τὸ κοινὸν ὁμόνοιαν

νοιαν ἀσκοῦντες· Σαδδουκαίων καὶ πρὸς ἀλλήλȣς (l. ἀλλοτρίȣς) τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵτε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς, ὡς πρὸς ἀλλοτρίους. Ac ſanè hominum nihil, poſt hanc vitam mortalem, exſpectantium, ejusmodi mores eſſe debuere; qui non ex virtute penderent, ſed ex rerum præſenti ſtatu, ex quo quàm commodiſſimè vivere conarentur. Teſtatur etiam *Joſephus* Sadducæos ditiores Judæorum in partes ſuas traxiſſe, Phariſæos verò multitudinem, quæ ſpecie pietatis maximè capitur. Ant. Jud. Lib. XIII. c. 18.

XI. Mirantur nonnulli cur Phariſæi, quorum dogmata de Religione ſaniora, ad alteram vitam quod adtinet, erant dogmatibus Sadducæorum, tam acriter paſſim à Chriſto caſtigentur, qui leniter confutat Sadducæos, Matth. XXII, 29. & ceteroqui vix eorum meminit. Sed quidquid jactarent Phariſæi de ſectæ ſuæ religioſis moribus, erant meri ſimulatores pietatis, intus verò improbi & impii; qui potiſſimas leges divinas, Traditionibus ſuis, irritas faciebant, & quàm maximè Chriſto adverſabantur. Sadducæi verò homines larvâ virtutis, quam præ ſe minimè ferebant, non ſic fallebant, ſed quales erant, tales videbantur; nec ita ſe ſe alienis negotiis immiſcebant, ut quid ageret Chriſtus multùm curarent.

XII. Quærunt etiam viri docti quinam eſſent *Herodiani*, qui cum Sadducæis confundi videntur, Marc. VIII, 16. ubi Chriſtus jubet Apoſtolos *ſibi cavere à fermento Phariſæorum & Herodis*, cùm Matth. XVI, 6. moneat eos *ſibi cavere à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*; unde colligere eſt *Herodianos*, quorum mentio fit Matth. XXII, 16. Sadducæos fuiſſe. Dicuntur præterea docuiſſe Herodem Magnum fuiſſe Meſſiam; conjecturâ, ut puto, ex nomine ductâ, nam alioquin Herodes Hæreſiarcha non fuit; certè *Joſephus*, quaſi novæ ſectæ conditorem, eum nusquam deſcribit. Nec quidquam vetat fuiſſe homines, qui Regem, quem tunc temporis exſpectabant Judæi, Herodem eſſe dicerent; cui Rex nullus, apud Judæos, poſtea rebus geſtis, divitiis & gloriâ par vixit. Fuerint ergo Herodiani è Sadducæorum genere nonnulli, qui dogmatibus à ſecta conſecratis hoc præterea addiderint, Meſſiam fuiſſe Herodem; nec alium exſpectandum. Ideò videntur Romanis obſequentiores fuiſſe & adhibiti à Phariſæis, ut reſponſum à Chriſto elicerent; quo audito, eum apud Romanos accuſarent. Vide Matth. XXII, 16. & ſeqq.

XIII. Fuerunt, apud Judæos, qui poſtea קראים *Karaim* dicti ſunt, eo quòd ſoli Scripturæ adhærendum, miſſis Phariſaïcis Traditionibus, eſſe putarent; nam קרא *kara* eſt *legit*, & מקרא *mikra* Scriptura à *legendo* dicta. Hos, quòd hac in re adſentirentur Sadducæis, paria etiam de animi immortalitate, déque reſurrectione corporis ſenſiſſe crediderunt Judæi. Sed recentiores Karaïtas hæc quoque Dogmata admiſiſſe conſtat ex eorum libris; de antiquioribus non liquet. De his egerunt *Joſ. Scaliger* in Trihæreſio, *Joan. Druſius*, in libro de tribus Judæorum Sectis;

&

& *Jac. Triglandius* in Diſſert de Karaïtis, ubi multa ex eorum libris, qui nondum editi ſunt. Cùm hæc ad Hiſtoriam antiquioris ævi nihil faciant, à nobis omittentur.

CAPUT IV.

De Secta Eſſæorum, ejúsque ſingularibus placitis & moribus.

I. MEMINERUNT *Philo* & *Joſephus* tertiæ cujuſdam Judæorum ſectæ, cujus nulla in Novo Teſtamento mentio; *Eſſæorum*, nimirum, vel *Eſſenorum*, quam multis deſcripſerunt & magnis laudibus adfecerunt. Eorum autem meminiſſe non videntur Evangeliſtæ, quòd Eſſæi ſeorſim ab aliis Judæis in Cœnobiis viventes, ſua tantùm negotia curarent, nec Reipublicæ, nec ſacrorum publicorum Populi Hebræi adminiſtrationem ullam haberent; ac proinde Chriſto & ejus Apoſtolis multùm adverſati non ſint, quo factum ut de iis loquendi nulla occaſio fuerit Evangeliſtis.

II. OBSCURA eſt eorum nominis origo, cùm enim potuerint vocari à Sectæ conditore, à vitæ inſtituto, à dogmate ſingulari, à loco in quo primùm habitarint; hiſce de rebus nobis minimè conſtat, nec proinde nominis Etymologia patet. Crediderat primùm *Joſ. Scaliger* dictos fuiſſe Eſſæos à voce Syriaca חסי *hhaſi*, quæ *ſanctum*, *pium*, *bonum* ſignificat. Ac ſanè *Philo*, in libro *omnem probum liberum eſſe*, ἐσσαίους & ὁσίους *ſanctos* pro iiſdem habet. Poſtea tamen *Trihæreſii* Cap. XXVI. eam ſententiam rejecit idem *Scaliger*, tribus de rationibus; primùm quia *Philonem*, ut ait, non adſequutus erat confundentem ἐσσαίους, & ὁσίους, quem tamen nobis rectè intellexiſſe videtur. Secundò, ſi illi credimus, Eſſæus à חסי, aut חסיא *hhaſi* nullo modo deduci poteſt. Aliquid eſſet, ſi חסיא efferretur *hhaſaja*, quod, ut ait, non ita effertur. At effertur *hhasjo* apud Syros, qui τὸ A mutant frequenter in O, nec tamen hoc obſtat, quin à Judæis inde formaretur חסאי *hhaſſai*, ut פרישאי *phariſchai*. Nec eſt quòd *Scaliger* ægrè ferat τὸ ס duplicari, frequens enim hoc eſt, in Linguis Orientalibus. Tertiò, negat Judæos Lingua Syriaca mera, ad quam pertinet חסי, uſos. Attamen nihil vetat quominùs Judæi, in Syria, Syriacè loquerentur; cúmque multi eſſent in Syria Eſſæi, ſic eos dictos à Syris, unde adpellatio ad Judæos Palæſtinæ tranſierit. Diſertè docet *Philo*, libro memorato p. 878. Ed. Pariſienſis in Syria fuiſſe Eſſæos. Itáque nihil eſt cur Etymon illud ſpernamus, nec auctoritas *Scaligeri*

1 *Exercit. in Solinum p. 432. Ed. Ultraject.*

2 *Cedrenum* &c.] Synopſi Hiſtor. p. 198. Edit. Pariſ. an. 1647. ubi ſic loquitur: ἀπὸ γὰρ Ἰωναδὰβ υἱοῦ Ριχὰβ καταγόμενοι οὗτοι τὴν πανάρεστον ἀκτημοσύνην καὶ δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην καὶ σκληραγωγίαν ἐπέτειναν: *Hi à Jonadabo, Rechabi F. oriundi præſtantiſſimam paupertatem, juſtitiam, temperantiam, & duram*

ligeri effecit, ut *Druſius*, qui alioqui judicium ejus meritò magni faciebat, ſententiam priorem ejus deſereret; ut ex ultimis ejus verbis, in reſponſo ad Minerval *Serarii*, intelligere eſt.

III. Mavult tamen *Scaliger* deduci à חשאי *hhaſchai*, quod *ſilentium* Chaldaïcè ſignificat, quia erant ἡσυχαςαὶ, *quieti*, quomodo vocat *Juſtinianus* Monachos Novell. V. aut quia *ſtramentis* incubabant, quæ eſt ſignificatio Cyrenaïca hujus vocis, ut teſtatur Auctor *Aruch*. Miror cur vir ſummus, ad confirmationem prioris Etymologiæ, non protulerit verba *Joſephi* è Lib. II. de B. J. c. 12. ubi laudat eorum *ſilentium*. Sed multò ſatius eſt credere ſic dictos, quaſi ὁσίους, cùm hoc optimè conveniat toti inſtituto Eſſæorum.

IV. At *Claud. Salmaſius*, [1] cùm obſervaſſet terminationem in ηνος eſſe formam Arabicam nominum Ethnicorum, putavit veriſimile eſſe in interioribus Judææ fuiſſe oppidum quoddam, unde ita dicti ſint; eíque loco, vel oppido nomen fuiſſe datum à ſilentio, vel quietæ vitæ tranquillitate. Sed loci ejuſmodi nulla, apud Veteres, mentio; & præterea, ex ea ſententia, Eſſæi nomen indidiſſent loco, unde poſtea viciſſim & ipſi vocabulum accepiſſent, quod parum eſt veriſimile. Nec in derivatione nominum propriorum Analogicas regulas Hebræi uſque adeò obſervarunt, ut in Diſſert. *de Lingua Hebraïca*, Pentateucho præfixa, oſtendimus.

V. Quo tempore orti ſint *Eſſæi*, nemo certò dixerit. Sed ſi *Joſepho* credimus, fuerunt Græcis omnibus Sapientibus antiquiores. Sic enim loquitur Lib. XVIII. c. 2. Ἄξιον δὲ αὐτῶν θαυμάσαι, παρὰ πάντας τοὺς ἀρετῆς μεταποιουμένους, τὸ δίκαιον, μηδαμῶς ὑπάρξαν Βαρβάρων ἢ Ἑλλήνων τισὶν, ἀλλὰ μηδὲ εἰς ὀλίγον, ἐκείνοις ἐκ παλαιοῦ συνελθὸν, ἐν τῷ ἐπιτηδεύεσθαι μὴ κεκωλύσθαι. *Digni ſunt quorum admiremur juſtitiam, præter omnes virtutis ſtudioſos (quæ nullis Barbarorum, aut Græcorum fuit) ne brevi quidem tempore, cùm apud eos ſit ex antiquis temporibus, impeditam fuiſſe quominus coleretur.* Vult etiam, ut mox videbimus, quod apud *Homerum* eſt de Inſulis Fortunatis, in quas Heroum animi poſt mortem migrarent, ab Eſſæis deſumtum fuiſſe. A Judæo, aut Syro potiùs fabulatore acceperat *Plinius* quod de iis habet Hiſt. Nat. Lib. V. c. 17. *Per ſæculorum millia (incredibile dictu!) gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur.* Cùm verò nulla ejus veſtigia videamus, ante tempora Captivitatis Babylonicæ, nonniſi poſtea ortam crediderim. [2] Scio *Georgium Cedrenum* & alios velle eos à *Rechabitis* ortos, verùm diverſa utrorúmque ſunt inſtituta. Vide Jerem. XXXV, 5.

VI. Duplex fuit Eſſæorum genus, ut rectè viri docti animadverterunt, alterum τῶν πρακτικῶν, alterum τῶν θεωρητικῶν. De Practicis ſeu Actuo-

ram vivendi rationem intenderunt. Sic & *Suidas*, niſi quòd in ejus exemplaribus editis Eſſæi dicuntur πρόγονοι Rechabi, qui debuerunt dici ἀπόγονοι, *qui genus ducunt*, ut eſt in verſione Cantabrigienſi, intacto tamen textu mendoſo.

Actuoſis egerunt *Philo* & *Joſephus*; de Theoreticis ſeu Contemplativis ſolus *Philo*, nî *Plinium* ei adjungas. Practicorum rurſus fuit duplex genus, erant enim, qui uxores ducerent, & qui cœlibem vitam agerent. Nos omnia quæ de iis habent *Philo* & *Joſephus* non proferemus; ſed ea tantùm, quæ ad Religionem & mores pertinent.

VII. Ut à Practicis initium faciamus 1. Eſſeni, ut docet *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 2. *ſolent Deo omnia permittere*, ἐπὶ Θεῷ καταλιπεῖν φιλεῖ τὰ πάντα ὁ λόγος. Attamen ut idem ait, τὸ Ἐσσήνων γένος πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν ἀποφαίνεται, καὶ μηδὲν ὃ μὴ κατ' ἐκείνης ψῆφον ἀνθρώποις ἀπαντᾷ: *Eſſenorum genus omnia in fati poteſtate eſſe adfirmat, nec quidquam hominibus, præter fati decretum, contingere vult.* Qua in re, diſſentire eos ait à Phariſæis & Sadducæis. Si nomine εἱμαρμένης Providentiam intelligit, vult Eſſæos plus tribuiſſe divinæ Providentiæ, quàm ceteros Judæos; quod quoúſque ſit porrigendum non docet *Joſephus*, in hiſce minùs adcuratus. *Philo* ait *omnium quidem bonorum, nullius verò mali cauſam eos credidiſſe eſſe Numen*: πάντων μὲν ἀγαθῶν αἴτιον, κακοῦ δὲ μηδένος νομίζειν εἶναι τὸ Θεῖον. Pag. 877.

VIII. 2. Sacrificia nulla Deo offerebant, quod ſic exprimit *Philo*: [3] *ſummâ religione Deum colunt, non mactantes victimas, ſed ſuas ipſorum mentes componentes ad ſanctimoniam*: ἐν τοῖς μάλιςα θεραπευταὶ Θεοῦ γεγόνασιν, οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες. Hæc non Judaïſmum redolent, ſed potiùs Indorum ſapientiam, qui animalia mactare nefas ducebant, & Pythagoram in ſuam ſententiam pertraxerant. Quo fit ut ſuſpicer à Judæis nonnullis, qui fortè cum Indis verſati fuerant, in Babylonico Imperio cùm eſſent, in Judæam adlatum. *Joſephus* tamen rem aliter exponit Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 2. *Ad templum*, inquit, (nempe, Jeroſolimitanum) *donaria mittentes ſacra non faciunt, ob purificationum, quibus uti vellent, diſcrimen; quamobrem à communi fano excluſi apud ſe ſacrificant*: ἐφ' αὑτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι. Eſſet hæc Legum Moſaïcarum violatio major, quàm omnino ſacra non facere.

IX. 3. Inter alia pietatis indicia, memorat *Joſephus* preces antequàm ſumerent cibum, & poſt cibum captum habitas. Προκατεύχεται ὁ ἱερεὺς, *priùs orat Sacerdos*, καὶ ἐπεύχεται πάλιν, ἀρχόμενοί τε καὶ παυόμενοι γεραίρουσι τὸν Θεὸν ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς, *& poſtea iterum orat, incipientéſque & deſinentes Deum honorant, ut victûs ſuppeditatorem.* Quod tamen & ab aliis Judæis vulgò fieri ſolebat, ut ex Evangeliis, & Codice Thalmudico *de Benedictionibus*, aliíſque liquet, éſtque etiamnum in uſu apud Judæos.

X. 4. Rectum quidem hoc fuit, ſed erant nonnulla, quæ ſuperſtitionem redolebant, & quæ Solem, veluti inferiorem quemdam Deum, ab iis habitum ſuadere poſſint. Verba ſunt *Joſephi*: πρός γε μὴν τὸ

[3] *Pag.* 878. *in lib.* omnem probum eſſe liberum. Ed. Par.

τὸ Θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς, πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν Φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. *Erga Numen, propriâ quadam ratione, religioſi ſunt; antequàm enim ſol oriatur, de re nulla profana loquuntur, ſed quaſdam patrias in eum preces recitant, quaſi orantes eum ſurgere.* Atqui hoc magis decebat eos, qui ſolem colebant, ut Perſas; quàm Hebræos, quos ſolum Deum, rerum omnium creatorem inconſpicuum, precibus adire oportebat; & à quo, ſi ità videretur, ſolis ortus petendus erat. Deinde cur ante ortum ſolis de rebus *profanis* (hoc eſt, ad cultum Dei, Virtutémque non pertinentibus) *loqui* non ſuſtinebant; eo verò orto, prout libebat, loquebantur? An minùs ortus eſſet ſol? An Deo gratiores, qui noctu de iis non loquuntur, quæ ad vitam pertinent, quàm qui interdiu? Hæc figmenta ſunt ſuperſtitioſorum hominum, & quorum nulla ratio, quæ ſapientibus ſatisfaciat, reddi poſſit.

XI. Sed & hoc ſimilis ſuperſtitionis & more etiam Ethnico expreſſæ, quod habet *Joſephus* de ratione, quâ naturæ ſatisfaciebant: βόθρον ὀρύσσοντες βάθος ποδιαῖον τῇ σκαλίδι (τοιοῦτον γὰρ τὸ διδόμενον ὑπ' αὐτῶν ἀξινίδιον τοῖς νεοσυςάτοις) καὶ περικαλύψαντες θοιμάτιον, ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ, θακεύουσιν εἰς αὐτὸν, ἔπειτα τὴν ἀνορυχθεῖσαν γῆν ἐφέλκουσιν εἰς τὸν βόθρον: *fodientes foſſam unum pedem altam ſarculo (datur enim talis ſecuricula iis qui recens admiſſi ſunt) & circumtegentes amiculo, ne radios Dei contumelioſè habeant, in ea excernunt, deinde effoſſam terram in foveam trahunt.* Simile quidpiam Moſes juſſerat à militibus fieri, ne fœtor exercitui noceret, Deut. XXIII, 12. Sed ſolis nullam rationem habebant, nec facile eſt intellectu, cur hìc à *Joſepho* vocetur Θεός; niſi fuerit ea loquendi ratio Eſſæorum, ſemi-paganorum. Scio [4] virum doctiſſimum hoc vocabulum ad verum Deum referre, quaſi lucis auctorem, quæ ejus causâ ſtercore ei expoſito violari non deberet. Sed terra erat à Deo facta, non minùs quàm lux, nec debuiſſet fœdari, ſi ea ratio valeret. Nec puto *Joſephum* tam ambigua loquutione uſurum fuiſſe, niſi Eſſæos imitatus eſſet. [5] Vir itidem doctiſſimus, qui *Salmaſium* graviter laceravit, putavit non abſurdam eſſe eorum conjecturam, qui ſolem voce Θεός ſignari putarent, quia ſic loqui ſolebant Ethnici; ſed Judæos, quicúmque eſſent, imitari eos, hac in re, non decuit.

XII. Videntur Eſſæi, ex Divini Numinis reverentia, à jurando abſtinuiſſe, nam jurejurando teſtis vocatur Deus. *Philo* libro ſæpiùs laudato: τὰ μὲν οὖν Φιλοθέου δείγματα παρέχονται μυρία, τὴν παρ' ὅλον τὸν βίον συνεχῆ ἁγνείαν, τὸ ἀνώμοτον, τὸ ἀψευδὲς &c. *Pietatis indicia præbent ſexcenta, puritatem per totam vitam perpetuam, non jurare, non mentiri.* Similia de jurejurando habet *Joſephus*, quæ tamen ita capienda non ſunt, quaſi numquam juraſſent. Continuò enim addit eos, qui Eſſæis adgrega-

4 *C. Salmaſius in Solinum p.* 432. *col.* 1. *Ed. Ultr.*

5 *Dion. Petavius Miſcell. Exercit. Cap.* 1.

gabantur, eorúmque præfectos ὅρκοις Φρικώδεσιν, *tremendis ſacramentis* adactos, ut ſodalitii illius leges ſervarent. Intelligendum ergo eſt τὸ ἀνώμοτον de temerario & frequente, levibúsve de cauſis, jurejurando.

XIII. Uterque [6] teſtatur (reliqua enim, ne longior æquo ſim, per ſaturam referam) abſtinuiſſe eos à conjugio, non quòd damnarent, ſed ob mulierum intemperantiam; bona omnia communia habuiſſe; habitaſſe in Cœnobiis per varias urbes, ac per vicos, ſolitóſque excipere hoſpitio alios Eſſæos iter facientes; veſtes omnibus fuiſſe pares & quidem candidas; quotidie, aquâ frigidâ ablutos, menſæ communi adcubuiſſe; variis opificiis deditos fuiſſe, nihil ſibi invicem vendidiſſe, ſed è fructibus opificiorum, aut etiam agriculturæ, in commune collatis ſuſtentatos fuiſſe; neophytos, poſt examen triennii, admiſſos, & magnis exſecrationibus ſe ſe obſtrinxiſſe ſe Deum culturos, juſtitiam erga homines obſervaturos, nulli nocituros, improbos tamen odio habituros, & bonis adjutores fore, fidem omnibus ſervaturos & præſertim rerum potientibus, quos [7] ſine Deo eſſe non putabant; præfectos verò eorum juraſſe ſe non abuſuros poteſtate ad contumeliam ſubjectorum, nullo ambitioſo ornatu præ reliquis inſtructiores fore, veritatem amaturos, mentientes caſtigaturos, à furto & à lucro illicito manum abſtenturos, nulla myſteria ſodalibus occultaturos, nihil eorum patefacturos apud alios, ne morte quidem propoſitâ; nihil ſe de dogmatibus, quàm quod à Majoribus acceperint, ſuis tradituros, diligenter ſervaturos ſectæ ſuæ libros, & Angelorum nomina.

XIV. Jus non dicebant, niſi ad numerum centum virorum conveniſſent, ratúmque erat quod is numerus ſtatuiſſet. Poſt Deum, ſummopere [8] Legiſlatorem venerabantur, eóſque qui ei detraxiſſent morte mulctabant. Senibus & majori numero ſuffragiorum obſequi rectum putabant; ita ut, ſi decem ſederent unà, nullus, novem aliis invitis, loqui poſſet. Ne ſpuerent in eorum medium, aut ad dextram cavebant. Sabbathum diligentiſſimè omnium Judæorum obſervabant, nec tantùm cibum ſibi antecedente die parabant, ſed ne vas quidem ullum eo die loco movere, aut alvum purgare ſuſtinebant. Diſcreti erant, pro tempore ſuſceptæ continentiæ, in ordines quatuor; tantúmque priores à poſterioribus differre ſe putabant, ut ſi eos adtigiſſent, ſe ſe abluerent, non aliter ac ſi alienorum à ſuo inſtituto tactu polluti fuiſſent.

XV. Res adverſas contemnebant, & mortem ipſam, ſi honeſta eſſet, hilari animo obibant; belliſque Romanis, numquam ab Ethnicis adduci poterant, ut comederent cibos, quos non ſolebant, aut ut de Legiſlatore contumelioſè loquerentur, licèt exquiſitiſſimis ſuppliciis torquerentur. *Rata*, nimirum, *apud eos hæc erat opinio, corruptibilia quidem eſſe corpora, nec materiam eorum conſtantem; animos verò immortales ſemper*

6 Philo & Joſephus *locis laudatis.*

7 *Sine Deo eſſe* &c.] Vide Rabbinorum ſimilia ſeita hac de re, in Buxtorfiano Florilegio, ad tit. *Magiſtratus.*

8 *Mei-*

per manere, atque ex æthere ſubtiliſſimo venientes corporibus, quaſi carceribus, implicari, naturali quadam illecebrâ detractos; cùm verò fuerint è carnis vinculis ſoluti, tum verò, veluti à longa ſervitute liberatos, gaudere, & ſublimes ferri. Τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς, τοῖς σώμασιν, ἴυγγί τινι φυσικῇ κατασπωμένας, ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας τότε χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι. Poſtrema hæc eſſe [9] Platonica conſtat. Quærendum eſſet an Eſſæi hæc *Platoni* deberent, an antiquiori cuipiam auctori, cui *Plato* ipſe debuerit. Crediderim *Platoni* deberi, qui antiquior Eſſæis, iis ſaltem quos noverat *Joſephus*, ſine dubio fuit. Eò pertinet quæſtio ab Ænea Anchiſi propoſita Æneïd. VI, 719.

> - - - *Anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt*
> *Sublimes animas? iterúmque ad tarda reverti*
> *Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?*

Videndus hac de re *Platonis* Phædrus.

XVI. Ei Philoſopho hæc deberi eo faciliùs credemus, quòd id, quod de præmiis dicebant, Ethnici quoque, & *Homero* præſertim deberent, quem ſequutus interdum eſt *Plato*: *Bonis animis*, ait, in proximè ſequentibus verbis, *Joſephus*, *eamdem ſententiam ac Græci ſequuti, adfirmant ſedem eſſe repoſitam trans Oceanum, & locum neque imbribus, neque nivibus, neque æſtibus moleſtum; ſed quem ex Oceano lenis ſemper Zephyrus adſpirans refrigerat. Malis verò animis tenebricoſum & procelloſum ſeceſſum, plenum indeſinentibus pœnis.* Καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον οὔτε ὄμβροις, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ᾽ ὃν ἐξ Ὠκεανοῦ πραῢς ἀεὶ Ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. ταῖς δὲ φαύλαις ζοφώδη καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν, γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων. In ſequentibus innuit *Joſephus* Græcos, hac in re, ſequutos eſſe ſententiam Eſſæorum; ſed mera hæc eſt ſuperbia Judaïca, quâ ſuos nihil debere Ethnicis volebat. Cùm verò nihil ſimile exſtet in Hebræorum Prophetis, ſintque hæc verbo tenus ex *Homero* petita; multò credibilius eſt, ex quo Græci ſuperiorem Aſiam ſubegere, Judæos ab iis eſſe nonnulla mutuatos; quod pluribus oſtendimus *Artis Criticæ* Vol. III. Ep. IX. ubi protulimus verba *Homeri* ex Odyſſ. Δ, 565. & ſeqq. quibus addenda deſcriptio *Tartari*, quæ exſtat in *Heſiodi* Theogonia ℣. 720. & ſeqq. Ex hac Eſſæorum ſententia, de vita futura, quam negabant Sadducæi, & pervertebant etiam Phariſæi, intelligimus quantopere Judæi ipſi indigerent Doctore divinitus miſſo, à quo certiora acciperent, de re tanti momenti, cujus fides apud eos vacillabat.

CAPUT

8 *Moſem, nempe.*

9 *Platonica*] Vide *Platonis*, *Phædonem*, & præſertim *Phædrum*, ubi de deſcenſu & adſcenſu animorum copioſiùs agit.

CAPUT V.

De Eſſæis conjugio junctis, déque Therapeutis Philonis.

I. PRæter Eſſæos cœlibes, narrat eodem loco *Joſephus*, fuiſſe alios ejuſdem ſectæ, cum ſuperioribus, & in ceteris conſentientes; ſed qui conjuges eſſe ducendas meritò cenſebant. *Maximam vitæ humanæ partem, ſucceſſionem, ſcilicet, reſecare eos, qui abſtinerent nuptiis, arbitrabantur; quandoquidem, ſi omnes in eadem eſſent ſententia, totum genus humanum brevi deficeret.* Μέγιςον γὰρ ἀποκόπτειν οἴονται τοῦ βίου μέρος, τὴν διαδοχὴν, τοὺς μὴ γαμοῦντας, μᾶλλον δὲ εἰ πάντες τὸ αὐτὸ Φρονήσειαν, ἐκλιπεῖν ἅπαν τὸ γένος τάχιςα. Sic meritò raciocinabantur, cùm præſertim Eſſeni Cœlibes contra naturam tenderent; quam aliquo modo incuſabant, dum ei adverſabantur. Si ſeriò ita ſe gerebant, vehementer fallebantur, qui putabant ſe Deo ipſo, humanæ naturæ conditore, ſapientiores eſſe; ſi ut fallerent alios, quod ab alio Cœlibum genere paſſim fieri conſtat, certiſſimi erant nebulones.

II. Sed præter Eſſæos *Joſephi* & cœlibes & conjugio junctos, fuit tertium genus, tempore *Philonis*, qui eos θεραπευτὰς vocat, quaſi *cultores Dei*, ſingularémque libellum de iis ſcripſit, cujus hæc eſt inſcriptio: *de vita Theoretica*, (ſeu Contemplativa) *vel de ſupplicum Virtutibus.* Videntur hi Theoretici Eſſæi perfectius, quàm priores, vitæ inſtitutum eſſe ſectati, idque in perpetua quadam contemplatione ſitum. Quando cœperint, nobis non conſtat magis, quàm de ſuperiorum initio. Sed magis adhuc redolent Enthuſiaſmum Gymnoſophiſtarum, aut ejuſmodi aliorum Orientis Sapientium; à quibus ortum, ut puto, ducebant, & cum quibus Eſſæos confert *Philo*, in libro, quo oſtendit *omnem probum eſſe liberum*, p. 878.

III. Qui id vitæ inſtitutum amplectebantur, neque more, neque adhortatione eò adducebantur, ſi *Philoni* credimus, ἀλλ' ὑπ' ἔρωτος ἁρπασθέντες οὐρανίου καθάπερ οἱ βακχευόμενοι καὶ κορυβαντιῶντες ἐνθουσιάζουσι, μέχρις ἂν τὸ ποθούμενον ἴδωσι: *ſed amore cœleſti rapti, quemadmodum qui Bacchi, aut Corybantum furore agitantur, enthuſiaſmo pleni ſunt, donec quod cupiunt videant.* Hæc ſatis ſunt ut intelligamus ſanos non fuiſſe, qui ad ejuſmodi vitam ſe conferrent; nec poſteriore demum ævo humanum genus, Religione perperam intellectâ, ad inſaniam actum fuiſſe.

IV.

1 *Antiquior fuit apud Ethnicos.*] Antiquiſſimi Phœnices, ſi *Philoni* Byblio credimus, qui fortè quidem *Sanchoniathonem* ſuum finxit, ſed tamen rerum Phœniciarum peritus erat. Is, in Hiſtoria Phœnicia, oſtenderat primos Phœnicum Deos fuiſſe viros & mulieres morti obnoxios, eóſque non eâ morum honeſtate, ut propter virtutem ſuſcipi ac probari mererentur, aut quorum ſapientiæ ſtudium quiſquam æmulari poſſet;

IV. 1. Quasi eſſent hac mortali vitâ defuncti, bona ſua omnia liberis ac cognatis relinquebant, ut docet *Philo*, qui vehementer hoc laudat. Sed omittit, quod diſſimulare nequaquam oportuit; nimirum, cùm facultatibus omnibus ſe ſpoliaſſent, nec quidquam agerent, unde neceſſaria vitæ, ad victum & cultum, nanciſcerentur. Quamvis enim tenues eſſent, attamen è cœlo in otioſorum domos non demittebantur. A ſuis ergo, aut ab aliis vitæ eorum admiratoribus accipiebant ea, quibus carere non poterant. Sed ſi hoc memoraſſet *Philo*, viſus eſſet aliquid Therapeutarum virtuti detrahere, admirationémque minuiſſet.

V. 2. Relictis omnibus facultatibus conſanguineis, atque amicis, ſecedebant in villas ſolitarias, non hominum odio, ſed ne cum diſſimilibus verſari neceſſe haberent, quod noxium eſſe norant. Ait *Philo*, *multis in terrarum locis*, πολλαχοῦ τῆς οἰκουμένης, apud Græcos & Barbaros, ſed præſertim in Ægypto & circa Alexandriam, hoc hominum genus fuiſſe. At loquitur potiſſimùm de iis, qui collem ad *Mariam* paludem, in Alexandrino agro, inſederant.

VI. 3. In ſeparatis ædibus, ſinguli habitabant, neque nimis vicinis, neque nimiùm remotis; quæque ad arcendum frigus & calorem erant aptæ, ſed nullo ornatu inſignes. Unicuique erat *conclave ſacrum*, οἴκημα ἱερὸν, quod vocabatur σεμνεῖον & μοναςήριον, nec debet cum tota domo confundi. In eo ſoli meditabantur & orabant, quæ à *Philone* vocantur τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυςήρια. Ei conclavi nihil, quod ad uſum corporis faceret, inferebant; ſed Legem tantùm Moſis, Prophetarum Scripta, Hymnos & alia quædam ad eruditionem & pietatem pertinentia in eo ſervabant.

VII. 4. Quotidie bis precari ſolebant, manè & ſub veſperam, ut majoribus à Deo luminibus donarentur, quò Veritatem magis ac magis invenire poſſent. A matutino tempore, uſque ad veſperam, ſpatium interpoſitum totum erat ἄσκησις, *exercitatio*; nimirum, animi de Scriptura meditantis. *Sanctiſſimas litteras habentes philoſophantur*, *patriam philoſophiam allegoricè interpretantes*, *quandoquidem verba ipſa putant eſſe ſymbola occulta naturæ*, *in figuratis dictis* (aut allegoricis) *expoſita* : Ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὰν σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζωσι φύσεως ἀποκεκρυμμένης, ἐν ὑπονοίαις δηλωμένης. Subdit habuiſſe Therapeutas *libros Veterum*, *qui*, *cùm fuerint Sectæ conditores*, *multa monumenta in allegorico genere reliquerant*, *quibus quaſi archetypis uſi imitabantur rationem eorum judicii.* Hæc eſt antiquiſſima mentio allegoriæ, apud Judæos; ſed quæ [1] antiquior fuit apud Ethnicos, ut vel ex *Platone* liquet. Cùm *Homerus* & *Heſiodus* in maxi-

ſet; ſed nequitiâ pravæ & flagitioſæ vitæ coopertos; teſtabatúrque eos ipſos eſſe, qui etiamnum colebantur, ejus tempore, & ab omnibus Dii, oppidatim & vicatim, habebantur; quod tota ejus narratio, quæ exſtat apud *Euſebium* Præpar. Evang. Lib. I. c. 9. & ſeqq. demonſtrat. Tum ait eos" qui no-,, viſſimè ſacra interpretati erant (τοὺς νεωτάτους τῶν ἱερολόγων, ubi tamen fortè legendum ἀρχαιοτάτους, *antiquiſſimos*, ut ex ſe-

maxima exiſtimatione eſſent, & tamen abſurdiſſima de Diis narrarent; cœperunt à Philoſophis, aliíſque ſapientioribus viris irrideri & reprehendi; quia impias de Diis fabulas confinxerant. Quod *Plato* multis oſtendit, in Euthyphrone, non procul ab initio, & copioſiùs Libro II. de Republica ſub finem, ubi etiam *Homerum* & *Heſiodum* è ſua Republica amandandos cenſet; propter turpia de Diis commenta, quibus cives facilè corrumpi poterant. Eapropter Grammatici, aliique, qui eos Poëtas parvi pendi nolebant, omnem lapidem movere cœperunt, ut oſtenderent ſub turpibus fabulis latere aut eximios ſenſus, aut certè mimimè damnandos. Cujus rei exempla paſſim occurrunt, ſed præſertim in Libro *de Allegoriis Homeri*, qui *Heraclidi Pontico* tribuitur, in quo Poëta acerrimè contra *Platonem* & *Epicurum* defenditur, & in violentas ac ineptas allegorias torquetur, magno numero legi poſſunt. Haſce allegorias reſpiciens *Plato* Lib. II. de Republica, ſic loquitur: Θεομαχίας, ὅσας Ὅμηρος πεποίηκεν, οὐ παραδεκτέον εἰς τὴν πόλιν, οὔτ' ἐν ὑπονοίαις πεποιημένας, οὔτ' ἄνευ ὑπονοιῶν: *Pugnæ Deorum, quotquot in poëmatibus finxit Homerus, non ſunt admittendæ in civitatem, nec allegoricè ficta, nec ſine allegoriis.* Nam quod olim ὑπόνοια, hoc eſt, ſenſus occultus, quem figurata loquutio ſubinnuit, ac veluti ὑπονοοῦμεν, *ſuſpicamur*, poſtea fuit ἀλληγορία, ut teſtatur *Plutarchus* Lib. de audiendis Poëtis; eáque voce utitur, in verbis antea adlatis, eodem ſenſu, *Philo.*

VIII. Cum Judæi cœperunt cum Græcis verſari, eorúmque libros legere, hac quoque in re eos, quidquid diſſimulent, imitati videntur. Legis Moſaïcæ & Hiſtoriæ Sacræ, ſimpliciter intellectæ, eximium uſum cùm non intelligerent, nec eas fortè contra Ethnicos, judicii & in-

ſequentibus liquebit) "quæ ab initio facta „ fuerant vituperaſſe, excogitatis allegoriis „ & fabulis, & confictâ ſimilitudine cum „ iis quæ in mundo contingunt, myſteria „ conſtituiſſe, & multo ea involviſſe fu- „ mo; ita ut nemo facilè, quæ verè con- „ tigiſſent, perſpiceret. At Sanchoniathon, ſi eum audimus, aut ipſe ſub ejus larva „ latens, cùm incidiſſet in arcana ſcripta „ *Ammuneorum* (*hoc eſt, ut videtur, Thebanorum, in ſuperiore Ægypto, quorum urbs ab Hebræis vocatur Amon-no* אמון נוא, *ut bene oſtendit Sam. Bochartus Phaleg. Lib. I. c. 1. qui tamen quid ſibi vellet hæc Philonis vox non eſt adſequutus*) " quæ ex Adytis tem- „ plorum, ubi jacuerant, nactus erat, „ cognitionem omnium, quæ non erant „ quibuſvis nota, meditatione adſequutus „ eſt, finéque operi impoſito, fabula quæ „ initio inerat, & allegoriis amandatis, id „ quod ſibi propoſuerat perfecit; donec „ iterum Sacerdotes qui poſtea fuere, ſe- „ quentibus temporibus, voluerunt verita- „ tem (*nam* αὐτὴν refero ad ἀλήθειαν, quæ anteceſſit) "occultare & fabulam reſtitue- „ re; unde myſticus ſenſus emerſit, qui „ nondum ad Græcos pervenerat. Idem poſtea, apud eumdem *Euſebium* C. X. poſt narratam ſimpliciter &, ut jacebat, antiquam Hiſtoriam. „ Hæc omnia, inquit, „ Tabionis filius, primus ab omni ævo, „ Phœnicum Hierophanta, in allegoriam „ cùm convertiſſet, & naturalibus, quæque „ mundo contingunt miſcuiſſet, tradidit „ Prophetis, Orgia celebrantibus & initia- „ tionibus præfectis. Hi autem, quî fu- „ mum augerent omni ratione commen- „ ti, ſuis ſucceſſoribus, & iis qui ad hæc „ admiſſi ſunt tradidere. Dein paullò poſt: „ Græci verò, qui omnes ingenio ſupe- „ rant, primùm quidem pleráque ſibi quaſi „ propria vindicarunt, dein addititiis or- „ namentis variè inflarunt & cùm vellent „ adlicere voluptate fabularum, omni ra- „ tione variegarunt.

Idem repetit *Euſebius* ipſe, in Præfatione Li-

ingenii penuriâ, defendere ſcirent; cœperunt Scripturam interpretari, quemadmodum Grammatici Græci *Homerum* interpretati erant. Quam rem non erat quidem cur Allegoriſtæ Græci iis exprobrarent, qui ſimiliter peccabant; ſed numquam haſce Allegorias ſuas, contra Philoſophos, tueri potuiſſent. Nullo argumento conſtabat Grammaticis *Homerum* voluiſſe ἀλληγορεῖν, & minùs etiam veriſimile fuit, ſub Legibus & Hiſtoria Scripturæ Sacræ, latere Allegorias. Quare utrorumque commentitias interpretationes meritò ſapientiores rejecerunt; quas utinam Chriſtiani poſtea non eſſent imitati! Judæi & Chriſtiani Allegorias Ethnicorum riſerunt, & quidem meritò; ſed ſunt ipſi majore riſu digni, qui non aliter ineptierunt. Verùm hæc non ſunt hujus loci. Therapeutas multò ſatius fuiſſet fodere & colere hortos, atque Therapeutridas nere ac texere; quàm putida commenta, otioſâ meditatione, excolere & augere, ſomniáque Allegorica pro Librorum Sacrorum ſententia venditare.

IX. 5. PER ſex dies, ſeorſim, quique in ſuis Monaſteriis, philoſophabantur, nec januâ atrii egrediebantur, & ne ex ea quidem proſpiciebant. Septimo verò quoque die, in commune Semneum, (vel Synagogam communem) omnes conveniebant; ubi maximi natu & peritiſſimi Dogmatum orationem alii audiebant, cujus ſolidam eloquentiam extollit *Philo*. Inania & fanatica commenta cerebrorum inediâ vacuorum, & delirantium fuiſſe eſt cur ſuſpicemur, è ſolitaria vita, veræque Religionis imperitia, & libidine Allegorias ſectandi; cum quibus vera eloquentia, quæ Vero nititur, non futilibus conjecturis, non magis conſiſtere poteſt, quàm lux cum tenebris. In Semneo, duplex erat ſeptum, in quo-

Libri II. qui & Cap. IV. poſt memoratam Ægyptiorum Theologiam, ubi oſtendit Allegorias ideò inventas, ut Ethnicæ Religionis abſurditas aliquo modo velaretur. Similia etiam habet *Plutarchus*, in Lib. de Audiendis Poëtis; cùm teſtetur fuiſſe homines *qui fabulas occultis ſenſibus* (ὑπονοίαις) *olim dictis, ſed tunc allegoriis, vi illatâ torquerent*, quos meritò ridet. Sed nemo meliùs eas confutavit Clementinarum Homiliarum auctore, Homil. VI, 17. & ſeqq.

Attamen Judæi, qui eas Allegorias ridebant, idem factitarunt & ipſi, in interpretatione Legum Moſaïcarum, ut *Philo*, & Scriptores Hebræi τῶν *Midraſchim*. Ei conſuetudini ſe ſe aliquo modo adtemperarunt etiam Apoſtoli, qui tamen parciſſimi ſunt, ea in re, ut Paulus Gal. IV, 22. & ſeqq. Sed poſtea Chriſtiani, Judæos atque Ethnicos perperam imitati, præſertim ab *Origenis* temporibus, omnia in Allegorias converterunt; quæ conſuetudo eò minùs laudanda, quòd eam in Ethnicis falsè riſiſſent. Dum Grammaticum ſenſum, etiam in Hiſtoriis, ſpreverunt, quaſi non ſatis ſublimem, aut qui vix cum Veritate conſentiret; oſtenderunt ſe non ſatis Hiſtoriæ Sacræ finem & uſum intellexiſſe. Sic *Hieronymus*, cùm alibi ſæpe, tum in Epiſt. ad Nepotianum, Ed. Ben. T. IV. col. 257. *David annos natus LXX, bellicoſus quondam vir, ſenectute frigeſcente, non poterat calefieri. Quæritur itaque puella, de univerſis finibus Iſraël, Abiſag Sunamitis, quæ cum rege dormiret & ſenile corpus caleſaceret. Nonne tibi videtur, ſi occidentem ſequaris litteram, vel figmentum eſſe de Mimo, vel Atellanarum ludicra*, &c. ubi *Abiſag* vult eſſe ſapientiam ſenilem. Cui interpretationi omnia poſſunt objici, quæ in allegoricis Poëtarum interpretationibus à Chriſtianis carpebantur. Vide & quæ de Allegoriis habet *P. Dan. Huetius* in Origenianis, Lib. II. Cap. 2. Quæſt. XIII.

quorum uno erant viri, in altero mulieres, ſed muro non admodum alto diviſæ, ita ut dicentis Senioris orationem facilè exaudirent.

X. 6. Nec cibum, nec potum quiſquam ſumebat πρὸ ἡλίου δύσεως, *ante ſolis occaſum*, quòd ſapientiæ ſtudium luci, curam corporis tenebris convenire putarent; quo fiebat ut priori totum diem, poſteriori exiguam tantùm noctis partem tribuerent. Nonnulli, ſi *Philoni* credimus, ſemel tantùm triduo integro comedebant, alii verò vix intra ſex dies alimentum neceſſarium deguſtabant; ἐθισθέντες, ὥσπερ φασὶ τὸ τῶν τεττίγων γένος, ἀέρι τρέφεσθαι, τῆς ᾠδῆς τὴν ἔνδειαν ἐξευμαριζούσης: *Adſueti, ut dicunt cicadarum genus, aëre veſci, dum cantica efficiunt ut cibi inopiam faciliùs ferant.* Hæc verba addidi, ut *Philonem* hìc delicias facere liqueret, néve facilè ei per omnia fides habeatur; numquam enim ita ineptiunt, qui ſolius Veritatis rationem habent.

XI. 7. Septimum diem, ut omnino feſtum & ſacrum eximio honore dignabantur & poſt curam animi, corpus quoque reficiebant. Nullo tamen cibo pretioſo utebantur; ſed ſimplici pane, [2] cujus obſonium erat ſal, quem delicatiores hyſſopo condiebant: ὄψον ἅλες, ὃς οἱ ἁβροδίαιτοι παραρτύουσιν ὑσσώπῳ, ποτὸν ὕδωρ ναματιαῖον αὐτοῖς ἐστιν. Sic ipſa *Philonis* verba habent, in quibus iterum ludit; quid eſt enim, præter merum aurium ludibrium, *condire ſalem hyſſopo?* Sal, qui alioquin omnium condimentum eſt, in Therapeutarum cœnis, condiebatur hyſſopo! Saltem panem eo condiri dixiſſet. Lubet exclamare: *O noctes, cœnæque Deûm!* Sed ne in re ſeria jocemur, hæc fuit etiam Ethnicorum imitatio, ſic enim vivebant veterum Ægyptiorum ſacerdotes, ut teſtatur *Chæremon* Stoïcus, *Philoni* æqualis, apud *Porphyrium* de Abſtinentia Lib. IV. §. 6. ubi poſtquàm dixit eos abſtinuiſſe à vino, rationéſque ejus rei addidit, ſic pergit: ἄρτοις μὲν οὐδὲ ὅλως ἐν ταῖς ἁγνείαις χρώμενοι, εἰ δέ ποτε μὴ ἁγνεύοιεν, σὺν ὑσσώπῳ κόπτοντες ἤσθιον· τὸ πολὺ γὰρ αὐτοῦ τῆς δυνάμεως καθαιρεῖν ἔφασαν τὸν ὕσσωπον: *pane quidem nullo modo utebantur, cùm puri eſſe volebant, ſi quando verò puritatem non ſectarentur, cum hyſſopo cædentes comedebant, nam hyſſopum aiebant magnam partem ejus virtutis ei detrahere.* Quaſi, nimirum, pane veſcentes timerent ne nimium iis ſuccum ſuppeditaret. Crediderim Ægyptios comediſſe panem, unà cum ſale & hyſſopo, ut [3] Athenienſes pauperes ſolebant cum ſale & thymo; non ut condirent ſalem, aut pani vim alendi detraherent, ſed ut languentem ſtomachum herbâ ſapidâ excitarent.

XII. 8. Primùm & potiſſimùm congregabantur, ſeptem hebdomadibus exactis, vel ultimo Sabbatho ante Pentecoſten; non enim mirabantur tantùm ſeptenarium numerum, ſed & ejus [4] *potentiam*, δύναμιν, hoc

2 *Cujus obſonium ſal*] Is pauperum interdum victus fuit. Unde ſententia in Capit. Patrum Cap. VI, 4. *Buccellam* (panis) *cum ſale* (פת במלח) *edas & aquam cum menſura bibas, & humi dormias, & miſerè vivas, modò operam navare poſſis Legi. Quod ſi ita facis, beatus es tu* &c.

3 *Vide* Ariſtophanem *in Pluto*, verſ. 253. & 283. & *Dioſcoridem Mat. Med.* Lib. III. c. 44.

4 Vi-

hoc eſt, productum ſeptenarii numeri, per ſe ipſum multiplicati. Sciebant enim, ut ait *Philo*, *eum eſſe caſtum & ſemper virginem*; quod Arithmeticum eſt *Pythagoræ* commentum, cui plus æquo tribuebat *Philo*; ſed an ejuſmodi argutiis Arithmeticis niterentur Therapeutæ neſcio. Facilè fieri poteſt, ut iis *Philo* ſuas ipſius opiniones adſignet. Itáque eas prætermitto. Ait ſepties ſeptimum diem fuiſſe προεόρτιον μεγίϛης ἑορτῆς, ἣν πεντηκοντὰς ἔλαχε, *antecedentem maximum feſtum*, *quod quinquagenarius numerus ſortitus eſt*, hoc eſt, Pentecoſten. Congregabantur ergo ſeptimo die Sabbathi, qui quinquageſimam Hebdomadem antecedebat. Deinde conveniebant & quinquageſimo die, ut ceteri Judæi ſolebant.

XIII. 9. Cum verò conveniſſent candidis veſtibus induti & ad gravitatem compoſiti, ex admonitione [5] *Ephemereutæ*, hoc eſt, qui vicibus ſuis certóque die eo munere fungebatur, ordine diſpoſiti Deum orabant, manibus & oculis ad cœlum ſublatis, ei θυμήρη γενέσθαι καὶ κατὰ νοῦν ἀπαντῆσαι τὴν εὐωχίαν, *gratum eſſe hoc convivium*. Abſolutis precibus, ſeniores diſcumbebant, ac mox alii, pro cujúſque dignitate; neque enim *ſeniores* ex annis æſtimabant, ſed pro pueris habebant, ſi ſerò hujus inſtituti amore capti fuiſſent; *ſeniores* verò eos judicabant, qui ab ineunte ætate Theoretico huic vitæ generi addicti fuerant. Convivabantur & fœminæ, anus pleræque, ſed virgines & quidem ſponte; non coactæ, ut quædam, apud Græcos, Sacerdotes. Viri dextrum latus menſæ, fœminæ ſiniſtrum tenebant; omnéſque tegetibus è papyro Ægyptiaca contextis incumbebant. Miniſtri adſtabant ſelecti, non ſervi, ſed liberi, qui ſponte miniſteria omnia obibant. Convivium ejuſmodi erat, cujusmodi antea dictum eſt; niſi quòd ſenioribus interdum calida, pro frigida, bibenda dabatur. Dum convivarentur, nulli erant ſermones inter convivas, ſed eruditus quiſpiam è ſenioribus propoſitam è Lege Moſaïca quæſtionem enodabat; allegoricíſque rationibus utebatur, Legem enim Allegoriam eſſe putabant. Tandem peractâ quæſtionis ſolutione, Præſes hymnum canebat, quales multos habebant, vel veteres, vel recens compoſitos. Tacebant interea reliqui, πλὴν ὁπότε τὰ ἀκροτελεύτια, καὶ ἐφύμνια ᾄδειν δέοι, τότε γὰρ ἐξηχοῦν πάντες τε καὶ πᾶσαι; *niſi cùm oportebat canere extremas partes & hymnorum clauſulas*, *tunc enim cuncti & cunctæ concinere incipiebant*.

XIV. Tum ablatis menſis à junioribus, duo chori fiebant, in medio cœnaculo, alter virorum, alter mulierum; quibus ſuus cuíque præfectus erat, ἔξαρχος, qui cantum inciperet, cantúque & ſaltatione ſeorſim exercebantur, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ καὶ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις, ἐπιχειρονομοῦντες καὶ ἐπορχούμενοι καὶ ἐπιθειάζοντες· τοτὲ μὲν τὰ προσόδια, τοτὲ ἐπι-

4 *Vide* Diophantum Alexandrin. *Arithm.* *Lib. I. Defin.* 2. & *Philonem* ipſum de Opificio Mundi, non procul ab initio, ubi vox δύναμις hoc ſenſu Arithmetico ſæpiùs occurrit.

5 Indidem ἐφημερίαι ſacerdotales, ſeu hebdomades in orbem redeuntes, quibus claſſes Sacerdotum, ſuis vicibus, ſacra obibant.

δὲ τὰ ϛάσιμα, ϛροφάς τε τὰς ἐν χρείᾳ καὶ ἀντιϛρόφους [6] ποιούμενοι: *nunc quidem concinentes, nunc alternis harmoniis utentes, manus agitantes, ſaltantes, & divino furore rapti; modò cantica modulabantur, in quibus progrediendum erat, modò alia in quibus ſtandum, modò in hanc partem, ut oportebat, modò in illam ſe convertebant.* Quæ multò ſimiliora erant Chororum tragicorum, in Theatris Græcorum, ſaltationibus, quàm hilaritati è pietate natæ. Deinde duplex ille chorus ſe ſe miſcebat, quaſi amore divino ebrius, & ad lucem uſque hanc religioſam μέθην, ſeu *ebrietatem*, ſine dolore capitis & ſine ſomno, protrahebat. Tandem, ſole oriente, ſolitis hymnis recitatis, quiſque domum ſuam, ad ſequens uſque feſtum aut Sabbathum, ibat.

XV. Hæc omnia miratur *Philo*, quæ tamen Melancholiam & Enthuſiaſmum magis redolent, quàm veram pietatem; quæ oritur ex cognitione revelationis divinæ, non pro ἀλληγορούντων arbitrio, ſed ex certis regulis intellectæ; ſitáque eſt, non in otioſa & melancholica vita, ſed in cultu divino, humanitatíſque omnibus officiis, quæ nonniſi in vita communi commodè præſtari poſſunt. Attamen *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 17. contendit hos fuiſſe Chriſtianos Monachos, & *Philonem* ipſum faviſſe Chriſtianiſmo, ut ex hoc Libro adparet. Sed hîc nullum eſſe veſtigium Chriſtianæ Religionis facilè animadverterunt *Joſeph. Scaliger* Lib. VI. de Emend. Temporum, & *Henr. Valeſius* ad *Euſebii* locum, aliíque. Nihilo ſeciùs fuere, qui *Euſebii* cauſam tueri adgrederentur, ut *Thomas Bruno*, in Diſſertatione poſtuma, Londini anno MDCLXXXVII. edita, & nuper etiam anno MDCCIX. & MDCCXII. eruditiſſimus Benedictinus, *Bernardus de Monfaucon*, qui libellum *Philonis* Gallicè vertit & cum Diſſertationibus eò ſpectantibus Lutetiæ edidit. Verùm confutatus eſt ab ampliſſimo & doctiſſimo Viro *J. Bouhierio*, in Senatu Divionenſi Præſide; cui adſenſum, niſi fallor, omnes præbebunt, qui rem penitiùs introſpexerint. *Philonem* autem faviſſe Religioni Chriſtianæ credent, qui eum numquam ſtudioſè legerint; cùm ne levis quidem adluſio ad Chriſtiana Dogmata, in ejus Scriptis, occurrat. Verè dixit *Scaliger*, [7] *Veteres illos, ſummos viros, cùm de incunabulis Chriſtianiſmi verba facerent, multa à veritate aliena pronunciaſſe*; quod comprobat ipſius *Euſebii* pluribus locis.

XVI. Sed vir doctiſſimus *Henr. Valeſius* contendit, contrà quàm putavit *Scaliger*, *Therapeutas* minimè fuiſſe *Eſſæos*, 1. quòd nuſquam *Eſſæi* vocentur à *Philone*; 2. quòd *Eſſæos* dicat in libro, quo probat *omnem probum eſſe liberum*, in Judæa ac Syria fuiſſe, ut & in Apologia pro Judæis, cujus locus profertur ab *Euſebio* Præp. Evang. Lib. VIII. c. 11. cùm Therapeutæ latiùs multò ſparſi eſſent, per Græciam & Barbariam, & præſertim quidem in Ægypto; 3. quòd de Theoreticis *Eſſæis* nihil ha-

6 Leg. ἀντιϛροφὰς, opponuntur enim ϛαῖς ϛροφαῖς, ut in Choris Græcorum.

7 *Lib. VI. Emend. Temp. p. 539. Ed. Rover.*

habeat *Joſephus:* 4. quòd *Eſſæi* muliebrem ſexum averſarentur, ut ait *Philo*; 5. quòd Eſſæi non propinquis ſuis bona ſua dividerent, ſed in communem uſum Sodalitatis conferrent. Verùm I. *Eſſæi* videntur vocari, initio libri Philonis de Therapeutis, quæ ſic habent: Ἐσσαίων πέρι διαλεχθεὶς ΟΙ τὸν πραντικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπόνησαν βίον —— αὐτίκα καὶ περὶ ΤΩΝ Θεωρίαν ἀσπασαμένων, ἀκολουθίᾳ τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω: *Poſtquàm de Eſſæis loquutus ſum*, QUI *vitam actuoſam ſectati ſunt & coluerunt* —— *continuò & de* IIS, *qui Theoriam amplexi ſunt*, *ordinem ſcriptionis ſequens*, *quæ par eſt dicam.* In poſteriore enim membro repetendum Ἐσσαίων meritò cenſuit *Scaliger*, quamvis neceſſarium eſſe neget *Valeſius*; nam ſi alios intellexiſſet, in altero periodi membro, nomen eorum illico protuliſſet Scriptor diſertiſſimus. II. *Philo* quidem Eſſæos multos in Judæa & Syria fuiſſe ait, ubi fortè erant frequentiores, quàm alibi; ſed non negat aliis in locis fuiſſe. Idem de multitudine Therapeutarum videtur hyperbolicè loquutus, totúsque ille libellus declamationis in modum, omnia augentis, eſt ſcriptus; nec ſi tot fuiſſent per orbem terrarum Therapeutæ, tam altum eſſet de iis, apud omnes Scriptores, ipſúmque adeò *Joſephum* ſilentium. III. Ex hoc ipſo *Joſephi* ſilentio colligere eſt, ab illo habitos eſſe quaſi partem quamdam *Eſſæorum*; alioqui quartam ex iis ſectam confeciſſet. IV. Ut pars Eſſæorum Judææ & Syriæ erant conjugati, dum alii cœlibem vitam agebant; nihil vetabat quin Theoretici mulieres, quæ virginitatem colebant, in inſtitutum ſuum admitterent. V. Quod Practici Eſſæi bona in commune conferrent, non probat Theoreticos idem feciſſe; quid enim vetat, hac in re, ut in aliis, inter eos aliquid fuiſſe diſcriminis? Sed eſt vir doctiſſimus, qui Therapeutas Phariſæos fuiſſe putet, quòd non tantùm Legem ſequerentur, ſed & Majorum Traditionem; ex qua vitam inſtituebant, potiùs quàm ex Legis verbis. Verùm nihil obſtat, quo minùs Phariſæis, hac in re, ut in aliis multis, ſimiles eſſent, quamvis non eſſent Phariſæi. Certè Practici Eſſæi ſimile quid habebant, quos tamen nemo Phariſæos fuiſſe dixerit.

XVII. ATQUE hæc de Eſſæis ſatis ſupérque erunt. Satis liquet fuiſſe Enthuſiaſtas melancholicos, vitæ communi, ac proinde Virtutibus, quæ ad Humanitatem pertinent, parum aptos; quamvis à *Joſepho* & *Philone* usque adeò laudentur. Verùm ſæpe homines imprudentes inſaniam, meráque atræ bilis ludibria, cum Religione & Virtute miſcuere; nec olim modò factum, ſed & quotidie fieri videmus.

CAPUT VI.

De Juda Gaulanite, ejúſque diſcipulis.

I. Præter tres memoratas Sectas, eáſque nobiliſſimas, apud Judæos, quæ temporibus Chriſti vigebant, quarta fuit, ſi *Joſephum* ſequimur; ſed quæ factio potiùs erat nonnullorum Phariſæorum, qui Romanorum jugum ægerrimè patiebantur; quippe quæ de rebus divinis non aliter ſentiebat, quàm Phariſæi, at parendum eſſe Romanis, exteriſve aliis ullis negabat. Fateor eos etiam prætextu Religionis abuſos, quòd Dei ſolius ſervos Judæos eſſe oportere dicerent; ſed ceteroqui nulla cum Phariſæis eis fuere diſſidia, ut poſtea ex *Joſepho* oſtendemus; qui cùm tres tantùm fuiſſe ſectas doceat Ant. Jud. Lib. XIII. c. 9. alibi tamen quartam memorat hominum, quos diximus, ſeditioſorum. Quod ut meliùs intelligatur, rem paullò altius repetemus, oſtendemúſque qui, culpâ Judæorum, Romani eos ſubjecerint.

II. Anno ante vulgarem Chriſti Æram LXXVIII. Alexandro Pontifice Maximo & Rege Judæorum fato functo, regnavit Hyrcanus II. Alexandri F. aut potiùs Salome mater ejus, quæ regnum adminiſtravit, ex conſilio potiſſimùm Phariſæorum. Mox eâ mortuâ, A. C. LXIX. exortum eſt bellum, inter Hyrcanum & Ariſtobulum juniorem fratrem, qui victor coëgit majorem natu, poſito diademate & ſacerdotio, ad vitam privatam redire, ut narrat *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XIV. c. 1. Paullò pòſt tamen Hyrcanus Petram ad Aretam, Arabum Regem, ſuadente Antipatro Idumæo, homine callido & ſtrenuo, qui Herodis Magni pater fuit, profugit. Aretas verò, cùm promiſiſſet Hyrcanus reſtitutionem aliquot urbium, quas Alexander pater ejus Arabibus eripuerat, hominem in regnum reducere adgreditur, nec res malè ceſſit; brevi enim victum acie Ariſtobulum in urbem Jeroſolimam redegit, eámque obſidere cœpit.

III. Eo tempore, Cn. Pompeius Magnus bellum in Armenia cum Tigrane, Armeniæ Rege, gerebat. Is cùm audiſſet fratrum diſſentionem, ad eos miſit Æmilium Scaurum legatum, res Judææ inſpecturum. Scaurum adierunt ab utroque fratre legati, quadringenta talenta offerentes, tam nomine Hyrcani, quàm Ariſtobuli, ab eo pendenda, quem in regnum reſtitueret. Scaurus Ariſtobulum fratri prætulit, coëgitque minis Aretam obſidionem Jeroſolimæ ſolvere; quem etiam Ariſtobulus inſequutus prælio vicit. Poſtea Pompeius ipſe in Judæam venit, fratres audivit, Ariſtobulique violentiâ damnatâ, quamvis eum comiter dimiſiſſet, mox caſtellis variis ſpoliavit, in vincula conjecit & Jeroſolimam cepit, anno A. C. LXIII. quæ narrat *Joſephus* Cap. IV. & ſeqq.

ſeqq. memorati Libri. Tum etiam Hyrcano regnum & ſacerdotium reſtituit, ſed Jeroſolimæ tributum impoſuit, Hyrcanúmque & Cœles Syriæ, & Palæſtinæ ipſius multis urbibus mulctavit. Quorum malorum cauſam tribuit *Joſephus* fratrum diſſentionibus, additque, Cap. VIII. *Etenim libertatem amiſimus & ſubjecti Romanis ſumus, & regionem de Syris bello captam iis reddere coacti. Inſuper plus quàm decem millia talentorum, brevi tempore, à nobis Romani exegerunt, & regnum, quod priùs ſacerdotalis generis hominibus conferebatur, honor plebeiorum virorum* (Herodis & ejus poſterorum) *factum eſt.* Atque hoc fuit initium ſervitutis, quam maximè ſenſit *Ariſtobulus* Romam, cum liberis, captivus abductus. Satis liquet Romanos, temporibus inſidiantes & potentiâ, cui reſiſtere non poterant Judæi, fretos, eorum Reges vectigales feciſſe; qui ſi potuiſſent Romanum jugum, ſine pernicie Judææ gentis, excutere, non fuiſſet cur vituperarentur; ac ſanè, ſi res benè ceſſiſſet, recuperatæ libertatis laudem ab omnibus tuliſſent.

IV. Interea Alexander, Ariſtobuli F. (è vinculis dimiſſus, aut elapſus, tacet enim hac de re Hiſtoria) fruſtra conatus Judæam recuperare, in officium ab *A. Gabinio*, Syriæ Præſide, eſt redactus. Is Gabinius reduxit quidem Hyrcanum Jeroſolimam, eíque ſacerdotium reſtituit, ſed poteſtatem infregit; quinque enim Synedria in Judæa conſtituit, à quibus Judæi jus peterent, Jeroſolimæ, Gadaris, Amathunte, Jerichunte, & Samphoris. Tum verò Judæi, niſi quòd vectigal Romanis pendebant, liberati dominis popularibus, ſub Ariſtocratia, vel optimatum ſuæ gentis regimine, degebant. Contigit hoc anno A. C. LVI. Paullò pòſt Gabinius Ariſtobulum vinculis elapſum, & in Judæa tumultum cientem cepit ac Romam remiſit, Alexandrúmque denuo turbantem vicit. *Joſeph.* Lib. XIV. c. 10. & 11.

V. Gabinio ſucceſſit M. Craſſus, qui exercitum in Parthos ducens par Judæam tranſiit, cúmque undequaque pecunias corraderet, ſacrum Jeroſolimitani Templi Ærarium ſpoliavit, anno A. C. LIV. ejúſque ſacrilegii à Parthis victus & occiſus brevi pœnas dedit. Poſtea exortum eſt Bellum Civile inter Romanos, quo C. Julius Cæſar, victo Cn. Pompeio, in Ægyptum ſe contulit; ubi fortem ac felicem operam ei navavit Antipater, de quo antea diximus, ut docet *Joſephus* Cap. XIV. & XV. Factum hoc, anno A. C. XLVII. Interea Ariſtobulus veneno ſublatus fuerat, Alexandérque ejus filius à Scipione ſecuri percuſſus. Supererat Antigonus, ejus frater; qui, apud Cæſarem, Hyrcanum & Antipatrum fruſtra accuſavit. Cæſar Antipatrum jam à ſe Civem Romanum factum, & immunitate à tributis donatum, *Procuratorem Judææ*, ἐπίτροπον τῆς Ἰουδαίας, conſtituit, Hyrcanóque ſacerdotium confirmavit. Quod eodem loco habet *Joſephus*; ex quo colligere eſt Antipatri munus in eo ſitum fuiſſe, ut tributum Romanis ſolvi curaret, & Judæam in officio contineret. Ideò Herodi, filiorum alteri, adminiſtrationem Galilææ, & Phaſaëlo Jeroſolimæ commiſit, ut idem Hiſtori-

cus

cus prodidit Cap. XVII. Cetera ad rem noſtram nihil facientia omittimus.

VI. Exorto altero Civili Bello, à Caſſio interfectore Cæſaris multa mala tulit Judæa, à qua ſeptingenta talenta exegit. Antipater, Caſſii juſſu, hujus pecuniæ per ſe, filióſque & amicos exactor fuit, anno A. C. XLIII. Tum veneno ſublatus eſt à Malicho Judæo, qui amicum ejus ſe fingebat & Malichus mox ab Herode, juſſu Caſſii, occiſus. Idem Herodes Antigonum, iterum tumultuantem & Hyrcano minantem fudit ac fugavit. Quare Hyrcanus ei collocavit Mariamnen neptem, Alexandri Ariſtobuli F. & ipſius filiæ filiam. A quo tempore, propter Hyrcani inertiam, omnia adminiſtravit. *Joſephus* Cap. XVIII. ad XXI.

VII. Victis Bruti & Caſſii partibus, cùm M. Antonius, anno A. C. XLI. in Aſiam iviſſet, cúmque proceres Judæorum, qui hominis exteri potentiam ægrè patiebantur, ad eum ſe contuliſſent, Herodem accuſaturi, quòd regiam poteſtatem invaſiſſet, Hyrcano nomine tenùs regnante; ita Antonium pecuniâ ſibi conciliavit Herodes, ut adverſarios ejus ne audire quidem vellet, & mox etiam eorum nonnullos occideret. Quin & Herodem, Phaſaëlúmque ejus fratrem Tetrarchas conſtituit, rebúſque Judaïcis præfecit. Vide *Joſephum* Cap. XXIII. Verùm cùm Antonius in Italiam rediiſſet, Parthi in Syriam irruperunt, quos magnis promiſſis ſibi amicos fecit Antigonus. Ingreſſi ergo Judæam & Jeroſolimam, eum in regnum reſtituerunt. Herodes in Ægyptum fugit, atque inde in Italiam; frater ejus Phaſaëlus à Parthis captus eſt & occiſus, Hyrcanúſque captivus abductus, poſtquàm aures ei amputaſſet Antigonus, ne ſacerdotio umquam fungi poſſet. Contigerunt hæc, anno A. C. XL. eodémque Herodes, præter ſpem, faventibus Antonio & Cæſare Triumviris, Romæ Rex Judææ declaratus eſt, à Senatu. Atque hoc fuit initium Herodis, à quo quidem per triginta ſeptem annos regnaſſe dicitur à *Joſepho* Cap. XXVI. Cùm verò regno ejus triginta quatuor anni tribuuntur, ducendi ſunt ab Jeroſolima capta & Antigono occiſo, quod tertio pòſt anno, A. C. XXXVII. contigit. De regno Herodis nihil dicam, niſi durum & crudele fuiſſe, Judæóſque vi coactos & ſæpe malè mulctatos homini, quem malè oderant, paruiſſe. Gratiæ enim locum eumdem, quem apud Antonium habuerat, poſtea apud Auguſtum obtinuit; cujus auctoritati & opibus obniti Judæi non poterant.

VIII. Reliqua ejus regni & vitæ in Hiſtoria ſæculi I. narrabimus, & qui ei ſucceſſerint dicemus. Superiora ſatis oſtendunt multas cauſas fuiſſe, cur Judæi odio haberent Romanos; qui gravia iis impoſuerant onera, Regémque peregrinum, aut certè à peregrinis oriundum, contra Leges Moſaïcas, dederant, à quo crudeliter habebantur. Hinc exacerbatis Judæis, *quartæ ſectæ Philoſophorum*, ut loquitur *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 2. *dux factus eſt Judas Galilæus. His cetera cum Phariſæis conſentientibus amor libertatis inerat, qui ægrè evelli quiret; quippe qui*

ſolum

ſolum Præſidem & Dominum Deum eſſe putarent. Varia mortium genera, conſanguineorúmque & amicorum pœnas parvi pendebant, ut neminem hominem dominum vocarent. Poſtea etiam magis ac magis exacerbati ſunt Judæorum animi, quod in ſequentibus narrat *Joſephus*, ut & initio ejuſdem Capitis, & de Bello Jud. Lib. II. c. 12. Seriùs quidem in apertam rebellionem erupere, ſed & antea à Romanis & Herode, ejúſque liberis malè habiti quid ſentirent ſatis oſtenderant.

CAPUT VII.

De Samaritarum Schiſmate, Doctrina & Moribus.

I. DE antiquis Samariæ populis, dum Regnum Iſraëlis ſtaret, hîc nobis ſermo non eſt, ſed de iis qui abductis illinc Iſraëlitis ſucceſſere; nec tam de iis qui, ſtante Aſſyriaco aut Perſico regno, illic fuerunt, quàm de iis, qui paullò ante tempora Chriſti eum tractum obtinuerunt. Attamen antequàm ad poſteriores veniamus, de antiquioribus pauca ſunt dicenda.

II. HABEMUS 2. Reg. C. XVII, 24. & ſeqq. poſtquàm Iſraëlitæ decem Tribuum abducti fuiſſent in Aſſyriam, à Salmaneſere, in eorum agros miſſos fuiſſe Babylonios, Chuthæos, Havvæos, Chamathæos, & Sepharvæos; quos populos Idololatras, verique Dii prorſus ignaros, poſtquàm partem Judææ occupaſſent, Deus per leones, inſolito more, vexavit. Quare monitus Rex Aſſyriorum fieri rem, irâ Numinis, quod in tractu illo cultum antea fuerat, cenſuit ad eos mittendum Sacerdotem Iſraëlitam, ex iis qui in Aſſyriam tranſlati fuerant; à quo docerentur cultum Dei Iſraëlitarum, quo iram ejus averruncarent. Miſſus eſt ergo Sacerdos, qui novos Samariæ colonos cultum Dei Iſraëlis doceret; nec eum colere religioni duxerunt, verùm & Deorum priſtinorum cultum retinuerunt, more Ethnicorum, qui regionum, in quas veniebant, Diis, pro ritibus locorum, ſacra facere non dubitabant. Cultus ille miſtus etiamnum vigebat, tempore quo ſecundus Liber Regum conſcriptus eſt, ſub regno Evilmerodachi Babyloniæ Regis, ut ex fine Libri intelligere eſt.

III. SED videntur Samariæ recentiores incolæ ex Lege Moſaïca paullatim intellexiſſe, Deum Iſraëlis oportuiſſe ſolum coli, ſi cultum ei acceptum eſſe cuperent. Volunt quidem Sacerdotem impium hominem fuiſſe, ex iis qui vitulum à Jerobohamo conſecratum Bethele coluiſſent. Sed quidni etiam conjicere poſſimus aut impium non fuiſſe, aut calamitatibus Iſraëlis ad pœnitentiam, cultúmque unius veri Dei adductum? Eſt quoque cur putemus Pentateuchum Moſis, qualis à Samaritis habebatur, iis à Sacerdote traditum; primùm quod facile non ſit

Legem Moſaïcam, tot ritibus refertam, qui memoriæ ægrè mandantur, ſine ſcriptis docere; deinde quia conſtat Samaritas poſtea Pentateuchum, antiquis Populi Hebræi litteris exaratum, habuiſſe; unde colligere eſt, [1] ante mutatos characteres, Samaritas Legem accepiſſe; hoc eſt, ante reditum Judæorum è captivitate Babylonica, quâ factum eſt ut characteres veteres minùs jam noti notioribus ſeu Aſſyriacis mutarentur. Huc accedit quod à reditu è captivitate Samaritæ, propter graves & perpetuas inimicitias, quas cum Judæis reducibus exercuerunt, ut ex Nehemia, Eſdra, ſequentiúmque temporum Hiſtoria liquet, numquam à Judæis quidquam accepturi fuiſſent.

IV. Nec objeceris debuiſſe ergo Samaritas, acceptâ Lege, continuò Idololatriæ prorſus valedicere; nam fortè initio ab iis populis, à teneris unguiculis Idololatriæ adſuetis, res impetrari non potuit; ſed & fortè non ita multò pòſt eſt impetrata, poſtquàm, re maturiùs conſideratâ, intellexerunt ſe nihil agere, ſi Deo Iſraëlis priſtinos ſuos Deos adjungerent, imò iram ejus magis provocare. Quin & ſilentium Hiſtoriæ Sacræ ſuadere videtur leones, Samaritis infeſtos, à Deo coërcitos fuiſſe; quòd videret ignorantiâ tantùm ab iis populis initio peccari, eóſque mox quid eſſet officii ſui intellecturos, & Idololatriæ nuncium remiſſuros. Certè tam facilè hæc conjicere poſſumus, quàm eos Idololatriæ ſuæ diu pertinaciter adhæſiſſe. Judæos inimicos Samaritarum, qui aliter ſentiunt, nec rem ex ullis antiquis monumentis norant, & adfectui indulgebant, non moramur.

V. Qui volunt Sanaballetem, qui condidit Templum Garizitanum, in gratiam generi Manaſſæ, eumdem eſſe ac eum, cujus meminit Nehemias Cap. II, 10. exiſtimant, non ita multò poſt reditum è Captivitate Babylonica, Samaritas omni Idololatriæ, meliùs à Manaſſa edoctos, valedixiſſe. Sed nimium eſt temporis intervallum à Nehemia ad Alexandrum Macedonem, quàm ut credibile ſit Sanaballetem, qui facultatem Templi Garizitani ædificandi ab Alexandro impetravit, æqualem fuiſſe Nehemiæ; qua de re egit *Dionyſ. Petavius*, de Doctr. Temporum Lib. XII. c. 25. Videtur ergo Sanaballetes ille, qui Templum in monte Garizim condidit, in gratiam generi Manaſſæ, Jaddi Pont. Max. fratris, alius prorſus fuiſſe, ab eo, quem memorat Nehemias; ac proinde ſi Samaritæ per Manaſſam demum ejus generum idololatræ eſſe deſierunt, ſeriùs res facta eſſet, quàm volunt viri docti, qui Sanaballetas perperam miſcent. Verùm credibile mihi videtur jam ante tempora Manaſſæ, Jaddi Fratris, Samaritas ſolum Deum Iſraëlis coluiſſe; quòd non videatur Manaſſes filiam hominis Idololatræ ducturus fuiſſe.

VI. Ergo ſtatuere poſſumus Samaritas anno A. C. CCCXXII. quo

1 *Ante mutatos* &c.] Sequimur ſententiam *Joſ. Scaligeri*, *Sam. Bocharti*, *Lud. Cappelli* & aliorum, qui cenſent Judæos, in Babylonia, ſuis antiquis characteribus, qui iidem erant ac Phœnicii, comparéntque etiamnum in Pentateucho Samaritico, & in Phœniciis nummis, Aſſyriacas litteras, quibus nunc utimur, ſubſtituiſſe. Qui rem

quo conditum fuit Templum Garizitanum, Idololatriæ immunes fuiſſe. 1. Sed non tamen per omnia cum Judæis conſentiebant, nullos enim Libros Sacros agnoſcebant, præter Pentateuchum, quem jam ante reditum Judæorum è captivitate Babylonica habuiſſe, ut diximus, videntur. Prophetas ceteros, nonniſi poſt reditum, ab Eſdra collectos, non creduntur admiſiſſe, propter odia inter Judæos & ipſos exorta. Huc accedebat quòd Jeroſolima fuiſſet habenda pro ſede cultûs divini, & proinde deſerendum Garizitanum Templum, ſi Prophetas agnoviſſent. Eorum poſteri ſolum etiam Pentateuchum habuere, ut docet *Epiphanius* in eorum Hæreſi, útque liquet ex iis quæ non Judæi tantùm (hoc in negotio minùs fide digni) teſtantur, ſed & ex eo quod eorum reliquiæ poſtremis hiſce ſæculis faſſæ ſunt. Qua de re legendæ eorum Epiſtolæ, & collectanea Hiſtoriæ Samaritanæ *Chriſt. Cellarii*.

VII. 2. Sacra faciebant, faciúntque etiamnum hodie, in monte Garizitano, quaſi cultu Jacobi & Patriarcharum, jam ante Moſem, conſecrato; quamobrem mulier Samaritis Chriſto, Joan. IV, 20. *Patres noſtri*, inquiebat, *in hoc monte adorarunt; at vos dicitis Jeroſolimis eſſe locum, in quo oportet adorare.*

VIII. 3. Iidem credebant Chriſtum eſſe venturum, & omnia, quæ erant etiamnum occulta, veri Dei cultores edocturum. *Scio Meſſiam venturum; cùm venerit ille, nobis nunciabit omnia*, inquiebat eadem Samaritis, Joan. IV, 25. Quid de Meſſia ſenſerint, in ceteris, nobis non liquet; fortè idem ſenſerunt ac Judæi. Interim obſervatu dignum eſt, ab hac muliere Meſſiam habitum eſſe non tantùm Regem, ſed etiam Doctorem divinitus miſſum, contrà quàm vulgò credunt Judæi, qui Regem tantùm fore contendunt.

IX. 4. Videntur ceteroquin obſervaſſe Legem non aliter ac Judæi ſolebant, cùm Pentateuchum non minore in pretio haberent, quàm Judæi. Si quando ab Ethnicis vexati quidpiam contra Leges Moſaïcas admiſerint, non fecerunt quaſi licitum putarent, ſed ſuppliciorum metu; nec proinde eis, quaſi error, poteſt exprobrari.

X. Scio iis nonnulla, non à Judæis dumtaxat, ſed & ab aliis objecta, qualia ſunt quæ habet *Epiphanius*; ſed quibus vix fides haberi poteſt, aut quæ non ſunt iis peculiaria. Sic ille eorum Hæreſeos §. 2. *Mortuorum reſurrectionem ignorant, nec ei fidem habent.* Sed videtur hoc eſſe natum ex accuſatione Sadducæïſmi, quæ iis intenditur, ex odio Judæorum, potiùs quàm ex ulla certa cognitione. Addit eos in Idololatriam imprudentes incidiſſe, *quòd Idola quatuor gentium ſint in monte Garizin occultata.* Voluit, ut puto, dicere *quinque gentes*, quæ in Samariam Salmaneſeris tempore iverant, totidem enim ſunt numero. Fabula hæc

rem nondum norunt adeant *Joan. Buxtorfii* & *Lud. Cappelli*, de Litteris Hebræorum Diſſertationes contrarias, & enarrationem noſtram Nummorum Phœniciorum, Tomo XI. *Bibl. Selectæ*.

hæc eſſe videtur, ſed ſicubi iis inſciis latuiſſent Idola, an propterea fuerunt Idololatræ, quia ſe convertentes ad eum montem orabant? Hæc accuſatoriè dicuntur, non ex æqui judicis ore proficiſcuntur.

XI. Sed & alias habebant conſuetudines priſcam inſaniam redolentes, ſi *Epiphanio* credimus. *Lotio* (οὔρῳ) *perfundi ſolebant, quoties peregre domum redibant, quaſi inde polluti.* Merum hoc eſt commentum, à Judæis fortè confictum & temerè creditum ab *Epiphanio*, præcipitis & iniqui judicii homine. Addit *eos aquâ ſe ſe veſtéſque ſuas abluiſſe, cum alterius gentis quempiam tetigiſſent.* Quod non minùs Eſſenorum & Phariſæorum fuit, quàm Samaritarum.

XII. Hæreses *Eſſenorum, Sebuſæorum, Gorthenorum,* & *Doſitheorum* commentitias, quas illis adfingit, prætermitto; nec Hiſtorica adtingo, quæ in Collectaneis *Chriſt. Cellarii* legi poterunt. Hoc unum addam, è colloquio Chriſti cum Samaritide, quantumcumque eſſet odium Judæorum erga Samaritas, & quæcumque eſſent horum placita, ſalutem ad eos non minùs pertinuiſſe, quàm ad Judæos, quamvis *ſalus eſſet à Judæis.* Intelligere etiam eſt ex Parabola Samaritæ, quæ exſtat Luc. X, 30. à Judæis oportuiſſe Samaritas, communis Humanitatis jure, proximorum loco haberi, ac proinde odia utriúſque Gentis capitalia meram inhumanitatem, ex Chriſti ſententia, fuiſſe.

CAPUT VIII.

De iis quæ ab Ethnicis objici poterant Judæis.

I. Cum is eſſet Gentis Judaïcæ ſtatus, multa poterant Judæis objici ab Ethnicis, quibus ægrè reſpondebant; unde ſine dubio fiebat, ut pauciores multò Proſelytos ad ſe adlicere poſſent, licèt omnes ingenii nervos, ad Ethnicos ab Idololatria revocandos, intenderent. Multò quidem iis ſuperiores erant, ſi capita quædam Religionis ſpectes, qualia ſunt quæ docebant de uno Deo, ab omnibus vitiis & infirmitatibus humanis longè remoto, de caſtitate cultûs quem ei exhibebant, aliáque id genus. Soli etiam creationem Mundi, ſine ulla fabularum miſtura, docebant; nec eam conjecturis incertis probabant, ſed, prout ab antiquiſſimis hominibus ad eos pervenerat, narrabant. Quæcumque Ethnici de Diis, [1] creationéque omnium dictitabant, non difficulter confutare & irridere etiam, quippe abſurda, poterant. Verùm ſi ſua ipſi tueri adgrederentur, non ita facilè ſe ſe expediebant, quod videmus vel ex ſecundo *Joſephi* contra *Apionem* libro, variiſque *Philonis* operibus; ubi Allegoriis, potiùs quàm rationibus, Moſaïcis Scriptis ſplendorem

1. *Vide* Heſiodi *Theogoniam*, *Timæum* Platonis &c.

rem addere fruſtra conatur. Si exſtarent libri Ethnicorum, qui contra Judæos ſcripſerant, facilè adſequeremur, cur ea quæ optima erant, apud Judæos, Ethnicorum animos parum percellerent; cùm ceteroquin Ethnica Religio abſurdiſſima & turpiſſima eſſet. Habemus quidem, apud *Origenem*, nonnulla quæ *Celſus* Epicureus Judæis, æquè ac Chriſtianis, objecit; verùm, exceptis pauculis, reliqua ſunt exigui momenti; quòd neutrorum Libros Sacros ſatis adcuratè legiſſet, nec ratiocinandi arte polleret.

II. Quoniam ergo nobis deſunt, Librorum Sacrorum auctoritatem, quam meritò à Chriſto comprobatam agnoſcimus & ſacroſanctam habemus, aliquantiſper ſeponemus; ut videamus quæ potiſſimùm eis poſſent objici, útque hinc pateat quàm neceſſaria eſſet Revelatio Divina, per Chriſtum & Apoſtolos adlata, & quantopere Judaïcæ Religionis, ut cum Paulo loquar, *elementa infirma & egena* ſuperaret Chriſtiana; quæ ejus præſtantia animos Ethnicorum multò faciliùs ei conciliavit, atque ad ejus veritatem agnoſcendam adduxit; dum Judaïca, ſi non prorſus concidit, ad paucos tamen redacta eſt. Alia ergo objici poterant Hiſtoriæ Hebræorum, alia dogmatibus & inſtitutis, quorum nonnulla paucis adtingemus; quibus tamen quî poſſet ſatisfieri, non ex Judaïcis, ſed ex Chriſtianis placitis, oſtendemus. Quæ enim per ſe ſola ſtare vix poterant, auxiliis è Chriſtiana Religione deſumtis, confirmantur & dilucidantur; ita ut nullum ſupereſſe poſſit alicujus momenti caput, de quo dubitare ullus Philoſophus, qui modò Ratione ſuâ rectè uteretur, poſſet.

III. Non parum impediri poterant Judæi, cùm cogebantur Ethnicis antiquitatem, veritatem & divinitatem Librorum ſuorum probare: quemadmodum neceſſe erat, ſi quem vellent hominem eruditum & ratiocinandi peritum ad Religionem Judaïcam adducere. Ut ab Hiſtoria initium faciamus, idem Judaïcæ, præſertim Moſaïcæ, objici poterat quod omnibus antiquiſſimis Hiſtoriis; eas, nimium, teſtimoniis fide dignis eſſe deſtitutas, cùm alii nulli eſſent Scriptores æquales, aut ejuſdem gentis, aut aliarum vicinarum, qui ei ſuffragarentur; quo incommodo potiſſimùm Hebræorum Hiſtoria laborabat. Nec Judæi ſatis commodè ei objectioni ſatisfacere poterant, nam reverâ aliorum teſtimoniis deſtituebantur. *Joſephus* quidem & alii reliquias quaſdam veteris Hiſtoriæ, apud Ethnicos, collegerant; in quibus ſimilia multa Hebræorum narrationibus erant, quæ diligenter adnotavit *Hugo Grotius* in Lib. I. de Veritate Religionis Chriſtianæ, prolatis etiam ipſorum Scriptorum verbis. Sed ſunt ii Scriptores Græci, atque omnes recentiores, qui Orientalium veteres fabulas, quibuſdam quidem in rebus, cum Judæorum Hiſtoriis conſentientes, ſed in multis etiam ab iis abeuntes narrant. Quis autem Ethnico perſuaſerit, ut alia omittam, eatenus eſſe admittendas, quatenus faciunt cum Hebræis, in ceteris rejiciendas? Hæc quidem rectè à nobis poſtulantur, qui Hiſtoriæ Moſaïcæ credimus, ſed à mi-

nimè credentibus nemo exigat, ut eam pro norma Veri & Falſi admittant.

IV. Ethnici novitatem quidem temerè & ſine ulla certa ratione, objiciebant Hebræis; ſed hos neceſſe erat, ſi ſibi credi vellent, ſuam antiquitatem probare, quod apud imperitos fieri non poterat. Ajebant Judæi Moſis Scripta omnibus Græcorum monumentis eſſe antiquiora, nec falsò; ſed an neceſſe erat omnia à Græcis credi, quæ à Gente Hebræa adfirmabantur? Si quis Legem Moſaïcam potuiſſe ſcribi aliquot ſæculis, poſt id quo Moſes vixiſſe ſtatuebatur, adfirmaſſet, claráque ab aliter ſentientibus argumenta proferri voluiſſet, non priùs iis fidem habiturus, quid Hebræi poterant reponere? Non ſatis erat quædam loca proferre, in quibus recentiores Græci ſimilia nonnulla iis, quæ ſunt in Pentateucho, traderent; cùm inde minimè conſequens ſit id opus ad eam antiquitatem adſurgere, quæ ab Hebræis ei tribuebatur. Facilè concedebant Græci, in ſuis ipſorum Originibus, multa eſſe fabuloſa; ſed Judæis non adſentiebantur idem de Judaïcis negantibus. At nos habemus teſtimonium Chriſti & Apoſtolorum, omni exceptione majus; quod admitti neceſſe eſt, ſi eos à Deo miſſos probaverimus, prout viri docti & *Grotius* præſertim oſtenderunt.

V. Multa objicere poterant Ethnici Hiſtoriæ Creationis, cùm Univerſitatis rerum, tum etiam primorum parentum, deinde eorum peccato; multa Diluvio, quod terras omnes texiſſe credebatur; multa Arcæ, in qua non humanum tantùm genus, ſed & omnia pecudum genera ſervata narrantur. Nec putandum eſt Judæos potuiſſe ſingula commodè ſolvere, ita ut etiam pertinacibus os obturaretur. Si ad auctoritatem Prophetæ confugerent, eam ipſam probari ſibi petebant Ethnici; quibus demonſtrari non poterat, niſi oſtenderent vera eſſe Moſis miracula; quod fieri nequibat, niſi de veritate Hiſtoriæ Sacræ conſtaret, quæ in controverſiam vocabatur, nec teſtibus ullis æqualibus probabatur. Quin etiam quærere poterant, quî conſtaret hæc omnia à Moſe ſcripta, & unde ea accepiſſet, nam ſibi divinitus revelata nuſquam dicit. Tradita hæc ab antiquiſſimis hominibus, & per manus ad Moſem uſque propagata ſi dicerent Judæi; id ipſum erat quod quærebatur, nec de veritate Hiſtoriæ, ſic ad poſteros transmiſſæ, conſtabat. Nos verò adſenſum Chriſti habemus, cujus Hiſtoriam teſtium æqualium conſenſu firmamus; nec ſi quid, in Moſaïca Hiſtoria tam antiqua & tam brevi, nos fugiat, ita ut quæſitis omnibus reſpondere nequeamus, ideò perturbamur. Satis eſt nihil, ad ſummam rei quod adtinet, eſſe abſurdum, nec ſingulis circumſtantiis, aut iis quæ ignoramus nititur fides, quam Moſaïcis libris habemus.

VI. Si Ethnici ad Hebrææ Gentis origines & res geſtas ſe ſe converterent, multa occurrebant, quæ difficulter eis poterant perſuaderi, aut probari. Ratio quâ Jacobus Iſaaci patris ultimas preces intervertit & fratri eripuit, rem arte impetratam Deo ratam habente, non ita facilè

cilè à Judæis potuit defendi. Jacobi ſenis in Meſopotamiam iter & conjugia, temporáque quibus nati ſunt ejus liberi & liberos genuerunt, ac tandem ingens illud incrementum ejus poſterorum in Ægypto; quo factum ut, paullò plusquàm ducentis annis elapſis, ſexcenta armatorum millia haberent, non carent difficultatibus, quibus Ethnicorum animi ab iis credendis alieni fieri poterant.

VII. Miracula deſertæ Arabiæ neminem habebant teſtem, præter ſolam Gentem Hebræam, ante multa ſæcula exſtinctam, & quidem ſine Scriptis ullis, præter Moſaïcum Pentateuchum; quo ſolo niti poteſt quod de iis miraculis narratur, & cui fides ab Ethnicis detrahebatur. Itaque difficile fuit Ethnicum, etiam minimè pertinacem, ad fidem ei Libro habendam, in hoc negotio, adducere; nam quamvis nihil niſi verum in eo habeatur, de miraculis in ſolitudinibus Arabiæ perpetratis; Veritas, ſine certis Veritatis argumentis, honorem ſibi debitum obtinere non poterat.

VIII. Nec in Hiſtoria Moſaïca, ſequentibúſque Libris Sacris, qui ei antiquitate ſuppares ſunt, Ethnicis probandis, difficultas tantùm occurrit, ex teſtium æqualium penuria, ſed ex ipſis rebus orta. Si erant Hebræis [2] ſexcenta hominum millia ætatis militaris, & aliquantò plures, oportet capitum fuiſſe trecentas myriadas, quòd mulieres, ſenes, pueri, & ſervi quatuor circiter quintas partes totius numeri expleant. Hoc autem conceſſo, quæritur 1. quî tanta hominum multitudo, in parte inferioris Ægypti, in qua erant etiam Ægyptii, iíque majore ſine dubio numero, habitare & alimenta nanciſci potuerit? 2. quî ex Ægypto egreſſa Philiſthæos, qui exiguam partem oræ maritimæ, in Chananæa, meridiem versùs, obtinebant, timuerit; ita ut circumduci per Arabicas ſolitudines debuerit, ne animum deſponderet, ut habetur Exod. c. XIII, 17. ſi bellum inferendum eſſe Philiſthæis videret? 3. ut prætermittatur quod in Arabia geſtum eſt, cùm Iſraëlitæ tanto numero ingreſſi ſint Chananæam, ad occaſum Jordanis ſitam, defuitque illis Manna, quî potuerunt frumentum aliáque tantæ multitudini alendæ neceſſaria, in eo terrarum tractu, etiamnum priſcis incolis referto, nanciſci? 4. quî ſeptem nationes, ab Iſraëlitis è Chananæa expellendæ, majores & potentiores iis dici queant Deut. VII, 1. ſive ſingulæ intelligantur, ſive univerſæ? quî enim in terrarum tractu ſexaginta milliaria unius horæ longo, [3] viginti verò, aut circiter, lato, potuiſſent eſſe ſeptingentæ minimùm capitum myriades? Similia quæri queunt de numero Iſraëlitarum, tempore Davidis, de quo diximus ad 2. Sam. XXIV, 9.

IX. Similiter multa poſſunt dici, de Hiſtoria Judicum & deinceps Regum Iſraëlis, quæ non facilè ſolvi à Judæis poterant, Ethnicóſque ab eorum Religione alieniores reddebant. Unùm dumtaxat memo-

2 *Vide Exod.* XXXVIII, 25, 26. *Num.* I, 46. XXVI, 64.

3 *Nimirum, inter Jordanem & Mare Mediterraneum.*

morabo, de pecunia inſumta in exſtructionem Salomonici Templi; [a] quæ, ex calculo virorum eruditorum, tanta fuit, ut octingentos milliones Librarum Sterlingicarum, quarum ſingulæ ſunt undecim Florenorum Hollandicorum, ſuperaret; quantam ſummam totius terrarum orbis Reges numquam in numerato habuiſſe videntur, nedum ut Judææ Regulus eam inſumere poſſet. Verùm in his, ſi quid ſit ſupra fidem, infidis potiùs Librariis tribuendum erit, quàm Sacrorum Librorum auctoribus. Idem dixeris de iis quæ, in Chronologia, crucem fixerunt viris doctiſſimis. Si quid ſit à Librariis erratum, aut temporis longinquitate corruptum, id minimè obſtat quominùs ſumma Hiſtoriæ Hebræorum, quæ ſine dubio vera eſt, ad nos pervenerit, quod ſatis nobis eſſe debet. Quamvis hæc, ceteris difficultatibus addita, negotium faceſſere potuerint Ethnicis; nobis minimè officiunt, quominùs fidem habeamus Hiſtoriæ, quam Chriſtus & Apoſtoli veram habuerunt.

X. Omnia non colligemus, quæ Philoſophi Religioni ipſi Judaïcæ objicere potuerunt; neque enim arma Incredulis, quibus eam oppugnent, ſuppeditare eſt animus. Pauca tantùm quædam capita ſeligemus. Quamvis ergo iis, quæ de Divina Natura docebant Judæi, nihil exprobrare poſſent Philoſophi; erant tamen, quæ ægrè in iis, quæ feciſſe dicitur Deus à Judæis, ab Ethnicis ſapientibus concoqui poterant. Primum fuit, Deum totius humani generis creatorem, ac patrem; Deum, cujus beneficentia humanam longè ſuperat; Deum æquum ac minimè moroſum, ab iis deſcriptum, quaſi unius tantùm populi, nec ita magni, ſi cum ceteris conferatur, Deum; cùm benefica ejus Providentia ad Religionem quod adtinet, ad Hebræos tantùm pertinere ab iis diceretur. Ad hæc accedebat, quòd cùm Deus unum Templum & unum Altare ſibi conſecrari juſſiſſet, atque in iis ſolis ſacra fieri & ter quotannis mares omnes eò convenire voluiſſet; reliquos omnes remotiores populos, ſi ſe ſe voluiſſent Judæis, Religione eorum admiſſâ, adgregare, Legi parere non potuiſſent. Ac ſanè nonniſi ab iis, qui Templo vicini erant, umquam adcuratè potuit obſervari. Hinc rectè collegit *Euſebius* Demonſtrat. Evangelicæ Lib. I. c. 1. *Moſis legem ſoli Judæorum genti, eique in terra ſua habitanti datam; ac proinde altero Propheta & altera opus fuiſſe lege:* ὅτι Μωσέως νόμος μόνῳ Ἰȣδαίων ἔθνει, καὶ τούτῳ ἐπὶ τῆς οἰκείας γῆς οἰκοῦντι ἀποδέδεικται, καὶ ὅτι διὰ τοῦτο ἑτέρȣ Προφήτȣ καὶ ἑτέρȣ νόμου προσεδέησε. Si hoc negarent Judæi, eadem operâ negabant alios populos ad ſuam Religionem accedere poſſe; quod tamen fateri nolebant, cùm eſſent Proſelytorum, ad ſe adliciendorum, ſtudioſiſſimi. Itáque ſecum pugnabant, nec apud Sapientes Legem ſuam ſat commodè tueri poterant. At facilè hæc à nobis ſolvuntur, qui contendimus Moſaïcam Legem ſolis datam fuiſſe Judæis; ut eos immunes ab Idololatria, ſejunctim ab omnibus aliis populis, præſtaret, ad tempora uſque Chriſ-

[a] *Vide ad* 1. *Ephem.* XXII, 14.

Chriſti; quibus Deum Jeroſolimæ adorari minimè opus foret, cùm aliæ Gentes non ampliùs futuræ eſſent Idololatriæ deditæ. Quod nos docet Chriſtus, Joan. c. IV, 21. & 23.

XI. Vulgo objiciebatur Judæis, nec ſanè falsò, inimicos eos eſſe Humani Generis, idque obtentu Religionis, quâ iis familiaritate reliquorum mortalium interdicebatur. [5] *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promtu, ſed adversùs omnes alios hoſtile odium*, ait *Tacitus* Hiſtoriarum Lib. V. c. 5. quod & Chriſtianis exprobrat Annal. XV, 44. quia eos non ſatis à Judæis ſecernebat. Nec Judæi negare poterant ſe ab aliis Gentibus abhorrere, quas omnes impias & pollutas habebant, niſi ſacra eorum ſuſcepiſſent, & cum quibus religioſiores, ut Phariſæi, familiariùs verſari non ſuſtinebant. Illâ inhumanitatis ſpecie, ſummopere offendebantur Ethnici; nec à Numine profectam putabant Religionem, quâ ſocietas, quæ naturâ eſt inter omnes homines, lædi videbatur.

XII. Addi hiſce poterat internecio populorum Chananææ, Lege præcepta (vide Deut. VII, 2.) & inimicitiæ æternæ cum Hammonitis & Moabitis, lege itidem præſcriptæ. Ibid. c. XXIII, 6. Hiſce omnibus inerat ſpecies quædam inhumanitatis, quam improbis ſuis moribus augebant Judæi, alias omnes Gentes fallere ſemper & malè habere parati; quod tamen nuſquam iis Lex præceperat. Facilè quidem nos Chriſtiani hiſce Ethnicorum objectionibus reſpondemus, Hebræos à Deo juſſos ſeorſim agere ab omnibus aliis populis; non quaſi odio habendi eſſent, ſed ne paullatim ad Idololatriam ab iis adlecti Judæi deflecterent. Ad internecionem verò Chananæorum quod adtinet, pœnam fuiſſe divinitus de impiis populis ſumtam, cujus miniſtri tantùm fuerint Hebræi; qui nec poterant eorum ſedes occupare, & ſecurè incolere, niſi ad internecionem eos perſequuti eſſent. Quod tamen non obſtitit quominùs Philiſtæi & Sidonii priſtinas ſedes retinerent, ut alios omittam Hebræis, mutatâ Religione, admiſſos. Si verò Hammonitas & Moabitas ſpectes, excluſos eos civitate Hebræâ & pro hoſtibus habitos, dum hoſtili in eos animo futuri, & Idololatriæ addicti eſſent, credibile eſt; quod ad locum Deuteronomii adlatum oſtendimus. Vide & quæ diximus ad Cap. VII. ejuſdem Libri. Denique Chriſti adventu, *medius* ille *paries maceriæ*, quâ Ethnici à Judæis ſecernebantur, & arcebantur, erat diruendus, ut docet Paulus Epheſ. II, 12. & ſeqq.

XIII. Poterant & Philoſophi ritus Hebræorum Ethnicis ſimiles, & præſertim quidem Ægyptiacis, deſpuere; quamvis enim apud Græcos & Romanos eſſent in uſu, Philoſophi, quaſi vulgi Religionem, eos ridebant. Ac ſanè conſtabat Hebræos plusquàm ducentis annis in Ægypto fuiſſe, & ſuperſtitione Ægyptiacâ corruptos; quod Hiſtoria

5 Vide & *Juvenalis* Sat. XIV, 104. & *Quintilianum* Inſt. Orator. Lib. III. c. 7. Odium quidem populorum in ſuam gentem amoliri conatur *Joſephus*, ſed frigidè, Ant. Jud. Lib. XVI. c. 10.

toria Sacra ſatis oſtendit, ubi narrat, quî, in Arabia Deſerta, vitulum aureum, Numinis imaginem futurum, ſibi conflarint. Contendebant quidem Judæi hæc ſua inſtituta, apud ſe, antiquiora inſtitutis omnium populorum fuiſſe; ſed facile quidem hoc dictu fuit, verùm eorum nudæ adfirmationi nemo erat, qui vellet credere. Ac reverâ Ægyptiacum Regnum antiquius multò fuiſſe, quàm Rempublicam Hebræorum, ex ipſis Hebræorum libris liquebat.

XIV. Ritus ipſos ſi introſpiciamus, nihil habent, quod ſit per ſe laudabile, ſeu quod homines meliores faciat. Tam poſſunt obſervari ab improbis, quàm à probis, & conſtat nobis eorum obſervantiſſimos Phariſæos vitiis fuiſſe coopertos, quæ iis paſſim exprobrat Chriſtus. Nec defendere ſuos poterant Judæi, à quibus magni fiebant, imò pluris (quod pudendum) quàm interna animi ſanctitas; quin ſimul defenderent ſimiles ritus, qui apud Ethnicos erant in uſu. Deum quidem eorum auctorem dicebant, ſed & Ethnici de cærimoniis ſuis paria jactabant, conſtaréque ſibi experientiâ eos ritus eſſe Numinibus gratiſſimos contendebant. Si Judæi ad myſticas eorum ſignificationes confugerent, ut facit paſſim *Philo*, non magis iis ſibi ſatisfieri poterant pati Philoſophi; quàm allegoricis Poëtarum interpretationibus, quæ ex arbitrio Grammaticorum pendebant, Judæis ipſis fiebat ſatis.

XV. At nos quidem Chriſtiani non difficulter Philoſophis os occludere, hac in re, poſſumus. Ritus enim permultos originem ſuam debere Ethnicis concedemus; nec à Deo inſtitutos, niſi ut ſe moribus Hebræorum cærimoniis illis, longâ in Ægypto commoratione, adſuetorum adtemperaret; ita tamen ut quidquid turpe erat, inhoneſtum, aut impium, in iis, reſecuerit; prætereáque multa addiderit, aut mutarit, quibus obſervatis, arctiorem familiaritatem aut conjunctionem cum Gentilibus impedierit; ne Hebræi ſenſim ab iis ad Idololatriam adlicerentur. Non opus ergo erat, ut ritus per ſe ſpectati homines meliores facerent; ſatis fuit ſi modò à nimio cum Hebræis commercio Ethnicos arcerent, ne eos corrumperent. Atque hæc non in perpetuum inſtituta erant, ſed donec ab Ethnicis nihil eſſet timendum; quod tempore demum Chriſti contigit, quo multi Ethnici ſunt ad fidem adducti & futurum erat ut plures in dies ab Idololatria revocarentur, prout contigit.

XVI. Cærimoniæ Judæis à Deo conceſſæ fuerunt, veluti *elementa* quædam Religionis, ab ipſis Ethnicis accepta; ut Hebræus populus veri Dei cultui adſuefieret & conſtantiùs adſuefactus adhæreret. Sub iis *elementis*, inſtar puerorum in ſcholis, remanere eum oportuit; donec in Religione confirmatus, ſublimiore & præſtantiore doctrinâ imbueretur. Docet hoc Paulus, in Ep. ad Galatas Cap. IV, 9. ubi dicit hæc fuiſſe *elementa mundi*, hoc eſt, prima Religionis initia; quibus *mundus*, id eſt, tam Ethnici, quàm Judæi, utebatur. Quo loquendi genere utitur etiam Coloſſ. II, 8, 20. eodem prorſus ſenſu. Ideò eadem

vocat

vocat Gal. IV, 20. *infirma & egena elementa*, qualia ſunt prima elementa, quæ puerorum captui ſunt adcommodata, ut eo Capite docet. Sic fuit Lex illa, de ritibus, *Pædadogus ad Chriſtum uſque*, ut idem ait Cap. III, 14. hoc eſt, puerilis inſtitutio, donec Chriſtus veniret. Hæc erant *præcepta non bona*, de quibus Ezekiel Cap. XX, 25. id eſt, per ſe nihil complexa, quod homines meliores faceret. Eo modo facilè tuemur Sapientiam Divinam, à qua ritus illi ſunt, apud Hebræos, inſtituti, contra Ethnicorum Philoſophorum criminationes; ſed non poterant defendi à Judæis, qui eos, quaſi eximium quiddam, mirabantur, æquè ſuperſtitiosè ac vulgus Ethnicorum ſuos ſolebat.

XVII. Cum multus fuiſſet ſermo, apud Græcos, jam à temporibus *Homeri*, de altera poſt hanc vita, & fortè etiam apud Orientales; attamen apud Hebræos Veteris Teſtamenti Scriptores, aut altum eſt ea de re ſilentium, aut adeò obſcura ſignificatio, ut Phariſæi rem potiùs traditioni Majorum, quæ quando cœpiſſet, aut unde manaſſet non conſtabat, quàm Revelationi Divinæ ſcriptis conſignatæ, debere ſibi viderentur. Quare Sadducæi, ut vidimus, cùm alteram vitam nec in Lege, nec in Prophetis, invenire poſſent, eam cum reliquis Phariſæorum traditionibus rejiciebant; immeritò quidem, ſed ita ut à Phariſæis à ſententia ſua deduci nequirent. Hanc ergo tantæ rei, & tam neceſſariæ, ad conſervationem Religionis & Virtutis, omiſſionem Legi Moſaïcæ objicere poterant Philoſophi & præſertim quidem Platonici; qui clariùs & frequentiùs, quàm ceteri, de immortalitate animi, pœníſque & præmiis, poſt hanc vitam, loquebantur. Phariſæi quidem & Eſſeni de re non dubitabant, ut antea vidimus; ſed ita quod credebant exprimebant, ſi credimus *Joſepho* utrorúmque admiratori, ut quæ dicebant Græcis Poëtis & Philoſophis, non Majoribus ſuis, accepta referre deberent: quemadmodum, cùm de utríſque egimus, jam obſervavimus. Chriſtiani verò facilè poſſunt intelligere rudi & carnali populo non fuiſſe clarè revelatam alteram vitam; eò quòd ea gloria ſervabatur Chriſto, qui [6] ἐφώτισε ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ Εὐαγγελίȣ, *illuſtravit vitam & immortalitatem per Evangelium*; ſed & ſuo ipſius exemplo, cùm excitatus eſt è mortuis & in cœlum ſublatus, confirmavit. Certè quidquid dictitarent ea de re Phariſæi & Eſſeni, dubia prorſus fiebat doctrina, quam ad incertam Traditionem Majorum referebant, atque Ethnicis loquendi generibus exprimebant. Verùm Chriſti ſermonibus & exemplo, apud Chriſtianos, res eſt extra omnem dubitationis aleam poſita.

XVIII. Leviticæ quidem Tribui non erant agri adtributi, quemadmodum reliquis Tribubus, ſed tantùm urbes, in quibus habitarent, cum exiguo modo agri ſuburbani; verùm erant datæ decimæ, aliáque, de quibus vide quæ habemus ad Num. XVIII. & *Joan. Seldenum*, Diſſ. de Decimis à nobis editæ Cap. II. Stante quidem Republicâ Populi Hebræi, deinde etiam Regno, cùm Judæ, tum Iſraëlis, omnia Levitis

6 2. *Timoth.* I, 10.

tis & Sacerdotibus, propter frequentes à Deo defectiones, non videntur perſoluta. Sed poſtquàm Iſraëlitæ è Captivitate redierunt, religioſiores multò quàm antea facti, Legem hoc in capite videntur obſervaſſe; unde tantas opes ſibi conflarunt Sacerdotes, ut tandem diademate caput ſuum revinxerint, & Regio jure ac nomine popularibus ſuis imperarint. Hoc quoque Judæis objicere poterant Philoſophi, Moſem, dum prædia eripere Sacerdotibus & Levitæ videretur, eos multò magis ditaſſe, quàm ullam aliam Tribum; ſi modò iis omnia Lege debita ſolverentur, ut ex re ipſa patuit. Hæc etiam cenſenda inter ea, quæ ad *elementa mundi* pertinebant, neceſſariáque erant, non per ſe, ſed ad Religionis Judaïcæ conſervationem, nec poſſent aliter defendi, quamvis Judæi hæc omnia pluris facerent, atque Ethnicis ludibrium propterea deberent.

CAPUT IX.

De Judæorum Moribus.

I. EX iis, quæ antecedente Capite diximus, facile eſt intellectu Judæos Religionem ſuam contra Ethnicos paullò acutiores ægerrimè potuiſſe tueri; unde jam collegimus valdè neceſſarium fuiſſe adventum cœleſtis Doctoris, qui Religionem præſtantiorem homines doceret, & quæ ſupra Ethnicorum objectiones omnes poſita eſſet. Ad quod ſi accedat perditiſſimos fuiſſe Judæorum mores, prout erant, jam liberatore eguiſſe videbuntur, qui eos vitiis eriperet; non qui à jugo Romanorum immunes præſtaret, aut alios eis populos ſubjiceret; quod novis vitiis, quæ res ſecundas ſequi ſolent, eos inquinaſſet.

II. Erat Judæa Gens, cùm Chriſtus in terras venit, una omnium quæ Deum unum & verum coleret, & quam, præſcriptis Legibus, Humani Generis Idololatriæ ubique graſſanti eripuerat. Sed cùm veri Dei cultus, ſine morum ſanctitate, nihil proſit, imò verò aliquo modo noceat; cauſa fuere Judæi, cur cœleſti Veritati detraherent Ethnici, & fidem negarent. Jam vidimus Judæos fuiſſe Humano Generi infenſos, quod totius Gentis vitium fuit; nunc oſtendemus Phariſæos, qui omnium adcuratiſſimè Leges Moſaïcas obſervare cenſebantur, & optimi Judæorum audiebant, omnibus ſceleribus & vitiis contaminatos fuiſſe; unde quæ eſſet totius Gentis corruptio colligere licebit.

III. Ostendimus Cap. II. Phariſæos Legis rituum obſervantiſſimos fuiſſe, & externam pietatis ſpeciem in omnibus præ ſe tuliſſe; cùm re verâ animo impio & improbo eſſent. Sed paullò pluribus hîc verba Chriſti de iis proferemus è Capp. XV. & XXIII. Matthæi. 1. Magiſtris quidem iis utendum fuiſſe docet Chriſtus Cap. XXIII, 2. *Super*

cathedram Moyſis, inquit, *ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcúmque dixerint vobis ſervate.* Nempe, ex Lege, & ubi fortè cauſa aliqua dubitandi fuit; nam eorum traditiones impias rejiciendas docet Chriſtus Ibid. 16. & ſeqq. Addit hîc: *Secùndùm opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. Adligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Hæc intelligenda cùm de moralibus præceptis, quæ non facilia ſunt obſervatu, niſi probis, tum de ritualibus difficilioribus; quibus, non ſine gravi incommodo, parere licuit. Hæc omnia quidem pàlam facienda docebant Phariſæi, & obſervabant, ſi quis videret quid agerent; ſed ſine arbitris, omnia negligebant.

IV. 2. Hinc fiebat ut Evangelio acerrimè adverſarentur & omnes artes adhiberent, ne à plebe admitteretur; quare iis Chriſtus calamitates prænunciat hiſce verbis Cap. XXIII, 13. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ; quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Hinc & alibi iis publicanos & meretrices præfert Cap. XXI, 31. *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Venit ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.* Homines ſuperbi & opinione eruditionis tumidi, nec virtutis ceteroquin amantes, quamvis ejus amorem præ ſe ferant, ſemper offenduntur, cùm arguuntur Erroris & Vitii, nec ullâ ratione ad Virtutem veram adduci poſſunt. At qui flagitioſam vitam nec diffiteri, nec defendere queunt, faciliùs ad mores ſuos caſtigandos admonitionibus permoventur.

V. 3. Passim Hypocritas, hoc eſt, ſimulatores Virtutis, coram hominibus, ſed reverâ ei infenſos, vocitat Chriſtus. Sic Cap. XV, 7. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaïas dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et Cap. XXIII, 5. *Omnia ſua opera faciunt, ut videantur ab hominibus.* Iterum verſû 25. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, ut fiat id quod deforis eſt mundum* &c. Ejuſmodi homines vix ac ne vix quidem ad bonam frugem reduci poſſunt, quia nec ignorantiâ, nec adfectu quodam ſubito, ſed merâ nequitiâ, & quæ in dies augetur, peccant.

VI. 4. Fuere iidem homines ſuperbi & honoris, præter modum, cupidi. *Amabant*, ut ait Chriſtus Cap. XXIII, 6. *primos recubitus in cœnis & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi*, רבי; qui erat honoris titulus, quo periti Legis gloriabantur. Animi etiam ita adfecti difficillimè ab Errore ad Veritatem agnoſcendam compelluntur; quod non poteſt fieri, ſine modeſtia, quâ nos erraſſe intelligimus, & ingenuitate, quâ rem non diffitemur; quæ virtutes ſunt ſuperbiæ planè contrariæ. Præterea Veritatis causâ ſpernenda ſunt vulgi judicia, conculcandíque, qui inde pendent, honores; quod

ab hominibus ambitioſis fieri non poteſt, nec exſpectandum eſt.

VII. 5. Specie illâ pietatis utebantur, ut irreperent animis religioſarum viduarum, earumdémque divitum, ut munera, aut hereditates ab iis acciperent. *Væ vobis*, ait Chriſtus verſu 14. *Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium.* Avari, ut notum eſt, fermè numquam eo vitio ſe ſe exuunt, & quò grandiores natu fiunt, eo parciores ſunt. Ea animi adfectio prorſus contraria erat Evangelio; cujus causâ, bonorum jactura, tempore & locis quibus loquebatur Chriſtus, facilè fieri poterat, & à quo avaritia prorſus damnabatur.

VIII. 6. Postremo faciles quoſdam ritus obſervabant, ſibíque ne in minutis peccarent diligenter cavebant; dum maximi momenti præcepta, atque ad veram Virtutem pertinentia negligebant. *Væ vobis*, ait Chriſtus ejuſdem Capitis verſu 23. *Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere & illa non omittere*; hoc eſt, ſi tam pii, etiam in minutis rebus, eſſe volebatis, potiſſimarum Legum obſervatione vos primùm pios eſſe oſtendere debebatis; ſin minùs, inanis eſt minutorum inſtitutorum anxia cura. Ad homines ita adfectos quod adtinet, Evangelii vix ulli ſucceſſus eſſe poterant; cùm eo non ritus, ſed veræ virtutes hominibus imponerentur; non cærimoniarum, quas vel peſſimi obire poſſunt, obſervatio, ſed victoria de adfectibus, quæ nonniſi à bonis referri poteſt, poſtularetur.

IX. Ejusmodi erat Phariſæi ἀκριβεστάτη αἵρεσις τῆς Ἰȣδαικῆς θρησκείας, *adcuratiſſima Secta Judaïcæ Religionis*, ut loquitur Paulus[1], qui in ea erat educatus, & inſtitutus; unde facile intelligere eſt totam Gentem ſimilibus ſuperſtitionibus & vitiis fuiſſe non leviter contaminatam; ſolet enim plebs Doctorum, quos maximi facit, quales erant Phariſæi, mores imitari, imò verò iis deterior eſſe. Quare eos ita adloquitur Chriſtus: *circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum & cùm fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ, duplò quàm vos*, Matth. XXIII, 15. De Sadducæis non eſt cur multa dicamus; quicúmque enim nulla præmia Virtutis, nec ullas Vitii pœnas exſpectant, ii hoc unum curare debent, ne homines de ipſis pœnas ſumere poſſint; reliqua omnia iis flocci facienda. Quid enim adtineret Deum colere, jacturâ facultatum, aut quietis, ſi Deus ejus rei nullam rationem in altera vita habeat, cui ſatis liquet in hac præmia ab eo non tribui? Eſſeni denique, fanatici, ut vidimus, homines & ſuperſtitioſi, ſi, quales erant, deſcribuntur, Enthuſiaſmo inſano propagando & inani ſuperſtitioni ſpargendæ aptiores erant; quàm hominibus, recto exemplo, ad Virtutem perducendis. Eorum ἐθελοπερισσοθρησκείαν ii demum mirentur, qui communia humanæ ſocietatis officia, quibus ſolis Humanum Genus juvatur, ſpernunt, ut inutilis ſuperſtitionis gloriam ſectentur. Verùm ut qui Mo-

1 *Actor.* XXVI, 5.

Monachos antiquiorum temporum, vel noſtrorum laudant, ſolent gravia eorum vitia diſſimulanter prætermittere, & ſi quid ſpecioſiùs de iis dici queat exaggerare, ut ſancti viri videantur ii, quos ſibi laudandos ſuſceperunt: ſic fortè *Joſephus* & *Philo* multa, quæ in Eſſenis vituperanda erant, ſilentio præterierunt.

X. Sed ſceleratam Judææ gentis indolem nemo meliùs & atrociùs deſcripſit Judæo, Apoſtolicis temporibus æquali; *Joſepho*, nimirum, in poſtremis Archæologiæ libris, & præſertim iis in quibus Hiſtoriam Belli Judaïci contexuit. Horrendis flagitiis ac cædibus narratis, ſic loquitur Cap. ultimo Libri VI. *Non recuſabo dicere, quod dolor jubet. Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, futurum fuiſſe ut urbs, aut hiatu terræ devoraretur, aut eluvione deleretur, aut Sodomitici ſoli fulmina experiretur; multò enim magis impiam progeniem edidit, quàm erant qui hæc pertulerunt:* οὐκ ἂν ὑποϛειλαίμην εἰπεῖν, ἅ μοι κελεύει τὸ πάθος· οἶμαι, Ῥωμαίων βραδυνόντων ἐπὶ τοὺς ἀλιτηρίους, ἢ καταποθῆναι ἂν ὑπὸ χάσματος, ἢ κατακλυσθῆναι τὴν πόλιν, ἢ τὰς τῆς Σοδομηνῆς μεταλαβεῖν κεραυνούς· πολὺ γὰρ τῶν ταῦτα παθόντων ἤνεγκε γενεὰν ἀθεωτέραν. Vide & quæ habet de latrociniis & avaritia Judæ Gaulanitæ & ejus ſectatorum Lib. XVIII. Ant. Cap. 1. aut quæ de ſicariis narrat de Bello Jud. Lib. VII. c. 30. in Græcis.

XI. Si ad ejuſmodi homines veniſſet Liberator à Deo miſſus, qui vi & armis Romanorum jugum excuteret, ceteróſque populos ſubigeret, ita ut Judæis parerent; quid aliud fuit exſpectandum, præter diluvium quoddam vitiorum, flagitiorum ac ſcelerum, per totum terrarum orbem, & ſtatum Humani Generis multò deteriorem, quàm ſub Ethnicis Poteſtatibus erat? An ita conſuluiſſet Deus, aut Judææ Genti aut Humano Generi? Imò utriúſque & vitia & miſerias auxiſſet. Sed ut terrenum, commenticiúmque Meſſiam Judæorum mittamus; ea erat occœcatæ Gentis nequitia, quæ vel præſtantiori multò Religioni invidiam creare poterat, & Veritatem ludibrio populorum exponere; qui meritò ſemper doctiores ſtatuunt meliores etiam eſſe oportere; cùm, exceptâ unâ Idololatriâ, deterrimi mortalium eſſent Judæi. Hæc à Deo poſtulabant meliorem Revelationem, hæc Liberatorem, & qui non ab hoſtibus, ſed à vitiis Judæos, ut & ceteros homines, liberaret.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

DE ETHNICORUM STATU, AD RELIGIONEM QUOD ADTINET.

CAPUT I.

De Græcorum & Romanorum Idololatria ac Moribus.

I. NON eſt nobis animus, de Gentilium Idololatria, ſingillatim agere. Abundè hoc præſtitere viri doctiſſimi, & præ ceteris quidem vir celeberrimus *Joan. Gerardus Voſſius*. Rem ſummatim dumtaxat hîc expendemus, ut liqueat quàm facilè Judæi Ethnicam Theologiam irriderent & confutarent, & quantopere indigerent Gentiles nova Revelatione Divina; quandoquidem, irriſores licèt eorum, Judæi vix ad ſaniorem mentem eos poterant, per omnia, revocare. Hîc autem Romanorum potiſſimùm & Græcorum Idololatriam ſpectamus, quòd apud hoſce in primis populos nunciatum Evangelium, ac latè ſparſum fuerit, radicéſque numquam evellendas egerit; nec tamen Ægyptios Judæis vicinos hinc excludimus, qui & ipſi in Imperio Romano, ante natum Chriſtum, fuerunt, & turpiſſimi Idololatriæ generis, apud ipſos Græcos & Romanos, infamiâ laborarunt.

II. IDOLOLATRIÆ originem hîc non quæremus, neque progreſſus perſequemur. Statum dumtaxat ejus, qualis tempore Chriſti erat, deſcribemus. Ut ab Ægyptiis initium faciamus, conſtat nobis è *Diodoro Siculo*, qui de Ægyptiorum Religione copioſiſſimè Lib. I. Bibliothecæ ſcripſit, Idololatriam ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe in cultu Regum fato functorum ſitam. Iſidis enim & Oſiridis potiſſimorum Ægypti Deorum vitam, quaſi hominum, narrat; cujus etiam rei clara veſtigia reliqua erant, in eorum ſacris, ut viri docti oſtenderunt; quod viderant jam olim & ipſi Ethnici, unde *Lucanus* Lib. VIII, 833.

Et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirin.

Poſtea cùm puderet Ægyptios animos mortuorum hominum colere, finxerunt Iſidem eſſe eamdem ac Lunam, aut etiam Caniculam, Oſiridem

1 *Myſticis & commenticiis* &c.] Vide quæ adtulimus hanc in rem, è *Philone* Byblio, ad Sect. I. c. V, 6. Optimè de illis *Euſebius* P.E. Lib. II. c. 4. *Cùm ſtatuiſſent blandiri & medicinam facere ſuæ opinioni, veras Numinum apud eos decantatorum hiſtorias fabulas eſſe confictas à Poëtis molliùs dixerunt, naturales quasdam contemplationes in iis occultantes, quorum nullum veritatis indicium proferunt:* κολακεῦσαι δὲ καὶ θεραπεῦσαι τὴν οἰκείαν ὑποθέμενοι δόξαν, τὰς περὶ τῶν τεθρυλλημένων παρ' αὐτοῖς θεῶν ἱςορίας ἀληθεῖς μύθους εἶναι πεπλασμένους ὑπὸ ποιητῶν ἐπεφήμησαν, φυσικὰς ἐν αὐτοῖς ἀποκρύπτοντες ἱςορίας,

ridem eſſe Solem, ſeu eorum animos in ea ſidera iviſſe iiſque præſidere, innumeráque alia de iis ceteríſque Diis ita confinxerunt, ut omnia conturbarint, ne illorum Deos homines fuiſſe liqueret. Magna licentia fingendi è [1] myſticis ac commenticiis Hieroglyphorum interpretationibus nata eſt, quâ Sacerdotes ita plebem fefellerunt; ut ſummam inſaniam pro occulta quadam & arcana ſapientia haberet, ſicut alibi oſtendimus & præſertim in Interpretatione Gallica Fabulæ Adonidis, inſerta *Bibliothecæ Univerſalis* Tom. III. Sed & Græci Mythologiam ſuam Ægyptiacæ miſcuerunt, quaſi eoſdem Deos utérque coluiſſet populus, quod magnam perturbationem in ea Theologia peperit.

II. Verum turpiùs multò ſe dederunt Ægyptii, cùm aves, pecudes, piſces, quaſi imagines Deorum, aut divini neſcio quid complectentes coluerunt. Quod bilem etiam aliis Ethnicis movit, ut *Juvenali*, cujus hæc ſunt, initio Satiræ XV. verba:

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Et paullò pòſt, verſu 8. & ſeqq.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ,
Carnibus humanis veſci licet.

Inde natæ imagines illæ monſtroſæ Deorum, quibus erant capita brutorum, corpora hominum; ut Oſiridis ſigno, cui caput accipitris; Anubidis, cui caput canis fuit; qualia ſimulacra etiamnum multa ſuperſunt.

III. Cum hæc omnia longè abſurdiſſima eſſent, Ægyptii Sacerdotes ſymbola eſſe voluerunt aut rerum naturalium, aut eorum quæ Diis, cùm in terris agerent, olim contigerant. Sed pro libitu confictæ erant eæ interpretationes, & quod illis meritò exprobratum, res omnibus notas, nec inhoneſtas expreſſerunt abſurdis & turpibus figuris, quæ aptiores

ρίας, ὧν μηδὲν φέρουσιν ἀληθείας δεῖγμα. Mirum eſt Scriptores Chriſtianos olim & nuper fuiſſe, qui ridiculis illis Allegoriis, non ſecus ac Ethnici, capti fuerint; eorúmque ope Poëtarum famam, contra antiquiſſimos Patres, tueri imprudenter conati ſint. Ridet propterea Chriſtianos *Celſus* apud *Origenem* Lib. I. p. 14. & *Porphyrius* apud *Euſebium* H. E. Lib. VI. c. 19. ſed viciſſim meritò ridendi, cùm Allegoriarum ſtudium ab Ethnicis ad eos manaſſet.

res erant ad fallendam plebem, quàm ad erudiendam, aut ad minùs notam veritatem deducendam. Cultus etiam Deorum totus abſurdus, ac turpis fuit, dum in eorum ſacris humana ac turpia facta oculis plebis objicerentur, quaſi monumenta eorum quæ olim contigerant. Hæc omnia facilè confutabant & ludibrio exponebant Judæi, multóque magis Chriſtiani; nec erat quod iis reſponderetur, ut liquet è veterum Chriſtianorum Scriptis & præſertim è *Lactantio* Inſt. Divin. Lib. I. & *Euſebio*, tribus prioribus Præpar. Evangelicæ Libris.

IV. Græcorum Theologia, quam Romani ſuam fecerant, iiſdem incommodis laborabat. Potiſſimi Dii, ut oſtendit eorum Hiſtoria, homines fuerant, vitiíſque omnibus humanis contaminati. Quæ à Poëtis minimè ficta fuerant, ſed ab opinione vulgi deſumta; numquam enim auſi eſſent Poëtæ fingere, quæ aliena fuiſſent à ſuorum temporum Theologia, ut obſervavimus ad *Heſiodi* Theogoniam, verſu 211. Oſtendimus etiam in Interpretatione Hiſtorica Myſteriorum Cereris, quæ exſtat Volumine VI. *Bibliothecæ Univerſalis*, ex ipſorum Ethnicorum ſententia, Deos illos homines fuiſſe, & ſacra eorum antiquiſſimam hominum hiſtoriam effinxiſſe, quod & in Explicatione fabulæ Adonidis probaveramus. Nec tamen diſſimulandum eoſdem Poëtas interdum de Deo ſatis rectè loqui, ut cùm æternitatem & omnipotentiam, aliáque divina adtributa Diis concedunt. Sed hæc fuerunt reliquiæ quædam priſcæ, ejusdémque veræ Theologiæ, quâ oblivioni maxima ex parte mandatâ, miſcuerunt homines, cum Deo; unde factum ut nunc θεοπρεπῶς de Numine, nunc abſurdè quaſi de Homine vitiis dedito loquantur, & modò ſedem ejus in cœlo collocent, modò in Olympo monte, Theſſaliæque jugum cum ætherea regione ſtultè confundant; ut in notis ad *Heſiodi* Theogoniam obſervavimus.

V. Postea etiam Græci [2] res naturales, quaſi iis præfuiſſent Mentes quædam Immortales, ut Terram, Mare, Montes, Arbores, Flumina, Fontes, Ventos colere cœperunt; quibus referti ſunt Veterum Libri, è quibus eorum commenta diligenter collegit *Ger. Joannes Voſſius*, in Theologia Gentilium. Quin & naturalibus rebus impoſuerunt vocabula Deorum, quaſi eorum nominibus res naturales intellexiſſent. Sic

2 *Res naturales* &c.] Hoc unum, in gratiam Poëtarum, paullò ſpecioſiùs objici poſſit; Poëtas, nimirum, de Diis quidem, perinde ac de hominibus, eſſe ſubinde loquutos; ſed tamen multa paſſim ab iis de Numine dici, quæ in homines minimè quadrant, qualia non pauca ex eorum Scriptis colligi queant; ac proinde quæ minùs conſentanea præſtantiſſimæ Dei naturæ ab iis dicuntur, allegoricè eſſe intelligenda. Non diffitemur ſic ſe geſſiſſe Poëtas, & de Jove, exempli causâ, dicta eſſe, ab *Homero* & aliis, quaſi de ſummo Deorum, multa θεοπρεπῶς & quæ de homine cogitari non poterant. Sed ejusmodi repugnantiarum rationem viri docti non ſatis adſequuti ſunt, quam dudum aperuimus, & paucis hîc adponemus. Nimirum, apud Græcos, ut & apud ceteros omnes populos, fuere quædam reliquiæ primævæ & veræ Theologiæ, ab antiquiſſimis humanæ gentis conditoribus acceptæ, è quibus notionibus aliquando de Diis rectè loquuntur; ſed iis magna ex parte oblitteratis, ſubiit nova quædam & falſa Theologia, quæ homines & quidem improbos in Deorum

Sic Jovem vocarunt Ætherem, Junonem ac Cererem Terram, Neptunum Mare, Apollinem Solem, Dianam Lunam, Bacchum Vinum, Cererem panem & fruges, nam uno eodémque plura nomine ſignificata volebant.

VI. Idem *Voſſius* quæcumque de cultu Deorum exſtant, apud Græcos, turpia & abſurda collegit. Orgia Bacchi plena erant ebrietate, furore & licentiâ, ut omnes norunt. Cereris ipſa ſanctiſſima & occultiſſima myſteria multa habebant turpia, ut ex Veteribus oſtendit in eorum Deſcriptione *Joannes Meurſius.* Fateor non omnia ſacra obſcœna fuiſſe, apud Græcos; apud quos Virtutis & Vitii notiones numquam prorſus exſtinctæ fuere, & poſtea etiam à Philoſophis egregiè illuſtratæ & confirmatæ fuerant. Verùm ſacra illa, quæ dixi, Cereris & Bacchi quin multa haberent pudori & caſtitati contraria ne Ethnici quidem negare poterant. Hinc in Bacchanalibus occultis, quæ Romam adlata & damnata à Senatu narrat *T. Livius* Lib. XXXIX, 9. & ſeqq. flagitia & ſcelera tanta admiſſa ſunt, ut de conſceleratis Bacchi Sacerdotibus & Myſtis Senatus gravia ſupplicia ſumenda meritò cenſuerit; quod numquam contingere potuiſſet, ſi ſacra Baccho caſtè ſemper & pudicè facta antea fuiſſent.

VII. Romani Græcam Mythologiam etiam admiſerunt, Græcorúmque Deos ab initio coluerunt, poſteáque etiam Ægyptia Sacra, ut ſuperſtitioni cumulum adderent, adſciverunt. *Lucanus* eodem loco:

> *Nos in ſacra tuam Romana accepimus Iſin,*
> *Semideóſque canes, & ſiſtra moventia luctus*, &c.

Quod & ex aliis omnibus Scriptoribus, qui ea de re egerunt, conſtat. Sed & abſurdis utrorúmque commentis Italas fabulas multas addiderunt, quas nequaquam meliores fuiſſe disertè oſtendit *Lactantius* Divin. Inſtitutionum Lib. I. c. 20. & ſeqq.

VIII. Omnes hi populi, præter memorata flagitia, duo alia magno conſenſu, & miro ſuperſtitionis ardore, commiſerunt. Numen inconſpicuum, & humanâ naturâ infinito intervallo præſtantius, [3] inſtar hominis, aut etiam bruti finxerunt, ejuſmodíque ſtatuas in ſanctiſſimis Tem-

rum numerum retulit, è qua Theologia manarunt quæcúmque abſurdè de Diis dicuntur. Poëtæ repugnantia duo hæc Theologiæ genera non invexerunt primi, ſed jam in hominum animis inventa exornarunt, ac expoliverunt; aut, ſi mavis, magis ac magis corruperunt. Nihil ergo neceſſe eſt quæri propterea allegoricas interpretationes. Hinc fit ut *Homerus* nunc de Jove ea dicat, quæ reverâ Deo digna ſunt; nunc quæ homini & quidem improbo meliùs conveniunt. Nunc eum in *Cœlo* habitantem, è priſca Theologia, deſcribit; nunc in monte *Olympo*, qui in Theſſalia fuit. Unde poſtea etiam factum ut *Cœlum* & *Olympus* miſcerentur, quæ ſunt diverſiſſima. Sed hæc obiter.

3 *Inſtar hominis, aut etiam bruti* &c.] Indignatur *Celſus* Chriſtianis apud *Origenem* Lib. VII. p. 373. quòd lapides ac metalla ab Ethnicis coli dicerent: *τίς γὰρ καὶ ἄλλος, ἢ μὴ πάντῃ νήπιος, ταῦτα ἡγεῖται θεοὺς, ἀλλὰ θεῶν ἀναθήματα καὶ ἀγάλματα; quis enim alius, niſi prorſus fatuus, hæc Deos credit, non verò donaria & ſtatuas Deorum?* At idem ex *Heraclito* verba profert, ex quibus li-

Templis collocarunt; quibus, non aliter ac Diis ipſis, ſacra faciebant, nomináque Deorum tribuebant, eò quòd eas à Numinibus inſideri putarent. Unde fiebat ut plebs non alios ſibi fingeret Deos, quàm quales eos à ſculptoribus formari videbat. Statuas Deorum, earúmque cultum Ægyptiis primis inventoribus deberi auctor eſt *Herodotus* Lib. II. c. 4. cui adſtipulatur Scriptor libelli de Dea Syria.

IX. Alterum ſcelus, quod eſt ab omnibus pænè Ethnicis, in cultu Numinis, admiſſum, fuit dira conſuetudo victimas humanas ei mactandi; quo horrendo ſacro alii quidem rariùs, alii verò frequentiùs utebantur, ſed omnes propemodum contaminati erant. Multa exempla ejus nefandi ſacri habent *Lactantius* Lib. I. c. 2. *Plutarchus* in vita Pelopidæ p. 289. *Porphyrius* de Abſtin. Lib. II. c. 27. & 54. & plura etiam *Joan. Saubertus* de Sacrificiis Cap. XXI. Hæc Sacrificia, ut & ſtatuas Numini conſecrandi conſuetudinem, non difficulter Judæi & Chriſtiani inſanos & impios eſſe ritus oſtendebant; nec erat Ethnicis ſani quidquam, quod reponerent.

X. Attamen duobus modis Religionem ſuam tuebantur. Primùm aiebant & Deorum Numina eſſe qualia ea intelligerent, & gaudere ſacris quæ iis fiebant, inde liquere, quòd præſentiæ ſuæ certa ſigna ederent; primùm [4] reſponſis, ſeu per vates, ſeu quocumque alio modo editis; ſecundò prodigiis, & oſtentis, quibus bona & mala futura ſignificabant, & quæ, ſi ritè procurarentur, mala poterant averrun-

liquet plebem Ethnicam, jam ab ejus ævo, ſtatuas quaſi Deos eſſe adloquutam, hoc eſt, oraſſe: *καὶ τοῖς ἀγάλμασι τουτέοισιν εὔχονται, ὁκοῖον εἴ τις τοῖς δόμοισι λεσχηνεύοιτο, οὔτε γιγνώσκων* (lege *γιγνώσκοντες*) *θεούς, οὐδὲ ἥρωας, οἵτινές εἰσι*: *has ſtatuas orant, ut ſi quis cum ædibus garriret; cùm neſciant qui ſint Dii, & qui Heroes.* Similia habet *Julianus* in fragmento p. 537. Ed. Petavianæ: *ἀγάλματα καὶ βωμοὺς καὶ πυρὸς ἀσβέστου φυλακὴν καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα σύμβολα οἱ πατέρες ἔθεντο τῆς παρουσίας τῶν θεῶν· οὐχ ἵνα ἐκεῖνα θεοὺς νομίσωμεν· ἀλλ᾽ ἵνα δι᾽ αὐτῶν τοὺς θεοὺς θεραπεύσωμεν· ἐπειδὰν γὰρ ἡμᾶς ὄντας ἐν σώματι σωματικῶς ἔδει ποιεῖσθαι τοῖς θεοῖς καὶ τὰς λατρείας, ἀσώματοι δέ εἰσιν αὐτοί· πρῶτα μὲν ἔδειξαν ἡμῖν ἀγάλματα ——— τρίτων ἐπὶ γῆς ἐξευρέθη γένος ἀγαλμάτων, εἰς ὃ τὰς θεραπείας ἐκτελοῦντες ἑαυτοῖς εὐμενεῖς τοὺς θεοὺς καταστήσομεν καὶ τὰ ἑξῆς*: *Simulacra enim & altaria, nec non inexſtincti ignis cuſtodiam, &, ut uno verbo dicam, cetera idgenus omnia Majores noſtri ſymbola præſentiæ Deorum conſtituerunt; non ut iſta Deos eſſe crederemus, ſed ut per ea Deos coleremus. Quandoquidem enim, cùm ſimus in corpore, nos oportebat corporeâ ratione Deis cultum exhibere, iidémque corporis ſunt expertes, prima quidem nobis oſtenderunt ſimulacra ——— tertiorum in terra inventum eſt genus ſimulacrorum, ad quod cultum perficientes nobis propitios Deos faceremus* &c. Sed nec Poëtæ, nec ſimulacrorum inventores Deos incorporeos eſſe crediderunt, fefellerúntque & alios, quibus ita Deos deſcripſerunt, & adorandos propoſuerunt, quaſi eſſent ſimulacris illis ſimiles, ac ſe interdum ſic conſpiciendos hominibus præbuiſſent. Præterea, vi conſecrationis, Deos ipſos ſtatuis adeſſe putabant; unde fiebat, ut eas *Deos ſuos* vulgò vocarent Ethnici, ſeque *Diis* carere quererentur, quando ablatæ fuerant. Vide quæ hac de re diximus *Artis Criticæ* Part. II. Sect. I. Cap. XVI, 10.

4 *Reſponſis* &c.] Sic *Celſus*, apud *Origenem* Lib. VII. p. 333. Hebræorum Prophetis opponit Pythias, Dodonidas, Branchidas, Clariique Apollinis & Jovis Ammonis ſacerdotes, queritúrque horum vaticinia nihili fieri à Chriſtianis, præ iis quæ ab Hebræis vatibus edita fuerant.

Pleniùs idem hoc Ethnicorum argumentum repetit, his verbis quæ leguntur Libro VIII.

runcari, ſi negligerentur, alioquin eventura; tertiò curationibus ægrorum, quod de Iſide, præſertim & Æſculapio jactabatur. Sunt inter Chriſtianos, qui velint reverâ hæc à Cacodæmonibus factâ, ſi non ſemper, at certè ſæpe. Verùm hoc ſi concedatur, quî poterant rudes populi ſcire an à bono eodémque vero Numine proficiſcerentur, an ab Antitheo; ac proinde quaſi Idololatriæ, ſeu falſorum Deorum cultûs, ejúſque turpis ac inhumani rei agi? Ratione rectâ ſi dicantur præditi, quâ intelligere poterant quæ licita, quæ illicita eſſent, ac proinde quæ à vero Numine, quæ à Mentibus Antitheis manarent, ſecernere; ſat notum eſt eos cùm ignorantiâ, tum pravis multis opinionibus & conſuetudinibus præpeditos fuiſſe, quominùs rectè ratiocinarentur, quod eventus ſatis oſtendit; deinde priſcis ſuperſtitionibus occæcati ratiocinari non audebant, exceptis Philoſophis perpaucis, qui plebem ad ſaniorem mentem numquam adducere potuerunt. Multò potiùs credidiſſet maleficum eſſe Numen, idque ideò colendum, ne noceret; quemadmodum à multis factum olim, fitque etiamnum hodie apud ultimos Seras, Japonenſes & Americanos. Hinc facilè potuiſſent etiam eò delabi, ut boni Numinis Providentiam negarent, quaſi ab Antitheis tantùm ſpiritibus mundus regeretur; quod iidem populi, quos nominatim adpellavimus, credunt. Itaque nec Judæos, nec Chriſtianos decuit concedere facta eſſe ab Antitheis Dæmonibus miracula, quæ vulgò apud Ethnicos narrabantur, certè omnia, aut pleraque; ne Ethnicis

VIII. p. 406. & 407. *Τί δεῖ καταλέγειν ὅσα ἐκ χρηστηρίων, τοῦτο μὲν προφῆται καὶ προφήτιδες, τοῦτο δὲ ἄλλοι κάτοχοι, καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἐνθέῳ φωνῇ προεῖπον; ὅσα δὲ ἐξ ἀδύτων αὐτῶν ἠκούσθησαν θαυμάσια; ὅσα δὲ ἐξ ἱερείων καὶ θυμάτων τοῖς χρωμένοις ἐδηλώθη; ὅσα δ' ἐξ ἄλλων τεραστίων συμβόλων; τοῖς δ' ἐναργῆ παρέστη φάσματα. μεστὸς τούτων ὁ πᾶς ἐστι βίος, πόσαι μὲν πόλεις ἐκ χρηστηρίων ὠρθώθησαν, καὶ νόσους ἀπέθεντο καὶ λιμούς· πόσαι δὲ ἀμελήσασαι τούτων, ἢ ἐκλαθόμεναι κακῶς ἐφθάρησαν· πόσαι δὲ εἰς ἀποικίαν ἐστάλησαν, καὶ μετελθοῦσαι τὰ προσταχθέντα εὐδαιμόνησαν· πόσοι δυνάσται, πόσοι δ' ἰδιῶται, παρὰ τοῦτο ἄμεινον ἢ χεῖρον ἀπήλλαξαν· πόσοι μὲν ἀπαιδίας δυσφοροῦντες ὧν ἐδεήθησαν σχόντες* (leg. *ἔσχον*)*· πόσοι δαιμόνων μῆνιν διέφυγον· πόσοι σωμάτων πηρώσεις ἰάθησαν· πόσοι δ' αὖ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ὑβρίσαντες αὐτίκα ἑάλωσαν, οἱ μὲν ἔκφρονες αὐτοῦ ταύτῃ κρατηθέντες, οἱ δὲ ἐξαγγείλαντες ἃ ἔδρασαν, οἱ δὲ σφᾶς αὐτοὺς διειργασμένοι, οἱ δὲ νόσοις ἀνηκέστοις ἐκδεθέντες· ἤδη δὲ καὶ ἐξ αὐτῶν ἀδύτων φωνὴ βαρεῖα καθεῖλεν αὐτούς. Quid adtinet recenſere quot ex oraculis, partim Prophetæ & Prophetides, partim alii ſpiritu correpti, & viri & mulieres, divinâ voce prædixerunt? quot mirabilia è Deorum adytis audita ſunt? quot ex victimis & ſacrificiis conſulentibus aperta ſunt? quot ex aliis portentoſis oſtentis? Quibusdam etiam manifeſtæ adſtiterunt ſpecies Deorum. Plena his eſt omnis vita, quàm multæ urbes ſint ex oraculis conditæ, morbisque & famibus liberatæ fuerint; quàm multæ hiſce neglectis, aut oblivioni mandatis, malè perierint; quàm multæ in colonias miſſæ ſint, & mandata exſequutæ floruerint; quàm multi & Dynaſtæ & privati, propterea in deteriorem, aut meliorem ſtatum devenerint; quàm multi orbitatem ægrè ferentes, id quod iis deerat, habuerint; quàm multi Dæmonum iram fugerint; quàm multi corporis mutilationibus curati ſint; quàm multi, cùm templis contumelioſi fuiſſent, deprehenſi fuerint, pars è veſtigio, cùm mente capti eſſent, correpti, pars cùm aperuiſſent quod fecerant, pars cùm ſe occidiſſent, pars incurabilibus morbis vincti. Quin etiam ex ipſis adytis vox ſonora eos occidit.* Quæ omnia aut numquam facta, aut prudentiâ, vel fraude humanâ, aut caſu contigiſſe facile dictu erat; cùm non deeſſent Ethnici Philoſophi, ut docet *Origenes* in ſeqq. qui iis fidem non haberent.

cis majorem errandi rationem ſuppeditarent.

XI. Prudentius multò eſt & probabilius etiam id quod à Peripateticis, Cynicis, Academicis, & Epicureis dicebatur; fraude, nempe, humanâ facta, aut ficta miracula, quorum ne ſpeciem quidem ullam quiſquam viderat, oraculáque quæ numquam edita fuerant. Vide hac de re *Origenem* contra *Celſum* Lib. VII. pag. 333. Ed. Cantabrigienſis, qui ſatis innuit potuiſſe omnia negari, nec tamen eâ viâ ad confutandos Ethnicos uti voluit, & *Euſebium* Præp. Evangelicæ Lib. IV. Capp. I, II, & III. Profitetur *Euſebius*, in inſcriptione Capitis II. Τοῖς θέλουσιν εὐχερὲς ἀποφῆναι πλάνην εἶναι τὴν περὶ τῶν χρηστηρίων ἐπαγγελίαν καὶ γοήτων ἀνδρῶν ῥᾳδιουργίαν: *promtum eſſe cuivis oſtendere quidquid oracula pollicentur impoſturam eſſe, & fallacium hominum fraudem.* Narrat etiam fraudem quorumdam in apertam lucem protractam, & in publica Acta relatam, quam utinam pluribus totam expoſuiſſet! Sed & ille viam alteram inivit, quâ putavit probare ſe poſſe Gentilibus, ſi res portentoſæ contigiſſe concederentur, Cacodæmonibus tribuendas.

XII. Verum quod illi imprudenter facere omiſere, poſſumus aliquo modo ſupplere ratiocinando, 1. ſi reputemus, antiquis illis temporibus, apud homines rudes & hebetes, etiam fraudes ſatis apertas locum habere potuiſſe: ut nunc in pravis Orientis Religionibus, ne Occidentales populos, quidquid ſuperbiant, deceptu faciles memorem; 2. ad illas fraudes nectendas pronos Sacrificulos fuiſſe, cùm & procederent ex voto, nec exiguum lucrum ad fraudium auctores adferrent; 3. huc quoque acceſſiſſe Religionis ſemel conſtitutæ auctoritatem, cui illudere nuſquam tutum fuit; ſive ob nequitiam Sacerdotum, ſive ob ſuperſtitionem populorum, qui non patiebantur facilè à *profanis*, ut vocabantur minùs ſuperſtitioſi, hominibus res ad Religionem pertinentes adcuratiùs expendi; vel ſui lucri causâ, vel quia bonâ fide Deorum, admodum irritabilium, iram timebant; quod & hodie fieri videmus, ubicumque conficta portenta jactantur. Satis graves hæ ſunt cauſæ, cur putemus credulæ plebi non à Cacodæmonibus, ſed ab hominibus paullò callidioribus verba eſſe data. Sed conſulendus, *de Oraculis*, liber eruditus *Ant. van Dale*, dudum editus.

XIII. *Diodorus Siculus* Lib. I. p. 22. ait Ægyptios prodidiſſe Iſin, dum viveret, peritiſſimam fuiſſe Medicinæ; &, immortalitatem conſequutam, eamdem artem exercere. Ad quæ demonſtranda non adferre ſe aiebant Mythologias, Græcanicis ſimiles, ſed factorum evidentiam; nam totius propè orbis teſtimonio ſe niti, qui effuſis Deam honoribus, ob præſens in medicando Numen, (διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν) remunerentur; in ſomnis enim adſiſtentem ægrotis remedia contra morbos ſubjicere, eique morigerantes nec opinatò convaleſcere; multos etiam à Medicis, propter morbi difficultatem deſperatos, plurimóſque oculis prorſus captos, aut aliâ corporis parte mutilatos, ſi ad Deæ opem confugerent, in priſtini vigoris integritatem reſti-

titutos. Hæc Ægyptii, apud *Diodorum*; quæ ante omnia an vera eſſent dubitari poterat, ſolent enim impoſtores non minùs confidenter loqui, quàm qui exploratam Veritatem tuentur, & Ægyptiorum gens mendaciſſima fuit. Plures multò erant ſine dubio, qui, cùm excubaſſent in Templo Iſidis, curati tamen non fuerant; quod excuſari à Sacerdotibus poterat, eò quòd homines impii eſſent, quamquam curatis deteriores fortè non erant. Quàm facile fuit homines egenos, lucello aliquo propoſito, ſubornare, qui ſe ægros finxiſſent, ut delati in Templa Iſidis de remediis illic ſe ſomniaſſe dicerent; quorum ope curarentur morbi, quibus non laborabant? Ubicumque è fraude lucrum ſperari potuit, fraudulentos homines inventos fuiſſe nihil mirum; cùm præſertim Leges ejuſmodi fraudibus pœnas nullas ſtatuiſſent, vulgóque homines, Religionis causâ, faverent. Nec rem curioſiùs expendere ſat tutum erat, propter Sacerdotum auctoritatem, & plebis ſuperſtitionem. Poterat & interdum fieri ut ægri ſomniarent de remedio, de quo in longo morbo Medicos agentes audierant, eóque adhibito curarentur, eò faciliùs, quòd ſibi ſalubre futurum certò crederent; magna enim eſt in chronicis morbis vis imaginationis. Poterant etiam Sacerdotes, in tenebris ægros monere de remediis, quæ ab ipſo Deo accepiſſe ſe dictitabant ægri.

XIV. Exstat [5] etiamnum fragmentum tabulæ marmoreæ, ubi exempla habentur hominum, ab Æſculapio, cùm in Templo ejus excubaſſent, ſanatorum: quæ adpenſa fuiſſe creditur Romæ, in Inſula Tiberina, ad Æſculapii Templum. Sed quæcumque de Iſidis curationibus diximus, de Æſculapii miraculis etiam dicta cenſeri debent. Quàm eſſent hæ Æſculapii curationes ſuſpectæ ſatis oſtendit *Ariſtophanes*, in Pluto, à verſu 665. ubi eas ſale Comico reſperſit. Liquidum eſt, ex iis quæ habet, Sacerdotes ornatu Æſculapii, cum puellis inſtar ejus filiarum pariter ornatis, circumiviſſe noctu ægros, à quibus ipſe Deus, unà cum filiabus, habebantur. Hinc facile intellectu eſt, cur diceretur Æſculapius à Græcis & Barbaris, ut ait *Origenes* contra *Celſum* Lib. III. p. 124. ſæpiùs conſpectus fuiſſe & etiamnum conſpici, non inſtar phantaſmatis, ſed curans, benefaciens & futura prædicens. Se conſpicuos enim ſiſtebant Sacerdotes ægris, & cùm periti eſſent Medicinæ, multa de morbis prædicere & remedia præſcribere non difficulter poterant. Πολὺ ἀνθρώπων πλῆθος, Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, ὁμολογεῖ πολλάκις ἰδεῖν, καὶ ἔτι ὁρᾶν ὀ Φάσμα αὐτὸ (fortè αὐτȣ̃) τȣ̃το, ἀλλὰ θεραπεύοντα καὶ εὐεργετȣ̃ντα, καὶ τὰ μέλλοντα προλέγοντα. Rectè obſervavit *Arnobius* Lib. I. contra Gentes, inter Chriſti miracula eáque quæ Æſculapio tribuebantur, hoc interfuiſſe, quòd Chriſtus verbo & imperio ſolo curaret, cùm Dii Ethnicorum & præſertim Æſculapius, *ſi quando, ut fama erat, nonnullis adtribuiſſent medicinam, aut cibum aliquem juſſiſſent* (nempe, ore Sacerdotum, Deorum perſonam agentium) *capi, aut qualitatis alicujus ebibi*

5 *Vide* Jani Gruteri *Inſcriptiones pag.* LXXI, 1.

ebibi potionem, *aut herbarum & graminum ſuccos ſuperimponi inquietantibus cauſis*, *ambulare*, *ceſſare*, *aut re aliquâ*, *quæ officiat*, *abſtinere*; *quod eſſe non magnum*, *nec admirationis alicujus ſtupore condignum*, *promtum erat*, *ſi voluiſſent* (Ethnici) *adtendere*. Poſtea etiam addit multos cùm Æſculapium precibus, per totam vitam fatigaſſent, nullam retuliſſe medicinam, ſed *alios malis ſuis commortuos*, *cruciatibus alios conſenuiſſe morborum*, *perniciosiùs alios ſe ſe habere cœpiſſe*. Quæ omnia liquidò oſtendebant curationes illas aut falſas, aut humanis conſiliis debitas fuiſſe. Ergo cùm oracula, portenta, prodigia, oſtenta, miracula Deorum ab Ethnicis jactata aut prorſus commenticia eſſent, aut non ſine fraude humana in ſpeciem tantùm edita; cúmque ab ipſis naſutioribus Ethnicis riderentur; non poterant iis uti Sacrificuli & ſuperſtitioſi homines, ad pravas Religiones confirmandas, niſi apud credulos & imperitos; qui Chriſti temporibus [6] pauciores erant, quàm ſuperioribus ſæculis; quòd doctiores & prudentiores facti homines, ſibi tam facilè imponi non patiebantur.

XV. Hæc cùm ita haberent, viri ſapientes, apud Ethnicos, ut Religionem aliquo modo tuerentur, id commenti ſunt; quod ſi tamen admittatur, corruat neceſſe eſt. A *Varrone* [7] relatum fuerat in litteras doctiſſimum Pontificem Scævolam diſputaſſe tria genera tradita Deorum; unum à Poëtis, alterum à Philoſophis, tertium à Principibus Civitatis. *Primum genus nugatorium* dicebat *eſſe*, *quòd multa de Diis fingerentur indigna*; *ſecundum non congruere civitatibus*, *quòd habeat aliqua ſupervacua*, *aliqua etiam quæ obſit populis noſſe*. Quænam verò ſunt, quæ prolata in multitudinem nocuiſſent? *Hæc*, inquiebat; *non eſſe Deos Herculem*, *Æſculapium*, *Caſtorem*, *Pollucem*. *Proditur enim à Doctis quòd homines fuerint*, & *humanâ conditione defecerint*. Quid aliud? *Quòd eorum*, *qui ſint Dii*, *non habeant Civitates vera ſimulacra*, *quòd verus Deus nec ſexum habeat*, *nec ætatem*, *nec definita corporis membra*. Hinc jam liquet & Poëticam & Civilem Theologiam (nam utraque apud Græcos & Romanos eadem fermè fuit, ſi pauca excipias, quæ in Civili ſingularia unicuique oppido fuerunt) meras fuiſſe fabulas & divina Majeſtate prorſus indignas, ex ſententia ſapientium virorum. Quod nec diſſimulabat Scævola, qui Poëticas fabulas rejiciebat, *Quia ſic Deos deformant*, *ut nec bonis hominibus comparentur*, *cùm alium faciunt furari*, *alium adulterare*; *ſic item aliquid aliter*, *turpiter atque ineptè dicere ac facere*. *Tres inter ſe Deas certaſſe de præmio pulcritudinis*, *victas duas à Venere Trojam evertiſſe*. *Jovem ipſum converti in bovem*, *aut Cycnum*, *ut cum aliqua concumbat*. *Deam homini nubere*. *Saturnum liberos devorare*. *Nihil denique poſſe confingi miracu-*

6 *Pauciores* &c.] Quod & cauſam defectûs Oraculorum fuiſſe animadvertit *Minucius Felix*, c. XXXI. *De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii reſponſa confinxit*, *cùm jam Apollo verſus facere deſiſſet*; *cujus tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum*, *cùm & politiores homines & minùs creduli eſſe cœperunt*.

7 Ex *Auguſtini de C. D.* Lib. IV. c. 27.

raculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur, atque ab Deorum natura longè abſit. Similia etiam habet *Cicero*, de Nat. Deorum Lib. I. c. 49. Cùm ergo Civilis Religio non alia in Græcia & in Italia de Diis haberet, non magis poterat, quàm Poëtica, laudari. Adſentiebatur *Scævolæ M. Varro* Romanorum doctiſſimus, ut pluribus oſtendit *Auguſtinus* de Civitate Dei Lib. VI. c. 5. & ſeqq.

XVI. Hinc Romani Proceres aut planè Epicurei erant, Deóſque prorſus tollebant; aut plebis causâ eſſe ſtatuebant, nomine tenus; vel de omnibus, ad Religionem pertinentibus, dubitabant. Satis hoc liquet è *Ciceronis* libris *de Natura Deorum*, & *Divinatione*, ubi habet non tantùm quid poſſit dici, ut Deos eſſe, nec Divinationem vanam habendam, probetur; ſed & contra has ſententias diſertiſſimè diſputat. Itaque ſi ſacra facerent, quemadmodum faciebant, ea conſuetudinis & plebis causâ facta, non quòd Majoribus fidem haberent, ſatis conſtat. Igitur & ipſi Ethnicam Religionem funditus evertebant, & eam oppugnaturis latam feneſtram aperiebant; ut mirum non ſit Chriſtianam Religionem à tam multis, in Imperio Romano, admiſſam, & mox ipſorum Principum Religionem fuiſſe; imò contrà mirum videri queat rem, ad quartum uſque à Chriſto nato ſæculum, dilatam.

XVII. Ad Virtutem quod adtinet, quin multa & egregia docuerint Ethnici, cùm apud Græcos, tum apud Romanos, nemo dubitare poteſt, qui eorum libros legerit, aut, eos qui legerunt aliquando, ea de re loquentes audiverit. Nec minùs conſtat multos inter eos fuiſſe temperantes, hoc eſt, ſobrios ac voluptatum contemtores, juſtos, æquos, mites, beneficos, liberales. Sed tamen multa deerant, non tantùm eorum moribus, ſed & placitis de Virtute. Exempli causâ, ſcortatio in juvenibus, & pæderaſtia numquam ſunt damnatæ, ſi modò intra moderationis cujusdam terminos continerentur; hoc eſt, ſi nec hominum oculos offenderent, nec impedirent quominùs ipſi omnibus vitæ muneribus rectè obeundis apti eſſent, nec quidquam eorum negligerent, quæ ſibi impoſita eſſe norant. Erat & conſuetudo nefanda exponendi infantes, & abortum etiam procurandi, quæ nonniſi ab Imperatoribus Chriſtianis & quidem ſat ſerò damnata eſt; ut oſtendit præſtantiſſimus Juris Antiſtes *Gerardus Noodtius*, in libello, quem *Julium Paulum*, ſeu *de Partûs expoſitione & nece, apud Veteres*, inſcripſit. Magna etiam perturbatio fuit Societatis Civilis, in Divortiis, quæ apud Romanos & Græcos, æquo jure ad viros & mulieres pertinuerunt; cùm apud Hebræos viris tantùm repudiare uxores liceret. Hæc autem peſſima & flagitioſiſſima eſſe, quòd Societati Humanæ ſummopere nocerent, oſtenderunt facilè Chriſtiani. Judæorum, apud quos repudia partim valuerunt, alia conditio fuit; ut dicemus, ubi de Ethica Chriſtiana agemus. Fatendum tamen laudatos, etiam apud Ethnicos, qui ab iis flagitiis abſtinerent; ſed iis indulgere, intra modum, numquam eſt damnatum.

XVIII. Docebant quidem Ethnici, non tantùm ex Poëtis, ſed etiam ex Philoſophis, fore, poſt vitam hanc mortalem, præmia & pœnas animis ſuperſtitibus, prout ſe ſe corpori conjuncti geſſiſſent, multique ad virtutem, eâ ratione, adducti fuerunt; qua de re, dicemus ubi de Philoſophorum, & præſertim Platonicorum placitis agemus. Verùm plerique quæ de Inferis narrabantur aut ridebant, aut in dubium revocabant; unde neceſſe erat iis animos hominum nihil aut parum adfici, non movemur enim, niſi iis quæ certò credimus; præſertim ubi periculum aliquod adeundum eſt, aut moleſtia ſubeunda, quod in Religionis, ac Virtutis cultu ſæpe faciendum. Quædam exempla hanc in rem, adtuliſſe non pigebit. Sic *Salluſtius* Cæſarem inducit loquentem, Belli Catilinarii Cap. L. *De pœna poſſumus quidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miſeriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum eſſe; eam cuncta mortalium mala diſſolvere, ultra neque curæ, neque gaudio locum eſſe.* Ad quem locum, multa ſimilia Græcorum eſſe dicta rectè adnotat nuperus interpres, vir eruditus & diligens. *Cato*, in reſponſione ad orationem Cæſaris, Cap. LII. *Bene*, inquit, *& compoſitè C. Cæſar paullò antè, in hoc ordine, de morte & vita diſſeruit, credò, falſa exiſtimans ea, quæ de Inferis memorantur, diverſo itinere malos à bonis loca tætra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere.* Fluctuavit, hac in re, *Cicero*, qui hoc unum opponit Cæſaris ſententiæ, Catilinariâ IV, 4. *Ut aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud Inferos, ejuſmodi quædam illi Antiqui ſupplicia impiis conſtituta eſſe voluerunt; quòd, videlicet, intelligebant, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam.* Idem in Oratione pro *Cluentio* c. LXI. *Quid tandem illi mors mali adtulit? niſi fortè ineptiis ac fabulis ducimur, ut exiſtimemus illum, apud Inferos, impiorum ſupplicia perferre.* Servius Sulpicius ad *Ciceronem* Ep. V. Lib. V. *Quod ſi quis etiam Inferis ſenſus eſt.* &c. Sic quoque ipſe *Cicero*, ejuſdem Libri Ep. ultimâ. & Lib. VI. Epp. 3. & 4. Aliter tamen ſe ſolabatur, ad Atticum Lib. X. Ep. 8. *Id ſpero, vivis nobis, fore; quamquam tempus eſt nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita, cogitare.* Lib. XV. Ep. 2. *Quod prima diſputatio Tuſculana* (in qua de immortalitate animi agit) *te confirmat, ſanè gaudeo; neque enim ullum eſt perfugium, aut melius, aut paratius.* Ridet hæc tamen *Juvenalis* Sat. II, 149.

Eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna,
Et pontum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ tranſire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Plinius ſimiliter Hiſt. Nat. Lib. VII. c. 55. pluribus immortalitatem animi & pœnas poſt mortem confutat. *Quæ ſedes, quantàve multitudo, tot ſæculis, animarum, velut umbrarum? Puerilium iſta delinimentorum,*

avidæque

avidæque numquam deſinere mortalitatis commenta ſunt. Similis & de adſervandis corporibus hominum, ac reviviſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non revixit ipſe. Quæ malùm iſta dementia eſt, iterari vitam morte, quæve genitis quies umquam, ſi in ſublimi ſenſus animæ manet, inter Inferos umbræ? Perdit profectò iſta dulcedo, credulitáſque præcipuum naturæ bonum, mortem, ac duplicat obitus, ſi dolere etiam poſtfuturi æſtimatione evenit, &c.

XIX. Fuerunt tamen, qui figmentum licèt haberent, quod de Inferis vulgò dicebatur, non inutile hominibus eſſe putabant, ut *Diodorus Siculus* Bibliothecæ Lib. I. p. 2. Εἰ ἡ τῶν ἐν ᾅδου μυθολογία τὴν ὑπόθεσιν πεπλασμένην ἔχουσα πολλὰ ξυμβάλλεται τοῖς ἀνθρώποις πρὸς εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην, πόσῳ μᾶλλον ὑποληπτέον τὴν προφῆτιν τῆς ἀληθείας ἱςορίαν; *Si eorum, quæ ſunt in Inferis, mythologia, cujus eſt argumentum confictum, multùm confert hominibus ad pietatem & juſtitiam; quantò magis Hiſtoria, quæ Prophetis eſt Veritatis?* Inania ſunt quæ de Hiſtoria dicit, cum ſpe futuræ vitæ collata. Maximum & propemodum unicum hæc eſt ad Virtutem incitamentum, quod ſit cum Ratione conjunctum; ideóque Ethnicorum Virtus, ſine certa alterius vitæ ſpe, magnopere vacillabat.

XX. Si eorum mores paullò ante Chriſtum, & paullò pòſt intueamur, quæ fuit doctiſſima ætas, peſſimos & ſceleratiſſimos fuiſſe comperiemus, ut docent qui eorum temporum Hiſtoriam conſcripſerunt. Bella Civilia, temporibus Sullæ & Marii, ſtatus Reip. Romanæ perturbatiſſimus, qui proximè ſequutus eſt, bella iterum civilia Cæſaris & Pompeii, tum etiam Triumvirorum, principatus ipſe Auguſti, & multò magis Tiberii, Caligulæ, Neronis, & Domitiani, ne ulteriùs pergam, cloacæ fuerunt flagitiorum & ſcelerum, apud Romanos; qui tamen Græcos paſſim, quaſi deteriores ſe, deſcribunt. *Salluſtius*, *Cicero*, *Seneca*, *Tacitus*, *Suetonius*, aliique, cùm à nobis hodie leguntur, etiamnum indignationem in improbos illius ævi homines nobis movent; ne proferam *Perſium* & *Juvenalem* Poëtas Satiricos, qui fortè modum exceſſiſſe, in caſtigandis moribus ſui ævi, credi poſſent. Itaque pravæ Religionis effectus ſiſtere non potuit Philoſophia, & paucorum contra torrentem nitentium conatus fermè irriti fuere.

CAPUT II.

De Platonicorum decretis, ad Religionem, Mores & Summum Bonum pertinentibus.

I. Præter eos, qui Religionibus Vulgi erant præpediti, multi fuere, apud Ethnicos, qui cùm earum abſurditatem probè animadverterent, de Numine aliter ſenſerunt, quàm plebs ſolebat. Ii fuere

Philoſophi, qui tamen non unam philoſophandi rationem & viam ſequuti ſunt, ſed in plures ſectas abierunt. Omnes quidem ad evertendas vulgares ſuperſtitiones, quamvis non unâ ratione, multùm contulerunt, ſive ſcientes & volentes, ſive aliud agentes & imprudentes; nec tamen plebem ad Veritatem, quam ignorabant, perducere potuerunt; quod paullò pleniùs nobis oſtendendum eſt, cùm Evangelium non tantùm plebi, ſed & Philoſophis, iiſque qui Philoſophiæ operam dederant, nunciatum ſit, & ſæpe probatum. Nec alios tamen Philoſophos memorabimus, præter eos, qui pertinebant ad Sectas, quæ Chriſti & Apoſtolorum temporibus floruerunt, Platonicam, nimirum, Peripateticam, Epicuream, Stoïcam & Academicam. Omnes multa dixerunt plebeiis opinionibus prorſus contraria, quamquam non ſemper vera; ſed tamen æquè probabilia, ac quæ vulgò credebantur. Multi veriſſima quædam & conſentanea Religioni Chriſtianæ docuerunt; at ea falſis dogmatibus miſcuerunt. Si è variis Sectis quæ cum Veritate conſentiunt, colligantur, magnam partem Chriſtianæ Theologiæ inde confirmari poſſe manifeſtò liquebit; quod fecerunt in primis viri doctiſſimi *Clemens* Alexandrinus in *Stromatibus*, & *Euſebius* in *Præparatione Evangelica*. Utinam commodiore dumtaxat ordine collectanea ſua diſpoſuiſſent, quæ ſunt veluti in acervum temerè conjecta! Intra paucas horas Lectoribus pateret vera eſſe hæc [1] *Clementis* Alexandrini verba: ἥ τε βάρβαρος, ἥ τε Ἑλληνικὴ Φιλοσοφία τὴν ἀΐδιον ἀλήθειαν, σπαραγμόν τινα οὐ τῆς Διονύσου μυθολογίας, τῆς δὲ τοῦ Λόγου τοῦ ὄντος ἀεὶ θεολογίας πεποίηται, ὁ δὲ διῃρημένα συνθεὶς αὖθις καὶ ἑνοποιήσας τέλειον τὸν Λόγον, ἀκινδύνως εὖ ἴσθ' ὅτι κατόψεται τὴν ἀλήθειαν: *Et Barbara & Græca Philoſophia veritatem æternam, quodam modo diſcerptionem, non Mythologiæ Bacchi, ſed Theologiæ Rationis, quæ ſemper eſt, fecit. Qui verò diſcerpta iterum compoſuerit, & perfectam Rationem in unum conflarit, ſcias futurum, ut ſine dubio veritatem contemplaturus ſit.* Quæ ſententia etiam *Lactantii* fuit, Divin. Inſt. Lib. VI. c. 7.

II. Ut à Platonicis incipiamus, conſtat Socrati fabularem omnem Theologiam improbatam. [2] Docet hoc nos *Plato*, Dialogo, quem *Euthyphronem* inſcripſit; in quo hominem ſeu verum, ſeu fictum inducit eo nomine, qui patrem capitis accuſarat, factúmque hoc ſuum nefarium defendebat, & ajebat quoſdam ſibi propterea indignari, qui tamen id quod Saturno fecerat Jupiter non improbabant. Reſpondet verò Socrates *ſe, ea de cauſa, reum factum, quòd cùm talia quiſpiam de Deis diceret, moleſtè ferret:* ἆρά γε τοῦτ' ἐστὶν οὗ ἕνεκα τὴν γραφὴν φεύγω, ὅτι τὰ τοιαῦτα ἐπειδάν τις περὶ τῶν Θεῶν λέγῃ δυσχερῶς πως ἀποδέχομαι. In ſequentibus clariùs etiam oſtendit, ſe ejuſmodi fabulis de Diis fidem non habuiſſe, ubi mirabundus Euthyphronem ſic interrogat: *An ergo bellum putas Diis eſſe reverâ inter ſe, & graves inimicitias & pugnas & alia hujuſmodi multa, qualia dicuntur à Poëtis & bonis Scriptoribus? His cùm alia nobis Templa ſint imaginibus variegata, tum etiam in*

1 *Strom.* Lib. I. p. 298. 2 *E Cap. III. Silvarum Philolog.*

in magnis Panathenaïcis peplum ejuſmodi picturis plenum in arcem fertur. Veráne hæc dicemus eſſe, Euthyphron? Καὶ πόλεμον ἄρα ἡγῇ σὺ εἶναι τῷ ὄντι ἐν τοῖς Θεοῖς πρὸς ἀλλήλȣς, καὶ ἔχθρας δεινὰς, καὶ μάχας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλὰ, οἷα λέγεται ὑπὸ τῶν ποιητῶν καὶ ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων; τά τε ἄλλα ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεςὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Ταῦτα ἀληθῆ φῶμεν εἶναι, ὦ Εὐθύφρον; Notus etiam eſt locus Lib. II. de Republica, p. 429. ubi fabulas Diis indignas damnat *Plato*.

III. Socrates, apud *Xenophontem*, ut me nunc hujus Scriptoris limitibus teneam, qui ſinceriora videtur Socratis dogmata proferre, ἀπομνημονευμάτων Lib. I. c. IV, 4. & ſeq. egregiè oſtendit eſſe Deum, qui humanum genus crearit; Lib. IV. c. III, 13. inconſpicuum eum eſſe, nec eò ſeciùs credendum; Lib I. c. IV, 11. & ſeq. eum colendum; Ib. 17. & ſeq. eum omnia videre; Ib. 5. & ſeq. & Lib. IV. c. III, 3. & ſeq. providentiâ ſuâ hominibus proſpicere. Similia multa & aliis *Xenophontis* locis, & apud *Platonem* invenire licet, quæ brevitatis causâ prætermittimus. Hinc intelligere eſt à Socrate Deum agnitum, qui non eſſet ἀνθρωπόμορφος, neque enim ejuſmodi Deus hæc omnia efficere poſſet; ne jam dicam eum etiam humanis adfectibus obnoxium futurum, ut vulgò credebatur, quod ab ejus mente planè fuit alienum.

IV. Hinc *Plutarchus*, de placitis Philoſophorum Lib. I. c. 7. ſic *Socratis* & *Platonis* ſententiam de Deo exprimit: Σωκράτης καὶ Πλάτων τὸ ἓν, τὸ μονοφυὲς, καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθόν· πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν νοῦν σπεύδει· νοῦς ἓν ὁ Θεὸς, χωριςὸν εἶδος, τȣτέςι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον: *Socrates & Plato unum ſingularis & per ſe ſubſiſtentis naturæ, ac ſolitarium, reverâ bonum* agnoſcunt; *omnia autem hæc nomina ad Mentem referuntur. Mens ergo eſt Deus, ſpecies ſeparata, hoc eſt, ſincera ab omni materiæ miſtura; nec ulli rei, quæ pati aliquid poſſit, implicita.* Quæ deſcriptio divinæ naturæ ejuſmodi eſt, ut vix à Chriſtianis ipſis melior dari poſſit, omnéſque ἀνθρωποειδεῖς Deos Ethnicorum ab ea adpellatione ſecludat.

V. Quæ cùm ita ſint, videtur Socrates ſummum unum Deum agnoviſſe, ſed nec alios & quidem inferiores Deos eſſe negaſſe; quò fit ut θεοὺς perpetuò memoret, cùm apud *Platonem*, tum apud *Xenophontem*. Hinc Dæmonas, hoc eſt, minora Numina paſſim agnoſcit, & præſertim in Apologia; qua de re egit etiam *Apuleius* Platonicus, in Libro *de Deo Socratis*. Sic & Plato & Platonici omnes. Iidem etiam, præſertim recentiores, Κακοδαίμονας eſſe docuerunt, ſeu malos Genios; in quos acriter invecti ſunt, quaſi hominum vitiis lenocinantes, nidore ſacrificiorum gaudentes, Deorum honores ſurripientes, falſorum & impiorum oraculorum auctores, ut hominibus nocerent. Multa hanc in rem è *Plutarcho*, *Oenomao*, & *Porphyrio* collegit *Euſebius*, Præpar. Evang. Libb. IV. & V. quibus deteriora, de Gentium Diis, Chriſtiani dicere non potuerunt. Si *Plato* Socrati debebat, quæ de Deo, in Phædro &

Timæo habet; nulla hac de re ſupereſt dubitandi ratio. Sed præter hanc Dei ſummi deſcriptionem, aliquid addidit de ſuo *Plato*, quibus factum eſt, ut putaretur, nec ſine cauſa, τρεῖς ὑποςάσεις ἀρχικὰς, *tres ſubſtantias, quæ ſunt Principia* omnium rerum, credidiſſe; quæ ſententia etiam recentiorum Platonicorum, ut *Plotini*, fuit. In quam tamen ſententiam adductus non fuit *Plato*, lectione Veteris *Teſtamenti*, ut quidam Veteres putarunt, quod nos pluribus oſtendimus Epiſtolâ Criticâ VII. Solâ ratiocinatione, conjunctâ cum Divinorum Operum contemplatione, potuerunt intelligere τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, hoc eſt, eſſe quampiam Intelligentem Naturam, perfectiſſimam, quæ omnia fecerit, & omnia regat, aut per ſe, aut per alios; imò verò re ipſâ intellexerunt, ut jam oſtendimus. Cùm verò viderent Mundi Opificem non temerè & fortuitò, ſed ſummâ ratione omnia feciſſe, generáque ſingula omnium rerum, pro ſuis quæque naturis, ſine mutatione, conſervari ac propagari; hinc collegit *Plato* eſſe & alteram ſubſtantiam divinam primæ illi proximam, quæ vocari poſſet *Ratio*, ſeu Λόγος, quâ continerentur æterna atque immutabilia rerum omnium exempla, & per quam omnia eſſent facta.

VI. Nec dixeris *Rationem* illam fuiſſe perfectionem Dei, ei inſitam, non ſubſtantiam, quæ ſeorſim eſſet; nam *Plato* (recténe an ſecus nunc non quærimus) ita, ut dixi, ratiocinatus eſt. *Rationem*, quam & *Ideam* vocat, quaſi ſubſtantiam deſcripſit; qua in re, præivit *Platoni Timæus*, qui *Ideam* diſtinguit à Deo & ſubſtantiam ſeorſim exſiſtentem, initio operis ſui, habet. Ait enim duas eſſe cauſas ſummas, *Deum* & *Neceſſitatem*, & ad hanc quidem referri *Ideam* & *Materiam*, quaſi συναίτια, *cauſas unà cum* Deo. Tum Ideam docet eſſe quidpiam ἀγέννατον, καὶ ἀκίνατον, καὶ μένον τε καὶ τᾶς ταυτῶ (lege ταυτᾶς) Φύσεος, νοατόν τε καὶ παράδειγμα τῶν γεννωμένων, ὁκόσα ἐν μεταβολᾷ ἐντι, *ingenitum, & immotum & permanens & ejuſdem naturæ, & intelligibile exemplar genitorum omnium, quæ in mutatione ſunt.*

VII. Deinde cùm animadverteret *Plato* animalia & plantas, per omnes terras, mirum in modum, naſci, augeſcere, vegetari; hinc, poſt *Timæum*, collegit à *Ratione* Divina eſſe Mundo *Animam* inditam, cujus vi omnia illa fierent, & totius Mundi machina ageretur. Quamobrem etiam Mundum *Animal* & Deum eſſe dixit. Hæc omnia à *Platone* dicta non probabo, cùm jam probarim in Epiſt. VII. Critica. Hoc unum addam, videri hæc *Platonem*, quæ de tribus rerum omnium Principiis habet, *Timæo* ac aliis fortè debere, non Socrati; qui non facilè [3] Metaphyſicis conjecturis indulgebat, ut ex *Xenophonte* & ipſo *Platone* liquet. Non addemus hic quæ è *Philebo*, *Epinomide* & Epiſt. II. *Platonis* proferri hanc in rem ſolent. Satis eſt rem hîc paucis probaſſe, ut *Platonis* hanc fuiſſe ſententiam liqueat.

VIII. Hoc

3 Ἀπομν. *Lib. I, c. I,* 11. quem locum vide.

VIII. Hoc autem dogma *Platonis*, cùm verbis ſimile videretur iis, quæ docuerunt Chriſtiani de Patre, Filio & Spiritu Sancto, viam illis aliquo modo muniit, ne tam averſis animis audirentur. *Euſebius* certè, in [4] Præparatione Evangelica, aliíque crediderunt ſimilia planè eum ſenſiſſe, iis, quæ docuerunt poſtea Chriſtiani, hiſque uſus eſt ad fidem Religioni Chriſtianæ, apud Ethnicos, faciendam. Quin & in Oratione *Conſtantini* ad Sanctos, hæc de *Platone* legimus: αὐτός τε ὁ ὑπὲρ πάντας τοὺς ἄλλȣς ἠπιώτατος Πλάτων, καὶ τὰς διανοίας τῶν ἀνθρώπων πρῶτος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἐπὶ τὰ νοητὰ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα ἐθίσας ἀνακύψαι· ἀναβλέψας τ' ἐπὶ τὰ μετάρσια καὶ διδάξας, πρῶτον μὲν Θεὸν ὑφηγήσατο τὸν ὑπὲρ τὴν οὐσίαν, καλῶς ποιῶν· ὑπέταξε δὲ τούτῳ καὶ δεύτερον· καὶ δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλε, μιᾶς ὄσης τῆς ἀμφοτέρων τελειότητος, τῆς δὲ οὐσίας τοῦ δευτέρȣ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐχούσης ἐκ τοῦ πρώτου· αὐτὸς γάρ ἐςιν ὁ δημιουργὸς καὶ διοικητὴς τῶν ὅλων, δηλονότι ὑπεραναβεβηκώς. ὁ δὲ μετ' ἐκεῖνον ταῖς ἐκείνου προςάξεσι ὑπȣργήσας τὴν αἰτίαν τῆς τῶν πάντων συςάσεως εἰς ἐκεῖνον ἀναπέμπει. *Ipſe Plato, qui alios omnes lenitate ſuperavit & Mentes hominum à ſenſibus ad intelligibilia & ſemper eodem modo habentia adſuefecit ſe adtollere; cùm ſublimia ſuſpexiſſet, & docuiſſet, primum quidem Deum ſupra ſubſtantiam eſſe dixit; qua in re, rectè fecit. Subjecit autem huic & ſecundum, ac duas eſſentias numero diſtinxit, cùm una ſit utriúſque perfectio, ſed eſſentia ſecundi Dei exſiſtentiam habeat à primo. Hic enim eſt opifex & moderator omnium, qui, ſcilicet, ea tranſcendit. Qui verò poſt illum eſt, & qui illius præceptis ſubſervit, cauſam omnium conſtitutionis ad illum refert.* Hinc quanti facerent Chriſtiani *Platonem*, & quantopere Religioni Chriſtianæ profuiſſe putarent ſatis liquet.

IX. Sed quæſiverit quiſpiam cur ergo Socrates Deos Athenienſium coleret, quemadmodum alii, cúrve νόμῳ πόλεως, *ex legibus urbis*, colendos eſſe dictitaret, quod nos docet *Xenophon* ἀπομνημονευμάτων, Lib. IV. c. III, 16. & VI, 2. Sic & *Plato* cenſuit, ut liquet cùm ex aliis locis, tum ex [5] Lib. IV. de Republica, ubi docet Apollini Delphico maxima, pulcherrima, & prima Legum inſtituta deberi, atque inter ea rationem cultûs Numinis numerat. Notum autem eſt Apollinem juſſiſſe ſacra fieri νόμῳ πόλεως, ut habet *Socrates*, apud *Xenophontem* Lib. IV. c. III. Similiter & in [6] Epinomide vetat *Plato* ſuum Legislatorem quidquam, præter leges patrias, καινοτομεῖν, *novare* in ſacris. Cur ita cenſuerint ſi quis quærat, exiſtimarim *Socratem* & *Platonem*, alióſque eis adſentientes Philoſophos, ſub nominibus Deorum Græcorum, licèt turpibus fabulis dehoneſtatorum, coluiſſe Naturas ſanctas & æternas, prout eas intelligebant, eáſque humanâ præſtantiores, quibus nomen Dei verè convenire putabant. Ergo nomine *Jovis*, in eorum ſermonibus, intelligendum ſummum illud Numen, de quo in Timæo, ubi dicit ſe creatorem eſſe aliorum Deorum; ceteris nominibus ii, qui ab eo orti ſunt, ſeu inferiores omnes Dii.

X. Ad

4 *Lib.* XI. *c.* 13. *& ſeqq.* 5 *Pag.* 427. *Ed. Steph.* 6 *Pag.* 985.

X. Ad Deorum verò cultum ipſum quod adtinet, omnes quidem coluit Socrates, ſed ſummo maximum cultum præbuit, vel eâ ſolâ cogitatione, quâ eum ſummum putabat. In ritibus verò nihil mutandum cenſuit, donec alicunde major lux adfulgeret; quod cùm ex ejus conſuetudine, tum ex *Alcibiade* poſteriore, intelligere poſſumus. Solebat enim ſacra facere, ut alii; nec eo ſeciùs docet Alcibiadem, differendum potiùs eſſe cultum divinum, quàm temerè à Deo petendum, quod neſcias an à Deo petere ſatis religiosè poſſis. *Mihi quidem*, inquit, *videtur optimum eſſe quieſcere* —— *Neceſſe ergo exſpectare*, *donec didicerimus*, *quî nos erga Deos & erga homines adfectos eſſe oporteat.* Ἐμοὶ μὲν ȣ̃ν δοκεῖ κράτιϛον εἶναι ἡσυχίαν ἔχειν —— Ἀναγκαῖον οὖν ἐϛὶ περιμένειν ἕως ἄν τις μάθῃ ὡς δεῖ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς ἀνθρώπȣς διακεῖσθαι. Hæc eſt ſumma Dialogi, quæ ſub finem habetur. Si quæ *Plato* ſuperſtitioſa habet, de cultu variorum Deorum in Epinomide, eorúmque imaginum Lib. XI. de Legibus, ea ſunt tribuenda animo aut non ſatis defecato, [7] aut plebem timenti, vel ſeſe ejus captui adtemperanti.

XI. Nec eſt leviter prætermittendum, quòd *Plato* & Platonici omnes rerum omnium creationem ab uno ſummo Deo inchoatam (ſi excipiatur tamen materia, quam æternam eſſe crediſſe videntur) & à minoribus Diis perfectam eſſe contenderunt. Multis hæc docet *Plato* in Timæo & Legum X. Idem etiam copiosè Providentiam Divinam tuetur, iis in Dialogis & præſertim poſteriore. Quin & laude maxima eſt dignus, qui non obiter, ſed ſtudiosè & multis oſtenderit, quàm alienus eſſet à pravo Dogmate Poëtarum; qui delictorum ab hominibus admiſſorum auctorem Deum conſtituebant, & maleficum deſcribebant; ut videre eſt ex initio Lib. II. de Republica, ubi hanc legem ſancit: Μὴ πάντων αἴτιον τὸν Θεὸν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν, *non omnium rerum cauſam eſſe Deum, ſed bonorum.* Quem locum exſcripſit etiam *Euſebius* Præp. Evang. Lib. XIII. c. 5. Paullò antea dixerat *Plato:* ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον ȣ̃τω: *bonus eſt Deus reverâ*, *& ita eſt dicendus*; nec ferre Dei naturam, ut noceat, probaverat.

XII. De Virtute ſi ſingulatim adgrediar dicere quæ ſenſit Socrates, volumen non exiguum mihi ſit ſcribendum. *Plato*, qui in Moralibus ſine dubio Magiſtrum eſt ſequutus, & ſermones ejus, quos ad poſteros tranſmiſit *Xenophon*, ſatis oſtendunt nullum fuiſſe Virtutis genus, ad quod Diſcipulos ſuos non ſit exhortatus. Nihil prætermiſit ut Veritatis amorem, ejúſque inquirendæ ſtudium ſuis civibus injiceret. Colendum eſſe animum, majore curâ, quàm corpus, dictis & factis oſtendebat. Modeſtiam non deſinebat inſtillare animis hominum, ironiâ illâ ſuâ, quâ *ſe unum hoc ſcire*, *nihil ſe ſcire* dictitabat. Dulce, utile, juſtum & honeſtum

7 *Aut plebem timenti*] Ideò *Origenes* contra *Celſum.* Lib. VI. p. 276. poſtquàm egregia verba *Platonis*, de Summo Bono, protulit, ei objicit *eos qui ſcriberent talia, deſcendere tamen in Piræeum, oraturos Dianam quaſi Deam & ſpectaturos ab idiotis celebratam* pane-

neſtum idem eſſe docebat, neque poſſe ab honeſtate utilitatem ſejungi; adfectus omnes Rationi ſubjiciendos, ſobrietatem ſummopere colendam, abſtinendum à voluptatibus, adſuefaciendum corpus tolerantiæ laboris; contemnendas divitias, ferendam æquo animo paupertatem; ſpernendos honores & mortem denique ipſam eſſe obeundam, potiùs quàm quidquam contra Virtutem facias, quod & exemplo ſuo confirmavit.

XIII. Ostendebat non tantùm omnes homines colere oportere juſtitiam, æquitatem, benevolentiam, liberalitatem, & beneficentiam erga cives & peregrinos; ſed etiam ferendas iis injurias, ſine ultionis ulla cupiditate, ſatiúſque eſſe multò ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν, *injuriam ferre quàm facere*; quod multis, nec diſſimulanter, in Platonicis Dialogis Critone & Gorgia defendit.

XIV. Ad officia, quæ patriæ & legibus debentur, ut & juvandis civibus, quoad licebat, operam darent Athenienſes, & legibus parerent, numquam eos adhortari deſiit; morique etiam ipſe maluit, quàm effugere è carcere, amicorum operâ; ne, hoc ſuo facto, judiciorum vi fugiendorum, tam malis, quàm bonis, adeóque Legum perfringendarum exemplum præberet, ut ex *Critone* Platonico videmus. Quod, ut & cetera omnia, probavit *Plato*, qui ſermones Socratis ſcriptis mandavit, ſuáſque ipſius opiniones ſub ejus nominis umbra latere voluit. Itaque quæ de *Socratis* ſententia diximus, eadem de *Platone* dicta ſunto. Si quid ſit alicubi hiſce contrarium, vacillanti animo adſignandum erit; ſed veram utriuſque mentem, de rebus Ethicis, expoſuiſſe nos non dubitamus, nec dubitabunt qui *Platonem* & *Xenophontem* legerint.

XV. Quia verò non ignorabat multos, metu præſentis damni, à Virtute deſciſcere & Vitia ſectari, eò uſque ratiocinando progreſſus eſt, ut in alia vita Virtuti præmia, Vitio pœnas quæreret. Non ex *Phædone* tantùm hoc intelligere eſt, ſed etiam è *Gorgia*, ubi ſic Calliclem adloquitur, ut liqueat eum noluiſſe Virtutem deſerere, etiam periculo mortis propoſito; quòd pœnas eſſe, poſt mortem, malis luendas crederet. *Si adulatoriæ*, inquit, *Rhetoricæ penuriâ, ego morerer, probè novi fore ut me æquo animo mortem ferentem videres; nam ipſam mortem nemo formidat, niſi fortè ratione & fortitudine prorſus deſtitutus ſit. Injuriam verò* (*vir* bonus) *facere verètur, multis enim refertâ delictis animâ, in Inferos ire, extremum omnium malorum eſt*: εἰ δὲ κολακικῆς ῥητορικῆς ἐνδείᾳ τελευτῴην ἔγωγε, εὖ οἶδα ὅτι ῥᾳδίως ἴδοις ἄν με φέροντα τὸν θάνατον. αὐτὸ γὰρ ἀποθνήσκειν οὐδεὶς φοβεῖται, ὅςις μὴ παντάπασιν ἄλογός τε καὶ ἄνανδρός ἐςι· τὸ δὲ ἀδικεῖν φοβεῖται, πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων γέμοντα τὴν ψυχὴν εἰς ᾅδȣ ἀφικέσθαι πάντων ἔσχατον κακῶν ἐςί. Quod poſtquàm dixit, narrat fabulam de Minoë, Æaco & Rhadamantho, Judicibus Inferorum, qui bonos præmiis donarent,

panegyrin: οἱ τοιαῦτα περὶ πρώτȣ ἀγαθοῦ γράψαντες καταβαίνȣσιν εἰς Πειραιέα προσευξόμενοι ὡς Θεῷ τῇ Ἀρτέμιδι καὶ ὀψόμενοι τὴν ὑπὸ ἰδιωτῶν (ſic lege è Philocalia, non Ἰȣδαίων) ἐπιτελȣμένην πανήγυριν.

narent; eâ verò narratâ, *ego quidem*, inquit, *his quæ ſic narrantur credo & diſpicio quâ ratione Judici quàm ſaniſſimum animum habens me ſiſtam. Quare omnibus Vulgi honoribus valere juſſis, & Veritatem intuens conabor re ipſâ, quoad potero, bonus vivere &, quando moriar, mori. Cohortor autem & ceteros omnes, quantùm poſſum.* Ἐγὼ μὲν ȣ̃ν, ὦ Καλλίκλεις, ὑπὸ τούτων τῶν λόγων πέπεισμαι, καὶ σκοπῶ ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ κριτῇ ὡς ὑγιεςάτην ἔχων τὴν ψυχήν. χαίρειν ȣ̃ν ἐάσας τὰς τιμὰς τὰς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν πειράσομαι τῷ ὄντι, ὡς ἂν δύνωμαι, βέλτιςος ὢν καὶ ζῇν, καὶ, ἐπειδὰν ἀποθνήσκω, ἀποθνήσκειν. παρακαλῶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ἀνθρώπȣς, καθόσον δύναμαι.

XVI. Paullo pòſt ait *hæc fortè fabulam videri Callicli, quaſi anilem, atque ab eo contemni; nec mirum fore hæc ſperni, ſi, inveſtigatione adhibitâ, poſſent veriora & meliora inveniri.* Τάχα δ' ȣ̃ν ταῦτα μῦθός σοι δοκεῖ λέγεσθαι ὥσπερ γραὸς, καὶ καταφρονεῖς αὐτῶν· καὶ οὐδὲν γ' ἂν θαυμαςὸν ἦν καταφρονεῖν τούτων, εἴ πῃ ζητοῦντες εἴχομεν αὐτῶν βελτίω καὶ ἀληθέςερα λέγειν. Quid ſentiret de his Socrates oſtendimus ad finem I. Dialogi *Æſchinis*. In fabulis, nimirum, eatenus adquieſcebat, quoad melius nihil noſſet, & hoc unum teneret, immortales eſſe animos, præmiáque & pœnas eos manere, prout ſe in corpore geſſiſſent.

XVII. Plato ſæpe hæc comprobavit, ſed unum tantùm locum addam [8] è Lib. IX. de Legibus: Θάνατος μὲν ȣ̃ν οὐκ ἐςὶν ἔσχατον, οἱ δὲ ἐν ᾅδȣ λεγόμενοι πόνοι, ἔτι δὲ τούτȣ εἰσὶ μᾶλλον ἐν ἐσχάτοις, καὶ ἀληθέςατα λέγοντες οὐδὲν ἀνύτουσι ταῖς τοιαύταις ψυχαῖς ἀποτροπῆς: *Mors ergo non eſt ultimum*, (malorum) *ſed dolores qui dicuntur in Inferis eſſe ſunt eo magis in extremis* (nam pro τούτων lego τούτου, nempe, θανάτου) *& qui veriſſima dicunt nihil proficiunt erga tales animos* (deſperatæ nequitiæ hominum) *ut eos avertant à vitiis.* [9] Hæc & ſimilia loca animos Ethnicorum ita adfecerunt, ut ad certiorem, pleniorémque de futura vita doctrinam excipiendam paratiores eſſent; quod & Veteres Chriſtiani non diſſimulanter agnoverunt.

XVIII. Fateor non Pythagoreos tantùm, ſed & ipſum *Platonem* pro ſollemni ſua, in rebus obſcuris & arduis, vacillatione, in *Phædone*, *Menone*, X. de Republica & *Timæo*, [10] Metempſychoſin, ſeu migrationem animorum humanorum in corpora non tantùm hominum, ſed etiam brutorum docere; aut, quod perinde eſt, Socratem docentem inducere, aut *Timæi* orationem, quâ docetur, probare. Sed fuerunt hæc ſomnia Pythagorica, quæ *Plato* Socrati ſuo, ab ejuſmodi figmentis prorſus alieno, perperam, ut alia multa, tribuit; verùm & hoc ipſum dogma, quamvis abſurdiſſimum, nititur opinione jam memorata, de animi

8 *Pag.* 881. *Ed. Stephani.*

9 *Hæc & ſimilia* &c.] *Seneca* Ep. CII. ubi poſtquàm ſpem immortalitatis cum jucundo ſomnio contulit, quòd Stoïci, ut videbimus, eam non crederent: *Juvabat*, inquit, *de æternitate animorum quærere, imò me hercule credere; credebam enim facilè opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam promit-*

mi immortalitate; ad quod faciliùs excipiendum, præſertim abſonis ejuſmodi commentis purgatum, prout à Chriſtianis propoſitum eſt, Ethnicos adducere potuit. Qui enim credebant animum eſſe immortalem, ubicumque ab iis collocaretur, neceſſe non habebant ſuam opinionem abjicere, ſed Pythagoricis dumtaxat figmentis, de ejus migrationibus, fidem derogare; quod longè facilius fuit, quàm ſine ulla probabili ratione fidem habere.

XIX. Superest ut aliquid dicamus de ſummo bono, ex ſententiâ Platonicorum. *Cicero*, qui hanc in rem ſtudioſè inquiſivit, Libro II. c. 11. de Finibus Bonorum, & Lib. V. c. 30. Tuſculanarum Diſp. veterum Academicorum de ſummo bono hanc ſententiam fuiſſe pronunciat, *ut finem bonorum dicerent ſecundùm naturam vivere, id eſt, virtute adhibitâ, frui primis à natura datis*; quæ complectuntur *tria genera bonorum, maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia*, qualia amici, opes, honores, fama recta, voluptates licitæ & innoxiæ. Quæ potiùs adducimus, quàm quæ ipſe *Plato* habet hac de re in *Philebo*; quæ eodem quidem ſpectant, ſed obſcuriora ſunt. Nec diffiteri poſſumus, ſi quid horum prorſus deſit, nullam poſſe eſſe felicitatem, plenam quidem illam & ſolidam. Sed primùm nemo eſt mortalium, cui omnia illa umquam adfuerint; nihil eſt enim ab omni parte beatum, ſeu cui nihil deſit, quod ad beatitatem faciat. Itaque inanis eſt hæc felicitas, quæ nemini contigit; imò, ut nunc habent res mortalium, comparari nullo modo poteſt. Deinde ſolida non poſſet eſſe felicitas, ſi in hac vita haberi poſſet, quia nemo ſibi polliceri quiret perpetuam fore; cùm ob mutabilitatem humanarum rerum, tum etiam ob mortem, quâ hæc omnia auferuntur. Itaque rectè Stoïci Academicos & Peripateticos hac in re confutabant, ut oſtendit *Cicero* Tuſcul. Diſp. Lib. V. c. 14. *Qui diffidit beatus eſſe quî poteſt? At diffidat neceſſe eſt, qui bona dividit tripartitò. Quî enim poterit aut corporis firmitate, aut fortunæ ſtabilitate confidere? Atqui niſi ſtabili, fixo & manente bono, beatus eſſe nemo poteſt. - - - An dubium eſt quin nihil ſit habendum in eo genere, quo vita beata complectitur, ſi id poſſit amitti? Nihil enim inveteraſcere, nihil exſtingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata conſiſtit; nam qui timebit ne quid ex iis deperdat, beatus eſſe non poterit; volumus enim eum, qui beatus ſit, tutum eſſe, inexpugnabilem, ſeptum, atque munitum; non ut parvo metu præditus ſit, ſed ut nullo.* Quæ pluribus perſequitur *Cicero*. Ex hiſce igitur liquet Platonicos nemini illam ſuam felicitatem polliceri potuiſſe, ac proinde eo incitamento ad virtutem hominibus ingenerandam fruſtra fuiſſe uſuros. At Chriſtiani, qui fatentur neminem eſſe poſſe hac in vita, per omnia

mittentium magis, quàm probantium.

10 *Metempſychoſin*] Eam, ut & προύπαρξιν animorum, egregiè confutavit *Æneas* Gazæus, in Theophraſto; qui Dialogus lectu eſt digniſſimus, licèt paucorum manibus teratur.

omnia felicem, longè eos hac in re ſuperabant; quippe qui id quod omnibus liquebat fatebantur, & in alteram vitam felicitatem firmam, æternam, & omnibus numeris abſolutam differebant; quo maximo incitamento ad virtutem feliciſſimè utebantur.

CAPUT III.

De Peripateticorum decretis ad Religionem, Mores & Summum Bonum pertinentibus.

I. Obscuriora multò ſunt Peripateticorum, in rebus ad Religionem pertinentibus placita, cùm quòd illorum Princeps *Ariſtoteles* quæ ſibi hiſce de rebus placerent obſcuriſſimè propoſuit; tum quia ejus ſectatores non tam quid verum eſſet, quidve dogmatibus conditori ſectæ deeſſet, quàm quid ſenſiſſet, ac dixiſſet, ſibi quærendum exiſtimarunt. Paucis ergo dicemus quid ex ejus Scriptis ſuperſtitibus colligi queat, & quid aliis ſenſiſſe creditus ſit.

II. Metaphysicorum Lib. I. c. 2. ubi de ſcientia agit, Divinam ſcientiam ait eſſe omnium τιμιοτάτην, ſeu maximo honore dignam, ſubditque. *Videtur enim Deus cauſa & principium omnibus eſſe, & talem* (ſcientiam) *aut ſolus, aut maximè omnium habere poſſit Deus:* ὅ, τε γὰρ Θεὸς δοκεῖ τὸ αἴτιον πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις· καὶ τὴν τοιαύτην ἢ μόνος, ἢ μάλις᾽ ἂν ἔχοι ὁ Θεός. Quibus in verbis an loquatur, ex ſua ipſius ſententia, an ex aliena, non ſatis conſtat; ſolet ille innuere potiùs & divinandum relinquere quid ſentiat, quàm mentem ſuam perſpicuè exponere. Cap. III. poſtquàm dixit non videri elementa eſſe cauſam mundi, nec *bene eſſe* ait, *rem tantam permittere caſui & fortunæ:* Οὐδ᾽ αὖ τῷ αὐτομάτῳ καὶ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψαι πρᾶγμα καλῶς ἔχει. Tum addit de Anaxagora: *Quare quidam qui Mentem, ut in animalibus, ſic & in natura cauſam eſſe dixit & mundi & totius ordinis, quaſi ſobrius collatus cum prioribus temerè loquentibus viſus eſt:* Νοῦν δέ τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς Ζώοις, καὶ ἐν τῇ Φύσει τὸν αἴτιον καὶ τοῦ κόσμȣ καὶ τῆς τάξεως πάσης οἷον νήφων ἐφάνη, παρ᾽ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον. In ſequentibus verbis, *Anaxagoræ* nomen non reticet, & haud multò pòſt eum carpit, non ut neget prorſus quod dicat, ſed ut eum ſibi non conſtare oſtendat; verùm admodum obſcurè.

III. Idem Metaphyſicorum Lib. XI. c. 6. adgreditur oſtendere, ut ſit motus, oportere eſſe *æternam quamdam ſubſtantiam immobilem*, ἀΐδιόν τινα οὐσίαν ἀκίνητον, & cujus vi materia moveatur alioquin immota futura. Πῶς γὰρ κινηθήσεται εἰ μηθὲν ἔςαι ἐνεργείᾳ αἴτιον; οὐ γὰρ ἥ γε ὕλη κινήσει αὐτὴ ἑαυτὴν, ἀλλὰ τεκτονική: *Quomodo enim movebitur, ſi nulla ſit actu cauſa?* (nempe, motûs) *non enim materia ſe ipſa movebit, ſed vis opificis.* Cap. VII. Ἔςι τι, inquit, ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, ἀΐδιον, καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια ὄσα:

Eſt

Eſt aliquid quod non motum movet, æternum, & ſubſtantia & actus. Poſtea: ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ Φύσις: *ex tali principio pendet cœlum & natura.* Probat hoc, ut & cetera, obſcuriſſimâ ratiocinatione, quam non adferam, uti nec dicam quomodo oſtendat Principium illud intelligere, & actum eſſe; ſed quid ex ratiocinatione colligat: Φαμὲν, inquit, τὸν Θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριϛον· ὥϛε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ Θεῷ, τοῦτο γὰρ ὁ Θεός: *dicimus Deum eſſe animal æternum, optimum. Itaque vita & ævum perpetuum & æternum eſt Deo; hoc enim Deus.*

IV. Videtur etiam unum agnoſcere ſummum Principium, ſeu primum movens, Cap. VIII. ubi hæc verba leguntur, quæ ex antecedentibus collectionem continent. Ἓν μὲν ἄρα καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ὄν: *eſt quidem ergo & ratione & numero unum primum movens, quod immobile eſt.* Ad calcem libri, rejectis eorum ſententiis, qui Principia multa ſtatuunt, addit: τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς· οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος: *Entia nolunt malè gubernari; non bonus eſt multorum principatus, ſit unus dominus.* Facit tamen æternum primum cœlum, ibidem & Cap. VII. cui videtur addidiſſe Mentem motricem, quæ propriè Deus eſt; qui non movetur ut corpora, cùm ſit incorporeus, & tamen vim movendi corpora habet. Vide & Phyſic. Lib. VIII. c. 10.

V. Plura de ejus ſententia non addam, præter hoc unum, agnoviſſe tamen *Ariſtotelem* plures inferiores Deos, ſi ex animi ſententia loquitur, cùm plurali numero Θεοὺς paſſim commemorat; quamvis, ceteroqui fabuloſos Poëtarum Deos rejiceret. Deos autem putabat Mentes, quæ Sphæras cœleſtes circumagunt. Digna notatu ſunt hanc in rem verba, è Cap. VIII. Παραδέδοται δὲ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καὶ παλαιῶν, ἐν μύθȣ σχήματι καταλελειμμένα τοῖς ὕϛερον, ὅτι Θεοί τε εἰσὶν ȣ̃τοι (nempe, οὐρανοὶ) καὶ περιέχει τὸ Θεῖον τὴν ὅλην Φύσιν: *traditum eſt à Veteribus & Antiquis, ſub ſpecie fabulæ, poſteris relictum, hos* (cœlos) *eſſe Deos, & à Numine naturam contineri.* Quibus dictis, continenter ſubjungit: Τὰ δὲ λοιπὰ μυθικῶς ἤδη προσήχθη, πρὸς τὴν πειθὼ τῶν πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τοὺς νόμȣς καὶ τὸ συμΦέρον χρῆσιν· ἀνθρωποειδεῖς τε γὰρ τούτȣς καὶ τῶν ἄλλων ζώων ὁμοίȣς τισὶ λέγȣσι, καὶ τούτοις ἕτερα ἀκόλȣθα καὶ παραπλήσια τοῖς εἰρημένοις· ὧν εἴ τις χωρίσας αὐτὸ λάβοι μόνον τὸ πρῶτον, ὅτι θεοὺς ᾤοντο τὰς πρώτας οὐσίας εἶναι, θείως ἂν εἰρῆσθαι νομίσειε: *Reliqua verò fabuloſè jam addita ſunt, ut perſuaderetur multitudo, atque in eum uſum quem præſtant legibus & utilitati publicæ. Aiunt hos eſſe formâ humanâ, & ſimiles quibuſdam aliorum animalium, aliáque dictis conſequentia, iiſque ſimilia. Quorum ſi quis, diſtinctione factâ, hoc tantùm ſumat, quòd Deos crederent primas eſſe ſubſtantias, divinè dictum cenſebit.* Vide & *Plutarchum* de Placitis Philoſophorum Lib. I. c. 6.

VI. Obscuritas *Ariſtotelis* effecit ut inconſtantia ei tribueretur, cujus fortaſſe reus non erat. Si exſtarent ejus libri, quos *de Philoſophia* inſcripſerat, & ubi de Deo copioſiùs egerat, intelligere fortè poſſemus

an quæ ei exprobrat *Velleius*, apud *Ciceronem*, De Nat. Deorum Lib. I. c. 13. vera ſint; ita ut modò Menti tribueret omnem divinitatem, modò mundum ipſum Deum eſſe diceret, modò quemdam alium præficeret mundo, eique eas partes adſignaret, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur, tum cœli ardorem Deum diceret eſſe, non intelligens cœlum mundi eſſe partem. Sed quidquid tandem ſenſerit, rejecit poëticas de Diis fabellas, & primum Motorem agnovit, à quo totius rerum Univerſitatis ordo manarit.

VII. Quin etiam, eo judice, ſi *Ciceroni* credimus, qui ſententiam ejus è libro, qui periit recitat, Lib. II. de Nat. Deorum, c. 37. „ ſi „ eſſent, qui ſub terra ſemper habitaviſſent bonis & illuſtribus domi- „ ciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructáque rebus iis „ omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiſſent „ umquam ſupra terram; accepiſſent autem famâ & auditione eſſe „ quoddam Numen & vim Deorum; deinde patefactis aliquo tempore „ terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos „ incolimus, atque exire potuiſſent; cùm repente terram & maria, „ cœlúmque vidiſſent; nubium magnitudinem, ventorúmque vim; con- „ ſpexiſſéntque Solem, ejúſque tum magnitudinem, pulcritudiném- „ que, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quòd is diem efficeret, „ toto cœlo luce diffusâ; cùm autem terras nox opacaſſet, tum cœlum „ totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, Lunæque luminum „ varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorúmque omnium „ ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos, immutabiléſque „ curſus; hæc cùm viderent, profectò & eſſe Deos, & hæc tanta „ opera Deorum eſſe arbitrarentur.

VIII. Hæc elegantiæ causâ exſcripſi, quamvis fortè à *Cicerone* exornata; non ſolet enim ita ornatè ſcribere *Ariſtoteles*, licèt ei *Cicero aureum eloquentiæ flumen* tribuat; quod fateor nuſquam me, in ejus Operibus, fluere vidiſſe. Ut ad alia tranſeam, de Virtute quid docuerit *Ariſtoteles* ſatis ex ejus Scriptis Ethicis notum eſt; quæ uſque adeò placuere non Ethnicis tantùm, ſed etiam Chriſtianis, ut innumeros interpretes nactus ſit; qui non aliunde meliùs, quàm ex ejus libris, doctrinam moralem peti poſſe exiſtimarunt. Quamvis per omnia iis adſentiri nequeant, qui propiùs rem inſpexerunt, aut viam ac ordinem ejus probare; fatendum tamen eſt omnium Virtutum ſemina ac fontes illic inveniri, ſi præſertim iis quæ dicit addideris conſectaria, quæ ex iis neceſſariò deduci poſſunt, & deducta ab Interpretibus ſunt.

IX. Numen colendum eſſe præcepit, ut ſolebant Philoſophi, licèt de eo à populo diſſentirent, prout vulgò colebatur; ſed, ne quid diſſimulemus, omnem illum cultum plebis potiùs causâ exhibendum Numini innuit; quàm quòd Deus eum ab hominibus poſtulet, aut ei debeant. Politicorum Lib. V. c. 11. ubi indecorè prorſus tradit artes conſervandæ Tyrannidis, ait oportere Tyrannum, τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς φαί-

φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως· ἧττόν τε γὰρ, inquit, φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν· καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς· δεῖ δ' ἄνευ ἀβελτηρίας φαίνεσθαι τοιοῦτον: *quod ad cultum Deorum adtinet, hujus rei ſemper egregiè ſtudioſus videri debet; nam minùs timent ne quid præter leges patiantur à talibus viris, ſi imperantem putent eſſe Deorum timentem, & Numina curare; ac minùs inſidiantur tyranno, quippe & adjutores Deos habenti. Oportet autem ſine ſtultitia talem videri.* Non erat religioſi & probi viri tyrannum docere quî Religione abuti poſſet, ad ſubactos populos fallendos. Sic & ejuſdem Operis Lib. VII. cap. 9. Πρέπει δὲ τὴν θεράπειαν ἀποδιδόναι τοῖς Θεοῖς, καὶ τὴν ἀνάπαυσιν ἔχειν περὶ αὐτοὺς τοὺς διὰ τὸν χρόνον ἀπειρηκότας: *decet autem cultum exhibere Diis, & temporis ſpatio defeſſis quietem concedere, dum Deos curant.* Sic & paullò antea: ὑπὸ τῶν πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς Θεούς: *à civibus decet Deos honorari.* Quibus nihil eſt frigidius.

X. Sed *Ariſtoteles* conſentaneè ceteræ ſuæ doctrinæ ſe gerebat, nam Providentiam Divinam prorſus negabat curare quæ ſub Luna fierent, ut ait *Atticus* Platonicus, apud *Euſebium* Præp. Evang. Lib. XV. c. 5. „ *Ariſtoteles*, ait *Euſebius*, ad Lunam uſque Numine collocato, reli„ quas mundi partes ſubducit gubernationi Dei. Quapropter repre„ henditur à memorato *Attico*, ſic verba faciente; ut *Platonis* ſenten„ tiam de Providentia omnia complexa exponat & defendat, *Ariſto*„ *telis* verò humana Deo ſubtrahentem doctrinam oppugnet. Quæ apud *Euſebium* ipſum legentur. Certè apud *Ariſtotelem*, in Operibus quæ nobis ſuperſunt, perpauca de Deo occurrunt, eáque ambigua & obſcura, de Providentia verò Divina nihil; cùm de utróque hoc capite permulta paſſim legantur, apud *Platonem.* Rectè etiam *Atticus* contendit Deo detrahere curam rerum humanarum perinde eſſe, ac eum negare, aut è mundo tollere, ad nos quidem quod adtinet. Τί γὰρ διαφέρει πρὸς ἡμᾶς, ἢ τοῦ κόσμου τὸ Θεῖον ἐξοικίσασθαι, καὶ μηδεμίαν ἡμῖν πρὸς αὐτὸ κοινωνίαν ἀπολιπεῖν· ἢ ἐν κόσμῳ τοὺς Θεοὺς καθείρξαντα τῶν ἐπὶ γῆς πραγμάτων ἀποστῆσαι; *Quid enim intereſt noſtrâ, an mundo Deus expellatur, nulláque nobis ſit cum eo communio; an verò Dii in mundo ita includantur, ut ab iis quæ fiunt in terra amoveantur?* Eamdem hanc opinionem *Ariſtoteli* tribuit *Diogenes Laërtius* Lib. V, 32. & vulgò Chriſtiani Scriptores.

XI. Ea ſententiâ metum & cultum Dei reverâ tolli non falsò obſervavit idem *Atticus* antea memoratus. Exprobrat etiam *Ariſtoteli*, eodem *Euſebii* Libro, Cap. IX. obſcuritatem doctrinæ de Anima, & quidem meritò. Docuit tamen obſcurè *Ariſtoteles*, ut fatetur *Atticus*, quamvis omnis anima non ſit, ut putat, immortalis, τὸν νοῦν θεῖόν τε καὶ ἄφθαρτον εἶναι, *mentem divinam & immortalem eſſe* [1]. Intelligebat, ut videtur, mentem rationalem, à qua ψυχὴν ſeparabat, hoc eſt, inferiores facultates, ut vege-

1 *Vide de Anima Lib.* III. *c.* 5. *& de Gener. Animalium Lib.* II. *c.* 3.

vegetandi, ſentiendi &c. Rectáne hæc ſint omnia (quod non puto) minimè quæram, ſed immortalitatem Mentis agnoviſſe videtur. *Origenes* quidem in Φιλοσοφȣμένοις ait *Platonem animam immortalem eſſe voluiſſe*, *Ariſtotelem verò perſeverare, tum deinde in quinto corpore evaneſcere*: ὁ μὲν γὰρ Πλάτων ἀθάνατον, ὁ δὲ Ἀριςοτέλης ἐπιδιαμένειν, καὶ μετὰ ταῦτα ἐναφανίζεσθαι τῷ πεμπτῷ σώματι. Quibus verbis videtur μετεμψύχωσιν *Ariſtoteli* tribuere, quam an crediderit neſcio; & abſurdum eſt διαμονὴν mentis ad quintum corpus perducere; quidni enim diutiùs, imò & in æternum perſeverare potuit, cùm ne pulviſculus quidem arenæ pereat? Profertur etiam alius locus *Ariſtotelis*, Ethic. ad Nicomachum Lib. III. c. 9. ubi ſic loquitur, ut oſtendat à forti viro mortem poſſe timeri: Φοβερώτατον δ' ὁ θανατὸς, πέρας γὰρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ ὔτε ἀγαθὸν, ὔτε κακὸν εἶναι: *formidoloſiſſima verò mors*, *eſt enim* (vitæ) *terminus*, *nec mortuo videtur bonum quidquam aut malum eſſe.* Si hæc ex ſententia ſua dicat, nihil eſſe poſt mortem credidit; ſed poſſet fieri ut ex plerorumque fortium virorum ſententia loquatur. Prius tamen ſequitur *Andronicus* Rhodius, in Paraphraſi Lib. III. c. 7. ὁ θάνατος μὲν, inquit, δοκεῖ εἶναι τὸ ἔσχατον τῶν κακῶν, ὅτι πέρας ἐςὶ τοῦ βίȣ, καὶ οὐ δυνατὸν τῷ τεκνεῶτι ἢ ἀγαθὸν, ἢ κακὸν γενέσθαι: *Mors quidem videtur eſſe ultimum malorum*, *quia finis eſt vitæ*, *neque fieri poteſt ut mortuo bonum*, *aut malum contingat.* Sed pluribus inquirere in ſententiam *Ariſtotelis* nihil opus eſt. Hæc abundè oſtendunt, hominem non ſatis intellexiſſe quid vellet.

XII. Fatendum interim eum tanti momenti dogma, quale eſt immortalitas Animi, nec ſat clarè, nec ſat copioſè expoſuiſſe; contra quàm *Socrates* & *Plato* fecerant. Tacuit etiam de præmiis & pœnis, poſt mortem; nec qui negabat Providentiam Divinam, in rebus humanis, talia admiſiſſe videtur. Si enim Numen ſtatuatur non curare quid agant homines, in terris; non poteſt ſtatui bene, aut ſecus facta, præmio, aut pœnis, in altera vita, adficere. Quo poſito, Virtus omnis è medio tollitur.

XIII. Hinc colligere licet *Ariſtotelem* quidem rectè Deos Poëtarum rejeciſſe, ſed meliora multò non tradidiſſe in ceteris, omniáque denſis tenebris involviſſe. Quo modo factum eſt, ut everſis Poëticis Diis, viam patefecerit Chriſtianæ Religioni; nec ejus progreſſibus tenebricoſâ, mutiláque doctrinâ de Deo & moribus, multùm nocere potuerit. Evangelium quæ in ejus doctrina recta erant confirmavit, minùs recta emendavit, & quod deerat ſupplevit; Religionéque plebis everſâ, falſa & inania Peripateticorum decreta corruerent neceſſe fuit.

XIV. De ſummo bono ea cenſuit *Ariſtoteles*, ex quibus liquet non ſatis ei notum fuiſſe; quemadmodum jam oſtendimus Capite ſuperiore §. XVIII. ubi Platonicorum ſententiam, quæ eadem fuit cum Peripatetica, confutavimus. Nihil ergo opus eſt nos hîc Peripateticæ oppugnandæ immorari, cùm præſertim Peripatetici de altera vita nihil docerent; qua in re Platonicis inferiores erant, qui pœnas & præmia

poſt

poſt hanc mortalem vitam, ut ad virtutem homines adducerent memorare poterant & ſolebant. Ergo tota illa Peripatetica de Virtute doctrina planè inanis erat, cùm firmum nullum neque in hac, neque in altera vita, præmium ex ipſorum *Ariſtotelis* Diſcipulorum ſententia haberet. Quare iis qui Ariſtotelicis placitis imbuti fuerant, & ingenio pollebant, Chriſtianum dogma de vitæ futuræ felicitate gratiſſimum eſſe debuit; ſi modò Virtutis amantes eſſent, cujus jam certa præmia ſibi proponi videbant.

C A P U T IV.

De Stoïcorum decretis ad Religionem, Mores & Summum Bonum pertinentibus.

I. SCRIPSIT *Juſt. Lipſius*, in Opere *Manuductionis ad Philoſophiam Stoïcam*, & præſertim *de Phyſiologia Stoïcorum*, adcuratè de eorum dogmatibus, quæ ad Religionem referri poſſunt. Ipſum adibunt qui plura, hiſce de rebus, ſcire cupient. Nos pauca tantùm delibabimus, quæ ad rem noſtram faciunt, de Deo, déque animi immortalitate, aliáque nonnulla addemus.

II. PRINCIPIA omnium rerum Duo eſſe ſtatuebant, unum efficiens, hoc eſt, Deum; alterum patiens, hoc eſt, Materiam, ut oſtendit *Lipſius* Phyſiol. Lib. I. Diſſertatione 4. Nec eſſet quod in ea re carpere poſſemus, niſi materiam æternam, non minùs ac Deum, facerent, ut idem docet. Alioqui rectè cenſebant rerum Univerſitatem à Deo factam. Verùm de Deo minùs bene ſentiebant, quem ignem eſſe volebant, ita tamen ut ei ſimul intellectum tribuerent. *Poſidonius* [1] apud *Stobæum*: Θεός ἐςι πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες οὐκ ἔχον μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται καὶ συνομοιούμενον πᾶσι: *Deus eſt Spiritus intelligens & igneus, formam non habens, ſed ſe mutans in quæcumque vult, & omnibus adſimilans.* Objicit propterea iis *Origenes* in Celſum Lib. I. p. 17. inducere eos *Principium corruptioni obnoxium & corporeum*, ἀρχὴν φθαρτὴν καὶ σωματικὴν· καθ' ἣν, inquit, καὶ ὁ Θεὸς τοῖς Στωικοῖς ἔστι σῶμα, οὐκ αἰδουμένοις λέγειν αὐτὸν τρεπτὸν, καὶ δι' ὅλων ἀλλοιωτὸν καὶ μεταβλητὸν, καὶ ἁπαξαπλῶς δυνάμενον φθαρῆναι, εἰ ἔχει τὸν φθείροντα· εὐτυχοῦντα δὲ μὴ φθαρῆναι, παρὰ τὸ μηδὲν εἶναι τὸ φθεῖρον αὐτόν: *Secundùm quod Stoïcis etiam Deus eſt corpus, non verentibus dicere eum eſſe mutabilem, & per omnia alterationi obnoxium & mutationi, & prorſus eum poſſe corrumpi, ſi eſſet quod corrumperet, & felicitate quadam conſequi ne corrumpatur, quia nihil eſt quod eum corrumpat.* Quod & alibi repetit, ut Lib. VI. p. 325. Deus ſanè

[1] Eclogæ Phyſ. Lib. I. c. 1. è *Porphyrio* de ſtatuis, ut liquet è Cod. Vaticano.

ſanè, ſi ignis eſſet propriè dictus, exſtingui poſſet. Sic & alii [2] loquuti ſunt; ſed *divino igni*, quæcumque ei tribueretur ab iis natura, nonnulla adſignabant, quæ non conſiſtunt cùm natura ejus rei, quam vocamus *ignem*. Si quid intellexerint, hoc in loco, voce *ignis*; videntur tenuiſſimam neſcio quam materiam, cujus maxima eſſet vis & efficientia, voluiſſe. Non quærimus quàm rectè, ſed tantùm quàm hæc remota eſſent à ſententia vulgi, atque adeò Civitatum de Deo. Vide *Lipſium* Ib. Diſſ. VI. & VII. Quin & ipſum Mundum Deum eſſe dicebant, ſed propriè tamen ejus animam, quod à Platonicis ſumſerant. Vide *Diogenem Laërtium* Lib. VII, 137.

III. Iidem docebant Deum ſummum eſſe unum, bonum, beneficum, providum & qui curam gereret non tantùm univerſorum, ſed etiam ſingulorum; quod multis oſtendit *Lipſius* Diſſ. IX, X. & XI. Sed cum Providentia Fatum miſcebant, hoc eſt, neſcio quam ſeriem æternam eventuum à Deo conſtitutam & immutabilem, ut idem docet Diſſert. XII. cui tamen liberum hominum arbitrium ſubtrahebant, in iis certè quæ ad Virtutem & Vitium pertinent; quam in rem, multa habet idem Scriptor Diſſ. XIV. & XV. ſed quibus plura ex *Epicteti* Enchiridio & Diſſertationibus addi queant. Vide utrumque Opus, vel ab initio, ubi *de iis quæ ſunt in noſtra poteſtate*.

IV. Animos hominum deducebant ex Æthere, è ſtellis & ab ipſo Deo, cui interdum pares eos faciebant, ut probavit *Lipſius* ejuſdem Operis Lib. III. Diſſ. 8. Cùm hæc ardua ſit quæſtio, nec clarè loquerentur Stoïci, nec ſemper ſecum ipſi conſentirent, difficile eſt intellectu quid ſibi voluerint. Iidem mentem longævam, non æternam volunt; *ajunt animos manere, è corpore cùm exceſſerint, ſed non ſemper*, ut docet *Cicero*, Tuſcul. Diſput. Lib. I. c. 32; Quamvis, pro ſua μεγαληγορίᾳ, loquantur interdum quaſi æternos credidiſſent, quod videre licebit apud eumdem *Lipſium* ejuſdem Libri Diſſ. XI. Sæpe etiam, apud *M. Antoninum*, hoc invenias, animos hominum redire in elementa, cùm à corpore ſejunguntur. Vide Lib. III. 3. IV, 5. V, 13. VII, 32. & alibi paſſim.

V. Iidem fabulas de Diis poëticas ridebant, nec quæ de Inferis dicebantur pluris faciebant. *Seneca* unus hoc oſtendet. Sic Lib. VII, 2. de Beneficiis ait eam veram voluptatem eſſe, *ea perturbatione carere, quæ intolerabilis ex alto venit, ubi de Diis famæ* (id eſt, fabulæ) *creditum eſt, vitiiſque illos noſtris æſtimavimus*. Vide & de Vita Beata c. 25. Non meliùs loquitur de Inferis, ad Marciam c. XIX. *Cogita nullis defunctum malis adfici; illa, quæ nobis inferos terribiles facit, fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnes, nec tribunalia, nec reos ullos, in illa libertate tam laxa. Luſerunt iſta Poëtæ & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium*

2. Vide *Plutarchum* de placitis Philoſophorum Lib. I. c. 7.

omnium dolorum & ſolutio eſt & finis, ultra quam mala noſtra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua, antequàm naſceremur, jacuimus, reponit &c.

VI. Non auſi fuerant antiquiores Stoïci, ut *Zenon*, *Cleanthes* & *Chryſippus*, de fabulis poëticis, quaſi meris commentis ac mendaciis, loqui; ſed eas allegoricè erant de rebus naturalibus interpretati, ne *Homerum* & *Heſiodum* nimiùm contemnere viderentur; qua de re *Cicero* Lib. I. de Nat. Deorum, c. 14. & ſeqq. Ad id exemplum conſcriptus eſt [3] *Cornuti* Philoſophi, ut & *Salluſtii* de Natura Deorum Liber; quæ mera ſunt ægrotantium ſomnia & fabulis ipſis propemodùm deteriora. Rectè de iis judicavit *Cicero* ejuſdem Operis Lib. III c. 24. *Magnam*, inquit, *moleſtiam ſuſcepit & minimè neceſſariam primus Zeno, poſt Cleanthes, deinde Chryſippus, commenticiarum fabularum reddere rationem; vocabulorum, cur quique* (Dii) *ita adpellati ſint, cauſas explicare.* Sunt enim ridiculæ eorum conjecturæ, & violentæ, nec cum opinione Poëtarum, plebiſque conſentientes.

VII. Interim videmus eorum de Deo, déque animorum, poſt mortem, ſtatu opinionibus, everſas prorſùs fabulas, & populorum quæ iis nitebantur Religiones; quibus in rebus, Chriſtianis viam præiverunt, quicumque ceteroquin eſſet eorum à nobis diſſenſus. Illi verò Numina publicè à Republica agnita, non aliter ac Vulgus ſolebat, coluerunt, ut ceteri omnes Philoſophi; quòd ſibi timerent à plebe, aut quòd ſecum minimè conſentirent, quæ res ei ſectæ ſollemnis fuit, occaſionémque præbuit *Plutarcho* ſcribendi *de Repugnantiis Stoïcorum.* Alioqui de vero Dei cultu eximia interdum habent, & quibus meliora nemo dixerit, inter quæ hæc ſunt *Senecæ* Ep. XCV. *Primus eſt Deorum cultus, Deos credere; deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas; ſcire illos eſſe, qui præſident mundo, qui univerſa vi ſuâ temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. Ii nec dant malum, nec habent; ceterùm caſtigant quoſdam & coërcent & irrogant pœnas & aliquando ſpecie boni puniunt. Vis Deos propitiare? Bonus eſto. Satis illos coluit quiſquis imitatus eſt.* Idem de Beneficiis Lib. I. c. 6. *Nec in victimis quidem*, inquit, *licèt opimæ ſint* (non *optimæ*) *auróque præfulgeant, Deorum eſt honor, ſed piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni, etiam farre & fritillâ, religioſi ſunt; mali rurſus non effugient impietatem, quamvis aras ſanguine multo cruentaverint.* Vide collecta à viris doctis ad *Perſii* Sat. II, 69. & ſeqq. Hæc aliáque ſimilia pravam opinionem vulgi, Numen demereri ſacrificiis cupientis, funditus evertebant, & pro Chriſtianis faciebant.

VIII. De Ethica Stoïcorum nihil opus eſt ut dicamus, norunt omnes, nullum non virtutum genus ab iis exactum, & quidem ſummâ ſeveritate. Quod ſi quis ignoraret, vel ſolus *Seneca* rem in aperta luce collo-

3 *Editi ſunt hi libri inter* Opuſcula Mythologica *&c. quæ lucem videre Amſtelod.* 1688.

collocaret. Legantur vel quæ ſub *Ethicæ* titulo collegit *Dionyſ. Gothofredus*, in Locis Communibus è *Seneca*, qui ſunt in Ed. Genevenſi, & conſtabit nihil, aut perparum ab eo prætermiſſum eſſe, quod ad Virtutem faciat; quamvis in nonnullis copioſior, in aliis paullò jejunior ſit. Verùm tria ſunt, quæ obſtabant quominùs quæ rectè à Stoïcis dicebantur in auditorum animos, ut par erat, deſcenderent. Primum fuit quòd, cùm ſummum bonum in conſummata Virtute ſitum eſſe vellent, idque in hac vita quærerent; perinde erat, ac ſi dixiſſent neminem id eſſe conſequutum, aut umquam conſequuturum; cùm ad conſummatam illam Virtutem nemo perveniret, aut etiam perventurus eſſet. Alterum, quòd cùm non ſatis perſpicuè loquerentur, nec ſatis diſtinguerent *malum Phyſicum*, ſeu dolorem, ac triſtitiam, ab *Ethico*, hoc eſt, Vitio; negarent dolorem eſſe malum, potiùs verbis, quàm re ipsâ; & ludibrium propterea aliis Philoſophis, multóque magis plebi deberent. Tertium denique, quòd hominem ſapientem omni prorſus adfectu carere oportere dicerent; quod non magis fieri poteſt, quàm ſapientem non ſitire, non eſurire, non algere. Adfectus enim naturâ nobis inſunt, nec poſſunt, aut debent à nobis exui, ſed tantùm intra modum coërceri; quod ſi fiat, & nobis & aliis ſunt utiliſſimi. Nec ſanè ullus umquam mortalium iis caruit, ac proinde Stoïcus ille ſapiens, qui iis carebat, merum erat figmentum hominum non ſatis ex animi ſententia loquentium. Unde fiebat ut ab omnibus aliis riderentur, & præſertim ab Epicureis, ut vel ex *Luciano*, eos paſſim lacerante, conſtat.

IX. Sed & aliud accedebat; quòd, nempe, ſapienti ſuo quamcumque vitam hîc traduxiſſet, & quibuscumque tandem incommodis laboraſſet, dum Virtuti nuncium remittere non vult, nullam ſpem felicitatis poſt vitam relinquerent, aut brevem neſcio quam; in cujus deſcriptione fabulas potiùs ſequuntur, quàm ex dogmatibus à ſe poſitis ratiocinantur, ut quivis intelliget, qui non oſcitanter legerit Diſſert. 14. Libri III. Phyſiologiæ Stoïcorum Lipſianæ. Ideóque, ut homines adducant ad Virtutem, eam felicitatem commemorare non ſolent. Pulcritudinem Virtutis tantùm ſpectandam proponunt, ipſámque ſibimet, quaſi pulcherrimam mercedem, eſſe contendunt. Legendum hac de re [4] vel ſolum Paradoxum II. *Ciceronis*, quo oſtendit quî Virtus ſibimet ipſa ſatis ſit ad pariendam beatitudinem; ex ſententia Stoïcorum. Sed glorioſa hæc erant verba, quæ rebus ipſis & ſenſu confutabantur.

X. Hæc cùm ita ſint, mirum eſt inventos fuiſſe viros ingenioſos, qui ea doctrinæ Stoïcæ incommoda non cernerent, atque ex ejus placitis *ſecundùm naturam* vivere conarentur, imò etiam virtutibus ſuis omnibus admirationi eſſent & ſummis laudibus non immeritò ſint ornati. Ut Græcos omittam, quorum obſcurior fuit vita, nec ad poſteros pervenit,

4 *Vel ſolum Paradoxum* II.] Vide & *Senecam* de Vita Beata Lib. III. c. 16. Epiſt. LXXXV. & alibi paſſim.

nit, niſi partim; quis legere poteſt quæ de *M. Catone*, qui Uticenſis dictus eſt, déque *M. Bruto*, ejus genero, litteris mandata ſunt, nec eos vehementer admirari & amare? Quem non in admirationem rapiunt, quæ de *Thraſea Pæto*, déque *Helvidio Priſco* ſcripſere *Tacitus*, & alii? Verùm optimi illi viri videntur virtutes ſuas debuiſſe primùm indoli nativæ, quæ omnes eorum adfectus temperabat; deinde etiam præſtantiæ eorum, quæ de Virtute edocti erant, quæque, cùm animo perpetuò obverſaretur, eum amore ſui inflammarat; denique experientiæ ipſi quotidianæ, optimæ, ſi adtendamus, ad Virtutem Magiſtræ, ex qua intelligebant Humanæ Societati nihil eâ eſſe utilius, nihil amabilius, atque excellentius; quamvis nihil eſſet, poſt hanc mortalem vitam, exſpectandum. Hæc etiam fuiſſe in *M. Antonino*, qui ideò *Philoſophus* dictus eſt, cùm ex ejus opere τῶν εἰς ἑαυτόν, ſeu *de iis quæ ad ipſum pertinebant*, tum ex ejus vita ſatis liquet; quamquam nihil, poſt breve hoc ævum, præter reſolutionem ſui in elementa, præſtolabatur. Sed pauci fuerunt qui ejus indolis eſſent, ut ſine ulla ſpe Virtuti adhærere vellent, & multitudini etiam Virtutis doctores conſulere par eſt.

XI. Ex his colligere licet Stoïcorum dogmatum multiplicem uſum eſſe potuiſſe, in via ad Chriſtianiſmum munienda. Primùm enim deliria Vulgi, de Diis, viri, qui ſapientes habebantur, ridebant. Deinde Virtutem laudabant & colebant, quam in rem quidquid boni habebant etiam in Chriſtiana Religione inveniri poterat, idque purgatum à fuco illo ἀπαθείας, & præterea, quod non exigui momenti fuit ad animos commovendos, ſpe beatitatis poſt hanc vitam confirmatum. Ac ſanè ſine hac ſpe, quî Providentia, in adminiſtratione rerum humanarum, defendi queat, non videmus; quam tamen defenſam cupiebant Stoïci. Promiſcuè enim commoda vitæ in bonos & malos in hac Terra, conferuntur, & ſæpe etiam infelix eſt Virtus; ac proinde confugiendum eſt neceſſariò ad vitæ alterius ſpem, ſi à Numine Virtutem verè amari, Vitiúmque odio haberi velimus.

XII. Nec hominum naturali deſiderio ſatisfacere potuerunt Stoïci, dum felicitatem in ſola Virtute ſitam eſſe dixerunt. Finis enim bonorum iis fuit, ut loquitur *Cicero* de Finibus Bonorum Lib. II. c. 11. *conſentire naturæ; quod eſſe volebant è Virtute, hoc eſt, honeſtè vivere; quod ita interpretabantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quæ naturâ evenirent, eligente ea quæ eſſent ſecundùm naturam, rejicientéque contraria.* Reverâ ſi quæ felicitas in terris parari poſſet, vivendo ſecundùm naturam, hoc eſt, prout ipſa humanæ naturæ conſtitutio primæva poſtulat, compararetur. Sed hac vitæ ratione innumera mala vitari hîc in terris nequeunt; ut jactura omnium quæ grata, acceptáque ſunt hominibus, valetudinis, putà, propinquorum, amicorum, opum, honorum, famæ, voluptatum licitarum; quam jacturam nemo æquo animo perpetitur, aut ſine gravi dolore ferre poteſt. Stoïci quidem prædicabant ſapientem ſuum omnibus adfectibus eſſe vacuum, in una Virtute adquieſcere,

quieſcere, eáque ſola beatum fieri. Sed ſapientem illum merum eſſe figmentum rectè oſtendebant Epicurei, nec magis poſſe ferri quod docebant, dolorem non eſſe malum, ſummúmque bonum cum eo conſiſtere. *Cicero*, qui eos, animi causâ, interdum defendit, ut Lib. V. Tuſculanarum, eos etiam paſſim, ubi Epicureorum partes agit, egregiè confutat, & ipſa res eſt manifeſta. Non poterant ergo hominibus virtute præditis ſatisfacere, cùm ſe adverſis premi, aut doloribus uri, ſentirent, atque miſeros eſſe intelligerent, licèt linguâ rem diſſimularent. Neque alterius vitæ felicitate ſperatâ ſe ſe in calamitatibus ſuſtentare poterant, cùm animos interire dicerent. Itaque facilè Chriſtiani Philoſophiam ſuam naturæ conſentaneam, & ægros animos ſpe dulci ſolantem, Stoïcorum dogmatibus duris & naturæ re verâ contrariis, longè præferendam eſſe non difficulter rationibus evincebant.

CAPUT V.

De Epicureorum decretis, ad Religionem, Mores & Summum Bonum pertinentibus.

I. NON erit neceſſe ut multis agamus de Epicureorum decretis, cùm quia notiſſima ſunt, præſertim ex quo *Petrus Gaſſendus* eam Philoſophiam illuſtrare adgreſſus eſt, in *Syntagmate Philoſophiæ Epicuri*, ejúſque *Vita*, & in Notis ad Lib. X. *Diogenis Laërtii*; tum etiam quòd potiſſimus fructus, qui ex *Epicuri* Philoſophia, adversùs Ethnicos, capi queat, non tam ex iis quæ ſentiret ipſe decerpatur, quàm ex rejectione Religionis Ethnicæ, cujus abſurditatem non difficulter oſtendebat. Ad quæ tamen accedit etiam doctrina de moribus, quæ, quantacumque infamiâ laborarit, nihilo ſeciùs potiſſima veræ Ethicæ capita complectebatur; niſi quòd ſpe omni præmii, poſt hanc vitam, eſſet deſtituta.

II. EPICURUS quidem Deos eſſe dicebat, hoc eſt, naturas æternas ac beatas, multò hominibus excellentiores; ſed duo eis detrahebat, ſine quibus Numen nihil ad nos pertinet, nec à nobis coli poteſt; nimirum, creationem rerum, ſive è nihilo, ſive è materia quadam æterna, & curam, providentiámque omnem rerum humanarum, quas nec in hac, nec in altera vita (quæ *Epicuro* nulla fuit) umquam adtingebat. His Deo detractis, nullius eſt in rerum Natura usûs. Eo ſublato, omnia fient, quæ fiunt; nec poſito, rerum Univerſitas ulla in re mutabitur, ex *Epicuri* ſententia.

III. MULTA quidem aliorum Philoſophorum placita non incommodè confutabant Epicurei, ut liquet ex oratione *Velleii*, apud *Ciceronem*, de Natura Deorum Lib. I. c. 8. & ſeqq. Nec immeritò deliria

Vulgi ridebant, ut idem oſtendit. Sed ubi ipſe *Epicuri* dogmata exponit à Cap. XVII. non minùs delirare, quàm ceteri omnes, videtur, & rectè à *Cotta* Cap. XXI. & ſeqq. confutatur. Singula proferre ad rem, quam agimus, nihil pertinet. At bene, ante omnia, ita [1] Cotta Velleio: *Quid dubitas negare Deos eſſe? Non audes. Sapienter id quidem*; nimirum, metu populi. *Video*, inquit, *nonnullis videri Epicurum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reliquiſſe Deos, re ſuſtuliſſe.* Ex ſuis certè ipſius principiis Deum eſſe probare non poterat, cùm enim omnia fortuito concurſu Atomorum facta eſſe putaret, etiam ipſos animos; non erat quòd communem hominum ſententiam, quâ Deos eſſe putant, quaſi veram urgeret; caſu enim, cui nulla veritas ineſt, ea opinio in hominum animis nata erat. Caſu in eam opinionem inciderant &, ſi caſus tuliſſet, contraria omnia credere potuiſſent.

IV. [2] At *etiam*, inquiebant Epicurei, *de ſanctitate, de pietate adversùs Deos libros ſcripſit Epicurus*; in quibus ità loquebatur, ut Pontifices Pop. Romani meliora proferre non poſſent, aut religioſiora. Verùm tamen *non manibus, ut Xerxes, ſed rationibus Deorum immortalium templa & aras everterat. Quid enim eſt, cur Deos ab hominibus colendos dicas, cùm Dii non modò homines non colant, ſed nihil omnino curent, nihil agant?* Profectò nullum cultum iis debemus, qui nullo beneficio nos obſtrinxerunt, aut umquam obſtringent. Nec objicere poterat *eximiam quamdam, præſtantémque* Numinis *naturam, ut ea debeat ipſa per ſe, ad ſe colendum elicere ſapientem. An quidquam eximium eſſe poteſt*, ut rectè Cotta, *in ea natura, quæ ſuâ voluptatate lætans, nihil nec actura ſit umquam, neque agat, neque egerit? Quæ porrò pietas ei debetur, à quo nihil acceperis? Aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt? Eſt enim pietas juſtitia adversùm Deos &c.*

V. Conatur quidem *Gaſſendus* Epicurum ſuum defendere, ejus vitæ Lib. IV. c. 9. quaſi, poſitâ hominis ſententiâ, Deus etiam colendus eſſet, diſtinctione Theologicâ, cultûs *filialis*, ſine ſpe præmii, & cultûs *ſervilis*, qui ea ſpe nititur. Sed abutebatur otio ſuo vir ingenioſus, qui probè norat cultum ab omnibus populis Numini exhibitum, non fuiſſe meram admirationem, qualis fuiſſet Epicureus cultus, naturæ eximiæ; ſed veniæ ob delicta commiſſa in ipſum & homines petitiones, gratiarum actiones ob accepta beneficia, preces, quibus alia impetrare conabantur, animique ante omnia ſubmiſſionem, quâ ſe ſe à Numine per omnia pendere velle ſignificabant; quarum animi adfectionum ſymbola erant ſacrificia, ceteríque, qui adhibebantur, ritus. Hæc omnia tollebat Epicurus, ut ſolam admirationem iis ſubjiceret, eámque nullo fundamento nixam. Sed ita loquebatur, deteſtandæ invidiæ gratiâ, quæ etiam cauſa fuit cur ſacra faceret, quibus populo illudebat.

VI. Cicero Lib. I. de Finibus Bonorum, ſub perſona Torquati, ſenten-

1 *Cap. XXX. Ib.* 2 *Cap. XLI. Ib.*

ſententiam ejus exponit, ita ut ſummum bonum in voluptate ſitum eſſe velit, quam in duas partes dividit; quarum alteram *moventem* vocabat, quæ ſita eſt in motu jucundo ſenſuum, corporíſque voluptates omnes complectitur: alteram *ſtantem*, quæ potiùs indolentia & lætitia animi, ſe omni dolore carere gaudentis & memoriam præteritæ voluptatis revocantis, futurámque velut præcipientis. Multis eam ſententiam confutat *Cicero* Lib. II. ejusdem operis; contra quam hoc unum dicemus, hoc in loco, ex ea ſequi voluptatem quamvis eſſe licitam, ſi modò nec valetudini, nec rei familiari, nec famæ obſit; quæ pendent aut ex temperatione corporis, aut è divitiarum modo, aut ex opinione vulgi: cùm interim ſocietati humanæ ſummopere nocere poſſint voluptates, quæ in hæc minimè peccarent. Sunt, nempe, naturæ voluptates contrariæ ſummopere humanæ ſocietati noxiæ, quæ neque valetudinem, neque rem, neque famam, apud Gentes iis deditas, lædebant. Quod pluribus, propter rei turpitudinem non exponam. Quin & meretricii amores, ſi intra certum modum conſiſterent, tales haberi poterant, qui valetudini, ſine rei familiaris jactura & infamia ulla, conducerent; & tamen ſummopere ſocietati nocerent, quæ caſtitate continetur, ut omnes norunt & alibi oſtendemus. Propter talia turpia facta non tantùm non dolere, ſed gaudere, præterita libenter recolere, & futura etiam anticipare, ac ſummum bonum in iis, partim certè ſitum, eſſe velle; id verò turpiſſimum & ſtultiſſimum eſt. Quod Chriſtianis demonſtratu facile fuit, cùm præſertim aliarum Sectarum Philoſophos partim præeuntes haberent. Nos non fugit quidem quî *Pet. Gaſſendus* Epicuri ſui ſententiam interpretetur & defendat, Ethicæ Lib. I. c. 2. quaſi, nimirum, ille ſummum bonum in indolentia tantùm corporis & tranquillitate animi ſitum eſſe voluiſſet. Sed ea ipſa quæ habet contrarium docebunt, ſi paullò adtentiùs legantur, & Epicureæ doctrinæ indoles probè expendatur.

VII. PLURA non dicam, neque enim *Epicurum* confutare conſtitui; hæc ſatis erunt, ut liqueat Proceres Romanos, quorum multi cum Epicuro, iis de rebus, ſentiebant, & innumerabiles alios Epicureorum greges, per Italiam & Græciam, probè intellexiſſe omnem illum cultum, qui ubique in uſu fuit, ex ſententia *Epicuri*, tollendum; nec eum curaſſe, niſi dicis causâ, & propter plebeculam & antiquos populorum mores, qui non facilè mutari poterant. Hinc autem factum, ut Epicureis liceret ridere Religiones publicas, & quàm eſſent abſurdæ oſtendere; quod non tuliſſent qui rerum ſummæ præerant, ſi quâ ſuperſtitione laboraſſent. Videmus hoc vel è duobus Scriptoribus, quorum alter eſt *Cicero*, alter *Lucianus*; & quorum prior, dum Academicum agit, in libris de Natura Deorum & Divinatione, omnia dixit, quæ ad evertendam Religionem omnem dici poterant: poſterior verò, Epicureum agens, adunco naſo omnia quæ de Diis credebantur ſuſpendit. Poterant quidem aliæ Philoſophorum familiæ Epicuro, & Academicis multa

ta objicere, quibus ſolvendis pares non erant; ſed Religiones Vulgi defendere non poterant. Itáque dum inter ſe certabant & mutuis telis cadebant, nec eventum certaminis quiſquam curabat; in medium proceſſerunt Chriſtiani, qui *Epicuri* quidem probarunt argumenta, quibus ſuperſtitiones plebis evertebat; ſed his ſuffecerunt eam Religionem, in qua nihil erat, quod Epicurei jure carperent, eorúmque objectionibus facilè reſponderunt. *Epicuro* libertate conceſſa utebantur, in confutandis plebeiis Religionibus, ſimúlque, quod ille non potuerat, meliorem, adeóque Veritatem ipſam tradebant. Nec dubito quin hoc quoque progreſſus Chriſtianæ Religionis multùm auxerit.

VIII. Diu infamis fuit *Epicuri* Ethica, quaſi tota ad corporis voluptates ſpectaret, & omnibus vitiis viam aperiret. Sed jam olim *Seneca* calumniam vidit hanc eſſe, [3] *ſancta Epicurum & recta præcipere, &, ſi propiùs acceſſeris triſtia; Voluptatem enim illam* (quæ ei objiciebatur) *ad parvum & exile revocari, & quam Stoïci Virtuti legem dicebant, eam illum dixiſſe Voluptati; jubere illam parere naturæ; parum autem eſſe luxuriæ, quod naturæ ſatis eſt.* Subjicit paullò pòſt, *ſe non dicere quod plerique Stoïcorum*, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe; *ſed illud*, malè audit, infamis eſt, & immeritò; *nec hoc ſcire quemquam poſſe, niſi interiùs fuerit admiſſus.* Nec difficulter objecta *Epicuro*, de gula & libidine, diluit *Pet. Gaſſendus*, de ejus Vita Libb. VI. & VII. ſed rationibus quæ contra Philoſophos, potiùs quàm Chriſtianos, valent, ſi probè expendantur. In Syntagmate etiam Epicureæ Philoſophiæ, tota tertia pars eſt Ethica, quæ Peripateticâ, ſi in ſe ſpectetur, inferior non eſt.

IX. Hoc quoque incommodo laborat, quòd Voluptatem illam, in qua ſita felicitas eſt, ex ejus ſententia, indolentiam nempe, corporis, tranquillitatémque mentis, quærat in hac vita, ubi numquam plenæ eſſe poſſunt; quis enim diu omni dolore caret, tranquillitatéque animi hiſce in terris gaudet? Ita res hîc habent, ut neutrum diuturnum eſſe poſſit. Itaque meritò in eum dici poterant, quæ in ſapientem Stoïcorum; fruſtra homines, ex præceptis Epicuri, felicitatem venari, quam numquam eſſent inventuri. Quod ad alterius vitæ, ejúſque melioris cupiditatem homines paullatim deducere potuit, ſi rem expendiſſent. Sed ſine meditatione ulla, à Chriſtiana Religione tanti momenti dogma homines accepere.

3 *De Vita Beata*, c. XIII.

CAPUT VI.

De Academicorum Decretis ad Religionem, Mores & Summum Bonum quod adtinet.

I. NOs hîc ſubtiliùs varia Academicorum genera non diſtinguemus, quamvis ſoleant ſecerni; ut cùm alii docent, tum etiam *Sextus Empiricus* Pyrrhoniarum Hypotypos. Lib. I. c. 33. Ne eos quidem à Pyrrhoniis ſejungemus, licèt idem velit ſejunctos, quòd Academici recentiores quædam veriſimiliora aliis putarent, ſed nihil ceteroqui prorſus exploratum; Pyrrhonii verò ſeu Sceptici ne hoc quidem admitterent, ſed æquè veriſimiliter pro omnibus, & contra omnia dici poſſe opinarentur. Quod ſeriò & ex animo Pyrrhoniis adfirmatum ii demum crediderint, qui homines eos fuiſſe alterius cujuſdam generis, quàm alios, putarint; nam alii omnes evidentibus, quæ multa ſunt, neceſſariò adſentiuntur. *Academicos* ergo hîc vocabimus omnes, qui de dogmatibus aliorum Philoſophorum dubitabant, ſéque de ulla re quidquam, quaſi verum & exploratum, adfirmare poſſe negabant, quamvis aliis alia veriſimiliora viderentur.

II. Cum nihil ferè eſſet, quod in controverſiam non vocaſſent Philoſophi, & inter ſe acerrimè de pleriſque contenderent; Academici ſingulas ſectas inter ſe committebant, & quamlibet adverſariorum argumentis oppugnabant. Diſſimulare non poſſumus nullam per omnia verum adtigiſſe, & pleraſque omnes, quæ vera tuebantur, interdum tam malè defendiſſe; ut ἀπορηματικοὶ, hoc eſt, *dubitantes*, facilè eos in magnas anguſtias cogerent, ex quibus ſe ſe expedire non poterant. Nec in rebus exigui momenti hoc fiebat, ſed in iis quæ maximi ab omnibus meritò fiunt; nimirum, in iis quæ ad Religionem & mores pertinent. Exempla ejus rei habemus in Academicis *Ciceronis* Quæſtionibus aliiſque libris, in quibus quidvis, pro lubitu, defendit & oppugnat.

III. Cum tot ergo & tantæ eſſent diſſentiones ceterorum Philoſophorum, multi fuerunt Academici, aut Sceptici, cùm qui Philoſophos ſe profiterentur, tum etiam alii, quos ἀπορηματικοὺς, ſeu *dubitantes* vocare poſſumus, in omni hominum genere. Inter Philoſophos fuere *Plutarchus*, ut oſtendit *Joan. Rualdus* in ejus Vita Cap. X. ejúſque, ut creditur, ſororis filius *Sextus Empiricus*, qui ſolus è Scepticis Scriptoribus ad nos pervenit. Alii ſine [1] dubio multi fuerunt, & inter ceteros homines longè plures; qui vera à falſis, præſertim in rebus arduis, ſecernere non poterant, ac proinde de omnibus ſibi dubitandum eſſe putabant.

IV. Ante

1 *Vide* Plutarch. contra Coloten *T.* 2. *p.* 1123.

IV. Ante omnia dubitabant an Deus eſſet, cùm adfirmantium & negantium rationes expendebant, ut videmus in Libris *Ciceronis* de Natura Deorum; in quibus Cotta Academicus inducitur primùm *Epicurum* Deos verbo ponentem, re tollentem, deinde Balbum Stoïcum Numen defendentem confutans. Sic & *Sextus Empiricus* Lib. III. Pyrrhon. Hypotyp. c. 1. adgreditur oſtendere non eſſe cur Numen eſſe, aut non eſſe adfirmemus; &, quod mireris, utrúmque impium eſſe vult, & præſertim ſi Deus hominibus providere dicatur. Prolato enim argumento, contra Providentiam, è malo deducto, ſic ratiocinationes ſuas claudit: *Ergo & propterea incomprehenſibile eſt an ſit Deus. Ex hiſce autem colligimus, impietatis crimen fortaſſe effugere non poſſe eos, qui adſeveranter Deum eſſe aiunt. Omnibus enim quidem eum providere dicentes, malorum Deum cauſam eſſe adfirmabunt; quibusdam verò tantùm, aut nulli rei providere adſerentes, Numen vel invidum eſſe, vel infirmum dicere neceſſe habebunt. Hæc autem manifeſtò ſunt hominum impiorum.* Καὶ διὰ ταῦτα ἄρα ἀκατάληπτόν ἐςιν εἰ ἔςι Θεός. ἐκ δὲ τούτων ἐπιλογιζόμεθα ὅτι ἴσως ἀσεβεῖν ἀναγκάζονται οἱ διαβεβαιωτικῶς λέγοντες εἶναι Θεόν· πάντων μὲν γὰρ αὐτὸν προνοεῖν λέγοντες, κακῶν αἴτιον τὸν Θεὸν εἶναι Φήσȣσι· τινῶν δὲ ἢ καὶ μηδενὸς προνοεῖν αὐτὸν λέγοντες, ἤτοι βάσκανον τὸν Θεὸν, ἢ ἀσθενῆ λέγειν ἀναγκασθήσονται· ταῦτα δέ ἐςιν ἀσεβούντων προδήλως. Idem etiam, in Opere contra Mathematicos p. 310. & ſeqq. rationes profert eorum, qui Deum eſſe contendebant, & aliorum qui negabant.

V. Cum Academici & Sceptici docerent rationes, quæ ſuaderent nullum eſſe Numen, [2] non minùs firmas eſſe, quàm quæ iis contrariæ ſunt; attamen in vita communi dicebant eſſe Deos, eóſque coli oportere. Τῷ μὲν βίῳ κατακολȣθοῦντες, ἀδοξάςως Φαμὲν εἶναι Θεοὺς, καὶ σέβομεν Θεοὺς, καὶ προνοεῖν αὐτοὺς Φαμέν: *vitam ſequentes, ſine ulla opinatione, dicimus eſſe Deos, & colimus Deos & providere adfirmamus.* Verba ſunt *Sexti* initio Cap. I. Lib. III. Hypotyp. antequàm nullos eſſe Deos oſtendere incipiat. Contra Mathematicos p. 317. deſcribitur ab eo Scepticus *dicens eſſe Deos congruenter patriis moribus & legibus, & quidquid pertinet ad eorum cultum & pietatem faciens; quod autem ad philoſophicam quæſtionem adtinet, nihil agens præcipitanter:* κατὰ μὲν τὰ πάτρια ἔθη καὶ τȣ̀ς νόμους, λέγων εἶναι Θεοὺς, καὶ πᾶν τὸ εἰς τὴν τούτων θρηταείαν καὶ εὐσέβειαν συντεῖνον ποιῶν· τὸ δ' ὅσον ἐπὶ τῇ Φιλοσόφῳ ζητήσει μηδὲν προπετευόμενον. Sic & in ſuperiore loco inſimulat, hac in re, τὴν προπέτειαν τῶν Δογματικῶν, *præceps Dogmaticorum judicium.* Sed ſi præceps judicium in philoſophando, de re tam gravi, fugiendum fuit; majore, ut videtur, prudentia utendum erat, in actionibus ipſis ad Religionem pertinentibus; ne Numen perperam animo conciperetur, aut pravo cultu coleretur. Quod feciſſent quidem fortè Sceptici, ſi auſi fuiſſent.

VI. Verum & ante eum *Cicero* ſimiliter ſe geſſit. Nam Lib. I. de Divina-

2 *Vide* Empiricum *contra Mathemat.* p. 333.

Divinatione c. 4. egregia hæc habet: *Cùm in omnibus rebus temeritas in adſentiendo, errórque turpis eſt; tum in eo loco maximè, in quo judicandum eſt quantùm auſpiciis, rebúſque divinis religionique tribuamus. Eſt enim periculum, ne, aut neglectis iis, impiâ fraude; aut ſuſceptis, anili ſuperſtitione obligemur.* Idem tamen, in ipſo Religionis cultu, morem Majorum ſequendum eſſe docet, ſub perſona Cottæ Academici ejuſdémque Pontificis. *Ego verò eas* (religiones à Majoribus acceptas) *defendam ſemper, ſempérque defendi; nec me ex ea opinione, quam à Majoribus accepi, de cultu Deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti, aut indocti movebit. Sed cùm de Religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scævolam Pontifices Maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippum ſequor; habeóque C. Lælium augurem, eúmque ſapientem, quem potiùs audiam de Religione dicentem* &c. Quaſi unus idémque vir potuiſſet, cùm philoſopharetur, credere non eſſe cur Deos eſſe ſibi perſuaderi ſineret; cùm verò Sacerdotem ageret, rem veluti exploratam haberet. *Habes quid Cotta, quid Pontifex ſentiat* —— *A te Philoſopho,* inquit paullò pòſt, *rationem accipere debeo Religionis; Majoribus autem noſtris, etiam nullâ ratione redditâ, credere*; hoc eſt, cum populo ſacra facere, ſed ſentire cum ſapientibus.

VII. Quam hoc ſit, in ſe ſpectatum, abſurdum res ipſa clamat; ſed metus populi obſtabat, quominùs ex animi ſui ſententia ſe gererent. Atque, ut hoc obiter dicam, quod probè obſervandum, non ideò ſunt Chriſtiani ab Ethnicis occiſi, quòd aliter ſentirent, aut etiam loquerentur quàm Vulgus; omnibus enim Philoſophis hoc licuit, ut vidimus; ſed quòd à cultu Numinum abſtinerent, & alios deterrerent, ne publicè receptis cærimoniis adeſſent. Si voluiſſent ritus conſecratos obſervare, potuiſſent de Deo & Chriſto loqui, prout loquebantur, & ſuperſtitionem populi impunè ridere, ut Philoſophi ſolebant. Verùm ſapiebant, quòd Chriſto crederent, & per omnia parêrent, etiam ubi vitæ jactura facienda fuit, & ſecum ipſi prorſus conſentiebant, cùm à ſe ipſi diſſentirent, ut oſtendimus, Philoſophi.

VIII. Non opus eſt ut dicam Academicos, qui Deum eſſe probari non poſſe putabant, multò minùs crediđiſſe poſſe præmia aut pœnas poſt mortem, firmis rationibus, demonſtrari. Ridet *Sextus* quod de Inferis vulgò dicebatur, contra Mathematicos p. 320. τὰ ἐν ᾅδȣ μυθευόμενα, *fabulas de iis quæ ſunt in Inferis*; nec tamen ipſe quidquam melius adfert, nec ſolebant Sceptici, qui confutabant omnes alios, nullam ipſi ſententiam fovebant, niſi omnia incerta videri. Hiſce quamvis malum in finem inventis, poterant tamen Chriſtiani in rem ſuam rectè uti; everſis enim inanibus Ethnicorum opinionibus habuerunt, quod eos docerent, non fluctuantes, & dubios, ut faciebant Sceptici, relinquerent.

3 *A Chriſtianis*] Hæc bene confutantem lege *Origenem* Lib. V. contra *Celſum* p. 256. ubi oſtendit legem naturalem, ſi adverſetur civilibus, ſolam eſſe ſequendam, *etiam cum pe-*

rent. Ac ſanè priùs eliminandum fuit Mendacium, quàm Veritas intromitteretur.

IX. Verum hoc fuit omnium deterrimum in Scepticis, quod diſcrimen omne Virtutis & Vitii, Honeſti & Inhoneſti, everterent; commentáque eſſe hominum, in iis, ut in ceteris omnibus, diſſidentium putarent; quò ſpectat totus Liber X. *Sexti* contra Mathematicos, & pars magna Libri III. Hypotypoſεων. Vult nihil eſſe naturâ *bonum* & *malum*, Ethico, nimirum, ſenſu; nec ullam eſſe Ethicam diſciplinam, quæ quomodo vita ſit agenda certò doceat. Hinc ſequebatur Academicum, aut Scepticum, ubicúmque eſſet natus, patrias leges ſequuturum; apud Anthropophagos, carnes humanas comeſurum, apud Magos cum matre ſua, ſi ita videretur, concubiturum, omniáque, quæ nefanda putantur, apud cultiores gentes, facturum, nec eo ſeciùs ἀταραξία illa, quam ſectabatur ea ſecta, fruiturum. Hæc verò non ab Ethnicis minùs, quàm [3] à Chriſtianis, oppugnanda fuere. Ac ſanè ea tota ſecta fuit mendax & improba, nec ejus decreta cum Societate Humana ſtare poterant; quæ nititur Virtutis & Vitii certâ cognitione, diſcriminéque ab hominibus numquam tollendo.

X. Attamen periculum fuit ne, apud Ethnicos, homines ingenioſi, quibus, ut loquitur [4] *Cicero*, *non tam facilè in mentem venire ſolebat, quare verum ſit aliquid, quàm quare falſum*, in dubitationes inciderent, è quibus ſe ſe extricare non ita facilè poterant, & alios etiam in eadem incommoda pertraherent; facilius enim pleriſque multò eſt invenire quod objiciant aliis, quàm quod iis reſpondeant, cùm ipſi oppugnantur. Itaque oportuniſſimo tempore miſſa eſt ad Græcos & Romanos Revelatio Divina, quæ omnes illas dubitationes luce ſuâ diſcuteret, æternæque veritatis dogmata inter eos conſtitueret, nullis umquam objectionibus evertenda.

XI. Qui de omnibus dubitabant, eoſdem de fine bonorum dubitare neceſſe fuit, nec quidquam explorati adferre. Attamen Carneades *nihil bonum, niſi naturæ primis bonis, aut maximis frui, contra Stoïcos, diſſerebat*, ut docet *Cicero* Tuſculan. Diſputationum Lib. V. c. 3. quo tamen judice, *non tam, ut probaret, hæc proferebat; quàm ut Stoïcis, quibuſcum bellum gerebat, opponeret.* Quæ ejus verba leguntur Lib. de Finibus Bonorum II. c. 13. & vero ſunt conſentanea. Sceptici alioquin aiebant *finem eſſe adſensûs retentionem, quam ſequitur, umbræ in modum, animi tranquillitas*: τέλος εἶναι τὴν ἐποχὴν, ᾗ σκιᾶς τρόπον ἐπακολουθεῖ ἀταραξία; quæ ſunt verba *Timonis* & *Æneſidemi*, apud *Laërtium*, Lib. IX. §. 107. ad quem locum conſulendi Interpretes. Sed nemo quærit, ut nihil inveniat. Summum bonum non potuit eſſe cohibitio judicii, non enim philoſophabantur eo fine ut cohiberent judicium; ſed ut Veritatem invenirent, quod cùm, ut ajebant, poſſe fieri deſperarent; ideò

periculis, doloribus innumeris, mortibus, ignominiis, κἂν μετὰ κινδύνων καὶ μυρίων πόνων καὶ θανάτων, καὶ ἀδοξίας τοῦτο δέῃ ποιεῖν.

4 *De Nat. Deor. Lib. I. c.* 21.

ideò adſenſum retinebant. Falſum etiam fuit *ἀταραξίαν* poſſe ſequi dubitationem de omnibus rebus, cùm maxima potiùs anxietas ex ea naſceretur; quod cùm nihil inveniſſent, neſcirent annon quidpiam magni momenti eſſet, quod ignorarent. Ex certa inventione Veri, in quo adquieſcimus, naſcitur animi tranquillitas; non è deſperatione inveniendi, quæ animo Veri cupido ſatisfacere non poteſt. Sed hæc fuit, ut à non nemine verè dictum eſt, *hominum mendacium ſecta*, qui contra animi ſententiam loquebantur. Ipſa eorum de ſummo bono dubitatio, ſi quæ reverâ fuit, non reſtinxit cupiditatem ejus cognoſcendi, & cognito fruendi; ſed magis ac magis accendit, effecitque ut, quod à ſuis Græci & Romani accipere non potuerant, avidè à Barbaris, hoc eſt, à Chriſtianis à Judæis ortis audirent.

CAPUT VII.

Utilem quidem fuiſſe Philoſophiam, ſed ad certam & plenam Veritatis cognitionem deducere non potuiſſe.

I. NIHIL eſt cur multis hac de re agamus, cùm ex ante dictis facilè colligi queat quæ ſit noſtra ſententia. Nulla fuit ſecta philoſophica, quæ multis erroribus non laboraret; nec facile fuit, imò prorſus ſupra Vulgi captum, ſecernere ubique falſum à vero, verúmque undequaque decerptum colligere, in iis quæ ad Religionem & mores ſpectant; ac proinde non ſatis idonei magiſtri fuerunt Philoſophi, ut homines ab omnibus erroribus revocarent, aut alii ut Veritatem ipſi invenirent; unde ſequitur Revelatione Divina Humano Generi prorſus opus fuiſſe. Judaïca quidem ſe ſe ei offerebat, ſed cùm, ut in priore Sectione oſtendimus, populo uni data eſſet, nec omnibus ſatisfaceret; altera Revelatione tam Judæi, quàm Ethnici, indigebant, quæ in hujus vitæ tenebris, à nemine antea diſcuſſis, facem utriſque præferret.

II. ATTAMEN non diffitendum eſt, ut jam antea pluribus oſtendimus, multum uſum fuiſſe Philoſophiæ, in parandis animis, quamvis ab inſciis & imprudentibus Philoſophis res fieret, ad excipiendam Chriſtianam doctrinam; eo tempore, quo è cœlo demiſſa eſt. Quin & Patres nonnulli exiſtimarunt quod Lex Moſaïca fuit Judæis, id ipſum fuiſſe Philoſophiam, aut rectæ Rationis lumina Ethnicis; nec, ſine ſingulari Divina Providentia, ſapientiæ apud Græcos natum eſſe ſtudium.

III. JUSTINUS *Martyr* Apologiæ I. c. 61. poſtquàm dixit Chriſtum eſſe *Rationem* ſeu Λόγον, & univerſum hominum genus ejus eſſe particeps, ſubjicit: *Καὶ οἱ μὲν μετὰ Λόγου βιώσαντες Χριςιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς.*

ἐν

ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ἡλίας καὶ ἀλλοὶ πολλοί: Et qui quidem cum Ratione vixerunt Chriſtiani ſunt, quamvis Athei ſint crediti, quales inter Græcos quidem Socrates & Heraclitus & illis ſimiles; inter Barbaros verò, Abraham & Ananias & Azarias & Miſaël & Elias, & alii multi. Paullò pòſt: *Itáque qui & antea fuere & vixere ſine Ratione, mali & inimici Chriſto fuerunt, eorúmque qui cum Ratione vixerunt homicidæ; at qui cum Ratione vixerunt & vivunt Chriſtiani ſunt, ac ſine metu & turbis agunt. Ὥςε καὶ οἱ προγενόμενοι ἄνευ Λόγȣ βιώσαντες ἄχρηςοι καὶ ἐχθροὶ τῷ Χριςῷ ἦσαν καὶ Φονεῖς τῶν μετὰ Λόγȣ βιούντων· οἱ δὲ μετὰ Λόγȣ βιώσαντες καὶ βιοῦντες Χριςιανοὶ καὶ ἄφοβοι καὶ ἀτάραχοι ὑπάρχȣσι.* Qui *Chriſtianos* vocabat eos, qui conſentaneam Rationi vitam egerant & χρηστοὶ fuerant, is eos multùm potuiſſe conducere ad viam Chriſtianiſmo ſternendam, ſine dubio, putavit. Non quæro nunc an poſſint dici participes Λόγου, ſeu Divinitatis quæ in Chriſto fuit, qui convenienter *Rationi* vixerunt; ánve argutia captata ex homonymia vocum Χριςὸς & Χρηςὸς, quæ in pronunciatione vix ſecernebantur, multùm ad rem faciat. Satis eſt *Juſtinum* benignè de Philoſophis ſentientem audiſſe.

IV. IDEM propterea magni faciebat Philoſophiam, quam initio dialogi cum Tryphone vocat *præſtantiſſimam poſſeſſionem & Deo pretioſiſſimam, ad quem ſola nos adducit & cui nos commendat, veréque ſanctos* eſſe ait, *qui animum ad Philoſophiam adpulerunt. Ἔστι γὰρ τῷ ὄντι Φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα καὶ τιμιώτατον θεῷ, ᾧτε προσάγει καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη. καὶ ὅσιοι ὡς ἀληθῶς ȣ̃τοί εἰσιν, οἱ Φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες.* Quæ dixerat antequàm Chriſtianus eſſet, nec poſtea damnavit, niſi quatenus *ſoli* hæc Philoſophiæ tribuerat, ut ſatis ex ſuperioribus verbis intelligere eſt.

V. SED *Clemens* Alexandrinus multò plura & diſertiora hanc in rem dixit, ut [1] viri docti dudum obſervarunt. *Stromateo* VI. p. 646. *& ſeqq.* patrocinium Græcæ Philoſophiæ multis ſuſcipit, unde pauca tantùm verba depromemus. Prolatis verbis Petri Act. X. ubi Deus προσωπολήπτης eſſe negatur, ſubdit *Clemens: Οὐ χρόνῳ τοίνυν τὸ ἀπροσωπόληπτον τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐξ αἰῶνος, οὐδὲ μὴν ἤρξατό ποτε ἡ εὐεργεσία αὐτοῦ, ἀλλ' οὐδὲ περιορίζεται τόποις, ἢ ἀνθρώποις τισὶν, οὐδὲ γὰρ μερικὴ ἡ εὐποιΐα αὐτοῦ: quòd Deus perſonas non reſpiciat, non tempore factum eſt, ſed ab æternitate; neque profectò cœpit ejus beneficentia, neque circumſcribitur locis ullis, aut hominibus, non enim particulare eſt ejus benefaciendi ſtudium.* Tum addit varia fuiſſe docendi genera, quæ apud Græcos & Barbaros fuiſſent, & quibus utríque *ad juſtitiam deducti eſſent*; hoc eſt, ad eam ſanctitatem, quæ à Deo juſtitiæ loco habebatur; deinde, ἦν ἄρα, inquit, *εἴδησίς τις ἀμαυρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ παρὰ τοῖς ἔθνεσι: erat ergo obſcura quædam cognitio Dei, etiam inter gentes.*

VI. ERANT, apud Chriſtianos, qui dicerent *τὴν Φιλοσοφίαν ἐκ τοῦ διαβόλȣ*

1 *Vide* Iſaac. Caſaubonum *in* Baronium *Exerit.* I, 1. *&* Ric. Montacutium *Anal. Exercit. Eccleſ. Cap.* II.

διαβόλου ὁρμᾶσθαι, *Philoſophiam à Diabolo veniſſe*; quos refutat *Clemens* hac ratione, Diabolum ergo ſe transfiguraſſe in Angelum Lucis, ſpectandúmque non quis dicat ſed quid dicatur. Dein meritò addit ne nos quidem erraturos, ſi universè dicamus, quæcúmque ſunt neceſſaria & utilia vitæ divinitus ad nos veniſſe; quod certè de recta Ratione, rectiſque ab ea deductis, ex rerum contemplatione, conſectariis negari non poteſt, niſi ab Enthuſiaſtis. Sed verbis paullò vehementioribus addit τὴν φιλοσοφίαν καὶ μᾶλλον ἔθνεσιν οἷον διαθήκην οἰκείαν αὐτοῖς δεδόσθαι, ὑποβάθραν ἔσαν τῆς κατὰ Χριςὸν φιλοσοφίας: *philoſophiam, aut potiùs veluti fœdus datum fuiſſe Græcis, quod eſt fulcrum Philoſophiæ, quæ eſt ſecundùm Chriſtum.* Quæ ſi rectè intelligantur, non video cur damnari queant; Rationis enim lumina, ſi errores abſint, verè dici poſſunt *fœdus divinum*, hoc eſt, *lex* quædam naturalis, cui innititur Revelatio Evangelica, atque ex qua Evangelii veritas demonſtrari poteſt. Nec negat *Clemens*, ut Barbaræ Philoſophiæ, hoc eſt, Judaïcæ & Chriſtianæ zizania à poſteris ſunt admiſta, ſic & Græcæ fuiſſe; quæ ſi vellerentur, nihil niſi veri complecteretur.

VII. In primo Stromateo p. 318. & 319. multis probat *Clemens* Philoſophiam non ſolam, ſed quaſi adjutricem, conferre ad confirmationem Veritatis. *Quemadmodum*, inquit, *multi homines, qui navem trahunt, non dici poſſunt multæ cauſæ, ſed una quæ conſtat ex multis; non eſt enim unuſquiſque cauſa, cur navis trahatur, ſed cum aliis:* ἔτω καὶ ἡ φιλοσοφία, πρὸς κατάληψιν τῆς ἀληθείας, ζήτησις ἔσα τῆς ἀληθείας, συλλαμβάνεται, οὐκ αἰτία ἔσα καταλήψεως, σὺν δὲ τοῖς ἄλλοις αἰτία καὶ συνεργός: *ſic etiam philoſophia ad comprehenſionem Veritatis confert, cùm ſit inquiſitio Veritatis, non cauſa* (per ſe) *comprehenſionis, ſed cum aliis cauſa & adjutrix.* Quam in rem, plura habet, ubi quamvis verè contendat imperfectam fuiſſe Philoſophiam, nec niſi partim ad cognitionem Veritatis deducere, ſi perfecta Veritas & omnibus numeris abſoluta intelligatur, attamen putat *Philoſophiam per ſe aliquando juſtificaſſe Græcos* (hoc eſt, effeciſſe ut juſti apud Deum haberentur) *ſed non ad univerſam juſtitiam adduxiſſe, ad quam adjutrix eſſe deprehenditur, ſicut primus & ſecundus gradus ei qui adſcendit cœnaculum, & Grammatiſta ei qui eſt philoſophaturus:* Καθ᾽ ἑαυτὴν ἐδικαιοῦ ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, οὐκ εἰς τὴν καθόλε δὲ δικαιοσύνην, εἰς ἣν εὑρίσκεται συνεργὸς, καθάπερ καὶ ὁ πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος βαθμὸς τῷ εἰς τὸ ὑπερῷον ἀνιόντι, καὶ ὁ γραμματίςης τῷ φιλοσοφήσοντι. Unde liquet *juſtificationem*, quam Philoſophiæ tribuit, ejuſmodi eſſe; ut velit juſtos habitos Ethnicos, qui lumina Rationis à Deo acceptæ ſequerentur, pro eorum luminum modulo; at non ut eos, qui Evangelio poſtea revelato crediderunt & obſequuti ſunt. Ac ſanè æquitas Divina poſtulare videbatur, ut de iis, ex luminibus conceſſis, judicium ferret; neque conſummatiorem virtutem ab hominibus exigeret, quàm ea lumina ferebant. Nec putabat *Clemens* Deum iis impoſuiſſe perfectam quamdam ſanctitatem, adeò ut, niſi ſe per omnia convenienter luminibus ſuis ge-

gererent, veniam ab eo conſequi non poſſent; cùm nec à Judæis poſtea, nec à Chriſtianis legum iis datarum omnibus numeris abſolutam exegerit obſervationem.

VIII. Existimabat miſſos à Divina Providentia Philoſophos ad Ethnicos, quaſi inferioris cujuſdam generis Prophetas, ut errantes ad ſaniorem mentem revocarent. Lib. VI. p. 635. prolato loco è libro ſuppoſiticio (Κήρυγμα Πέτρȣ, *prædicatio Petri* dicebatur) ubi perſonatus Petrus docet colendum eſſe Deum, quem coluerunt Græci & Judæi, ſed non eodem modo; paullò pòſt hæc habet: *Quemadmodum Judæos ſervari volebat Deus, datis eis Prophetis: ita etiam Græcorum probatiſſimos, Prophetas futuros, ipſorum linguâ, excitatos, prout poterant Dei beneficium admittere, à vulgaribus hominibus ſecrevit:* καθάπερ Ἰȣδαίȣς σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεός, τοὺς προφήτας διδοὺς, ȣ̓́τως καὶ τῶν Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτȣς οἰκείȣς αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναςήσας, ὡς οἷοι τε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν. Nec ita multò pòſt: ὡς κατὰ καιρὸν ἥκει τὸ κήρυγμα νῦν, ȣ̓́τως κατὰ καιρὸν ἐδόθη νόμος μὲν καὶ προφῆται βαρβάροις, φιλοσοφία δὲ Ἕλλησι, τὰς ἀκοὰς ἐθίζȣσα πρὸς τὸ κήρυγμα: *ut prædicatio* (Evangelii) *nunc ſuo tempore venit; ſic ſuo tempore lex quidem & prophetæ barbaris, philoſophia verò data eſt Græcis, quæ aures eorum adſuetudine præpararet prædicationi Evangelii.* Quæ omnia nituntur hoc fundamento, homines Deo placere poſſe, ſi lumina ab eo ſibi conceſſa ſequantur, quantulacumque ſint; nec teneri legibus, quæ numquam ſibi innotuerunt; unde ſequitur lumina Naturæ fuiſſe Ethnicis, id quod Lex & Evangelium fuerunt Judæis & Chriſtianis, ac proinde eos damnatum iri, aut veniam conſequuturos, prout leges Naturæ violarint, aut obſervarint. Certè ſi, neglectis illis luminibus, facti ſunt Ethnici ἀναπολόγητοὶ, ut docet Paulus Rom. I, 20. quiſquis ſecundùm ea vitam inſtituerit, excuſari à Deo potuit. Abſurdum enim fuiſſet lumina Naturæ ad uſum vitæ revocata non potuiſſe quidquam, apud Deum, hominibus prodeſſe; non revocata exitio eſſe potuiſſe. Lex quæ non obſervata eum perdit, cui lata eſt, obſervata eumdem omnino ſervat. Si ex ejus obſervatione nulla Virtus naſcatur: è perfracta nullum ſequitur Vitium. Ubi enim Virtus eſſe nequit, nec Vitio ullus locus eſſe poteſt. Si quis probè expendat quæ habet de Ethnicis Paulus Rom. II, 11. & ſeqq. mira ei nequaquam videbuntur quæ diximus.

IX. Eo uſque proceſſit *Clemens*, amore Philoſophiæ, ut in ſententiam videatur conceſſiſſe eorum, qui, ut ait Lib. I. Strom. p. 309. crediderunt δυνάμεις τινὰς ὑποβεβηκυίας ἐμπνεῦσαι τὴν πᾶσαν φιλοσοφίαν, *potentias* (cœlo) *delapſas inſpiraſſe totam Philoſophiam.* Sic enim Lib. VII. p. 702. de Filio Dei: ȣ̓͂τός ἐςιν ὁ διδοὺς καὶ τοῖς Ἕλλησι τὴν φιλοσοφίαν διὰ τῶν ὑποδεεςέρων ἀγγέλων· [1] εἰσὶ γὰρ συνδιανενεμημένοι προςάξει θείᾳ τε καὶ ἀρ-

1 Εἰσὶ γὰρ &c.] Reſpicit *Clemens* ad Deut. XXXII, 8. ubi pro eo quod eſt in Codicibus noſtris: *cùm Gentibus agros incolendos divideret Excelſus, cùm filios Adami diſper-*

ἀρχαίᾳ ἄγγελοι κατὰ ἔθνη· ἀλλ᾽ ἡ μερὶς κυρίȣ ἡ δόξα τῶν πιςευόντων : Hic eſt qui dedit Græcis Philoſophiam, per inferiores Angelos; ſunt enim diviſi, divino & antiquo juſſu, per gentes; ſed pars Domini ſunt qui ſentiunt ut credentes. Tum probat eum curare omnes Gentes, quia ſi curare negaretur, id negaretur facere aut quia non poſſet, quod eſſet imbecillitatis; aut quia nollet, quod eſſet naturæ non bonæ; unde colligit Dei Filium eſſe omnium communem ſervatorem.

X. DENIQUE contendit *ſi Græca Philoſophia Veritatis magnitudinem non adſequitur, éſtque adhuc imbecilla, ad mandata Dei exſequenda; at omnium maximè regali* (hoc eſt, Chriſtianæ) *doctrinæ viam paraſſe, dum utcumque caſtigat & mores priùs format, & confirmat ad Veritatis admiſſionem eos, qui Providentiam eſſe opinantur.* Εἰ μὲν μὴ καταλαμβάνει ἡ Ἑλληνικὴ Φιλοσοφία τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας, ἔτι δὲ ἐξασθενεῖ πράττειν τὰς κυριακὰς ἐντολὰς, ἀλλ᾽ ȣ̓͂ν γε προκατασκευάζει τὴν ὁδὸν τῇ βασιλικωτάτῃ διδασκαλίᾳ, ἀμηγέπῃ σωφρονίζȣσα καὶ τὸ ἦθος προτυποῦσα καὶ προςύφȣσα εἰς παραδοχὴν τῆς ἀληθείας ([3] ἐκείνȣς, οἳ) τὴν πρόνοιαν δοξάζονται.

XI. HÆC videntur diſplicuiſſe *Iſaaco Caſaubono*, quia operum Dei contemplatio ad notitiam Chriſti, ſine quo nulla ſalus, Act. IV, 12. neminem umquam deduxit. At unde accepit Deum exegiſſe ab iis, quibus nunciatum numquam eſt Evangelium, cognitionem Chriſti? Ex *Auguſtino*, cui nos fidem habere nihil cogit, cùm ſit res iniquiſſima. Verùm ſine Chriſto nulla ſalus. Quid ſi Chriſtus apud Deum precibus ſuis egerit, ut iis ignoſceret, quibus Evangelium revelatum non fuerat; ſed qui, pro modulo cognitionis, rectè vixiſſent, annon hi quoque per Chriſtum ſervati ſunt? Nullum eſt *aliud nomen, per quod ſervati ſint*, quamvis ſervatorem ſuum non noverint. Non videmus certè Veteris Teſtamenti ſanctos viros ſciviſſe ſibi credendum eſſe Chriſto venturo, ut ſalutem æternam conſequerentur; nec minùs tamen eam conſequuti cenſentur. Digna lectu eſt, hac de re, Homilia XXXVI. *Chryſoſtomi* in Matthæum, p. 248. Edit. Etonenſis. Nec emendandus *Chryſoſtomus* ex *Auguſtino*, ut putabat *Caſaubonus*; ſed potiùs *Auguſtinus* ex *Chryſoſtomo*, Hipponenſi Epiſcopo multò doctiore. Poſſemus etiam dicere his vocibus, *nullum nomen ſub cœlo*, excludi homines, creaturáſque omnes, non Deum; qui non minùs hominum ſervator eſt, quàm Chriſtus, potéſtque miſericordiam ſuam exercere, prout ei videtur. Verùm hæc omittimus.

XII. QUÆCUMQUE bona ac laudabilia docerent Philoſophi, ſive de Deo, ſive de moribus, præmiiſque Virtutis & pœnis Vitii; incommodis tamen, erroribus & flagitiis, Capite I. memoratis, mederi non potuerunt. Cùm ipſi inter ſe, de maximis rebus, ſummopere diſſentirent

diſpertiretur, pro numero Iſraëlitarum, fines populorum conſtituit; habent LXX. Intt. *pro numero Angelorum Dei*, κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. De qua lectione ad eum locum egimus. Addit Moſes: *quia pars Jehovæ eſt populus ejus & Jacobus tractus ejus poſſeſſionis.* Unde collegerunt Patres Deum ipſum per ſe, aut per Filium, Iſraëlitas rexiſſe, cete-

tirent ac diſceptarent, quæ vera apud hos, aut illos docebantur, aut de quibus conſentiebant, involuta ac oppreſſa iis, de quibus diſſentiebant, in dubium revocabantur, nec æſtum animorum pacare poterant. Pudendis ſuperſtitionibus ubique plebis animi occæcati erant, turpiſſimáque Idololatria paſſim graſſabatur. Tantùm enim abeſt ut in cultu publico commenticiorum Deorum, & creaturarum, nefandiſque ac turpibus ritibus quidquam propterea mutatum eſſet; ut Philoſophi ipſi, inſtar plebis, ſacra ut plurimùm facerent. Fornicatio, &, quæ deterior fornicatione erat, Pæderaſtia, ſine pudore & metu, paſſim admittebantur; atque ubique infantes, qui parentibus oneri erant, exponebantur. Judæi hæc omnia Gentilibus impia & nefanda meritò exprobrare potuerunt, nec erat quod eis ab Ethnicis reponeretur. Non diffiteor, etſi hæc à Judæis emendabantur, maxima ex parte, Judæos ipſos ſatis negotii habuiſſe, ut ſe Ethnicorum objectionibus expedirent, quibus prorſus tollendis pares non erant. Hæc omnia à Deo, omnium hominum communi patre, & quem miſerebat, immeritarum licèt, creaturarum, melioris doctrinæ Magiſtrum & depravatorum Cenſorem expoſcebant.

XIII. Huc accedebat, quòd ii, quibus Humani Generis flagitia diſplicebant, aut qui verbis ea inſectabantur, melioribus non eſſent moribus, quàm ceteri; præter pauciſſimos quoſdam, qui verè & ex animo philoſophabantur. *Cicero* Quæſt. Tuſcul. Lib. II. c. 4. *Quotuſquiſque*, inquit, *Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo & vitâ conſtitutus, ut Ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tantâ levitate & jactatione, iis ut fuerit non didiciſſe melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinis ſervos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio* &c. Quæ verba cùm protuliſſet *Lactantius*, Inſtit. Divinarum Lib. III. c. 15. hæc addit è *Corn. Nepotis* ad Ciceronem Epiſtola: *Tantùm abeſt ut ego magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, quàm pleriſque, qui in ea diſputanda verſantur. Video enim magnam partem eorum, qui in Schola de pudore & continentia præcipiant argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.* Addit & hæc verba *Senecæ*, è libro Exhortationum, quæ intercidere: *Plerique Philoſophorum tales ſunt, diſerti in convicium ſuum; quos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium profeſſos putes; adeò redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa; quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.* Similia habet idem *Seneca* de Philoſophis Epiſt. CVIII. & libro

ceteros populos Angelis regendos permiſiſſe. Qua de re, vide *Dionyſ. Petavium* in Dogm. Theologicis T. III. de Angelis Lib. II. c. 8.

3 Deeſſe hæc videntur, in Ed. Pariſienſi, aut ſimile quidpiam.

libro de Vita Beata Cap. XIX. Hi Philoſophorum, hoc eſt, eorum qui quaſi Virtutis Magiſtros ſe gerebant, mores cùm eſſent; indigebat Humanum Genus aliis Magiſtris, qui, vitâ probâ, dictis ſapientibus pondus adderent; quos invenit in Chriſto & † Apoſtolis, qui ſanctiſſimam doctrinam inculpatis & ſine labe moribus honeſtarunt, ac morte etiam confirmarunt; ad quæ acceſſere ingentia miracula, ex quibus nihil humano conſilio ab iis geſtum, ſed mandatis divinis omnia dicta & facta, omnibus conſtare potuit.

SECTIO TERTIA.

RELIGIONIS CHRISTIANÆ DELINEATIO.

CAPUT I.

Sententia Chriſtianorum de Deo, Boniſque & Malis Angelis.

I. POSTQUAM de Religione Judaïca, deque Ethnicæ plebis ſuperſtitionibus, ac Philoſophorum de Religione decretis egimus; oſtendimúſque quid deeſſet Judaïcæ, & quibus erroribus Ethnici contaminati eſſent; ſequitur ut de Chriſtiana Theologia paucis verba faciamus & quantopere Judaïcam atque Ethnicam ſuperet demonſtremus; qua in re, eodem ordine, quo antea, ut faciliùs comparari poſſint, progrediemur. Hinc autem liquebit nihil eam complecti, quod cum rectæ Rationis notionibus, antiquioréque Revelatione, Judæis edita, per omnia, non conſentiat; ita ut eam ab eodem Deo, qui Rationis & Revelationis antea factæ auctor eſt, profectam eſſe quivis intelligat; quamvis multa habeat, quæ Rationem ſuperant & priorem Revelationem multùm prætergrediuntur. Chriſtiana autem doctrina hauritur, cùm è Sacris Judæorum Scriptis, quæ ſunt à Chriſto & Apoſtolis probata, quaſi divinitus ad homines miſſa; tum etiam ex Evangeliis, quibus dicta & facta Chriſti traduntur; ex Actis Apoſtolorum, quibus prima Evangelii per eos prædicatio continetur; Epiſtolis, quibus Eccleſias à ſe conditas in fide confirmarunt; ac tandem Apocalypſi, quâ non-

† *Apoſtolis*] Dignum etiam eſt obſervatu, apud Ethnicos, Magiſtram morum non fuiſſe Religionem, quæ tota ſita erat in ritibus, in cultu Deorum adhibendis; neque bene vivendi Doctores fuiſſe Sacerdotes. Philoſophia ſola morum diſciplinam complectebatur, cujus interpretes erant Philoſophi, qui & ipſi de ritibus nihil docebant. Quod rectè eſt à *Lactantio* Divin. Inſtit. Lib. IV. c. 3. animadverſum. *Deorum cultus*, inquit, *ut in priore libro docui, non habet ſapientiam, non modò quia divinum animal hominem terrenis, fragilibúſque ſubſternit; ſed quia nihil ibi diſſeritur, ad mores ex-*

nonnullæ caſtigantur, laudantur, ac docentur, & de futuris etiam præmonentur. De hiſce quidem Chriſtianorum libris hîc non agemus, quia de ſingulis in Apoſtolorum Hiſtoria dicemus; unde eos & eorum eſſe, quorum nomina præferunt, & divinæ auctoritatis liquebit. De Libris verò Judæorum, cùm Hiſtoriam Chriſtianam, non Judaïcam, ſcribamus, non eſt noſtri inſtituti ut quidquam hîc addamus.

II. Ut à Dei natura incipiamus, notum eſt ex Novo Teſtamento à Chriſto agnitum fuiſſe eumdem Deum, quem Judæi colebant, admiſsámque Revelationem à Moſe, ceteriſque Prophetis adlatam. Itaque docuit unum eſſe Deum, ſeu unam Naturam intelligentem & incorpoream; æternam; ubique præſentem; omnia futura, præſentia & præterita, etiam animorum arcana, ſcientem; cujus perfectiones nullo defectu finiuntur & propter infinitatem ſuam à Creaturis planè capi nequeunt; Quæ omnia, cùm inconſpicua, ut Angelos, ſeu Naturas intelligentes, humanâ præſtantiores, & Animos Hominum; tum conſpicua intelligentiâ deſtituta, ut corpora craſſiora & quævis alia tenuitate ſuâ ſenſus fugientia creavit; eorúmque proinde, jure creationis, domina eſt, & omnia ab ipſa accepta ab intelligentibus Creaturis grato animo agnoſci poſtulare, cultúmque ab iis exigere meritò poteſt; Quæ miracula, hoc eſt, effectus præter naturæ ordinem, hominúmque & corporum vires ſuperantes, ſæpe perfecit; omniáque quæ minimè repugnantia ſunt poteſt; Quæ Providentiâ ſuâ omnia conſervat & regit; Quæ non tantùm initio caret, ſed eſt etiamnum ac in omnem æternitatem futura eſt, ſine ulla mutatione, quâ ejus perfectiones aliquid amittant, aut adquirant; Quæ ſapientiâ ſuâ omnia adminiſtrat, prout ſuis perfectiſſimis adtributis conſentaneum eſt, facitque quod eſt optimum; Quæ denique præſtantiſſimarum illarum proprietatum æternâ poſſeſſione numeris omnibus abſoluta beatitate fruitur, nec umquam excidere poteſt.

III. Eæ ſunt perfectiones, quæ ad Naturam Divinam, in ſe ſpectatam, pertinent, ad quas accedunt eæ, quæ ad Creaturas intelligentes aliquo modo referuntur, & *Virtutes* dici ſolent; Sanctitas, nimirum, quâ omnia quæ ad Virtutem pertinent vult ac facit, nec quidquam vitioſum admittere poteſt, aut probare; Juſtitia, quâ Virtuti Creaturarum favet & præmia ſtatuit: Vitióque adverſatur, & pœnas, pro ejus gravitate, imponit; nec quidquam à Creaturis præter earum vires exigit, nec ab iis ſupplicia, niſi propter propria & quæ vitare potuerunt

excolendos, vitámque formandam; nec habet inquiſitionem aliquam veritatis, ſed tantummodò ritum colendi, qui non officio mentis, ſed miniſterio corporis conſtat. Et ideò non eſt illa Religio vera judicanda, quia nullis Juſtitiæ, Virtutiſque præceptis erudit, efficitque meliores —— *Philoſophia & Religio Deorum disjuncta ſunt, longéque diſcreta; ſiquidem alii ſunt profeſſores ſapientiæ, per quos utique ad Deos non aditur; alii Religionis antiſtites, per quos ſapere non diſcitur.* At apud Chriſtianos Religio eſt doctrina rectè vivendi, ejúſque & morum doctores iidem.

runt delicta, repetit; Conſtantia, aut Immutabilitas in conſiliis, quorum numquam eum pœnitet; Veracitas, quâ nihil niſi verum ſeu Ratione, ſeu Revelatione homines docet, iiſque promiſſa & minas, prout implent leges ab eo impoſitas, aut negligunt, tandem repræſentat, & propter quam ſibi fidem, per omnia, haberi jure poſtulat; [1] Bonitas, ſeu Beneficentia, quâ Creaturas, ſolo animo eis benefaciendi, eſſe voluit & innumerabilibus beneficiis adfecit atque adficiet, quâ denique fieri non poteſt, ut quidquam malè faciendi, ſeu nocendi ſtudio, faciat; Benevolentia erga homines, quibus non ſui, ſed ipſorum causâ, ſe ſe revelavit, ut imitatione ipſius Virtutum beati fierent; Manſuetudo & Longanimitas, quibus naturæ humanæ debilis & depravatæ rationem habet, nec ab hominibus, qui in eum deliquerunt, continuò pœnas repoſcit; Miſericordia denique, quâ eas remittit, ſi modò reſipiſcant. Quæ omnia ſummam Dei admirationem, nec minorem amorem in nobis parere apta nata ſunt, nec tamen ſunt niſi levis æternæ illius Majeſtatis, humano penicillo, facta adumbratio. Quid verò fieret, ſi eum *facie ad faciem* videremus?

IV. Hæc quidem & ſuperiora Dei adtributa è Veteris Teſtamenti Libris probari etiam poſſunt, ſed clariùs & copioſiùs in Novo expoſita ſunt, & latiùs etiam multò ex eo patere intelliguntur, ut ſequentia oſtendent. Sunt quidem nonnulla loca, in quibus more humano de Deo loquitur Scriptura; ut cùm nomine *Iræ* Juſtitia Divina deſcribitur, aut cùm *Triſtitia* ei tribuitur, ut ſignificetur judicium, quod fert de pravè factis, quæ ei diſplicent, aliáque ſimilia. Sed hæc, ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicta, θεοπρεπῶς intelligenda eſſe omnes & Judæi & Chriſtiani conſentiunt, locisque aliis Scripturæ perſpicuè demonſtrant. Locis autem Novi Teſtamenti hæc probare non adgrediemur, quia paſſim occurrunt & omnibus nota ſunt; aut certè ex Inſtitutionibus Theologicis à quibusvis peti poſſunt.

V. Deus, in beneficiorum ſuorum collatione, cùm nullis ſuis benefactis ea provocarint, aut promeruerint homines, planè liber fuit; ita ut nullo jure ab eo poſtulari potuerint, Rom. XI, 31. Beneficam ille naturam ſuam ſequutus eſt, plúſque, aut minùs dedit, prout ſapientiæ ejus

1 *Bonitas, ſeu Beneficentia* &c.] Plena eſt Scriptura Divinæ Bonitatis laudibus, & præſertim Pſalmi Davidici, ad extollendam Bonitatem Divinam, magna ex parte, ſcripti; nec Chriſtus quidquam magis à nobis poſtulat, in divina illa concione, quæ Matth. V. & ſeqq. exſtat, quàm ut eum imitemur, *qui facit ut ſol ſuus malis & bonis oriatur, pluitque juſtis & injuſtis.* Veteres Chriſtiani piè & acriter hanc Dei virtutem, contra Manichæos & Marcionitas, defenderunt; cùm illi non Deum tantùm unum bonum, ſed & malum alterum conſtituerent. At poſtea, neſcio quibus non ſatis claris notionibus adducti, rem, prout par erat, non inculcarunt Theologi. Si Scholas Theologicas ſcriberemus, octo in Bonitate Divina adtendenda eſſe oſtenderemus, quæ digna ſunt quæ altè in animos hominum deſcendant: 1. Deum non poſſe, malè faciendi & nocendi cupiditate, quidquam facere; quod bonitatem ejus exſtingueret, aut certè minueret: 2. reverâ benefacere, nam bonus fruſtra dicatur, qui, cùm prodeſſe poteſt, non prodeſt: 3. benefacere minimè provocatum

ejus viſum eſt & prout voluit. Inter innumera, quæ ſine dubio ſapientiæ ejus obverſabantur, hæc quæ fecit elegit, pro libertate ipſi inſita; quâ inter æquè bona & præſtantia conſilia quodvis, arbitratu ſuo, eligere potuit. Mala quidem certè, & quæ jure reprehendi poſſent, facere non poteſt Deus, quia liberum ei non eſt cum ſua præſtantiſſima natura pugnare; deſineret enim eſſe Deus, ſi minùs perfectus fieret; ſed in æquè naturæ ſuæ conſentaneis, quod ei libet eligere, ſine ulla perfectionum ſuarum labe, poteſt.

VI. [2] POTUIT ergo, ex Chriſtianorum ſententia, paucioribus, aut pluribus beneficiis varios terrarum orbis populos donare, nec eodem modo erga omnes, aut quovis tempore, ſe gerere; ſed non fuit προσωπολήπτης, ita ut in aliis probarit, quod in aliis improbabat. Itaque ſi eum invocarit Gentilis, ita animo adfectus, ut par fuit, eáque petiit quæ à Deo petere jus, fáſque eſt, non minùs eum exaudiebat, quàm Judæum; quod nobis liquet ex Act. X, 1. & ſeqq. ubi Cornelius Centurio qui, præter unius Dei cultum, Judaïcum nihil habebat, narratur Deo pietate & liberalitate erga pauperes ita acceptus fuiſſe; ut cùm eum oraret quotidie (fortè ut ſibi veritatem pleniùs patefaceret) ab Angelo ad ſe miſſo intellexerit eſſe Simonem quemdam, cui cognomen erat Petro, à quo quid facere eum oporteret accipere poterat, eúmque ad ſe accerſendum. Juſſus eſt etiam Petrus ad eum ire, auditáque re à Centurione exclamavit: *in veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus*, ℣. 34. Idem etiam Paulus docet Rom. II, 11. Epheſ. VI, 8, 9. Coloſ. III, 24, 25. & Petrus 1. Ep. I, 17. Quæ omnino conveniunt Deo, omnium hominum Creatori & Benefactori communi, contra quàm ſentiebant vulgò Judæi; qui nullas preces putabant Deo placere, præter ſuas. Qua in re, ut in aliis, pravè atque exiliter de Deo ſentiebant; quaſi omnes alios populos odiſſet, eò quòd non dederat eis Legem, quemadmodum Judæis. Ideò Chriſtus, quamvis jactarent ſibi ſolis notum eſſe Deum, apertè dixit, Matth. XI, 27. *neminem noſſe Patrem, niſi Filium, & cui voluerit Filius revelare*, ſæpéque Judæis exprobrat ignorationem Dei, ut Joan. I, 18. VI, 46. XVI, 3. XVII, 25. Ut nihil erat, quod reſponderent Judæi exprobrantibus Deum Univerſi perperam ab iis intra clauſtra

tum, quod liquet è creatione, conſilióque beandi creaturas, antequàm eſſent; imò verò beneficia conferre in eos, qui contraria omnia ſunt ab eo meriti, ut cùm delinquentibus benefacit: 4. creata à ſe conſervare, fovere, & innumeris bonis omnis generis cumulare: 5. nec bonis caducis contentum eſſe, ſed verè Deo digna, hoc eſt, immutabilia & æterna hominibus donare: 6. idque omnis generis hominibus, ſine diſcrimine populorum, quamvis variè bonitatem ſuam, pro ſumma ſua ſapientia, effundat: 7. ſemper eſſe bonum, etiam in ipſis pœnis de malis repetendis: 8. beneficum eſſe non ſuâ causâ, quaſi emolumentnm quodpiam hinc ad eum redeat; ſed tantùm in gratiam, & utilitatem creaturarum. Hæc amplam non exiguæ diſputationis materiam nobis præberent, ſed res non eſt hujus loci. Quædam huc facientia è Veteribus cùm Philoſophis, tum Patribus, habet *Dionyſ. Petavius* Dogm. Theol. T. I. de Deo Lib. VI. c. 3.

2 *Potuit ergo Deus* &c.] Vide Rom. XI, 33. Heb. I, 1.

tra unius gentis & regionis claudi; contrà Chriſtianis ſimile nihil objici potuit, eáque in re Judæis multò ſuperiores fuerunt.

VII. Præterea Chriſtus docuit, quod Judæi prorſus ignorabant, Deum eſſe ipſius Patrem, non ut ceterorum hominum, ne religioſiſſimis quidem exceptis, ſed ſingulari prorſus ratione, ob quam Dei *μονογενὴς*, *unigenitus* vocatur Joan. I, 14, 18. III, 16, 18. Heb. XI, 17. 1. Joan. IV, 9. Quæ adpellatio, ſive inde petatur quòd Chriſtus in Virgine Maria, peculiari planè divinæ potentiæ efficientiâ, genitus ſit, *quamobrem dictus eſt filius Dei*, ut docet Angelus Luc. I, 35. quódque ſit excitatus è mortuis, ut Act. XIII, 32, 33. & ſummæ rerum à Deo impoſitus, ut Heb. I, 4; ſive inde orta ſtatuatur, ut Theologi docent, quòd Divinitas *quæ in eo corporaliter habitavit*, æternâ quadam & ineffabili ratione ſit à Deo Patre genita; ea inquam, adpellatio Chriſtianæ Theologiæ propria eſt. Hæc enim ignota Judæis fuere, qui nec Chriſtum ſemet ipſum dicentem *filium Dei*, ut videmus Joan. X, 31. & ſeqq. pati potuere.

VIII. Christus etiam ea dixit de Spiritu Sancto, quæ antea Judæis inaudita erant; quamvis enim *Spiritûs Domini*, aut *Jehovæ* non infrequens ſit in Vetere Teſtamento mentio, nuſquam tamen ea de eo dicuntur, quæ legimus in his verbis Chriſti Joan. XIV, 29. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*; & XV, 27. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Vide & C. XVI, 7. Unde collegerunt Theologi hîc, aliiſque locis, ſingulare quidpiam ſignificari; útque Filius certo quodam modo ſed planè arcano, à Patre diſtinctus & *genitus* eſt: ita etiam Spiritum Sanctum, à Patre & Filio, ratione nobis ignotâ, *proceſſiſſe*, & diſtinctum eſſe. Atque hinc factum putant ut Baptiſmum, cærimoniam initiationis in Religionem Chriſtianam, eâ verborum formulâ conceperit Chriſtus, ut Chriſtiani in poſterum initiari *in nomen Patris, Filii & Spiritûs Sancti* dicerentur, Matth. XXVIII, 19. hoc eſt, fieri diſcipuli, & vocari *Patris, Filii & Spiritûs Sancti*; ac *Patris* quidem qui Judæis olim leges tulerat; *Filii*, qui in terris verſatus novas promulgarat; & *Spiritûs Sancti*, qui eas confirmarat & per Apoſtolos Chriſti, ejus nomine, ubique ſparſerat.

IX. Objiciunt hodie Judæi (nam olim, temporibus certè Apoſtolicis, quidquam ſimile factum non legimus) eâ Chriſtianorum doctrinâ tres Deos induci. Verùm hoc ſibi animi eſſe ſemper negarunt Chriſtiani, ut plures uno Deo agnoſcerent; ſed non ſemper & ab omnibus eadem viâ *unitas Dei* eſt defenſa. Fuerunt qui tres *Perſonas*,

3 *Nulla nova loquendi genera* &c.] Rectè *Hilarius* de Trinitate Lib. V. n. 21. Ed. Benedict. Pariſ. *Loquendum non aliter de Deo eſt, quàm ut ipſe, ad intelligentiam noſtram, de ſe loquutus eſt.* Idem Lib. VII. n. 38. *Non relictus eſt hominum eloquiis, de Dei rebus, alius præterquam Dei ſermo. Omnia reliqua & arcta & concluſa & impedita ſunt &*

nas, ut poſtea loquuti ſunt Chriſtiani, hoc eſt, tria Individua intelligentia, peculiari exſiſtentiâ diſtincta, in omnibus paria, eſſe dixerint *unum Deum*; quòd trium una, nec ullâ re diſpar Divinitas eſſet, ſummúſque per omnia conſenſus unam eorum auctoritatem faceret. Atque hi erant, qui tres perſonas ὁμοουσίους dicebant, quod *conſubſtantiales* Latini verterunt. Alii, qui tres perſonas divinas impares faciebant, Patrémque ſolum increatum ſtatuebant, *unitatem* in eo ſitam eſſe voluere, quòd Pater, qui fons & origo Divinitatis aliarum duarum *perſonarum* eſſet, unus nomen *Dei*, eximio quodam jure, ſibi vindicaret. Alii denique, in quibus ſunt omnes hodierni Chriſtiani, iidémque rectiùs ſentientes, docuerunt unicam eſſe numero naturam divinam, eámque tribus, qui *perſonæ* dicuntur, ſingulari prorſus ſenſu & cujus nullum in rebus creatis exemplum eſt, individuam. Itaque *unum Deum* dici, eodem ſenſu, quo Judæi utuntur; ſed hoc addendum, quod illi negant, eſſe in illa una ſubſtantia divina diſtinctionem, cujus occulta eſt ratio, quâ fit ut in ea diſtinguantur *Pater*, *Filius & Spiritus Sanctus*. Quâ ſententiâ ſtante, non eſt cur objiciant Judæi, nobis eſſe *tres Deos*; cùm omnes conſtanter unum eſſe Deum, hoc eſt, unam individuam ſubſtantiam divinam contendamus; quam neceſſe eſt, ſine diviſione ulla, tribus eſſe communem; quamvis ejus rei rationem ignoremus, quippe à Chriſto & Apoſtolis minimè revelatam, nec ullâ humanâ ratiocinatione umquam retegendam. Ita autem ſibi ſentiendum exiſtimant Chriſtiani, propter multa Novi Teſtamenti loca, è quibus hoc collegerunt Theologi, quæ apud eos quærenda non proferemus; hiſtoriam enim, non Scholas Theologicas, ſcribimus.

X. Quod ſi quis cupiat id quod ipſi ſentimus ſcire, ſine dubio cum omnibus hodie Chriſtianis unicam eſſe naturam, aut ſubſtantiam divinam cenſemus; quod dogma cum iis, quæ de *Patre*, *Filio & Spiritu Sancto*, in Novo Teſtamento, dicuntur, minimè pugnare credendum eſt; cùm nec conditores Chriſtianæ Religionis umquam erroris Judæorum ſententiam, de unitate Dei, inſimularint, neque ipſi in re tanta ſecum diſſentire, aut ſibi minùs conſtare potuerint. Hoc primum; alterum eſt, in re tam ardua, adeóque ſupra intellectum noſtrum poſita, temerarium eſſe ratiocinationibus indulgere. Omnia ſunt hîc tenebris circumfuſa, quæ nonniſi novâ revelatione diſcuti, ut putamus, poſſint. Ergo rem eſſe credendum eſt, quomodocumque ſe habeat, ſed modus non eſt inveſtigandus; & multò minùs conjecturæ incertæ aliis, ut eas admittant, pro auctoritate, imponendæ. Tertiò, multò melius futurum fuiſſe nobis videtur, ſi [3] nulla nova loquendi genera in Theologiam Chriſtianam intruſa fuiſſent, nec quaſi rectè ſentientium teſſera, à Chriſ-

& obſcura. Si quis aliis verbis demonſtrare hoc, quàm quibus à Deo dictum eſt, volet, aut ipſe non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit. Noli quærere an *Hilarius* ipſe ita ſe geſſerit; nam victores & victi, in Synodo Nicæna, vicibus ſibi ἄγραφα vocabula non immeritò exprobrarunt.

à Chriſtianis exacta. Qui ita ſe geſſere Chriſto & Apoſtolis, quaſi rem tantam non ſatis prudenter & commodè expreſſiſſent, contumelioſi fuere; iiſque quaſi ſapientiores ſe geſſerunt, qui eorum doctrinam, ſine inventione novorum verborum, rectè exponi, aut defendi poſſe non putarunt. Deinde, quod inconſultam definiendi temeritatem ſequi ſolet, in rebus obſcuris, verba illa nova innumeris diſſidiis cauſam præbuere olim, & etiamnum hodie præbent.

XI. Fatemur tamen voces illas optimè expreſſiſſe id quod ii volebant, qui primi eas invenerunt, & qui tres ſubſtantias divinas, aut pares, aut impares eſſe putabant, ut modò diximus; ſed ſunt ad hodiernam ſententiam, eámque, ut dixi, veriorem exprimendam incommodæ; quippe quæ, præter nativam & propriam ſignificationem, intelligendæ. Prima vox eſt ὑπόστασις, aut *perſona*; vox enim hæc Græca, ubi non *abſtractam*, ut loquuntur Philoſophi, *exſiſtentiam*, aut *ſubſiſtentiam* ſignificat, ſed ſubſtantiam ſuâ exſiſtentiâ præditam, propriè eſt id, quod *perſonam* vocant Metaphyſici, hoc eſt, *Individuum intelligens*; ut ſinguli homines ſunt ſingulæ *perſonæ*. Hoc ſenſu hæ voces ſumtæ apertè ſignificant tres eſſe ſubſtantias divinas, ſive æquales, ſive inæquales ſint, ſi dixerimus *tres eſſe perſonas divinas*; quod conſentaneum eſt Veterum ſententiis, ſed à noſtra prorſus alienum, qui unam eſſentiam agnoſcimus, in qua ſint tria diſtincta; verùm eo diſtinctionis genere, quod nobis ignotum eſt; nec ullo nomine incommodo proinde adpellandum, ſi fallere nolimus. Alterum genus loquendi, quo *Eſſentiæ Patris*, *Filii & Spiritûs Sancti*, aut, quod idem eſt, *Pater*, *Filius & Spiritus Sanctus*, *pares* & *æquales*, dicuntur, rectum eſt, ſi tres ſint eſſentiæ numero; incommodum, ſi una; nihil enim ſibi *par*, aut *ſimile* dicitur, ſi individuum ſit. Ταυτότης eſſentiæ propriè dicta, *identitate* numericâ, excludit omnem comparationem; res enim non comparatur cum ſe ipſa, ſed cum alia. Tertium loquendi genus, quo *ab eſſentia generatam eſſentiam*, *naturam à natura*, *Deum de Deo*, & ſimilia, quæ uſitata olim fuiſſe oſtendit *Dionyſ. Petavius* Dogm. Theolog. T. II. Lib. VI. c. 10. & ſeqq. aptè ſignificant trinitatem numericam eſſentiarum divinarum. Quartum, quo dicitur Filius ὁμοούσιος Patri, idem hoc ſignificat, nam una eadémque numero οὐσία, ſeu *ſubſtantia*, aut *eſſentia*, ſibimet ipſa dici non poteſt ὁμοούσιος, aut *conſubſtantialis*; nec ſanè Veteres eâ voce ſignificarunt quidquam aliud, quàm quod eſt particeps ejuſdem ſpeciei ſubſtantiæ, ut rectè oſtendit *Steph. Curcellæus*, in Diſſertatione de his vocibus, & nos pluribus [4] alibi. Quintum eſt, quo dicunt Veteres inter perſonas divinas mutuam eſſe ἐμπεριχώρησιν, *circuminſeſſionem*, hoc eſt, alias eſſe in aliis, Patrem in Filio, ac Spiritu Sancto & viciſſim; quod, licèt obſcurum, aliquo modo intelligitur, de

4 Art. Crit. P. 2. S. I. c. 14. & 15. & vitis Gallicis *Euſebii* Cæſarienſis & *Gregorii* Nazianzeni. Vide & *Rod. Cudworthum* Syſtematis Intellectualis Univerſi Cap. IV.

de mutua Perſonarum inter ſe, in omnibus, conſcientia. Sed nulla res individua ſemet ipſa dicta eſt à Veteribus ἐμπεριχωρεῖν, *circuminſidere*, aut à nobis dici aptè poteſt.

XII. Ex hiſce omnibus colligimus idem, quod antea ſtatuimus, ſatius multò eſſe, omiſſis omnibus loquutionibus poſtea inventis, eas ſolas adhibere, quæ in Novi Teſtamenti Libris inveniuntur, & quas ſolas quivis Chriſtianus, contra aliter ſentientes, tueri neceſſe habet. Nec tamen hîc damnatos volumus Theologos, qui incommodis loquutionibus utuntur, quarum ceteroqui genuinum ſenſum improbant, niſi imprudentiæ; modò ne eas ceteris, religioni iis uti ducentibus, neceſſariò imponant; quod non imprudentiam tantùm, ſed dominandi etiam alienæ conſcientiæ libidinem redolet; nec ferri poteſt ab iis, qui ſolos Apoſtolos & ſentiendi & loquendi, in rebus tam ſublimibus, magiſtros agnoſcunt.

XIII. Scio eſſe viros eruditos, qui in Vetere Teſtamento non obſcura veſtigia eorum, quæ apud Chriſtianos de S. Trinitate creduntur, videre ſe putant. Sed omnibus expenſis, nihil ſatis firmi, omiſsâ Novi Teſtamenti auctoritate, inde peti poſſe videtur. Certè Judæi numquam id dogma admiſerunt; & Chriſti quidem temporibus, ſimile nihil ſuſpicabantur. Quare præſtat ab infirmis argumentis abſtinere, quàm veritatem Judæis temerè irridendam exponere.

XIV. Verum Chriſtiani non modò crediderunt, collegerúntque, ex verbis Chriſti & Apoſtolorum, ita Naturam Divinam unam eſſe, ut tamen in ea Pater, Filius & Spiritus Sanctus diſtingui poſſint, quamvis ignota ſit & imperveſtigabilis ingenio humano diſtinctionis ratio; ſed etiam Filium, ſeu Divinam Naturam, quatenus Filius dicitur, cum humana Chriſti natura eſſe arctiſſimè conjunctum. Nititur hoc dogma his præſertim Joannis verbis, Evangelii Cap. I, 14. Λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Ratio* (nimirum, Dei, quo nomine Filius ſignari creditur) *caro facta eſt*; unde conjunctio illa duplicis naturæ in Chriſto ἐνσάρκωσις, *incarnatio* dici cœpit. Quâ conjunctione factum eſt ut Jeſus *Deus* diceretur, eique cultus, adtributa & opera divina, non aliter ac Patri tribuantur; ut docebunt Inſtitutionum Theologicarum Scriptores, quos quivis adire poſſunt. Verùm ut modum diſtinctionis Patris, Filii & Spiritûs Sancti non docent nos Apoſtolicæ Tabulæ; ſic nec rationem conjunctionis duarum in Chriſto naturarum oſtendunt. Hæc duo tantùm inter omnes conſtant, nec Divinæ Naturæ ac Humanæ factam eſſe miſtionem ullam, ex qua tertium quoddam ſubſtantiæ genus ortum ſit, quod fieri non poteſt; & conjunctionem illam uſque adeò arctam fuiſſe, ut Chriſtus, utriuſque particeps, unus tantùm habeatur, non duplex, aut geminus Chriſtus. Vocarunt ideò Theologi *unionem* illam ὑποστατικὴν, ſive *perſonalem*, quia μία ὑπόστασις *una perſona*, ut loquuntur, duæ naturæ factæ ſunt. Sed cùm nomen illud fuerit ignotum Apoſtolis, à quibus ſolis non tantùm res ipſas, ſed & rationem eas exprimendi nos accipere

 decet,

decet, cùm agatur de rebus arduis & quæ ex ſolis eorum verbis nobis innotuerunt; ſatius fuiſſet hîc quoque nominibus novis abſtinere, ob rationes antea memoratas, ubi de S. Trinitate egimus. Nec ſanè nova vocabula antevertere controverſias, ea de re, potuerunt. *Neſtorius* & *Eutyches* totam Eccleſiam Chriſtianam, aliquot poſt Chriſtum ſæculis, graviter concuſſerunt, diſſidiis ea de re excitatis; quæ verborum tamen, potiùs quàm rerum, fuiſſe, ſi res penitiùs introſpiciatur, videbuntur.

XV. Solent quidem Theologi rem explicare, exemplo hominis, qui conſtat duabus naturis, intelligente & corporeâ, ex quibus unus homo conflatur. Sed cùm multa ſint hìc diſſimilia, quæ urgeri, ut omnes fatentur, nequeunt; præſtat rem ſingularis prorſus exempli, & cujus ratio nos fugit, exprimere Apoſtolicis verbis & in iis adquieſcere, quàm diſſimili exemplo quod ignoramus illuſtratum ire. Ne Mentis quidem & Corporis in Homine conjunctionem explicare poſſumus, quamvis ejus rei effectus ſentiamus; quorum cognitione invitos etiam, quoniam ulteriùs progredi non poſſumus, contentos nos eſſe oportet. Sic multò potiore jure nos gerere par eſt, ubi agitur conjunctio duarum Chriſti Naturarum; cujus effectus & conſectaria videmus in verbis Apoſtolorum, rationem verò tantò minùs adſequi poſſumus, quàm conjunctionis Mentis & Corporis; quantò Divina Natura, in ſe ſpectata, à cognitione noſtra remotior eſt, quàm Mentis & Corporis.

XVI. Ceterum nihil eſt, quod Judæi huic doctrinæ Chriſtianorum objiciant; cùm hoc unum contendamus, tantam conjunctionem naturarum Chriſti factam eſſe, quanta eſſe potuit, inter Deum & Hominem, non majorem. Nec hoc commenti ſunt Chriſtiani poſteriorum ſæculorum, ſed ab Apoſtolis accepere; quibus, gravioribus de cauſis, fidem habent, quàm eæ ſunt, propter quas Moſi credunt Judæi; quod oſtendere non eſt hujus loci. Quis poſſit ſignare fines, intra quos Divinam Naturam cum Humana conjungi neceſſe ſit, cùm neutram ſatis noverimus? Aut quis poſſit rem negare, cujus perſpicuam notionem animo nullam formare queat? Satis eſt ex Revelatione quod docetur conſtare, cui nos ſine dubio fidem debemus.

XVII. Si Dei imperveſtigabilia conſilia conjecturis humanis rimari licet, dicemus tanti momenti fuiſſe, apud eum, Evangelii conſtitutionem; ut ejus auctorem non tantùm inſtar veterum Prophetarum Spiritu Sancto adflari oportuerit, ſed etiam ita cum Divina Natura conjungi; nullum ut ejuſmodi conjunctionis ſimile antea fuerit, nec poſtea futurum ſit exemplum. Cùm promulgaturus eſſet novas Leges, Moſaïcis multò præſtantiores, ritúſque omnes abrogaturus, ſingulari prorſus eum in terris poteſtate inſtructum eſſe oportuit, & quæ longè Prophetarum omnium auctoritatem ſuperaret; quod conſequutus eſt, illâ inhabitatione τοῦ Λόγου, de qua jam antea diximus, & quomodo etiam ſummo imperio in Cœlo & in Terra donatus eſt. Illâ eadem conjunctione, idoneus factus eſt qui Angelis ipſis imperaret, è cœlo, in quod adſcendit,

dit, terras regeret, atque illinc aliquando toti humano generi jus dicturus redire, improbos in ſuppliciorum locum amandare, bonos in beatitudinis ſedes intromittere poſſet. Quæ pluribus expoſita, apud Theologos, legi poſſunt.

XVIII. Appendicis hîc loco addenda pauca de Bonis, Maliſque Angelis. Docent ergo Chriſtiani ab initio, innocentes omnes à Deo eſſe creatos, ſed non perſtitiſſe omnes in nativa innocentia; multos enim in Deum peccaſſe, dum alii in obſequio, quem Creatori debent, manſerunt; malos ab eo tempore Dei conſiliis adverſari, homines ad impietatem & vitia omni arte, quamquàm inconſpicuâ, protrudere; interdum ſubire corpora hominum, eáque graviſſimè vexare, quod tempore Chriſti, in Judæa, frequenter contigiſſe ex Evangeliis conſtat; ſed eſſe jam à Deo æternis ſuppliciis damnatos, nec eas pœnas effugere poſſe, quamvis nondum patiantur: contrà bonos Angelos beatitudine frui, & fruituros in æternum, intereáque Dei miniſtros eſſe, & imperia ejus exſequi in cœlo ac in terris, ut pœnas de malis hominibus repetant, bonóſque tueantur, prout Divinæ Providentiæ videtur. Quarum quidem rerum veſtigia non dubia, in Veteris Teſtamenti libris, occurrunt; ſed multò clariora ſunt, in Novo, documenta.

XIX. Quod ſi quæratur cur Deus paſſus ſit ab initio rerum, homines à Cacodæmonibus, ſeu pravis Angelis tentari & ad delinquendum illecebris adduci; cùm jam ſint ſat multa, in rebus humanis, quæ Virtutis viam ingreſſis offendiculo ſunt, nec paucis hominibus perniciem creant, non eſt quod reſpondeamus hujuſmodi quæſtionibus, niſi I. nobis omnes rationes eorum, quæ apud homines fieri patitur Deus, non eſſe notas, nec poſſe ullo jure à nobis exigi, cùm innumera alia ſint nobis prorſùs ignota, nec eo ſeciùs certa; nec Revelationem Divinam nobis omnia aperuiſſe contendamus: II. Quia ſunt quædam ignota, & quorum rationem in rebus Theologicis, reddere non poſſumus; ideò de notis & quæ diſertè revelata ſunt, aut firmis ratiocinationibus nituntur, dubitare tamen nos non debere; cùm vel in Phyſicis innumera ſint, quæ ingenia Philoſophorum, ad hoc uſque tempus, torſerunt & fortè numquam in hiſce terris innoteſcent; quibus tamen ignoratis, non ſequitur nihil eſſe in rebus Phyſicis, hominum ſtudio & induſtriâ, inventum aut exploratum: III. Eò majorem eſſe bonorum Virtutem, qui non tantùm conſpicuis tentationibus, quibus à Religione avocantur, ſed & inconſpicuis adverſariis reſiſtunt: IV. Nec Deum eis quidquid videtur, apud homines, conficiendi poteſtatem concedere, nec homines inermes inter ejuſmodi hoſtes reliquiſſe; quibus facilè, ſanctitate vitæ & auxilio à Deo precibus impetrato, reſiſtunt.

XX. Sapientes etiam viri, non apud Judæos tantùm, ſed & apud Ethnicos, qui Cacodæmonas, non minùs ac Agathodæmonas memorant, ut vidimus Sect. II. C. II, §. 4. ſimilia iis quæ Chriſtiani

docent ſenſerunt. Sed cùm Ethnici aut ex conjecturis, aut ex incertis Majorum ſuorum opinionibus hiſce de rebus loquerentur; multa inania proſerebant, quæ probare negantibus numquam potuiſſent. Præterea non tantùm bonos, ſed & malos Genios colebant, quod [5] ipſi Philoſophi iis exprobrarunt. Contrà hiſce de rebus nihil Chriſtiani docent (aut certè docere debent) niſi quod Divinâ Revelatione nititur, & ab iis ſummopere abhorrent, ſolúmque Deum omnium Creatorum colunt. Itaque hoc in negotio nihil erat, quod Ethnici in dogmatibus, aut in cultu Chriſtianorum carpere poſſent; ſed erat quod ab iis diſcerent, & quod, magno cum ſuo fructu, dedocerentur.

CAPUT II.

Sententia Chriſtianorum de Homine & Legibus à Deo ei latis.

I. HOMINEM, prout habet Hiſtoria Moſaïca, creatum Chriſtiani credunt, atque à Deo Mente intelligente, ac inconſpicua, & Corpore conſpicuo, membriſque omnibus, ad ſui conſervationem aptis prædito, donatum eſſe docent. Quod & Ratio multis argumentis ſuadet, quorum unum tantùm hîc proferemus. Conſtat ſingulis omnium hominum vitis non tantùm finem, ſed etiam initium fuiſſe; ac proinde iis æternitatem, quæ ſine initio eſt, quocumque ſint numero,

5 *Ipſi Philoſophi*] *Porphyrius* apud *Euſebium* Præpar. Evangelicæ Lib. IV. c. 18. & ſeqq. c. 22. & ſeqq.

1 *Ita enim à Deo facti ſumus* &c.] His dudum ſcriptis, animadverti *Chalcidium*, eruditum Platonicum, in Comment. ad *Timæum Platonis* p. 256. Edit. *Meurſii*, ſimilia dixiſſe, quæ hîc adſcribam. Poſtquàm de Summo Bono varietatem opinionum memoravit: „ eſt, *inquit*, erroris „ cauſa multiplex. Prima, quam Stoïci „ *duplicem perverſionem* vocant. Hæc au„ tem naſcitur, tam ex rebus ipſis, quàm „ ex divulgatione famæ. Quippe mox na„ tis éque materno viſcere decidentibus „ provenit ortus cum aliquanto dolore, „ propterea quòd, ex calida atque humi„ da ſede, ad frigus & ſiccitatem aëris „ circumfuſi migrent. Adversùm quem „ dolorem, fotuſque (fortè *fletúſque*) pue„ rorum oppoſita eſt, Medicinæ loco, ar„ tificioſa obſtetricum proviſio, ut aquâ „ calidâ confoveantur recens nati, adhi„ beantúrque vices & ſimilitudo materni „ gremii, ex calefactione atque fotu, „ quo laxatum corpus tenerum delectatur „ & quieſcit. Ergo ex utroque ſenſu, tam „ doloris, quàm delectationis, opinio „ quædam naturalis exoritur; omne ſua„ ve ac delectabile bonum: contráque „ quod dolorem adferat malum eſſe ac „ vitandum. Par atque eadem habetur „ ſententia de indigentia (hoc eſt, *fame*) „ & ex ſaturatione, blanditiis & objurga„ tionibus, cùm ætatis fuerint auctioris; „ proptereáque confirmatâ eadem ætate, „ in anticipata ſententia permanent, omne „ etiam laborioſum, etiam ſi commodi„ tatem adferat malum exiſtimantes. (*Eſt reverâ* malum, *ſed quia* malum *minus præponi debet majori, & malum morale multò majus eſt phyſico, ideò phyſicum præſtat ferre, quàm morale; & ferretur, niſi conſuetudine factum eſſet, ut phyſico magis adficeremur.*) „ Conſequenter divitias, quòd præſen„ tiſſimum ſit in his inſtrumentum vo„ luptatis, eximiè diligunt, gloriámque, „ pro honore, amplexantur. Naturâ quip„ pe omnis homo laudis atque honoris eſt „ adpetens, eſt enim honor Virtutis teſ„ ti-

ro, confici non poſſe, Humanúmque adeò Genus non fuiſſe ab æterno. Quibus autem initium fuit, iis etiam cauſam fuiſſe neceſſe eſt; nam nihil, ex omnium Philoſophorum ſententia, per ſe incipit eſſe. Quod verò initium fecit Humano Generi Deus eſt; nemo enim, præter Deum, poteſt facere ut nova animalis ſpecies, quæ antea non erat, exſiſtat.

II. Innocentem quidem Deus, ut ſanctitatem ejus decebat, hominem fecerat; ſed mutabilem, quod ex eventu intelligere licuit; nam homo mox, violato divino interdicto ne fructum arboris ſcientiæ comederet, deliquit, prout narrat Moſes; quem hîc, ubi ſumma tantùm rerum capita ſequimur, non interpretamur. Nec Adamus dumtaxat & Eva, primi hominum omnium parentes, peccarunt, ſed & omnes poſtea homines ex iis prognati deliquerunt, quamvis non eodem delicti genere. Ideò mors, quæ eſt peccati pœna, non tantùm Adamo & Evæ inflicta eſt, ſed etiam iis, *qui*, ut loquitur Paulus Rom. V, 14. *non peccaverunt in ſimilitudinem prævarivationis Adami.* Unus totius Humani Generis numero eximendus eſt Jeſus-Chriſtus, qui immunis ab hac labe fuit; ut Mediator, pro Humano Genere, apud Deum eſſe poſſet. Ergo omnes homines divina miſericordia indiguerunt, ob divinum Numen offenſum, nec quidquam præmii, jure ſuo, exſpectare ab eo potuerunt.

III. Si quæratur quî fiat ut omnes homines peccent, non ægrè ſatisfiet ei quæſtioni, dummodò humana natura probè conſideretur. [1] Ita enim

,, timonium —— Talis error eſt, opi-
,, nor, qui ex rebus ortus hominum ani-
,, mos poſſidet. Ex divulgatione autem
,, ſuccedit errori ſupra dicto ex matrum
,, & nutricum votis de divitiis, gloriáque
,, & ceteris falsò putatis bonis inſuſurra-
,, tio; terriculis etiam, quibus tenera ætas
,, vehementiùs commovetur; nec non in
,, ſolitis & omnibus ejusmodi, perturba-
,, tio. Quinetiam corroboratarum men-
,, tium delinitrix Poëtica & cetera Scrip-
,, torum & Auctorum opera magnifica,
,, quantam animis rudibus invehunt juxta
,, voluptatem, laborémque & inclinatio-
,, nem favoris? Quid pictores quoque &
,, fictores? Nonne rapiunt animos ad ſua-
,, vitatem ab induſtria? Maxima verò vi-
,, tiorum excitatio eſt in corporis, atque
,, humorum animi concretione. Quorum
,, abundantiâ, vel indigentiâ, propenſio-
,, res ad libidinem aut iracundiam ſumus.
,, His accedunt vitæ ipſius agendæ, for-
,, tiſque diſcrimina, ægritudo, ſervitium,
,, inopia rerum neceſſariarum. Hæc *Chalcidius*, quæ vera eſſe ipſa res oſtendit, ſi ſine præjudiciis expendantur. Sic & *Origenes* contra *Celſum* Lib. III. p. 155. quamvis non diffiteatur homines priùs vitio infici, quàm virtutem ſequantur, ait Chriſtianos ſcire, *μίαν φύσιν πάσης λογικῆς ψυχῆς, καὶ μηδεμίαν φάσκοντας πονηρὰν ὑπὸ τοῦ κτίσαντος τὰ ὅλα δεδημιουργῆσθαι, γεγονέναι δὲ πολλοὺς κακοὺς παρὰ τὰς ἀνατροφὰς καὶ τὰς διαστροφὰς, καὶ τὰς περιηχήσεις, ὥστε καὶ φυσιωθῆναι ἔν τισι τὴν κακίαν: unam eſſe naturam omnis animæ rationalis, & dicere nullam malam à rerum omnium Creatore eſſe factam, multos verò malos evaſiſſe per educationem, aut depravationem* (aliorum) *aut ſermones qui circa eos inſonuerunt, ita ut in quibusdam malitia in naturam verſa ſit.* Nec dixeris *Origenem* damnatum poſtea fuiſſe, numquam enim eſt propterea damnatus. Fuit hæc perpetua Græcæ Eccleſiæ doctrina, quam pluribus tuetur *Chryſoſtomus* Homil. LIX. in Matth. Edit. Etonianæ T. II. p. 377. ubi multis oſtendit *eſſe peccatum non à natura, ſed à voluntate, οὐ τῆς φύσεως τὸ ἁμάρτημα, ἀλλὰ τῆς προαιρέσεως,* alioquin id non poſſe magis damnari, quàm na-

enim à Deo facti ſumus, ut abhorreamus à [2] *dolore*, *voluptatém*que amemus; nec ullum eſt, ea in re, vitium. Sed cùm naſcantur homines omnium rerum ignari, nec ad uſum Rationis illico perveniant, ſed ſenſim & longo tempore, ſi præſertim de uſu quodam eximio Rationis, in re dubia, agatur; dum imprudentes voluptatem interea ſequuntur, & dolorem fugiunt, hæc ſola ſpectare adſueſiunt; etiam antequàm quid *malum*, hoc eſt, à Deo vetitum, quid *bonum*, hoc eſt, à Deo præceptum ſcire queant. Ea autem conſuetudo uſque adeò confirmata eſt in hominibus, cùm primùm ea ſecernere & intelligere incipiunt, ut majorem voluptatis & doloris rationem habeant, quàm præceptorum divinorum; quæ ſeriùs eis innoteſcunt, nec uſque adeò eos adficiunt. [3] Ex fuga *doloris* & inquiſitione *voluptatis*, naſcuntur omnes hominum adfectus, qui per ſe quidem mali non ſunt; ſi intra modum à Ratione contineantur; ſed mali fiunt, quando vehementiâ ſuâ obſtant ne divinis Legibus, ob præſentem voluptatem, vel inſtantis doloris metum, pareamus. Adfectus autem quàm primùm ſe ſe exſerunt, viréſque contrahunt, antequàm iis modum imponendum eſſe, & quî hoc fieri queat, ſcire poſſimus; quod in infantibus quibusvis, & mox puerulis animadvertere licet. Sed multò acriores, procedente ætate, evadunt; nóſque tandem, nî optima educatio obſtet, aut Divina Providentia aliter impediat, planè ſibi ſubjiciunt, & in ſervitutem redigunt.

IV. Hinc factum ut omnis Adami progenies duplici labe laborare dici poſſit. Infantes & pueri, antequàm *malum* à *bono* ſecernere queant, jam habent omnia, quæ ad peccandum homines poſtea adducunt; ſed præ ignorantia Legum divinarum, ita *peccare* nequeunt, ut *peccati* propriè dicti, hoc eſt, violationis voluntariæ jam patefactæ Legis Divinæ, pœnas propriè dictas luere poſſint. Ubi enim nulla eſt Legum cognitio, nec poteſt eſſe, præ ætate, ibi negatur meritò eſſe peccatum, quod quidem pœnâ ulciſci poſſit æquus Legiſlator; ideóque pueruli ubique, quidquid fecerint, ſupplicio eximuntur; quod paterentur adulti, ſi quid ſimile admiſiſſent, cui Leges pœnas ſtatuunt. Attamen infantes moriuntur, lege naturæ, vel naſcendi ipsâ conditione; quia ab hominibus mortalibus naſcuntur, non ut pœnas ullas ſui, aut alieni peccati ſolvant.

V. Adultiores verò labi puerili, & nativæ quæ, ſi verum amamus, non peccatum, ſed imperfectio tantùm modò naturæ dici debet, addunt prava facta; quibus augetur, ſimúlque adfectus confirmantur, ac

naturæ vitia, ut brevitatem ſtaturæ & ſimilia. Cujus opinionis causâ, numquam eſt *Chryſoſtomus* damnatus; uti nec *Iſidorus* Peluſiota, qui paſſim ſimilia habet. Vide Lib. I. Ep. 79. 164. Lib. III. Ep. 363. Lib. IV. Ep. 205.

2 *Dolor* hîc non ſignificat tantùm moleſtum corporis malè habentis ſenſum, ſed etiam *triſtitiam*; nec *voluptas* gratum dumtaxat ſenſum, ſed etiam *lætitiam*, aut ſtatûs boni, in quo ſumus, conſcientiam.

3 *Ex fuga doloris*] Optimè rem expreſſit *Cicero* Tuſcul. Lib. III. c. 11. ubi perturbationes quatuor bifariam diſtributas eſſe docet: *Duæ ſunt*, inquit, *ex opinione boni, quarum altera voluptas geſtiens, id eſt, præter*

ac incenduntur; quæ facta quò ſunt frequentiora eò majores peccandi habitus pariunt, qui difficiliùs multò, nec, niſi longo tempore, contrariis factis ſæpiùs repetitis vincuntur ac debellantur; potiſſimùm dum pravis habitibus favent mala aliorum exempla, quorum vim maximam, præſertim apud malè adfectos, omnes norunt. Atque hinc fit ut pauciores multò ſint boni, quàm mali. Quòd ſi Deus, neglecto Humano Genere, huic torrenti aggeres nullos oppoſuiſſet, jam ſuis vitiis confectam humanam vitam in ferinam mutaſſet; quod factum videmus in Gentibus aliquot barbaris Africæ præſertim & Americæ, quæ jus nullum habent, niſi quod vis & arma præbent; & eò feritatis prolapſæ ſunt, ut humanis carnibus, quaſi pecudum, veſci religioni non ducant, ceteráque omnia faciant quæ libido legibus ſoluta ſuadet; nec Numinis ſcelerum ultoris, & rectè factorum remuneratoris ullam ſibi cognitionem reliquam fecerunt.

VI. Sed Deus, Humani Generis miſertus, rem apud omnes Gentes eò adduci minimè paſſus eſt, duóque oppoſuit gliſcenti depravationi, quibus apud pleroſque populos coërcita eſt. Sunt autem duo hæc ex ipſa natura humana petita, ut eadem ex qua, prout diximus, vitia pullularant, ſuppeditarit etiam ſubſidia, quibus reſecarentur. Quorum causâ, non eſt cur minùs gratias Summo Numini debeant homines, quàm ſi præter ordinem naturæ eſſent iis ſubmiſſa; cùm non minùs auctor ſit naturæ Deus, eorúmque quæ in illa laudabilia ſunt, quàm eorum, quæ præter naturam aut ipſe per ſe, aut per inconſpicuos miniſtros operatur. Sunt autem ea, quæ diximus, cùm cognitio menti inſita, aut, ſi malumus, facultas innata, quæ ſe ſe exſerit, quàm primùm ei objiciuntur, quæ ad eam excitandam apta nata ſunt; tum etiam ipſa humanæ naturæ & ſocietatis conſtitutio, cum experientia vitæ conjuncta; quibus facultatis, quam dixi, judicia de bono & malo, utili & noxio confirmantur. Utroque hoc ſubſidio Ratio hominibus à Deo data utitur, cùm ad notiones Virtutis & Vitii formandas, tum ad Leges conſtituendas, quibus Virtus colatur, Vitiúmque coërceatur, ſi prorſus exſtirpari nequeat.

VII. 1. Primum ergo ita ſunt homines à Deo creati, ut *Verum* ament, *Mendacium* averſentur; nam quemadmodum *nemo ſponte infelix eſt, neque invitus felix*, ut fert vetus ſenarius: [4] Οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, ὐδ' ἄκων μάκαρ: ſic nemo ſponte & volens fallitur, aut invitus Veritatem ſectatur. Nemo falli cupit, nemo non verum ſcire vult. Prius vituperan-

ter modum elata lætitia, opinione præſentis magni alicujus boni: altera cupiditas, quæ rectè vel libido dici poteſt; quæ eſt immoderata adpetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans. Ergo hæc duo genera voluptas geſtiens & libido bonorum opinione turbantur: ut duo reliqua, metus & ægritudo, malorum. Nam & metus opinio magni mali impendentis; & ægritudo eſt opinio magni mali præſentis, & quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur eſſe angi. Vide & ſequentia.

4 *Apud* Ariſtotelem, *Lib. III. ad Nicomachum c.* 7.

randum & fugiendum, poſterius laude dignum & optandum omnes, apud animum ſuum, ſciſcunt. Jam ergo hoc habemus, nullam eſſe tantam barbariem, quæ non laudet Veritatem, vituperet Mendacium; ac proinde *malum* ac *turpe* eſſe alios fallere, *bonum* & *laudabile* Veritatem eos docere non putet. 2. Quo poſito, hoc quoque homines, facultate à Deo iis inſitâ, agnoſcunt, melius eſſe *prodeſſe*, quàm *nocere*, priúſque illud laudant, poſterius vituperant; niſi fortè violento adfectu præpediantur, qui obſtat ne naturalibus notionibus auſcultent. Sed ſtatim ac elanguit, aut ſublata eſt ea animi perturbatio, utrumque agnoſcunt, optántque alios eodem modo eſſe adfectos; quod ut conſequantur, prodeſſe, potiùs quàm nocere, conantur. 3. Dum ita ſe homines gerunt, animadvertunt longè beatiores eſſe eos, qui ſibi ipſi proſpicere poſſunt, quòd norint quibus rebus ſibi opus ſit, eáſque comparare & comparatas ſervare queant, quàm eos qui aliorum auxilio indigent. Opus eſt autem eam in rem cognitione quadam animi, & corporis viribus, quibus omnia neceſſaria excogitari & adminiſtrari queant. Qui eam cognitionem & vires adquirunt, aut conſervant, *prudentes* & *ſapientes* ab omnibus judicantur, & pro meritis extolluntur. Contrà ſi negligentiâ ſuâ amittant, aut inutiles ſibi eſſe ſinant, *imprudentes*, & *inertes* cenſentur, atque in contemtum omnium veniunt. Unde ſequitur unumquemque ſibi ipſi cultum animi & corporis veluti debere, ac proinde abſtinere oportere ab iis, quæ ei cultui nocent. 4. Hinc illis ſuboriuntur paullatim omnium Virtutum & Vitiorum notiones; Virtus enim nihil eſt præter *animi adfectionem*, *quam ſi ſequamur*, *nobis & aliis proſumus*; & quâ neglectâ, ſubit contrarium illi Vitium, quod eſt *animi adfectio*, *cui ſi obſequamur*, *nobis & aliis nocemus.* Ne verò hæc in ſequiorem ſenſum torqueantur, utilitas, quæ ex Virtute manat, non eſt in uno ſingulari facto, quod ad unum hominem pertineat, quodque exiguo tempore proſit, ſpectanda; de tota enim vita humana, imò & univerſo hominum genere agimus. Quod ergo universè omnibus prodeſt, & quidem ſemper & ubique, id *Virtuti conſentaneum* dicimus; & contrà *vitioſum* quod univerſis nocet, omnibúſque temporibus & locis, vocamus, eadémque operâ homines futuros felices, ſi ſemper & ubique ſibi invicem prodeſſe conentur; miſeros, ſi contrario modo ſe gerant, contendimus. Prius illud eſt *convenienter Virtuti vivere*, poſterius *Vitio ſe dedere.* Prius ab omnibus laudatur & probatur,

4 *Quod vidit Poëta* &c.] *Seneca* de Beneficiis Lib. IV. c. 17. idem docet, his verbis: *Placet ſuapte naturâ, adeóque gratioſa Virtus eſt, ut inſitum ſit, etiam malis, probare meliora. Quis eſt, qui non beneficus videri velit? qui non, inter ſcelera & injurias, opinionem bonitatis adfectet? qui non ipſis, quæ impotentiſſimè fecit, ſpeciem aliquam induat recti? velit quoque & iis dediſſe beneficium, quos læſit? Gratias itáque agi ſibi ab his, quos adflixere, patiuntur; bonóſque ſe ac liberales fingunt, quia præſtare non poſſunt. Quod non facerent, niſi illos honeſti ac per ſe expetendi amor cogeret moribus ſuis opinionem contrariam quærere & nequitiam abdere; cujus fructus concupiſcitur, ipſa verò odio, pudorique eſt; nec quiſquam tantùm à naturali lege deſcivit, & hominem exuit, ut animi* causâ

tur, poſterius vituperatur & damnatur. Prius eſt *ſecundùm naturam vivere*, poſterius *contra naturam*; ut loquebantur Stoïci; natura enim tota eò ſpectat, ut felices homines reddat, infelicitatémque ab iis propellat. Itaque eadem natura nos ad Virtutem, felicitatis cauſam, per ſe deducit, atque à Vitio, quo infelices ſumus, avertit, ſi vocem ejus exaudiamus. Nec eſt putandum homini Virtutem ſolâ utilitate ſe ſe commendare, Vitiúmque eò tantùm inviſum eſſe, quòd noceat. Nemo eſt qui, ſi animum ſuum conſulat & ex ejus ſententia loquatur, Virtutem *pulcram & honeſtam*, adeóque laude & amore dignam; Vitium contrà *deforme* & *turpe*, ac proinde vituperandum & exſecrandum non fateatur. Nihil hanc naturæ ſuggeſtionem ſuffocat, præter graviores adfectus; alioqui, ſi vel tantillùm iis vacui ſint homines, erumpit naturæ vox & vituperanda damnat, laudanda probat; [4] quod vidit Poëta [5], qui dixit:

> *Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam*
> *Perditus, ut Senecam dubitet præferre Neroni?*

VIII. Colligimus ex hiſce, Deum Humanæ Naturæ inſeruiſſe eas facultates, quæ in Veritatem & Virtutem feruntur, ſtatim ac innoteſcunt, iiſque objiciuntur; contra verò Mendacium & Vitium refugiunt, cùm ea novimus. Indidem etiam hoc ſequitur, *honeſtum*, ſeu *laudabile*; *inhoneſtum*, ſeu *vituperandum*, non eſſe ex inſtituto & voluntate hominis mutabili nata, ſed ex natura ipſa rerum, quæ mutari nequit; ac proinde etiam, [6] ut loquitur *Plato*, non eſſe Virtutem & Vitium νόμῳ, ſed φύσει. Ut ergo Veritas & Falſitas non pendent à nobis: ſic nec Virtus & Vitium. *Pulcritudo*, ſeu *honeſtas*, & *turpitas*, aut *deformitas* Moralis naturâ ſuâ tales ſunt, nec mutari poſſunt. Itaque Deus res immutabiles & naturæ hominis inſitas depravationi Humani Generis oppoſuit. Cùm malè ſe gerit, id facit quod ipſum improbat; cùm bene, id quod probat. Eò ſpectat quod habet de Ethnicis Paulus Rom. II, 14. *cùm Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter, quæ Legis ſunt, faciunt; ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex. Qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente conſcientiâ ipſorum & inter ſe invicem cogitationibus, accuſantibus, aut etiam defendentibus.*

IX.

cauſâ malus ſit. —— *Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis, ſine nequitia, frui malit. Maximum hoc habemus Naturæ*(tu dicito, Dei) *meritum, quod Virtus in omnium animos lumen ſuum permittit; etiam, qui non ſequuntur illam, vident.*

5 Juvenalis *Sat.* VIII, 201.

6 *Ut loquitur Plato*] De Legibus Lib. X. pag. 889. Ed. Stephani. Vide & *Ariſtotelem* 1. Nicom. c. III. qui favet iis qui juſtum nullum naturâ eſſe volebant, ut Archelaus, ſi *Diogeni* credimus Lib. II. §. 16. Pyrrho & Sceptici, de quorum ſententia vide *Sextum* in Hypotyp. Lib. III, 24. & 25. At meliùs Stoici, qui contendebant φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει, ut eſt apud *Diogenem* Lib. VII. §. 128.

IX. Si hæc merè theoretica eſſent, nec uſu ipſo vitæ confirmarentur; poſſent ſubinde ab hominibus, adfectibus occæcatis, in dubium revocari. Itaque alterum repagulum oppoſuit Deus animi perturbationibus, quaſi effrenibus equis, quæ hominem raperent, quò eum progredi noxium eſſet. Conſtitutio, nimirum, naturæ humanæ, & magiſtra ſtultorum experientia obſtant pariter, quominùs honeſta cum turpibus, noxia cum utilibus confundamus. [7] Homines enim non poſſunt vivere, ſine ſocietate; nec ſocietas ſtare poteſt, ſine Virtute; quæ enim poteſt firma ſocietas eſſe, inter eos, qui nocere & prodeſſe idem putant, honeſtum & inhoneſtum, laudabile & turpe ſúsque déque habent? Sed ſi quis ad illas Virtutis & Vitii primigenias, ut ſic dicam, notiones adſurgere, præ hebeti ingenio, aut propter pravos habitus, non poteſt; experientiam ipſam conſulat quotidianam, & continuò non ratiocinatione, ſed ipſis ſenſibus comperiet miſerrimas eſſe Societates omnes, quæ Virtute non continentur, eáſque omnium beatiſſimas, in quibus quàm diligentiſſimè colitur. Ipſi Anthropophagi, uſu ipſo vitæ, miſeros ſe eſſe ſentiunt; dum enim alios comedunt, idem ſibi ab aliis impendere ſciunt; nec dubito quin, ſi tutò cum iis verſari liceret, ſermonésque eorum intelligere, ſæpe ab iis ſemet ipſos damnari audiremus. Nec quiſquam eſt, ut opinor, qui ſeriò auſit dicere eos populos eſſe æquè felices, & æquè laude dignos, ac Gentes, apud quas Virtuti ſuus eſt honor, & Vitio ſua merces.

X. Hisce omnibus manifeſtò liquet à Deo hominibus eſſe latam eam *Legem*, quæ vulgò *Naturæ* dici ſolet, & quæ apud eos ſola obtinet, qui Revelatione omni divina ſunt deſtituti. Plerique etiam, ex ipſorum Ethnicorum teſtimonio, ut patet vel ex Libris *Ciceronis* de Natura Deorum, & iis quæ Sectione II. diximus, eodem naturæ lumine agnoverunt quoque eſſe Deum, qui res humanas curaret, ac coli deberet, eúmque more ſuo coluerunt. Quin & multi eò uſque progreſſi ſunt, ut intelligerent, in altera vita, à Numine pœnas de Vitiis & flagitiis repeti, ac præmia Virtuti & rectè factis eſſe poſita. Hæc ſunt quæ Paulus Rom. I, 19. *γνωςὸν τοῦ θεοῦ* vocat ſeu *quod de Deo* ex ejus operibus ratiocinando *cognoſci poteſt*, & quo eos *inexcuſabiles factos eſſe* docet; quòd malè de Deo ſenſerint, & pravè eum coluerint.

XI. Quæsiverit fortè nonnemo an apud Ethnicos fuerint, qui ſecundùm Legem Naturæ vixerint, déque Deo non abſurdè ſenſerint, nec indignum eo cultum ei exhibuerint. Ante omnia, ſtatuendum eſt fieri hoc potuiſſe, etiam in eo ſtatu, quo eſt humana natura; ſive res fiat naturalium notionum, ſive auxilii ſupra naturam poſiti efficien-

7 *Homines enim non poſſunt* &c.] Verba *Senecæ* hanc in rem ſunt inſignia. Lib. IV. de Beneficiis c. 18. *Quo alio tuti ſumus, quàm quòd mutuis juvamur officiis? Hoc uno inſtructior vita, contráque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos; quid ſumus? præda animalium & victimæ, ac viliſſimus & facillimus ſanguis —— Duas res dedit, quæ illum obnoxium ceteris validiſſimum facerent, Rationem*

ſcientiâ: alioqui ſi res fuiſſet ultra hominum vires ſita, damnari, ob leges violatas, non poſſent, quas non perrumpere non potuiſſent. Non fuiſſent *inexcuſabiles*, quod tamen docet Paulus, ſi Leges naturæ, lumináque Rationis numquam ſequi potuiſſent; juſta eſt enim excuſatio inde petita. Nihil iniquius fingi poteſt quàm Leges ferri iis, qui eas obſervare nequeunt; præſertim ſi pœnæ de reis, ob neglectas Leges, ſumantur. Potuerunt ergo eas obſervare, ſive adjuti luminibus naturæ, ſive occulto præterea auxilio divino excitati; quod, ſi neceſſarium fuit, Deus iis non negavit. *Non* ille juſtiſſimus humani generis dominus & legiſlator *metit ubi non ſevit*, aut quæ fieri non poſſe novit exigit, & quidem propoſitis æternis pœnis. Statuendum deinde eſt Deum miſericordem non exegiſſe perfectam Legum illarum obſervationem ab Ethnicis; cùm ne Evangelicas quidem Leges perfectè à nobis impleri poſtulet. Quibus poſitis, diſpiciendum eſt, an Sapientiæ Divinæ ſit leges ferre, quas à nemine prorſus obſervatum iri, aliquo modo, norit; aut adjuvare iis, quæ dixi, ſuppeditatis auxiliis, quæ tamen irrita omnia futura eſſent. Vix ſapientes haberentur homines, qui ſe ita gererent. Sed irrita hæc omnino non fuiſſe oſtenderunt innumeri egregii viri, qui virtutibus ſuis, apud Gentiles, æqualibus & poſteris præluxerunt, & quorum nomina & facta litterarum monumentis conſignata ad nos pervenerunt; ut omittam alios, ſine dubio plures multò, quos fama obſcura recondidit; aut Scriptorum negligentia, vel temporis longinquitas nobis invidit.

XII. Fateor multùm abfuiſſe ut conſummatæ fuerint eorum Virtutes, multiſque cùm erroribus, tum delictis fuiſſe obſcuratas, ſed talia ubique, etiam apud Judæos veteres & Chriſtianos, nimis quàm frequentia occurrunt, súntque imbecillitatis humanæ naturæ conſectaria. Ad hæc accedit quòd, pro ratione luminum, & auxiliorum, de iis ſit judicium ferendum; ita ut ab iis, qui majora à Deo acceperunt, ſint etiam majores virtutes exigendæ; ab iis verò, quorum cognitio minor fuit, nec tam gravia incitamenta ad eas fuerunt, minores. Vide Luc. XII. 47, 48. Quæ omnia, ſi probè expendantur, conferantúrque inter ſe Gentium mores, non fortè minora exprobrabuntur multis Chriſtianorum, & Judæorum, qui Divinâ Revelatione colluſtrati fuerunt, quàm Ethnicis, quibus tam clara lux numquam exorta eſt. Si Philoſophorum ſcripta legamus, comperiemus multos fuiſſe, qui moribus publicis convicium fecerint, & ſuperſtitiones vulgi improbarint; nec defuiſſe videntur, qui, ut à vitiis paſſim graſſantibus abſtinuerunt, ſuperſtitionum etiam immunes fuerint.

XIII. Sed

nem & Societatem. Itáque qui par eſſe nulli poſſet, ſi ſeduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit; ſocietas terris genitum in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit —— Hanc tolle, & unitatem Generis Humani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes.

XIII. Sed imperfectis illis Virtutibus ecquid erit præmii? Ego verò me ignorare profiteor, ac omnipotentiæ & ſapientiæ Dei, ea curanda relinquere. Certè ſi pœnæ ſunt, Legem Naturæ negligentibus, exſpectandæ: præmia quædam obſervantibus futura eſſe conſequens eſt; Legem enim pœnis graviſſimis ſancitam, erga delinquentes, nullis propoſitis præmiis erga obſervantes, ne apud homines quidem fuiſſe fando umquam auditum eſt. Si non ſint præmia, quæ Legum obſervantes honoribus, aut divitiis augent; at ſaltem pœnarum immunes ſunt, teguntúrque auctoritate Legum, quod ſatis amplum eſt præmium. Verùm hæc ſummo Judici ſunt relinquenda, à quo injuſtum nihil factum iri ſatis nobis conſtat. Atque hæc quidem de Lege Naturali ſufficient.

XIV. Cum totum Humanum Genus, neglectis Naturæ & Rationis luminibus, ac legibus, ſe ſe præceps in omnis generis Vitia, & turpem Idololatriam dediſſet; viſum eſt Providentiæ Divinæ unum ſaltem populum Hebræum communi ſcelerum & impietatis diluvio eripere. Quare miſſo ad eum Moſe, ut in Exodi libro ſequentibúſque proditum eſt, Hebræos ex Ægypto eduxit, atque in ſolitudinibus Arabicis verſantes ſapientiſſimis legibus ornavit. Eas hîc exponere non eſt conſilii noſtri; ſatis erit ſummatim eas conſiderare, ut quid in luminibus Naturæ ab iis ſit confirmatum, quidve iis additum intelligere liceat, ſimúlque quid in Ethnicorum moribus reprehenderint videre.

XV. Duo ergo ſunt Legum, apud Moſem, genera, quorum alterum pertinet ad Divinum Cultum, alterum ad mores populi formandos, Rempublicámque ordinandam ſpectat. Ut à priore initium faciam, Moſes ante omnia docuit Deum eſſe unum, Univerſitatis rerum creatorem, eúmque Gentis Hebrææ, à primis ejus conditoribus, perpetuum benefactorem; quod fundamentum Legum omnium ſuarum, in primo libro qui *Geneſeos* dicitur, poſuit. Sequentibus verò & hiſtoriam populi Hebræi, & Leges ei latas complexus eſt. De Deo ea docuit, quæ Sect. I. Cap. I, 3. diximus. De ceterarum Gentium Diis ita loquitur ubique, ut perperam Deos credi oſtendat, eſſe aut Cacodæmonas, aut commenticios planè Deos, doceat. Itaque Deum unum intelligentem, æternum, omnia ſcientem, omnipotentem, inconſpicuum, cui nihil humanarum imperfectionum, aut vitiorum adhæreat, amantem Virtutis, oſorem Vitii eſſe colendum, abſtinendúmque à cultu alienorum Deorum; quod niſi fieret, Divinam Juſtitiam pœnas de Idololatris ſumturam. De modo, quo ſe gerat Deus, cum aliis gentibus, nihil dixit. Leges ſoli populo Hebræo tulit, nec earum obſervationem ab ullo alio populo à Deo exactum iri ſignificavit. Hoc tantùm dixit, Deum nulli alii populo id feciſſe; quod in gratiam Iſraëlitarum fecerat. Vide Deut. IV, 6, 7.

XVI.

8 *In Epiſt. ad Romanos*] Cap. IX, & XI. quamvis Apoſtolus, Judæorum animis ſibi conciliandis intentus, non tam clarè loquutus ſit, quàm alioquin è Dogmatibus Chriſ-

XVI. Hæc omnia à Prophetis ceteris, qui poſt Moſem ad Iſraëlitas miſſi, confirmata ſunt. Cùm verò Deus etiam eos vetuiſſet familiariùs vivere cum Ethnicis, ne eorum Idololatriâ & pravis moribus corrumperentur; hinc, præter mentem Legiſlatoris, paullatim collegerunt Deo alias Gentes cordi non eſſe, ſuámque ſolam ei poſſe eſſe gratam; ulteriúsque progreſſi nullam eſſe Virtutem, niſi apud ſe, nec ulla bene facta, ab aliis gentibus profecta, Deo placere. Unde factum eſt, ut tandem Judæi Deum putarint perſonarum rationem habere, & omnes homines aſpernari à proſapia Abrahami alienos; niſi ut favorem ejus ſibi conciliarent, Judaïca ſacra ſuſciperent, & Hebrææ civitatis veluti adſcriptitii cives haberentur. Cúmque apud ſe reputare debuiſſent Deum, qui nullis Majorum eorum promeritis provocatus, eos cum poſteris in populum ſibi peculiarem elegiſſet, eâ conditione, ut Legum ſuarum obſervantes eſſent, jure poſſe, iis violatis, populum illum non ampliùs quaſi gentem ſibi conſecratam habere, eadémque benevolentiâ quaſvis alias complecti, iis Legibus, quas ei liberet, latis; fruſtra exiſtimarunt fœdus Dei ſecum, excluſis aliis popùlis, æternum & immutabile eſſe. Quam opinionem confutavit Paulus, [8] in Epiſtola ad Romanos.

XVII. Duo ſunt, quæ in Moſaïcis Legibus ad Dei cultum pertinent, quarum alterum ſitum eſt in interna animi veneratione, adorationéque quæ uni Creatori omnium rerum, Dominóque æterno debetur, tum in precibus, fiduciáque in eo ponenda, & animo parato dictis omnibus parêre; alterum verò in externa ſignificatione cultûs, cùm verbis, tum variis ritibus, eodem ſpectantibus. Quæ pertinent ad cultum animi, quo Deum proſequi jubebantur Hebræi, externámque ejus teſtificationem, quæ fit verbis religioſis, ea omnia nituntur rectæ Rationis luminibus, ſúntque proinde perpetui juris. Quibus in rebus, omnes alias terrarum orbis Gentes Hebræi longè, ante Chriſtum, ſuperabant; apud quas omnia hæc, poſterioribus præſertim ætatibus (nam de antiquiſſimis penuria veterum monumentorum quidquam nos pro certo adfirmare non patitur) obſcuriora fuerunt, variiſque erroribus obnubilata. Cultus verò in ritibus ſacris ſitus, non uſque adeò ab Ethnicorum cultu differebat; niſi quòd inhumanum nihil, aut turpe complecteretur, apud Hebræos, atque inſigni quadam Creationis celebratione, Sabbatho, ſeu quiete, ſeptimi cujúsque diei feriis, renovandâ, ab aliis omnibus ſecerneretur. Ceterùm ſacrificia, delectus victimarum, pollutiones, purificationes, diſcrimen ciborum, aliáque id genus, apud Ethnicos etiam, & præſertim quidem Ægyptios, obtinebant, quamvis nonnullo rituum diſcrimine diſtincta. Hæc verò ſunt, ut jam antea diximus, ad ingenium & conſuetudinem populi Hebræi, Ægyptiacis ſacris dudum adſueti, temperata. Alioqui potuiſſent alii ritus inſtitui, aut etiam ritus om-

Chriſtianis potuiſſet. Quo conſilio, paſſim molliùs cum iis agit, quàm jure poterat.

omnes negligi, ſine ulla reverentiæ, quæ Deo debetur, vel minimæ jactura, ſi aliter adfectus fuiſſet populus Hebræus. Religio ipſa animi, qualem deſcripſimus, ſemper eadem eſt, atque immutabilis; ſed ritus, qui veluti veſtis Religionis habentur, mutationi ſunt obnoxii, abrogari & alii atque alii inſtitui poſſunt; ſi modò nihil, quod cum animi Religione pugnet, complectantur.

XVIII. Itaque cùm animi cultus, naturâ Divinâ rectâque Ratione nixus, remitti nequeat, atque ab omnibus hominibus exigatur; ritus ſoli populo Hebræo impoſiti ſunt, iis de rationibus, quas antea adtigimus. Qua in re, vehementer poſtea errarunt Judæi, qui majorem rituum rationem habuerunt, quàm veri cultûs in animi cogitationibus, ſermonibúſque & factis religioſis ſiti; ut multis oſtendimus, ubi de Phariſæis egimus. Sed & hæc graviſſima eorum fuit hallucinatio, quòd ritus illos æterni juris eſſe putarint, eorúmque obſervationem, ab Ethnicis, ſi eodem loco gratiæ apud Deum eſſe vellent, quo erant ipſi Judæi, exegerint. Quos res ipſa, ut jam antea oſtendimus, ſatis confutat; ritus enim ſunt inſtituti, propter ipſam animi Religionem, quæ eorum ope, antiquioribus temporibus, conſervabatur. Poſtquàm verò iis adminiculis minimè indiguit, abrogandos eſſe, nec cuiquam imponendos recta Ratio ſatis docebat; cùm præſertim nocere poſſent, dum cum vera Religione perperam miſcentur.

XIX. In aliis divinis Legibus, quæ mores hominum formabant, aut Reipublicæ Judaïcæ rationem conſtituebant, eadem etiam diſtinctio adhibenda eſt. Quæ pertinebant ad felicitatem Societatis Civilis, quæ iis neglectis minùs bene habebat, aut infelix fiebat, petitáque erant è luminibus, Juréque Naturæ, ea æterna eſſe, ceteriſque omnibus longè præferri oportuit. Talia ſunt, quæ *Moralia* dici ſolent, & quæ etiam, apud alios cultiores populos, obtinuerunt; qualia ſunt parentes colere, non occidere, non mœchari, non furari, malis artibus quæ alîus ſunt ſibi non vindicare & alia idgenus. Sed quæ ad Rempublicam populi Hebræi conſtituendam faciebant, erant ei Reipublicæ peculiaria prorſus, nec ulli imponi jure poterant, niſi iis qui Civitati Hebrææ adſcribi cupiebant. Exſtinctâ illâ Republicâ, omnia concidêre, nec ſunt ullo modo ad alias Reſpublicas trahenda; nec certè Deus, in Vetere Teſtamento, eorum inſtitutorum obſervationem ab ullo alio exigit.

XX. Cum verò Deus & in Moralibus & in Civilibus Legibus ferendis ſe aliorum Legiſlatorum inſtar geſſerit, nec omnipotentiam ſuam adhibuerit, ut eas obſervari à populo Hebræo curaret, ſed rem Hebræorum libero arbitrio permiſerit; in ejuſmodi rebus rationem hominum, tem-

9 *Calamitate quadam dilabi coacti*] Ut Elimelechus cum familia, Ruth. I, 1. ad Moabitas, propter famem; David ad Philiſthæos 1. Sam. XXI, 10. & ſeqq. XXVII, 1. & ſeqq. propter iniquam Saülis iram, & eadem de cauſa ad Moabitas 1. Sam. XXII,

temporum & locorum habuit, ita ut iis nihil impoſuerit, niſi quod, pro moribus & indole gentis, ferre poſſe viderentur. In Lege ergo Moſaïca, non eſt quærenda *idea* quædam, ut Platonico more loquar, perfectæ Reipublicæ, in qua civibus conſummatiſſima virtus, ad quam ſe componerent, proponatur; aut in qua Leges omnes civiles ejusmodi ſint, ut ſine civium jactura, aliæ conſtitui nequeant, aut meliores nullæ poſſint dari.

XXI. Exemplis aliquot rem demonſtrari operæ pretium eſt. Quinto Decalogi præcepto, jubentur Hebræi *parentes honorare*, prout natura ipſa, Societatisque Civilis incolumitas præſcribunt; unde factum ut alii Legiſlatores, omnésque Philoſophi idem præciperent. At fuit alia Lex, quâ id præceptum obſervatu difficillimum fiebat, & quidem ſine neceſſitate, niſi quæ ex prava Hebræorum indole peti poterat. Fuit lex de Divortio, quod concedit Moſes viris, quibus uxores diſplicebant, Deut. XXIV, 1. & ſeqq. Repudiatâ enim uxore, neceſſe fermè erat ut nati ex ea liberi de patre, aut de matre, malè ſentirent, ut ad eum locum oſtendimus; quo pacto vix utrumque parentem *honorare*, ut jubebantur, poterant. Polygamia etiam nuſquam vetatur à Moſe, cùm apud Orientales uſitata eſſet, fueritque ſemper, apud Hebræos. Vetatur dumtaxat Rex nimium uxorum numerum ducere Deut. XVII, 17. Attamen quin Polygamia fons eſſet diſcordiarum, odiorum & rixarum, inter æmulas mulieres, earúmque liberos, & ſcelerum, quibus ſibi invicem inſidiabantur, dubitare non licet; quod in Orientalium Gynæceis etiamnum videre eſt, & in *Herodis* Magni, uxoribus & liberis cernere licuit. Fuit etiam hæc conſuetudo libidinoſa, & primæ conjugii inſtitutioni contraria. Itaque Chriſtus Matth. XIX, 8. poſtquàm divortium damnavit, quærentibus Apoſtolis, cur ergo Moſes permiſerit, tradito repudii libello, uxorem dimittere, reſpondet: *quoniam Moyſes, ad duritiem cordis veſtri, permitit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic.* Idem de Polygamia dicere licet, nam ab initio non fuere, niſi unus vir & una mulier creati; quo facto, Deus oſtendit Polygamiam ſibi diſplicere; quæ tamen, ſi umquam utilis eſſe potuiſſet, initio certè rerum, multis de rationibus, profutura fuiſſe videtur.

XXII. Cum res eſſet Moſi cum populo, qui facilè in alienos mores migrabat & in errorem abduci à vicinis, atque in eorum flagitia delabi incautus poterat; omni ei paullò arctiore commercio cum iis interdixit, vetuitque ne Idololatræ in agris populi Hebræi ferrentur; quod alioqui per ſe ſatis æquum non erat, quandoquidem Hebræi in vicinorum agros, calamitate quadam, dilabi coacti, [9] quod interdum contigit, noluiſſent

[9] XXII, 3. Sunamitis denique ad Philiſthæos 2. Reg. VIII, 2. & alii ſine dubio plures, qui humanè ſe exceptos à vicinis populis gaviſi ſunt, quamvis eorum Sacra non ſuſcepiſſent.

luiſſent ita à vicinis populis haberi. Magis etiam ac magis hoc innotuit à captivitate Babylonica, ſequentibúſque ætatibus, quibus per Ethnicorum terras ſparſi humanè ac comiter ab iis haberi percupiebant, Ethnicóſque ita ſe gerentes laudabant. Quòd ſi quis tunc temporis quæſiviſſet ab Hebræis, an eodem modo viciſſim ſe erga Ethnicos, ſi quis caſus eos compuliſſet, ſtante ac florente regno Judæ, in agros Hebræorum, Deóſque ſuos colere in iis voluiſſent, geſturi fuiſſent? non potuiſſent reſpondere, ex Lege ſua, niſi ſe expulſuros Ethnicos & nolentes egredi, nec Diis ſuis nuncium remittere, occiſuros fuiſſe. Quod iniquum tamen eſſe omnes intelligunt. Sed de his poſtea.

XXIII. Indidem graviores pœnæ in Idololatras latæ fuerant, cùm & ſinguli juberentur occidi, Exod. XXII, 20. quicumque eſſent, etiam amici, uxores, fratres, liberi Deut. XIII, 6. Quin & integræ urbes, admiſſæ Idololatriæ causâ, erant internecioni devovendæ, ut docet ibidem Moſes, verſ. 12. & ſeqq. Humanitas tamen ſuadebat eos potiùs ad ſaniorem mentem rationibus revocari, tempúſque iis ad ſe ſe redeundi concedi; multa enim ignorantiâ & ſtultitiâ, aut pravis nonnullorum adfectibus, in ejuſmodi rebus, admittuntur, quæ ſi continuò ultimo ſupplicio vindicarentur, bonis multis atque utilibus civibus, tempore & adhortationibus emendatis, Reſpublica careret. Præterea ſi Philiſthæi, aut alii vicini, qui ſæpiùs Hebræos ſubegerunt, voluiſſent eos ſuppliciis cogere ad ejurandam Religionem Moſaïcam; quos clamores edidiſſent Hebræi? Qui tamen apud Deum, omnibus æquum, jure queri non potuiſſent; quòd ea paterentur, quæ aliis faciebant. Ad hæc accedebat, iis Legibus, hoſtile & internecinum odium vicinis omnibus indici; quod populo Hebræo, qui ab iis non tantùm ſubjici Idololatris poterat, ſed etiam ſæpe ſubactus eſt, maximas calamitates parere poterat & ſine dubio peperit; homines enim ultionis cupidi libenter aliis reponunt, quæ ab iis paſſi ſunt, aut pati potuiſſe videntur.

XXIV. Plura non addam, hæc enim ſatis oſtendunt non ita formatam fuiſſe Hebræorum Rempublicam, nulla ut melior fingi poſſet. Nec ſanè, apud Chriſtianos, ullus populus ad ejus exemplum res ſuas ordinavit, aut ordinari voluit. Quæ expoſuimus aliáque ſimilia, quæ ſæpe occurrunt, incommoda ſunt, quæ è Legibus Moſaïcis manant; quia durum populi illius ingenium aliter in officio contineri non potuit, præſtitítque iis incommodis eum ſubeſſe, quàm ſi leniùs habitus, ad vicinorum inſtituta & mores prolaberetur. Si Deus Legum civilium exemplar omnibus numeris abſolutum proponere voluiſſet Hebræis, jam ab initio Leges easdem eis tuliſſet, quas poſtea Chriſtus promulgavit.

XXV. Satis etiam mirari non poſſemus, niſi ſciremus carnalem fuiſſe populum, & præſentia tantùm ſpectantem, qui nullis minis, aut præmiis adfectus fuiſſet, quæ ſenſus non perculſiſſent, cur Deus ei pœnas & præmia vitæ, poſt hanc futuræ, clarè proponi non curarit; cùm

cùm eorum nullum certum veſtigium videamus in Legibus Moſaïcis, etiam ubi omnem lapidem movet, ut adhortationibus ſuis Hebræos ad conſtantem pietatem, ut Cap. XXVIII, & XXIX. Deuteronomii, aliiſque ſimilibus locis adducat. Scio, Chriſtianos præſertim Interpretes, minis & promiſſis ſpiritualem paſſim ſenſum tribuere; ſed quid opus fuit, in tanta re & quæ nimis perſpicuè dici non poterat, perpetua ambiguitate, apud rudes præſertim homines, uti; ſi Moſes de vita & morte æterna id ab iis credi voluit, quod nos hodie credimus? Imò manifeſtò liquet contraria omnia debuiſſe fieri, potiſſimùm ſi meminerimus, ſine clara cognitione alterius vitæ, præmiorúmque & pœnarum, quæ illic homines manent, Hebræos adverſis diu conflictatos vix ſatis conſtantes potuiſſe eſſe, in Religionis ſuæ fide & profeſſione; cùm res ſuas perditas, vicinorúmque Idololatrarum florentiſſima regna cernerent. Atque hæc videtur fuiſſe tam frequentium defectionum à Legibus Moſaïcis, cauſa eaque fortaſſe potiſſima

XXVI. Ex quibus omnibus colligamus neceſſe eſt, Moſaïcam Religionem præſtantiorem quidem, ut & antea diximus, multò Ethnicorum Religionibus fuiſſe; ſed ſi contendatur cum notione perfectæ Religionis à Deo poſtea, per Chriſtum, miſſæ, nihil præter *jejuna & infirma* Religionis *elementa* eſſe complexam, nec potuiſſe ullâ ratione Humano Generi, præſertim Philoſophiâ expolito, quaſi ultimam Dei revelationem & quâ amplior ac melior exſpectari non poſſet, prædicari. Abſit ut tam exiliter de Deo, ejúsque virtutibus ſentiamus, ut tot inanes ritus, ſi in ſe ſpectentur, Legésque tam gravibus incommodis laborantes, in perpetuum hominibus eum tuliſſe putemus!

XXVII. Deus ergo, quando ejus ſapientiæ viſum eſt, miſit, non ad Judæos dumtaxat, ſed ad totum Humanum Genus, per Jeſum Chriſtum, divinas prorſus Leges & in quibus nihil ad ſummam perfectionem deſideratur. Hîc demum videre eſt νομοθεσίαν per omnia Deo dignam, non uni Genti ceterarum inimicæ, ſed omnibus omnino hominibus utiliſſimam, atque ad totum Genus Humanum, in cultu unius veri Dei conſentiens, ad concordiam, mutuâ benevolentiâ & beneficentiâ fovendam, adducendum aptiſſimam; ita ut nihil optandum ſuperſit, ad univerſam Gentem Humanam in terris, quoad ejus fieri poteſt, beandam, & ad æternam, poſt hanc vitam mortalem, felicitatem perducendám; niſi ut univerſa ex animo Chriſtianæ Religioni nomen det, divináque ejus præcepta totâ mente & cogitatione obſervare conetur. Nec hiſce objicere licet Chriſtianos ad id exemplar mores ſuos non exigere; cùm culpa hæc eorum ſit, non Legum, quas pravis eorum moribus quidquam gratificari & concedere nemo dicere queat, qui eas propiùs inſpexerit, *ſanorúmque verborum formam* mente probè conceperit. Quod pluribus, ſequentibus Capitibus, oſtendere adgrediemur.

CAPUT III.

De iis, quæ Chriſtiani docent de Chriſti Muneribus.

I. ANTEQUAM de Chriſtiana doctrina, quæ ad cultum Dei, moréſque noſtros pertinent tradamus; paucis deſcribenda ſunt Munera, quæ Deus Jeſu-Chriſto impoſuit, ratióque quâ iis, in communem Humani Generis ſalutem, defunctus ſit, & etiamnum defungatur. Hinc enim omnia noſtra officia manant, quaſi è fonte, cujus ſalubres aquæ per totam Chriſtianam vitam diffunduntur. Docent ergo nos Novi Teſtamenti tabulæ Chriſto impoſita fuiſſe Munera Prophetæ, ſeu Doctoris à Deo miſſi, Sacerdotis & Regis, de quibus ſingillatim agemus.

II. [1] PROPHETÆ, apud Veteres Hebræos, dicebantur, quicumque revelatam ſibi à Deo voluntatem hominibus patefaciebant, mandatáque ab eo accepta inter eos exſequebantur. Hebræi quidem vocabant נביאים *nbiim*, hoc eſt, *ſublimes viros*, propter muneris, quo defungebantur, ſublimitatem. Sed Græci Interpretes non tam vocis originem, propriámque ſignificationem, quàm rem ipſam, ſpectarunt; eóſque adpellarunt προφήτας, quaſi, *prædictores*, quòd inter potiſſima eorum munera eſſet futura prædicere; aut etiam quaſi *palam dicentes*, quod clam à Deo acceperant, nam πρὸ, cum Genitivo conjunctum, ſignificat etiam *coram*. Hinc Moſes & ceteri omnes, qui Hebraïcè נביאים *nbiim* dicti fuerant, à Græcis Interpretibus & Novi Teſtamenti Scriptoribus vocantur προφῆται.

III. HISCE verbis olim Moſes adloquutus fuerat Hebræos, Deut. XVIII, 15. *Prophetam, mei inſtar, è medio tui, ex fratribus tuis excitabit tibi Jehova, Deus tuus; huic auſcultabitis.* Quæ verba, quamvis, aliquo modo, in ceteros omnes Prophetas, quos Deus poſtea miſit, quadrent, ſingulari tamen ratione Jeſu Nazareno convenire res ipſa oſtendit, & credidere Chriſtiani; ut ad eum locum diximus. Eò ſpectare videtur Chriſtus ipſe Joan. V, 45. locúmque ad eum pertinere docent Petrus Act. III, 22. & Stephanus Cap. VII, 37. Credebant etiam vulgò Judæi, tempore Chriſti, venturum Prophetam inſignem, ut liquet è Joan. I, 21. VI, 14. Sed an intelligerent ipſum Liberatorem, quem iis temporibus exſpectabant; an verò Prophetam, ejus anteambulonem, non omnino liquet; Regem, potiùs quàm Prophetam, Meſſiam futurum fuiſſe & olim credebant & etiamnum hodie opinantur Judæi.

IV. Ex

1 *Prophetæ* &c.] Vide notata ab *Henr. Hammondo* & nobis ad Luc. I, 67. ubi copioſè de hac voce egimus.

IV. Ex ipſa re patuit Jeſum verum Prophetam fuiſſe, cùm & nomine Dei populos adloqueretur & multa prædixerit eventu ipſo confirmata; ut mortem, reſurrectionémque ſuam, adſcenſum in cœlum, ac Jeroſolimæ ultimam cladem. Ad id munus ritè exſequendum, ipsâ nativitate, è Spiritu Sancto, paratus eſt; deinde eumdem illum Spiritum *ſine menſura* accepit, ut docemur, Joan. III, 24. Hinc etiamnum puer *creſcebat & confortabatur Spiritu, plenus ſapientiâ; & gratia Dei erat cum illo*, Luc. II, 40. atque annos duodecim natus, non ſine Doctorum omnium admiratione, in templo Jeroſolimitano, docuit, ut idem narrat Evangeliſta verſibus, 46 & 47. Deinde triginta annos nato, cùm à Joanne baptizatus eſt, & mox eſſet munus ſuum inchoaturus, audita eſt vox è cœlo, quâ Deus ipſe ei teſtimonium exhibuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui* Matth. III, 17. quæ vox etiam repetita eſt, alio tempore, ut idem habet Cap. XVII, 5.

V. Ab illa voce primùm emiſſa ſe inſtar Prophetæ geſſit Chriſtus, palámque Evangelium docuit, & ſe à Deo miſſum ubique profeſſus eſt; ut paſſim docent Evangelia. Quin etiam hanc ſuam divinam miſſionem inſignibus miraculis confirmavit, quot & qualia nullus umquam Propheta ediderat. Ac ſanè ſe ſe omnibus antiquis Prophetis longè præſtantiorem eſſe, dictis & factis, oſtendit. Sic iis, qui viſerant Joannem Baptiſtam in deſerto, qui ſe *indignum* profeſſus erat, qui viliſſima miniſteria ei exhiberet, Matth. III, 11. & Joan. I, 26. *quem exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quàm Prophetam - - - Amen dico vobis, non ſurrexit, inter natos mulierum, major Joanne Baptiſta; qui autem minor eſt, in regno cœlorum, major eſt illo*, Ib. Cap. XI, 9. & 11. Quantum ſe gerebat, qui Joannem, quem Prophetis omnibus minimùm æquipararat, tamen vel minimis ſuis diſcipulis poſtponebat? Ideò etiam addit: *omnes Prophetæ & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt*; ut oſtendat jam fuiſſe revelationem, quâ patefactâ, veluti conticeſcere Prophetas omnes oporteret, ut ea ſola audiretur. Quibus in verbis, nullam eſſe exaggerationem ii demum intelligunt, qui Evangelicam doctrinam, cum Moſaïca, contendere norunt.

VI. Si Joannes par, aut major fuit omnibus Prophetis, nec tamen Chriſtianorum eo nomine dignorum minimi dignitatem æquavit; Chriſtúſque ipſe, infinito intervallo, diſcipulorum ſuorum præſtantiſſimos ſuperat; perperam à multis habetur tantùm quaſi interpres veterum legum & vaticiniorum; cùm multa iis, plus quàm prophetico jure, ut ita loquar, addiderit; quod videmus, in eximia illa oratione, quæ habetur Matth. V. & ſequentibus, & quod Capite ſequente oſtendemus; nam hîc tantùm de ipſo ejus munere, non de dogmatibus, quæ promulgavit, agimus.

VII. Hoc quoque non Prophetæ ad Judæos tantùm miſſi, quales veteres fuerant, qui nonniſi mandata ingenio & rebus ejus populi adtemperata à Deo adtulerant; ſed Prophetas omnes longè antecedentis

fuit Diſcipulos eligere, eóſque Spiritu Sancto donatos, dono linguarum & perpetrandorum miraculorum inſtructos, ad omnes, per terrarum orbem, homines mittere; ut Magiſtri nomine ad cognitionem Dei, ejúſque cultum & bonos mores, ac ſpem beatæ immortalitatis quoſvis vocarent; quam à Deo impetraturi eſſent, ſi modò ſibi crederent, priſtiniſque vitiis relictis ad Virtutis, quam eis præſcribebat, normam poſthac viverent. Cui ſimile nihil veteres Prophetæ umquam cogitarant, nec etiam hodie Judæi Meſſiæ ſuo tribuunt; quem venturum ſomniant, in unius Judææ Gentis utilitatem, quæ cum cladibus & calamitatibus omnium aliorum populorum erit conjuncta. Quod Deo, totius Humani Generis parente, indignum prorſus eſt.

VIII. Hæc ſola, quæ de Jeſu Nazareno commemorabant Chriſtiani, debuiſſent animos omnium ei conciliare, & quoſvis ad fidem habendam adducere; ſed præterea acceſſit alia ratio, eáque multò maximi ponderis ejus amandi, & fideli obſequio colendi. Cùm enim à Romano Præſide, flagitantibus Judæis, in crucem tolleretur & occideretur, eâ ſuâ morte indigniſſimâ non tantùm id quod docuerat confirmavit, exemplúmque conſtantiæ, in veritate tuenda, hominibus eximium præbuit; ſed & ſemet ipſe, veluti piacularem hoſtiam, Deo obtulit; quâ oblatione Deum exoravit, ut vellet, ejus causâ, omnibus, quos præteritorum delictorum pœniteret, quique ei crederent, & vitam in poſterum ex ejus præceptis inſtituerent, ignoſcere, atque æternam felicitatem poſt mortem largiri. Qua de cauſa, & *Sacerdos* & *piaculiaris victima* ſimul ab Apoſtolis vocatur, quod cùm ex aliis multis Novi Teſtamenti locis, tum ex Epiſtola ad Hebræos præſertim intelligere licet. Pauca hîc ſubjiciemus. Chriſtus ipſe Matth. XX, 28. *Se veniſſe*, ait, *ut daret animam ſuam redemtionem* (λύτρον) *pro multis.* Vide & Marc. II, 45. Sic & Paulus Rom. III, 24, 25. *Juſtificati* (homines) *gratis per gratiam ipſius, per redemtionem* (διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως) *quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem* (ἱλαςήριον, nempe, ἱερεῖον, *victimam piacularem*) *in ſanguine ipſius*; & Cap. V, 9, 10, 11. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt - - - reconciliati ſumus Deo, per mortem Filii ejus - - - per quem nunc reconciliationem accepimus.* Similiter Epheſ. V, 2. *Tradidit* (Chriſtus) *ſemet ipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis*; & 1. Tim. II, 6. *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus, qui dedit redemtionem* (ἀντίλυτρον) *ſemetipſum, pro omnibus.* Paria habet Joannes 1. Ep. II, 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Vide & Cap. IV, 9, 10. Sed Scriptor Apoſtolicus Epiſtolæ ad Hebræos totam rationem ſacrificii Chriſti perſequutus eſt pluribus, Capp. V, VII, VIII, X. quæ adiri poterunt.

IX. Nec Chriſtus ſponte ſuâ & injuſſus ſemet ipſe victimam Patri obtulit, ſed à Deo propterea hominibus datus eſt, ut ipſe docet Joan. III, 16. *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*,

daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Scriptor ad Hebræos Cap. V, 4. & ſeqq. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemet ipſe clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedec.* Vide & locum Rom. III, 25. antea adlatum.

X. Quid hæc ſibi vellent facilè intelligebant *Ethnici* & *Judæi*, apud quos, diu ante Chriſti adventum, ſacra piacularia offerebantur. Sacrificium, nempe, ἱλαςικὸν, apud utróſque, erat actio hominis, qui à ſe provocatam Dei vindictam, delicto quopiam intelligebat, ob quod morte ſe dignum ſciebat; quod fatebatur, occiſâ & oblatâ pro ſe victimâ, cujus ſanguinem pro ſuo à Deo accipi precabatur. Quo ritu, Deo ſatisfieri putabant, non quaſi victimæ mors pœna eſſet par hominis morti, ſed quia putabant (certè qui ſapiebant) Deum ſatis habere, ſi modò homines ſe morte dignos palam teſtarentur, eo ritu, & violati Divini Numinis ipſos pœnitere; cui animi adfectioni, non ſanguini victimæ effuſo (cujus per ſe nulla vis fuit) peccata Deus condonabat. Sententias Judæorum & Gentilium, hac de re, collegit, vir eruditus *Gulielmus Outramus* Lib. I. de Sacrificiis Cap. XXII. & ante eum *Hugo Grotius* Capp. VIII, IX. & X. de Satisfactione Chriſti.

XI. Unum dumtaxat & alterum exemplum addemus. Apud Judæos, ante tempora Chriſti, *animam pro anima* aliorum profundere putabantur, qui morientes precibus ſuis Deum aliis placabant; dum orarent eum ut, pro aliorum morte, ſuam acciperet. Sic Eleazarus ſenex ab Antiocho excarnificatus, apud *Joſephum* de Macchabæis Cap. VI. p. 1090. Edit. Genevenſis: Ἵλεως γενοῦ τῷ γένει σου, ἀρκεσθεὶς τῇ ἡμετέρᾳ ὑπὲρ αὐτῶν δίκῃ, καθάρσιον αὐτῶν ποίησαι τὸ ἡμῶν αἷμα, καὶ ἀντὶ ψυχῶν αὐτῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχήν: *propitius eſto tuo generi, contentus noſtro pro illis ſupplicio, piacularem pro illis fac ſanguinem noſtrum, & pro animabus illorum accipe meam animam.* Hinc natum videtur proverbium cujus meminit *Philo*, de Sacrificiis Abelis & Caïnis, p. 151. Ed. Pariſ. πᾶς σοφὸς λύτρον ἐςι τοῦ φαύλου, *omnis ſapiens ſtulti eſt redemtio*; quòd ei Deum exoret, cujus rei meminit & pag. ſequente, ubi Levitis illud aptat. Sic & Judæi poſteriores, honoris causâ, dicebant iis, quos magni faciebant: אנו כפרתך anou cappharthcha, *nos tua expiatio ſimus*; hoc eſt, ſi quid mali ſit, quod tibi contingere neceſſe eſſet, id nobis incumbat. Quod obſervatum jam *Outramo* Lib. I. c. XXII, 9. ſed plura exempla ſuppeditabit *Joan. Buxtorfius* in Lexico Chaldaïco & Thalmudico, ad vocem כפר. Sic etiam Ethnici putabant victimas mactari loco eorum, pro quibus offerebantur, & à Numinibus accipi. *Ovidius* Faſtorum Lib. VI. de ſacrificio Strigibus, pro puero, quem alioquin occiſuræ erant, facto, ſic inducit antiſtitam neſcio quam, porcâ oblatâ, cujus exta tenebat verſ. 159. loquentem:

Atque

Atque ita, Noctis Aves, extis puerilibus, inquit;
Parcite; pro parvo, victima parva cadit.
Cor pro corde, precor, pro fibris ſumite fibras;
Hanc animam vobis, pro meliore, damus.

[2] Idem etiam de aliis ſacris ſenſerunt, ut oſtenderunt viri docti antea memorati; quamvis nullum aliud diſertius ejus rei teſtimonium, Ovidianis verbis, legenti occurrerit.

XII. Quin & Chriſtiani ipſi ſimilem loquutionem adhibuerunt. Verba feruntur Joannis Apoſtoli, apud *Clementem* Alexandrinum, Libro quo oſtendit *quis dives ſalvetur*, in quo Adoleſcentem, qui defecerat à Chriſtianis moribus, ſic adloquitur §. XLII. Edit. Oxonienſis: ἂν δέῃ, τὸν σὸν θάνατον ἑκὼν ὑπομενῶ, ὡς ὁ Κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν· ὑπὲρ σοῦ τὴν ψυχὴν ἀντιδώσω τὴν ἐμήν: *ſi opus ſit, tuam ipſe mortem libens ſuſtinebo, quemadmodum Dominus mortem pro nobis* (tulit). *Animam meam pro te vicariam dabo*; hoc eſt, uſque adeò ſalutis tuæ ſtudioſus ſum, ut, ejus conſequendæ causâ, mortem pertulerim & quidem libenter. Similiter *Ignatius*, in Epiſtolis ad *Epheſios*, ad *Polycarpum* & ad *Smyrnæos*, ſe eorum, quos amabat, ἀντίψυχον vocat. Qua de re, vide *Joan. Pearſonium*, Vindic. Ignatianarum P. II. c. XV.

XIII. Ex hiſce facile intelligere eſt Sacerdotium Chriſti ſitum fuiſſe, non in eo quod prorſus eaſdem genere pœnas, quas commeriti erant homines, & quæ æquiparandæ naturâ ſuâ, aut dignitate perſonæ eſſent, omnibus omnium hominum ſuppliciis, quæcumque lui ab iis oportuiſſet; ſed in eo quòd Deus acerbam & cum ſummis doloribus conjunctam mortem, ſacri piacularis inſtar, accipere voluerit, precúmque ejus rationem habuerit. Inde autem manat, conjuncta cum ſacerdotali, μεσίτȣ, ſeu *Mediatoris* functio; quâ ſe *medium* inter homines & Numen gerens, oravit Deum pro hominibus & apud homines Dei internuncium egit. Indi-

2 *Idem etiam de aliis ſacris* &c.] Crediderunt, non aliter ac Judæi, poſſe quempiam avertere malum à capite alius, ſi id ſibi imprecaretur, & calamitate ſuâ lueret; quod Deciorum exemplo, aliiſque probavit *Grotius*. Sic & L. Æmilius cùm vidiſſet omnia ex voto Reipublicæ, ſe Conſule, ceſſiſſe, neque eſſet, quod ultrà precaretur, *illud optavit*, ut ait Livius Lib. XLV. c. 41. *ut cùm ex ſummo retrò volvi fortuna conſueſſet, mutationem ejus domus ſua, potiùs quàm Reſpublica, ſentiret.* Deinde putavit *defunctam eſſe fortunam publicam ſuâ inſigni calamitate*, quod triumphus ejus duobus funeribus filiorum eſſet interpoſitus; quæ eum dicentem inducit Hiſtoricus. Similia vovet Cato, apud *Lucanum* Lib. II, 306. & ſeqq. ut civilis belli calamitates, ſi poſſet, averruncaret:

O utinam cœlique Deis, Erebique liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!
Devotum hoſtiles Decium preſſere catervæ;
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat; cunctis ego pervius haſtis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic REDIMAT *ſanguis populos, hac cæde* LUATUR,
Quidquid Romani MERUERUNT PENDERE *mores*

Se nempe, λύτρον, aut ἀντίλυτρον populi Romani eſſe, pœnaſque ei debitas ſibi imponi

Indidem etiam fluit *fœderis novi*, à Deo, ejus interventu, cum hominibus initi, notio. Alioqui, ſi rem ipſam ſpectemus, Deus alias leges hominibus, per Chriſtum tulit; non fœdus quod repudiare iis licuerit, aut certis conditionibus, quas pro nobis ſtipulatus fuerit Chriſtus, fecerit. Sic & olim Moſes *mediator* fuit, inter Deum & Iſraëlitas, Legéſque, quæ etiam *Fœdus* vocantur, nomine Dei, eis tulit; non quas impunè rejicere poſſent, ſed quales à Domino ſervi accipiunt. Non ſunt ergo tralaticiæ loquutiones nimiùm urgendæ, quaſi propriæ eſſent & perfectâ ſimilitudine rerum, ad quas transferuntur, cum iis à quibus deſumtæ ſunt, niterentur. Satis eſt nonnullam, inter hæc, eſſe ſimilitudinem, ob quam conferri inter ſe & communi nomine vocari queant.

XIV. In hiſce, quantopere Jeſus Moſe ſuperior fuerit, quivis facilè intelligit. Quamvis enim Moſes *Mediator* etiam dici poſſit & Legiſlator à Deo miſſus; attamen ſolis Judæis leges tulit, eáſque ad utilitatem præſentem Reipublicæ Hebrææ pertinentes; nec quidquam de vitæ futuræ malis vitandis, & felicitate æterna adipiſcenda dixit, certè quod facilè à quovis intelligi poſſet; nec Mediatoris munere functus eſt, ut à Deo Hebræis remiſſionem alterius vitæ pœnarum impetraret; ſed tantùm ne vitam hanc mortalem violentâ morte amitterent. Moleſtias multas pertulit, ut contumacem populum ferendo Legum jugo adſuefaceret; ſed ſimilibus cum incommodis plerique Rerum publicarum conditores conflictati ſunt. Quin & eos interdum non tam rationibus, quàm vi, & armis, in ordinem coëgit; ut quando viginti quatuor hominum millia uno die occidit, quod ipſe narravit Numer. c. XXV. Scio quidem, non ſine Dei nutu, hæc eſſe facta; ſed apud minùs rectè de eo ſentientes, quales fuere Græci & ceteri Gentiles, factum hoc ſuſpectum eſſe potuit; nec in eo ſumma Dei miſericordia ita enitet, ut in ratione, quâ ſe Chriſtus geſſit; qui omnia rationibus, vi & armis nihil, fieri voluit; & tantum abeſt, ut vim intulerit Judæis quâ ſe

poni optat. Cujuſmodi facta cum Chriſti factis contulit etiam *Origenes*, contra *Celſum* Lib. I. p. 25. Οὐχ ἑώρων οἱ τοῦ Ἰησοῦ μαθηταὶ, τολμῶντες οὐ μόνον Ἰουδαίοις ἐκ τῶν προφητικῶν λόγων παριστάνειν, ὅτι οὗτος εἴη ὁ προφητευθεὶς, ἀλλὰ καὶ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν, ὅτι ὁ χθὲς καὶ πρώην σταυρωθεὶς ἑκὼν τοῦτον τὸν θάνατον ὑπὲρ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, ἀνεδέξατο, ἀνάλογον τοῖς ἀποθανοῦσιν ὑπὲρ πατρίδων ἐπὶ τὸ σβέσαι λοιμικὰ κρατήσαντα καταστήματα, ἢ ἀφορίας, ἢ δυσπλοΐας; εἰκὸς γὰρ εἶναι ἐν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, κατά τινας ἀποῤῥήτους καὶ δυσλήπτους τοῖς πολλοῖς λόγους, φύσιν τοιαύτην, ὡς ἕνα δίκαιον, ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ ἀποθανόντα ἑκουσίως ἀποτροπιασμοὺς ἐμποιεῖν φαύλων δαιμονίων ἐνεργούντων λοιμοὺς ἢ ἀφορίας, ἢ δυσπλοΐας, ἤ τι τῶν παραπλησίων: *annon videbant Jeſu Diſcipuli, auſi non ſolùm Judæis è propheticis ſermonibus probare hunc eſſe prophetiis deſignatum, ſed & reliquis gentibus eum, qui nuper crucifixus erat, ſponte hanc mortem pro hominum genere ſubiiſſe, ſimilem morti eorum qui obierant pro patriis, ut exſtinguerent peſtiferas conſtitutiones aëris, aut ſterilitates, aut procellas? Ita enim naturâ comparatum videtur, occultis quibusdam & intellectu difficilibus de rationibus, ut unus juſtus, pro Republica ſponte mortuus, averruncaret mala divinitus miſſa; quibus creabantur peſtes, aut ſterilitates, aut navigandi difficultates, aut ſimile quidpiam.* Vide & ſequentia.

ſe Legiſlatorem accipere eos cogeret, ut contrà ſe ab iis tradi Romanis & ab hiſce occidi paſſus ſit. Præterea Moſes nec ipſe Sacerdos fuit, & Sacerdotium apud ſuos inſtituit, Sacerdotiis Ethnicorum ſimile; in quo, victimarum brutarum mactatione, Divinum Numen placari juſſit. Ceteroquin ipſe mali nihil propterea paſſus eſt, cùm Jeſus, Sacerdotii ſui victima factus, crudeliſſimam & ignominioſiſſimam mortem ſubierit; quâ ſibi credituris & obſequenter parituris Dei pacem, & in hac & in altera vita, petierit & impetrarit. Si dixeris, in hac etiam re, Deum auctorem fuiſſe Moſi id faciendi quod fecit; nemo quidem Chriſtianus negarit, ſed Sacerdotium multò præſtantius & Deo dignius Chriſto impoſitum eſſe meritò contendet; ita ut ſi Moſaïcum Sacerdotium, quod frater ejus Aharon geſſit, cum munere Chriſti conferas, in priore *elementa* quædam *jejuna* & *infirma* Religionis potiùs agnoſcas; quàm cultum divinum, æterna illa Majeſtate, & recta Ratione, quam hominibus indidit, dignum deprehendas. Pleraque, quæ ad jus Pontificium Hebræorum pertinent, adeò adfinia ſunt Ethnicorum inſtitutis, ut niſi ex Evangelio ſciremus Deum ſe ſe ad captum carnalis populi temperaſſe, nec niſi ad breve tempus ejuſmodi Sacra inſtituiſſe; ſapientiam ejus in iis vix deprehendere poſſemus & etiamnum requireremus.

XV. Si nos ad Ethnicos Legum latores convertamus, neminem inveniemus, ulla in re, Jeſu-Chriſto comparandum. Nonnulli quidem, ut Minos, Lycurgus & Numa, ſe leges à Diis accepiſſe dixerunt; ſed res ipſa eos arguebat, cùm leges, quas tulerunt, multis, iiſque gravibus vitiis laborarint, & ad Religionem quod adtinet, nihil niſi abſurdum & rectæ Rationi contrarium inſtituerint; nec ulla ceteroqui fide digno argumento ſe à Numine mandata accepiſſe oſtendere potuerint. Quare ipſi Ethnici [3] Scriptores, qui de iis egerunt, ficta eſſe, quæ de Numinum ſecum commercio aut ſuffragatione jactabant, judicarunt; rémque totam calliditati hominum nomine Deorum, ad plebem in officio continendam utentium, acceptam referendam eſſe ſtatuerunt. Præterea nullus eorum de toto Humano Genere ad Dei verum cultum, & Virtutem, propoſitis alterius vitæ præmiis & pœnis, adducendo cogitavit. Nullus etiam mortem, ut fidem ſuis inſtitutis faceret, exemplúmque hominibus Virtutis præberet, paſſus eſt. Nullus ſe ſacerdotem Dei finxit, à quo veniam delictis populi morte ſuâ impetrandam ſibi eſſe diceret. Quibus in rebus, omnes longè poſt ſe reliquit Chriſtianorum Legiſlator & unus ſummi Dei Sacerdos Chriſtus.

XVI. Judæi, jam à temporibus Jeſu Nazareni, Regem quemdam exſpectabant, quem משיח *maſchiahh*, hoc eſt, *unctum*, Græcè χριςὸν, quia ungebantur Reges, eximiâ quadam ratione, vocarunt. Ab eo ſe ab hoſtibus omnibus ſuis liberatum iri, & rerum dominos, ingentibus victoriis de iis relatis, evaſuros, eóque regnante, in honoribus, divi-

3 *Vide* Plutarchum, *in eorum vitis.*

divitiis ac voluptatibus vitam acturos ſe ſperabant. Rem probare nihil neceſſe eſt, quia ex Evangeliis ſat nota & manifeſta eſt; nec negatur à Judæis, quorum libri iis commentis referti ſunt. Ea collegit *Joan. Buxtorfius* Synagogæ Judaïcæ Cap. XXXVI. & alii. Hæc opinio ita fuit inſita animis Judæorum, ut Chriſti Apoſtoli ſibi honores, in eo regno, Meſſiæ amicis conferendos, uti putabant, jam ambirent; unde uxor Zebedæi Chriſto, apud Matth. XX, 21. *Dic ut ſedeant*, inquit, *hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.* Cui ita reſpondit Chriſtus, ut facile intellectu eſſet, regnum, quod eum manebat, ejus generis non eſſe, quod ſibi Joannis & Jacobi mater finxerat. Idem etiam ſæpiùs teſtatus eſt. Attamen, & poſt reſurrectionem ejus, quæſiverunt rurſus ab eo Diſcipuli, *an eo tempore reſtituturus eſſet regnum Iſraëli*, Act. I, 6. uſque adeò animis eorum, de regno Meſſiæ in terris, temerè concepta opinio infixa erat!

XVII. Ejusmodi Regnum, ut jam aliquoties innuimus, & Judæis & Humano Generi noxium fuiſſet. Si enim in Judaïca Religione nihil mutaſſet Meſſias, quod factum iri negant Judæi; gens illa in rudibus illis cærimoniarum elementis æternùm manere neceſſe habuiſſet, ac tandem in ſuperſtitioſa minutorum & inutilium per ſe rituum obſervatione contabuiſſet, quod obduratis Judæis contigit. Deinde numquam ad majorem & præſtantiorem Virtutis cognitionem perveniſſent; cùm ſemper libidinoſam illam & iniquam conſuetudinem divortiorum retinuiſſent, & ceteros omnes homines, nî Judaïca Sacra ſuſciperent, hoſtium loco habuiſſent. Huc accedebat quòd gens conſcelerata, ut è *Joſepho* antea oſtendimus, ſi opibus & potentiâ aucta fuiſſet, in omne flagitiorum genus præceps fuiſſet ruitura. Nihil avaritia, ambitio & libido tam tetrum hominibus perſuadent; nihil ſuperbia & immanitas tam inhumanum ſuggerunt, quod non deſignaſſet. Ergo non erat cur, beneficii loco, à Deo divitias & honores exſpectaret, cui tam multa ad veri cultûs Divini, veræque Virtutis cognitionem & amorem deerant.

XVIII. Itaque optimè ei conſulebat Chriſtus, cùm, præter omnem ejus exſpectationem, non regnum hominum, hiſce in terris, ſed *regnum Cœli*, aut *Dei*, & quidem in altera vita, ei nunciavit; cúmque, ſi vellet illius particeps fieri, pœnitentiam agere & omni Virtutis generi gnaviter incumbere oportere docuit. Quin & regni ejus cœleſtis & divini cives ab aliis hominibus, in hiſce terris, nihil niſi vexationes atque omnia mala ſibi exſpectare oportere prædixit; quæ ſi conſtanti & manſueto animo ferrent, ita ut numquam ab officio deficerent & vexatores ipſos nullo propterea odio proſequerentur, vitámque per omnia temperantem, juſtam ac religioſam agerent, pro magnitudine Virtutis, majora præmia eſſent conſequuturi, in regno cœleſti. Hæc ſingillatim probari ex Evangeliis nihil opus eſt, cùm ſint iis à capite ad calcem referta.

XIX. Simul etiam Jeſus aliis omnibus terrarum populis proſpexit & verè Humani Generis Parentis ac Dei legatum egit. Si regnum terreſtre condidiſſet & Judææ genti ceteras omnes ſubdidiſſet, manifeſta hac in re προσωποληψία fuiſſet; quâ, ſine ulla ratione, unius populi gratiâ, ceteros omnes æternæ ſervituti ſubjeciſſet; ex qua non tributa modò & Vectigalia, qua tamen in re quæ iniquitas eſſe ſoleat omnes norunt, eos pendere oportuiſſet; ſed & imperantis populi ſuperbiam, inhumanitatem, avaritiam, libidinémque ferre neceſſe habuiſſent. Niſi Judaïca Sacra ſuſcepiſſent, ſemper gentem Judæam inimicam & infenſam eſſent experti; ideóque coacti fuiſſent non id modò, quod per ſe honeſtum ac laudabile fuit & æterni juris, in Judaïcis inſtitutis, ſubire; ſed & cærimonias, Hebræis ſolis olim, propter ſuperſtitioſam ac inolitam gentis conſuetudinem, impoſitas, ſine ulla utilitate, obſervare. Itaque aut miſeriâ ſuâ Judæorum vitia aluiſſent, aut obſequio in ejus ſuperſtitiones incidiſſent.

XX. Sapientiae ergo & æquitati Divinæ convenientiſſimum fuit Meſſiam mittere, cujus Regnum planè eſſet ſpirituale, ſitúmque in legibus, quibus ſumma Virtus continetur, hominibus ferendis; conſtituendis cœtibus, qui iis parêrent, iiſque tuendis, non vi humanâ, ſed divinâ è cœlo potentiâ, pœniſque & præmiis in altera vita propoſitis confirmandis; donec ipſe tandem è cœlo deſcendens, ad judicium vocato toto Genere Humano, ſupplicia & mercedem repræſentaret; nec Gentium, ſed rectè aut ſecus factorum rationem dumtaxat haberet. Reverâ hoc eſſe *regnum cœlorum* & *Dei* nemo non videt; cùm terreſtre Regnum humanum dumtaxat ingenium redoleat.

XXI. Itaque Chriſtus paſſim Regnum illud ita deſcripſit, ut carnales omnes opes & adfectus ab eo longè ſejungeret, quemadmodum videre eſt vel ex reſponſo, quod ab eo uxor Zebedæi, Joannis & Jacobi mater, accepit. Opes enim & gloriam exſpectantibus *calicem ſuum bibendum*, hoc eſt, maximas ærumnas exantlandas propoſuit, Matth. XX, 22, 23. eáque occaſione ſibi datâ, ſic diſcipulos omnes adloquutus eſt: *ſcitis quia Principes gentium dominantur iis, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit, inter vos; ſed quicumque voluerit, inter vos, major fieri, ſit veſter miniſter; & quicumque voluerit, inter vos, primus eſſe, erit veſter ſervus: ſicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemtionem pro multis.* Ideò litium ad hanc vitam pertinentium diſceptationes omnes abnuit, & roganti Luc. XII, 14. ut juberet fratrem ſecum hereditatem dividere, *homo*, inquit, *quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?* Rem etiam diſertiſſimè profeſſus eſt, apud Pilatum, Joan. XVIII, 36. hiſce verbis: *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem Regnum meum non eſt hinc.* Ideò etiam ſuis Diſcipulis, pro præmiis & honoribus, vexationes in hac vita & cruces pollicitus eſt, ut antea jam dixi.

XXII. Post reſurrectionem demum, in terris aliquo modo Regnum illud cœleſte inivit, quod his verbis ſignificavit Matth. XXVIII, 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cœlo & in terra.* Sed in cœlum ſublatus poteſtatem illam pleniùs exercere cœpit, quod mox intellexere Apoſtoli, è Spiritu Sancto in ipſos effuſo; atque ab eo demum tempore ſpirituale hoc ejus Regnum palam ubique nunciare cœperunt, ut è Cap. II. & ſequentibus Actorum Apoſtolicorum videre eſt. Regni autem illius functiones ſitæ ſunt, in arcana adminiſtratione & defenſione Eccleſiæ Chriſtianæ, ad rerum uſque finem; in audiendis atque exaudiendis precibus, ad ipſum fuſis; ac denique in ultimo Judicio, in quo toti Humano Generi in vitam revocato jus dicet, prout quiſque vixerit, præmiiſque bonos, ſuppliciis malos adficiet. Quo peracto, *Regnum reddet Deo Patri, ut ſit Deus omnia in omnibus*; quod multis docet Apoſtolus 1. ad Corinthios Cap. XV, 23. & ſeqq. & alibi paſſim, ut & alii Apoſtoli.

XXIII. In hiſce credendis, ſita non eſt exigua Chriſtianæ fidei pars; ſed quæ à nobis non exigitur, quia ſic Majores noſtri tradidere, ſine ullis rationibus, quibus fides noſtra nitatur. Chriſtus & Apoſtoli innumera miracula ediderunt, ut è Libris Novi Teſtamenti intelligimus; quibus fidem, ob argumenta veritatis, longè firmiora, quàm quæ in ulla alia Hiſtoria ſint, habemus; quæ collegit & in pauca verba, ſummo judicio, contraxit *H. Grotius* Lib. II. & III. Operis aurei de *Veritate Religionis Chriſtianæ.* Sed & inde ſatis liquet Chriſtum in cœlo regnare, quod [4] mirabili planè ratione doctrina ejus ſit per totum propemodum terrarum orbem propagata, & per tot ſæcula, ad nos uſque, conſervata, atque ita confirmata; nihil ut mirum Chriſtiani jam adferre videantur, cùm eam ad finem uſque Mundi perennaturam contendunt. Fateor & prava dogmata & deteriores mores in Eccleſias Chriſtianas, jam à multis ſæculis, irrepſiſſe; ſed Chriſti Regnum, ut nec Patris ejus, in homines, non eripuit liberum Chriſtianis arbitrium, quo ſunt homines plerumque in ſequiorem partem uſi. Hinc naſcuntur virtutes, non minùs quàm vitia, quibus præmia ac pœnas propoſuit; atque eò admirabilior eſt Chriſti Providentia, in hac humani generis depravatione, quòd Apoſtolorum ſuorum Scripta illibata ſervarit; quorum ope, adhibitâ rectâ Ratione, cujus etiam lumina exſtingui paſſus non eſt, aliiſque neceſſariis, quibus inſtructi abundè ſumus, adminiculis, veram ejus doctrinam cognoſcere poſſimus; ut ſalutaria dogmata amplectamur, & ad præceptorum ejus normam vitam agamus; quod jam obſervavimus Libro Grotianis antea memoratis ſubjecto §. VI. & ſequentibus. Corrumpantur licèt dogmata & mores, numquam interibunt divini illi Libri; numquam toti Humano Generi eripietur recta Ratio, eruditióque ad eos intelligendos neceſſaria, & ſi quando videbuntur

4. Vide *Grotium* de V. R. C. Lib. II. §. 18 & 19.

buntur meliores à deterioribus vinci, erunt ſubinde, ut ad hæc tempora fuerunt, qui Chriſtianos ad Revelationem & Rationem alicubi terrarum revocent. Quinimò & de hoc noſtro ævo dicere poſſumus, ſine ullo præteritorum ſæculorum contemtu, Religionem Chriſtianam à nonnullis, tanto eruditionis & ingenii adparatu (quod non ſine ſingulari cœleſtis noſtri Regis Providentia factum eſt) explanatam & defenſam fuiſſe; numquam ut in clariore & meliore luce collocata fuerit. Quare eſt cur ſperemus ab eodem in poſterum etiam excitatum iri ingenia, quæ dotibus ad eo acceptis, in dilucidationem ac defenſionem Veritatis, feliciter utantur, & multos in ſuam ſententiam adducant.

CAPUT IV.

De Cultu Divino, déque moribus Hominum erga ſemet ipſos & alios, & præmiis ac pœnis, ex ſententia Chriſtianorum.

I. POSITIS Religionis Chriſtianæ fundamentis, nunc eſt in ſe ipſa introſpicienda; quæ poteſt ad quatuor ſumma capita referri. Sunt enim in ea, quæ pertinent ad cultum ipſum Dei, aut ad nos ipſos, aut ad alios homines, aut ad ea quæ in futura exſpectantur vita. Colendus eſt nobis Deus, ut par eſt; ratio eſt ſui ipſius ſingulis habenda; ſunt proximo reddenda, quæ ei debentur; idque non propter præſentem tantùm utilitatem, ſed propter præmia ac pœnas, quæ homines, in altera, poſt hanc mortalem, vita manent. Hæc omnia ſi à nobis facta fuerint, prout præcipit Religio Chriſtiana; nihil eſt, quod à quoquam carpi ac reprehendi in nobis, aut ad majorem perfectionem conſequendam, prout eſt nunc Humana Natura, præterea addi queat. Quod ut meliùs intelligatur, ſunt illa quatuor capita paullò diligentiùs exponenda; in his enim totus Religionis Chriſtianæ cultus verſatur. Nec tamen rem exhaurire hîc adgrediemur. Satis erit ſumma capita tradi, ex quibus ſingula officia deduci queant; virtuteſque deſcribi, ut iis contraria vitia intelligantur.

II. 1. ANTE omnia, nos jubet Chriſtiana Religio credere eſſe Deum unum, ſeu Creatorem omnium rerum; quod eſt fundamentum omnium virtutum, cùm ſine Deo, nulla futura eſſet Virtus, nec ullum Vitium; quibus nulla eſſent præmia, aut ſupplicia conſtituta. Si Deus nullus eſſet, omnia æternâ neceſſitate, aut cæco caſu agerentur; indéque nati eſſent, non tantùm homines, ſed & humani omnes adfectus.

1 *Eum præcipientem* &c.] Faciunt hoc, qui deſcribunt Deum, ubi de vitiis & delictis hominum ſermo eſt, id agentem; quo poſito, non poſſunt homines non eſſe vitiis dediti, aut non peccare; propter quæ tamen æternas pœnas luituri ſunt. Sunt enim hæc cum Sanctitate & Juſtitia Dei prorſus ἀσύστατα, quamvis obſcurorum ver-

tus. Inde ortæ omnes opiniones & actiones, nec laudari, nec vituperari magis poſſent in hominibus, quàm effectus naturales in meris corporibus, aut cæci impetus in brutis. Igitur qui dixit: *ἄνευ ἀρετῆς Θεὸν ὄνομα μόνον*, *ſine Virtute*, *Deum tantùm nomen eſſe*, dicere etiam meritò potuit, *ἄνευ Θεοῦ ἀρετὴν ὄνομα μόνον*, *ſine Deo*, *Virtutem tantùm nomen eſſe.* Nec ea fides exigua Virtus haberi poteſt, cùm non cadat, niſi in animum veri & honeſti amantem; qui enim eorum amore non tanguntur, nullis argumentis, ſive è rerum Univerſitate, ſive è Revelatione ductis, perſuadentur eſſe inconſpicuum rerum omnium, quas vident, Creatorem & Dominum; cui dignas gratias, ob benefacta, numquam homines rependere poſſunt; & à quo eſt cur ſibi metuant, ſi id faciant, quod ei diſplicet. Meritò ergo Scriptor Apoſtolicus ad Hebræos Cap. XI, 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator.* Nec tamen eſt hæc fides temeraria aut cæca, quæ multis & gravibus argumentis, ne ab Ethnicis quidem ipſis ignoratis, nititur; quamvis *fides* dicatur, non *ſcientia*, quòd agatur de Natura inconſpicua, quæ ex rationibus creditur, non cernitur.

2. Præterea Chriſtianæ Religionis conditores docent de Deo quàm optimè & magnificentiſſimè ſentiendum; quod non tantùm pertinet ad Dei adtributa, quæ *Phyſica* vocantur, qualia ſunt Æternitas, Omnipotentia & ſimilia, ſed & præſertim ad ea quæ *Moralia* dici poſſunt, & *Virtutes* etiam adpellari ſolent. Agnoſcendæ ſunt Sanctitas, Juſtitia, Bonitas, Miſericordia Dei, aliæque idgenus Virtutes, quæ in Scriptoribus Sacris utrámque paginam faciunt, & quibus maximè religioſorum hominum amor erga Deum accenditur. Non ſatis bene ſentiret de Deo, qui Potentiam quidem Dei extolleret, & ſummum ejus Dominium in creaturas; intereáque [1] eum præcipientem & facientem ea induceret, quæ cum Sanctitate, Juſtitia, & Bonitate conſiſtere non poſſunt. Atque ita ſanè loquuntur Chriſtianæ Religionis conditores de Deo, ut vitia omnia humana, quæcumque ſint, ab eo longè amoveant, virtutéſque nullis defectibus finitas ei tribuant; nec, ſi quid contrarium legatur, in recentiorum quorumdam Scriptorum Chriſtianorum Libris, difficile eſt oſtendere, id alienum eſſe à doctrina Apoſtolorum. Qui bene ſentiunt de Deo, ii demum, ut par eſt, *ſanctificant nomen Dei*, apud animum ſuum; quod ut fiat Deum, ex præſcripto Chriſti, quotidie orant Chriſtiani. Id ex animo, ut decet, facere non poſſunt, niſi ab omnibus pravis opinionibus & ſermonibus de Deo ſint alieniſſimi. Ipſe *Cicero*, in Oratione pro domo ſua ad Pontifices c. XLI. *nec eſt ulla*, inquit, *erga Deos pietas*, *niſi honeſta de Numine eorum ac mente opinio*; *cùm*

verborum involucris tegantur. Qui talia eſſe Chriſtianæ Theologiæ dogmata contendunt, & negantibus etiam indignantur, eam repugnantiæ omnium maximæ imprudentes ream faciunt. Contrarium dogma tuentem vide *Origenem* in Philocalia Cap. XXI. & XXVII.

cùm expeti nihil ab iis, quod ſit injuſtum atque inhoneſtum, arbitrere. Quod tamen ab Ethnicis numquam eſt factum, cùm & vitia humana Diis adtribuerent, ſacráque inhumana & impura paſſim facerent. Nec ipſi Judæi *ſanctificabant nomen Dei*, ut par erat; cùm eum Deum unius populi ſui, ceteríſque omnibus infenſum facerent. Hæc autem ſunt eo majoris momenti, quòd ſi ſemel malè ſenſeris de Virtutibus divinis; nec Deum colis, ut oportet, & Vitia, quæ ei imprudens tribuis, imitaris, quod ab Ethnicis factum conſtat.

Parum reverenter ſe gerunt erga Deum, qui nomen ejus aut rebus levis momenti, aut, quod deterius eſt, falſis, ut eis fidem faciant, interponunt. Ideóque Chriſtus non tantùm perjurium vetuit, ſed jusjurandum quoque levi de ratione conceptum, etiam iis formulis adhibitis, quibus nomen Dei videtur datâ operâ vitari, ut videre licet Matth. V, 33. & ſeqq. Quisquis intelligit quanta ſit Dei Majeſtas, & quot ac quantis ei beneficiis, acceptis, atque ſperatis, devincti ſimus, non poteſt de eo cogitare ſine ſumma reverentia; ac proinde temerè & veluti per jocum nomen ejus numquam proferet, aut fide, quæ ei habetur ab aliis, abutetur; nedum ut, teſte & ultore mendacii Deo invocato, quemquam fallat. Attamen frequens utrúmque, apud Judæos, atque Ethnicos fuit; quamvis à viris ſapientibus, apud utróſque graviter reprehenſum fuerit, [2] ut viri docti ad Matthæi Cap. laudatum oſtenderunt.

Cum Dei reverentia conjunctus eſt *Amor*, quo ſummum illum benefactorem, cui omnia, licèt nihil ab eo promeriti, præter ſupplicia, debemus & à quo omnia exſpectamus, complecti nos par eſt; ſi modò benefactorem eum, qualem deſcripſimus, eſſe credamus. Is amor adfectio eſt animi, quæ conſtat 1. grato ſenſu tantorum beneficiorum: 2. ſtudio faciendi quidquid novimus ei placere, & vitandi quidquid ſibi diſplicere oſtendit, ut gratiam ejus nobis magis ac magis conciliemus; idque eo animo, quo ſolemus eos, quos amamus, demereri; hoc eſt, libentiſſimo, & promtiſſimo: 3. tantáque cupiditate, ſi ita vocari poſſit ea animi adfectio, ei placendi, ut nulli contrariæ cupiditati apud nos ſit locus, neque animus noſter Deum inter & alia ſit veluti diviſus. Quod jam præceperat Moſes Deut. VI, 5. & repetiit Chriſtus, ut *maximum & primum mandatum totius Legis*, iiſdem verbis, Matth. XXV, 37. *Diliges*, inquit, [3] *Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Ejusmodi amor intra animum latere non poteſt, ſed moribus Chriſtianis, & præſertim amore proximi ſe ſe prodit, ut docent Chriſtus Joan. XIV, 23, 24. & Joannes 1. Epiſt. IV, 23.

2 *Ut viri docti* &c.] Vide præſertim *Hug. Grotium* ad eum locum & quæ nos in additamentis ad adnotationes *H. Hammondi* in N. T. Addemus hîc inſignem locum *Plutarchi* in perjuros è vita Lyſandri p.437. ubi poſtquàm oſtendit eum fidem frangere & mentiri non dubitaſſe, addit: οὐδὲ Λακωνικὸν τὸ χρῆσθαι τοῖς θεοῖς, ὥσπερ τοῖς πολεμίοις, μᾶλλον δὲ ὑβριστικώτερον· ὁ γὰρ ὅρκῳ παρακρουόμενος τὸν μὲν ἐχθρὸν ὁμολογεῖ δεδιέναι, τοῦ δὲ Θεοῦ καταφρονεῖν: *neque Laconicum eſt ſe gerere erga Deos, ut erga hoſtes,*

aut

23. Amare Deum ex animo & pravis moribus eſſe, aut odiſſe homines, unà conſiſtere non poſſunt. Amorem Dei nullum alium norunt Sacræ Litteræ; fanaticum neſcio quem adfectum, quo Deum, ut nonnulli volunt, propter ipſum ſolum, nullâ beneficiorum ejus ratione habitâ, amemus nuſquam memorant; nec ſanè Deum à benefica ejus natura ſejungere, eum amando, debemus, aut poſſumus.

3. Judæis adſentiebantur primi Chriſtiani, & quidem meritò, in eo quòd ſolum Deum *adorandum* eſſe, ex primo Decalogi præcepto, docerent. Notum eſt autem *adorationem*, ubi religioſum erga Deum officium ſignificat, duplicis eſſe generis. Eſt, nimirum, adoratio animi, aut corporis; & corporis quidem eſt incurvatio, aut dejectio in terram, more Orientalium, quæ ſignificari ſolet voce [4] השתחוה *hiſchthabhavveh*; cujus eſt ea propria ſignificatio, apud Hebræos; ut & Græcæ προσκυνεῖν, cujus primigenia poteſtas eſt *ad pedes canis inſtar procumbere.* [5] Latini *adorationem* vocarunt, ab oris admotione, quo ſtatuas Deorum oſculabantur; aut ſaltem dextram, ſi remotiores eſſent, quàm ut ore adtingi poſſent. Sed hìc *adorationis* voce intelligimus, more Hebræo, demiſſionem corporis, non honoris cujusvis causâ, ſed tantùm religioſi; quo ſignificatur id quod adoratur religioſè coli, inſtar Numinis. Hinc translatæ voces memoratæ ſignificarunt, ubi de animo ſermo eſt, dejectionem ac demiſſionem animi, quâ agnoſcimus id quod adoramus ejuſmodi eſſe, ut ab eo pendeamus per omnia, & quævis expectare poſſimus; quod fieri nequit, niſi putemus Naturam, quam colimus, omnipotentem eſſe, &, ſi ei lubet, colentibus quævis largiri. Hinc Deus, omnium Creator, ſe ſolum, quippe unum omnipotentem & ſummum omnium Dominum, juſſit animo *adorari*, ſibique ſoli corporis geſtu, qui animi adorationem comitatur & ſignificat, eum honorem deferri. Quod & confirmavit Chriſtus Matth. IV, 10. ubi Cacodæmoni, omnia terrarum regna pollicenti, ejuſmodi cultum, ſoli Deo debitum, negat. Cùm unius Creatoris omnium Dei ſummum ſit in omnia Dominium, atque ad eum ſolum pertineat omnipotentia; æquum eſt nos ea, in illo ſolo, adorare atque agnoſcere, animo & corpore; nec ulla pars ſimilis cultûs ulli alii Naturæ exhibenda, in quam partem imperii & potentiæ ſuæ ipſe non contulerit, inque ea agnoſci non juſſerit. Itaque Judæi & Chriſtiani, nulli Naturæ ejuſmodi cultum deferre umquam voluerunt; contrà quàm ſolebant Ethnici, qui quidvis colebant, quaſi penès homines honores divinos cuivis rei conferendi jus fuiſſet; quo nihil abſurdius, nihil in Deum contumelioſius fingi potuit.

4. Et

aut potiùs contumelioſiùs. Qui enim circumvenit jurejurando, fatetur ſe hoſtem quidem timere, Numen verò ſpernere.

3 Interpretationem horum verborum vide in notatis ad locum Deuteronomii, *in Comment. Philologico.*

4 *Vide Interpretes ad Exod.* XX, 5.

5 *Vide collecta à* Chriſt. Becmanno *in Orig. L. L. ad vocem* Os, *&* *quos ad teſtimonium citat.*

4. Et Judæi & Chriſtiani [6] in Deo ſolo fiduciam ſummam eſſe collocandam conſtanter docuerunt & meritò; quia ille ſolus poteſt & vult omnia, hominum causâ, nec eorum ſpem umquam fallit; cùm in creaturis nec ſit ea potentia, quâ indigemus, nec ſemper voluntas juvandi, nec ea fides in promiſſis, quam numquam fallant. Itaque inter partes cultûs divini non ultima eſt ea, quem diximus, fiducia. Nec ea tantùm ad res hujus vitæ ſpectat, in quibus Deus veros ſui cultores eatenus ſemper juvat, quatenus ejus ſapientiæ, ſalutique eorum æternæ convenit; ſed & potiſſimùm ad alterius vitæ felicitatem, ad quam ut ad finem bonorum tendimus, & cujus causâ omnia nos facere & pati par eſt, niſi deſipere velimus. Quia verò Chriſtiani promiſſa hujus vitæ, niſi quatenus conducunt futuræ, nulla habent, multóque clariora de æterna felicitate acceperunt, quàm Judæi; præſtantior multò eſt & plenior fiducia, quem in Deo ponunt. Hinc pendet virtus Chriſtiana, quæ vocatur *Fides*, ſeu Πίςις, quâ Revelationem omnem divinam complectimur, certóque ſperamus nos promiſſorum ejus participes fore, ſi modò iis credentes leges, ex quibus pendent, impleverimus. Nec ea Virtus cæca eſt, ſeu ſine rationibus amplectitur quæ Dei nomine revelata ſunt; ſed graviſſimis argumentis permota, præſtantiáque promiſſorum divinorum, & convenientiâ præceptorum omnium cum humana natura perſpectâ, facilè & revelatis credit & legibus paret; unde iterum naſcitur *Fiducia*, Πεποίθησις, quâ ſinguli ſe Miſericordiæ & Beneficentiæ divinæ ampliſſimorum munerum participes fore confidunt. Hinc intelligere eſt cur uſque adeò extollatur Fides; cùm univerſam Chriſtianam obedientiam, ſuo ambitu, complectatur.

5. Cùm multa omnes in hac vita ſemper peccemus, veniámque commiſſorum & omiſſorum, ac ſanctitatem in poſterum petere debeamus & multa deſint, perpetuóque ſit cum periculis confligandum, in quibus ſi nos ſuccumbere contingeret, fide ipſa & omnibus Evangelii beneficiis excideremus; Deus nos juſſit à ſe auxilia, quibus indigemus, precibus expoſcere. [7] Non eget quidem ille precibus noſtris, ut quid nobis deſit norit, quippe omniſcius; nec orari vult, quaſi difficilis quidam benefactor, & qui precibus à ſe emi velit, quod dat. Nullis noſtris precibus provocatus nos creavit, ſed ſolo benefaciendi amore & ſtudio, innumeráque creatis conceſſit, quæ petere non poteramus; ut redemtionem per Chriſtum, Evangeliique cognitionem & quæ ſunt cum ea conjuncta. Verùm noſtri causâ, ut meliores nos faceret, certiúsque ad ſalutem adduceret precum officium nobis impoſuit; quia dum eum precamur,

6 *In Deo ſolo* &c.] Jeremias XVII, 5, 7. *Hæc dicit Dominus: maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum & à Domino recedit cor ejus —— Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Vide Pſ. II, 12. CXVIII, 8, 9.

7 *Non eget quidem ille* &c.] Rectè *Arnobius* Lib. I. p. 18. Ed. Heraldi: *Hunc* (Deum ſummnm) *collatis precibus adoramus, ab hoc juſta & honeſta & auditu ejus condigna depoſcimus, non quo ipſe deſideret ſupplices nos eſſe*,

camur, memores ſimus peccatorum noſtrorum, quorum ab eo petenda venia, miſericordiæque quâ eam pœnitentibus concedit, tum & omnium ejus beneficiorum, ac intelligimus nos ab eo per omnia pendere; unde ſequitur ut grato erga tam beneficum Numen animo ſimus, ejúsque præceptis pareamus. Quod videmus ex Oratione Dominica, in qua non minùs, quamquam obliquiùs, officii noſtri, erga nos & alios, admonemur; quàm Deum ipſum, de iis quæ nobis deſunt, admonemus. Si Dei veniam peccatis noſtris poſcimus, ſimul etiam ignoſcere nos hominibus in nos peccantibus oportere profitemur; imò & nos ad veniam iis concedendam obſtringimus, dum ex ea remiſſionem peccatorum, quam à Deo petimus, pendere volumus. Similia, de aliis ejuſdem orationis capitibus, dicere licet. Hinc quanti momenti ſit precum officium intelligimus, & quàm ſit Deo dignum videmus.

Tria autem in precibus, ut ſint Deo gratæ poſtulantur. Primum eſt, ut res verè bonas à Deo petamus, quales ſunt Veritatis cognitio, delictorum remiſſio, Virtutis veræ ſtudium, & ſalus æterna, quæ à ſe invicem divelli nec debent, nec poſſunt; reliqua verò omnia, quatenus tantùm ſuperioribus conſequendis prodeſſe nobis queunt; aliis omnibus æquo animo carituri, ſi noxia eſſent futura, atque in paupertate, contemtu & doloribus vitam libenter acturi, ſi Deus hæc nobis utilia cenſeret. Quin & Chriſtus inimicis & vexatoribus veniam à Deo, & eadem bona, quæ nobis petimus, poſci à nobis præcepit; nedum ut mala eis optare liceat. Alterum eſt, ut eo modo, quo par eſt, id quod à Deo poſcimus, precibus noſtris petamus; hoc eſt, ut ne Deo præſcribamus, quid ſit ipſi faciendum, & quâ ratione nobis concedendum, nec ita ſimus adfecti, ut ægrè feramus nobis negari quod optamus; ſed Deum oremus, ſemper additâ aut certè intellectâ exceptione, ſi modò ita ei videatur, qui multò meliùs novit quid nobis expediat, quàm nos ipſi, & qui omnium rerum eſt Dominus, nec quidquam nobis, aut aliis creaturis debet, præter id quod ſponte promiſit. Tertium denique, ut nos impetrabiles numquam apud ipſum fore ſciamus, niſi ad normam ejus præceptorum mores noſtros exigamus; non eſt enim æquum, ut improborum precibus, dum improbi manent, quidquam concedat. Hoc ipſum ſignificavit Chriſtus, cùm nos juſſit petere *in nomine ſuo* Joan. XIV, 12, 13. XVI, 15. *In Chriſti nomine* orare, eſt apud Deum hanc impetrandi rationem adferre, quòd vocemur, & ſimus reverâ *diſcipuli Chriſti*; quod nomen nos illi ex animo parêre ſignificat, niſi falsò à nobis uſurpetur. Hæc ſatis oſtendunt, ex ingenio Religionis Chriſtianæ, diligenter cavendum ab errore Vulgi, quod

eſſe, aut amet ſubſterni tot millium venerationem videre. Utilitas hæc noſtra eſt, & commodi noſtri rationem ſpectans. Nam quia proni ad culpas & ad libidinis varios adpetitus vitio ſumus infirmitatis ingenitæ, patitur ſe ſemper noſtris cogitationibus concipi; ut, dum illum oramus & mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe, delictorum omnium amputatione, purgemus.

quod putat ſe *toto animo*, ut loquitur, Deum orans impetrabilius eſſe; hoc eſt, eò faciliùs à Deo impetrare, quò vehementiùs aliquid optat, & cupidiùs petit; quamvis ceteroquin abſint bonarum precum neceſſariæ conditiones. Si in periculo magno verſetur, aut gravi calamitate prematur, ad Deum quidem enixis precibus confugit, ſed liberationem tantùm, à præſenti malo, petit; ceteroqui numquam ardentiore oratione virtutem, ac peccatorum veniam poſcit; nec niſi iniquo animo, quæ à Divina Providentia mittuntur, ſi carni diſpliceant, accipit; nec denique mores emendare, quò acceptius Deo fiat, conatur. Hinc liquet *toto animo orare*, in iſtorum hominum ſermone, perinde eſſe ac cupidiſſimè petere, omiſſis iis quæ diximus; cui cupiditati nihil Deus promiſit, quippe quâ ſolâ gratior ei nemo fieri poteſt. Non eſt Virtutis malo liberari velle, ſed naturalis odii, quo incommoda perſequimur; Virtutis eſt Evangelio *toto animo* parêre, ut Deo grati & accepti fiamus. Paulus quidem enixè Deum oravit, ut liberaretur *ab Angelo Satanæ, qui colaphos ei impingebat*, ut ait 2. Cor. XII, 7. ſed minimè eſt exauditus; quòd ſaluti ejus ſatius eſſet, eo incommodo, quodcumque fuerit, eum vexari, quàm liberari. Quare vir ſanctus adquievit in voluntate divina. Ideóque fruſtra ii ſunt, qui quò vehementiùs cupiunt quod petunt, eò faciliùs id à Deo ſe impetraturos, ea ſola de cauſa, ſperant.

Quamvis Hebræi è Lege & Prophetis orandi præcepta & exempla petere poſſent, attamen obſcuriora hæc erant & minùs perfecta; quòd beneficia alterius vitæ, ſtante Regno Hebræorum, ſat nota non eſſent, & propter Legis promiſſa, quæ, cùm ad vitam hanc pertinerent, eò Hebræos inducebant, ut nonniſi talia à Deo beneficia peterent; quod ſatis liquet ex Pſalmis, niſi præter nativam verborum ſignificationem eos intelligamus. Nec in iis leges rectarum precum obſervatas, niſi pro modulo illius ævi, liquidò videmus; cùm multa petantur, in iis, hoſtibus Davidis & populi Hebræi mala, ut Pſ. LXIX, CIX & CXXXVII. quamvis ceteroqui complura ſint, paſſim in Pſalmis, egregiæ pietatis clara indicia. Multa etiam Ethnici Philoſophi dixere, de precibus, laudabilia; ut [8] *Plato* Alcibiade II. cujus mentem etiam expreſſit pulcrè *Juvenalis* Sat. X, 247. Sed præter quàm quòd ad verum Deum non fundebant preces, vulgò omnes rectæ orationis Leges conculcabantur. Itaque Hebræorum & Paganorum Religiones, hac in re, longè ſuperavit Chriſtiana.

Cum precibus conjunctas eſſe oportet Dei laudes & gratiarum actiones, propter eximia ejus opera, ingentiáque ac perpetua beneficia, quibus homines cumulat. Ac ſanè iis & adhortationibus ad Deum laudandum

8 *Plato*] Qui docet non eſſe temerè à Deo petendum, quod bonum eſſe nobis non conſtat, profertque p. 143. Ed. Steph. Tom. II. Poëtæ prudentis preces, duobus his verſibus comprehenſas:

dum & gratiarum actionibus adeundum, pleni ſunt Davidici Pſalmi, ceteríque omnes Veteris & Novi Teſtamenti libri. Res ipſa eſt æquiſſima, dúmque eam ex animo præſtamus, meliores in dies fimus; nam præter grati animi & æquitatis perpetuum exercitium, quò magis beneficia & opera Dei animo verſamus, eo faciliùs ad ei obſequendum adducimur. Eáque potiſſima ratio eſt, cur à nobis ea pietatis officia poſtulet Deus; nihil enim ad Deum è laudibus noſtris, gratiarúmve actionibus redit emolumenti. Non minùs felix eſſet, ſi opera ejus & bene facta ſilentio premeremus. Noſtri ergo ipſorum causâ, laudari à nobis, & grates accipere voluit Deus. Dicitur quidem paſſim *gloriæ ſuæ* causâ, & *in laudem gloriæ ſuæ* omnia feciſſe; ſed ratio adlata oſtendit omnes ejus rei fructum in nos redundare; quamvis Deus etiam noſtris erga eum pietatis officiis delectetur, quòd naturæ ejus & noſtræ ſint conſentanea. Dicimur, exempli causâ, Epheſ. II, 6, 7. *prædeſtinati eſſe ſecundùm propoſitum voluntatis ejus, in laudem gratiæ ejus, in qua gratificavit nos, in dilecto Filio ſuo*, &c. *ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto, ſignatique eſſe Spiritu Sancto &c. in laudem gloriæ ejus*; ſed hæc omnia non eum in finem potiſſimùm facta ſunt, verùm ut Deus, convenienter præſtantiſſimæ ſuæ naturæ nobis bene faceret. Ut autem Deum laudemus, ut par eſt, & piis gratiarum actionibus, prout dignus eſt, proſequamur; oportet nos ejus opera & beneficia, & quàm ejus beneficentia indigni eſſemus probè noſſe; quod fiet, ſi perpetuò hæc contemplemur & animo reputemus. Tum verò pleni admiratione operum divinorum, & grati animi adfectu, in laudes & grates ſubinde erumpemus, nec umquam nobis ſatisfaciemus; cùm nec Deus ſatis à nobis laudari, extolli, coli poſſit, nec dignis gratibus ornari. *Dignus, dignus eſt verè, ut Arnobii* è Lib. I. verbis utar, *ſi modò dignus mortali dicendus eſt ore, cui ſpirans omnis, intelligénsque natura & habere & agere numquam deſinat gratias, cui totâ conveniat vitâ genu nixo procumbere, & continuatis precibus ſupplicare.*

6. Præceptis omnibus divinis parere nos volunt conditores Evangelii, non ut ſervos, qui herum immitem, iracundum, iniquum timent, nec niſi inviti ac metu pœnarum parent, velléntque tale nihil ſibi imperari; ſed ut filios, qui lenibus ac prudentibus parentum præceptis, quòd videant ea ad utilitatem ſuam ſpectare, Rationique eſſe conſentanea, libentiſſimè obſequuntur. Fateor eos, qui à Numine impoſitam ſibi multorum inanium rituum obſervationem, quaſi rem per ſe ei placentem, & in qua ſui tantùm, non hominum, rationem habuerit, putarunt, vix aliter Deum potuiſſe, quàm ſervili animo, colere; præſertim ſi graves pœnas cærimoniarum neglectum luiturum crederent, quemadmo-

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις.
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξοις.

Optima da nobis ſeu te, Pater, illa rogemus,
Seu non; & contrà nocitura rogantibus arce.
Similia habet *Juvenalis*, qui adeatur.

admodum vulgò Ethnici & Judæi. Ideò etiam [9] *ſervorum* loco potiùs eos habuerunt Chriſtiani; quàm eorum, qui *filii Dei* Opt. Max. verè dici poſſent. Nec tamen leve quoddam, & quod cum vitiis conſiſtere poſſit, obſequium Deo præbent, cùm & pravis omnibus adfectibus ſe ſe exuere jubeantur, & vitam ipſam, ſi ita res ferat, potiùs quàm Leges Divinas perfringant, profundere neceſſe habeant. Quinimò ardua & difficilis hæc obedientia eſt, dum homines nondum ſatis adfectibus ſuis imperant, nec alterius vitæ præmiis & pœnis, ut par eſt, adfecti ſunt. Sed levia fiunt iis, qui jam adfectus edomuerunt & magnitudinem præmiorum vitæ futuræ intelligunt; faciliúſque obſervantur, quàm cærimoniæ multiplices, quibus obruebantur Judæi. Hos adloquitur Chriſtus Matth. XI, 28. hiſce verbis: [10] *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde & invenietis requiem animabus veſtris; jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.* Hoc obſequium ſolet, in Novi Teſtamenti tabulis, aliis etiam vocibus, loquendique generibus deſcribi; qualia ſunt *Deum amare toto animo, toto corde & totis viribus*, *Deum timere*, aut *revereri* & ſimilia. *Amor* enim *Dei* ut antea diximus, ſitus eſt in eo quòd de Deo optimè ſentimus, grato animo erga eum ſumus, omniáque facimus quæ ei grata & accepta eſſe novimus, nec quidquam ejus mandatis antevertendum putamus. *Timor* etiam, aut *reverentia Dei* eſt metus, quo nobis cavemus, ne tam benefico Creatori & Soſpitatori ingratos nos, pravis moribus, præbeamus; non tantùm pœnarum horrore, aut ſpe præmiorum; ſed potiſſimùm propter beneficia, quibus nos ſibi devinxit, & eximiam præceptorum præſtantiam, quibus nobis in hujus vitæ tenebris prælucere dignatus eſt; quæ violare non tantùm impium, ſed ſtultum ac turpe eſſet, & ſine quibus paſſim ceſpitaremus. Chriſtianorum animi, ob perſpicuitatem & præſtantiam Revelationis, hiſce multò magis adficiuntur, quàm umquam adfecti ſunt Judæi.

Paulus quidem auctor erat Philippenſibus ut *cum metu & tremore ſalutem ſuam operarentur*; *Deum enim fuiſſe*, *qui operaretur in iis & velle & perficere*, *pro bona voluntate* I. Cap. II, 12, 13. Sed nihil obſtat quominùs *cum metu & tremore* ſalutis negotio operam demus, ne Deum beneficum offendamus, dum negligenter beneficiis ab eo acceptis utimur. Deus eſt, qui excitat Chriſtianos, ut bene ſe gerere velint, atque bona opera perficiant; ſed ita ut ejus excitamentis minimè obſequi poſſimus & cujus proinde beneficio ſi malè utamur, mirum non eſt, ſi tandem auxilium illud ſuum ſubtrahat; quod delictum *metuere & horrere* debemus, & quidem eò magis, quò magis Deum amamus.

7. Vo-

9 *Servorum loco*] Vidè Rom. VIII, 15. & ad eum locum Intt.

10 Vide ad hanc locum à nobis notata in additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnot. in N. T.

11 *Numquam prorſus exſtinguetur*] Vide no-

7. Voluit etiam Chriſtus diſcipulos ſuos fidem, amorem, reverentiámque ſuam erga Deum palam profiteri, ad ſimilem animi adfectionem omnes homines vocare, cœtúsque conſtituere inter ſe; quibus arctiùs conjungerentur, mutuisque adhortationibus, auxiliis, & exemplis invicem in eo vitæ genere confirmarentur, ac veritatis Evangelicæ cognitio conſervaretur, & ad poſteros propagaretur. Qua in re noluit quidem Chriſtianos ſe imprudenter gerere, ſed tamen nullam calliditatem adhibere conceſſit. Quod multis Cap. X. Evangelii Matthæi perſequitur, ubi mittens Apoſtolos, cum mandatis de prædicatione Evangelii, *Ecce*, inquit verſu 16. *mitto ego vos ſicut oves, in medio luporum; eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ*; hoc eſt, prudentes, ſine calliditate; ſimplices, ſine imprudentia. Cúmque iis omnis generis vexationes à Judæis prædixiſſet, poſtea verſu 27. *Quod dico*, inquit, *vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta; & nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum; qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam.* Similia habet, in ſequentibus, pollicetúrque Deum ſingulari curâ eos tecturum, magnisque præmiis adfecturum.

De ordine quidem obſervando, in cœtibus Chriſtianorum, nihil dixit, rémque Apoſtolorum arbitrio, quos poſtea Spiritu Sancto adflaturus erat, permiſit; nec Apoſtoli hac in re officio ſuo defuerunt, ut in Hiſtoria Sæculi I. oſtendemus. Monuit tantùm de caſtigationibus delinquentium Chriſtianorum erga alios, quid vellet fieri, promiſitque ſe judicia Eccleſiæ, è legibus Evangelii lata, confirmaturum, ratáque habiturum, & adfuturum *in nomine ſuo congregatis*, hoc eſt, Eccleſiæ quæ de nomine Chriſti adpellationem ſuam traheret. *Ubi enim*, inquit, *ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Vide Matth. XVIII, 15. & ſeqq. Pollicitus præterea eſt ejuſdem Evangelii Cap. XVI, 18. perennitatem ei Eccleſiæ, cujus Petrus fundamenta jeciſſet, & *portæ*, inquit, *mortis*, vel *ſepulcri non prævalebunt adversùs eam*; hoc eſt, [11] numquam prorſus exſtinguetur. Quod ad hæc noſtra tempora, per ſeptemdecim ſæcula, præſtitit & porrò præſtaturus eſt.

8. Quia verò non verbis tantùm, ſed etiam ritibus quibusdam magis homines adficiuntur, intererat Chriſtianos ſe ita quoque ejus diſcipulos profiteri; ideò ritus duos, ſed eos facillimos & ſimpliciſſimos ab omnique adeò ſuperſtitionis ſpecie remotiſſimos, inſtituit; quibus ſeſe in diſciplinam ejus velle tradere, beneficiorúmque ſemper memores eſſe, & amicitiam inter ſe colere teſtarentur. Alter eſt Baptiſmus, qui [12] jam apud Judæos ſimilem in finem adhiberi ſolebat & à Joanne Baptiſta adhibitus etiam fuerat. Multos ipſe baptizavit, & plures per Apoſtolos, dum in terris verſare-

notata à nobis ad Matth. XVI, 18. ubi hoc verbis Chriſti ſignificari oſtendimus, in additamentis ad *Hammondum*.

12. Vide hac de re *Joan. Seldenum*, de Jure Naturæ & Gentium, ex Diſciplina Hebræorum Lib. II. c. 2. & *Joan. Lightfootium* ad Matth. III, 6.

ſaretur, iisque hæc mandata terras mox relicturus dedit: *Euntes*, inquit Matth. XXVIII, 19. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque dixi vobis.* Qui ergo baptizabantur ab Apoſtolis profitebantur [13] ſe velle poſthac haberi & *vocari diſcipulos Patris, Filii & Spiritûs Sancti*, ac proinde ex eorum præſcripto vivere; quo, ablutis prioris vitæ ſordibus, puriorem & ſanctiorem vitam agere jubebantur. Alter ritus eſt Cœna Dominica, quam inſtituit in memoriam mortis ſuæ, Matth. XXVI, 26. & ſeqq. & quæ oſtendit ejusdem panis participes pro fratribus ſe ſe invicem habere, unámque Eccleſiam Chriſtianam conflare velle, ut docet Paulus 1. Cor. X, 16, 17. Eadem etiam operâ, profitentur Chriſtiani ſe ratum habere fœdus, quod Chriſtus ſanguine ſuo ſancivit; ſeu velle ſe leges divinas obſervare, quarum veritatem Chriſtus morte ſuâ confirmavit. His autem duobus ritibus ſimplicius, ac facilius nihil eſt; qua in re, multùm diſtant à ritibus Judaïcis, quorum tam grave erat jugum, ut Petrus teſtetur Act. XV, 10. nec à ſe, nec à Majoribus ſuis ferri potuiſſe. Rituum Chriſtianorum ſignificatio clara eſt, nec longè petenda, ut nihil in iis ſuperſtitioſum, aut quod ſuperſtitionem redoleat, deprehendi poſſit; ſi modò è ſolis Apoſtolicis libris hauriantur, quos ſolos hîc audimus.

9. Nullæ ſunt in Chriſtiana Religione, à Chriſto certè & Apoſtolis conſtitutæ, graviores obſervationes, quibus corpus præter modum maceraretur; quales antea in Phariſæis & Eſſæis notavimus. Evangelium ea dumtaxat Chriſtianis imponit, quæ honeſta & laudabilia ſunt per ſe, & à bonis tantùm fieri poſſunt, ſi modò ex animo fiant. Omnes corporis adflictationes, per ſe, ad curanda animi vitia, inutiles, ſilentio prætermiſit. Quin etiam Paulus 1. ad Tim. c. IV, 1. & ſeqq. damnatis ejusmodi inſtitutis, quæ licita vetabant, quaſi meram pietatis ſimulationem inducentibus, *corporalis*, inquit, *exercitatio ad modicum utilis eſt; pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* [14] Deus, nempe, pios & in hac vita tuetur, & in proxima ingentibus præmiis adficit, ex promiſſis à Chriſto factis; cùm nihil ſimile σκληραγωγίαις pollicitus ſit. Non diffitemur, ubi vera pietas refrixit, quòd minùs nota eſſet, plùres intromiſſas & ad cœlum laudibus ſublatas macerationes corporis; ſed commenta fuerunt hominum imperitorum, aut ſimulatorum virtutis, aut etiam fanatico neſcio quo errore occœcatorum; quæ Chriſti, aut Apoſtolorum præceptis nullis nituntur. Sat multa ſunt vitæ incommoda & mala iis, qui pietatem nulla in re violare volunt, inevitabilia; nec opus eſt alia, ſponte noſtrâ, inani ſpecie Virtutis, nobis accerſere. *Omnes qui piè volunt vivere perſequutionem patientur*, ait Paulus 2. Tim. III, 12. Quod non tantùm verum eſt de tempori-

pori-

13 *Se velle in poſterum* &c.] Vide quæ ad Matth. XXVIII, 19. ibidem ſcripſimus.

14. Vide & Coloſ. II, 20. & *ſeqq.* & ad ea loca Interpretes.

poribus illis, quibus vexabantur ab Ethnicis Chriſtianam Religionem profeſſi; ſed & de temporibus ipſis Chriſtianis, quibus plures etiam fortè fuere & graviores, Religionis causâ, vexationes. Quin &, licèt nulla publicè fiat vexatio, Veritatis & Virtutis inflexus & conſtans amor multa mala probis conciliat; dùm faciunt quæ potentioribus diſplicent, aut negant à ſe fieri poſſe, quæ homines iniqui cupiunt, ut experientiâ ſatis conſtat. Ad quæ etiam accedunt communia toti Generi Humano, in hac vita, incommoda, piis non minùs quàm aliis ferenda; quæ conjuncta cum iis, quæ dixi, nimis multa, nimiſque gravia ſunt, quàm ut adſcita alia ſponte ſint ſubeunda. Ac ſanè conſtat Aſcetas, qui ſponte ſibi non neceſſarias σκληραγωγίας imponunt, ſæpe eâ ratione communia vitæ incommoda re verâ, quamvis diſſimulent, fugere ac vitare, nec meliores aliis eſſe; quod Monachorum & veterum & recentiorum mores ſatis oſtendunt. Verùm talia Chriſtianæ Religioni exprobrari nequeunt, cùm ejus conditores nihil ſimile hominibus impoſuerint.

10. Imò verò omnes ἐθελοθρησκείας, ſeu ſpontaneas rationes Dei colendi ab hominibus, ſine ullo divino mandato, inventas non obſcurè damnant. Paulus Epiſt. ad Coloſſ. II, 8. *& ſeqq.* multis in eas invehitur vetátque Chriſtianos *traditiones hominum* ſequi, in abſtinentia rerum licitarum ſitas; quæ rationem quidem habent ſapientiæ, in ſpontaneo cultu, & in humilitate, & in eo, quòd non parcunt corpori; quod in honore non habent, ita ut carnem ſatient; ſed re ipsâ ſpeciem tantùm habent pietatis, animúmque paſſim comitantur ſuperbum, immiſericordem, iniquum, veri juxta imperitum & inimicum, impium, & qui larvâ inuſitatæ virtutis, honores, voluptates, & divitias, quibus occultiùs abutatur, quærit. Satis eſt negotii in colenda, inter homines parum pios, Virtute, & per omnes vitæ actus obſervanda; nec alia quærent, niſi qui vim ejus ignorant. Præterea meliùs ſentiendum eſt de Chriſto & Apoſtolis, quàm ut putemus quidquam ab iis prætermiſſum, quod ad ſummæ virtutis imaginem nobis proponendam pertineat; nec ita inſaniendum, ne quid gravius dicam, ut putemus nos poſſe ſanctiùs Deum colere, quàm ipſe juſſit; ejus enim eſt quid fieri à nobis velit docere, non verò noſtrum quæ videantur potiora, iis quæ præcepit, comminiſci. Nec alio loco habere poſſumus talia fingentes, quàm quo ſtultos aut improbos habemus.

11. Si Divinam Naturam, quatenus licet, Humanúmque Genus contemplemur; facilè intelligemus, quod vulgus hominum non adſequitur; nimirum, Religionem non eſſe Dei causâ, ſi propriè loquamur, ſed noſtri ipſorum è cœlo demiſſam, eámque non ad nos malè habendos, ſed contrà in hac & in futura vita beandos, comparatam. Deus naturâ ſuâ creaturis minimè indiget, nec minùs beatus eſſet, ſi nullæ forent; aut beatior fuit, creatis hominibus, quàm antea erat. Res, ut videtur, manifeſta eſt; nec minùs clarum Deum eſſe ſuâ naturâ

 bene-

beneficum, nec hominum miſeriâ, aut labore delectari; ac proinde nos creaſſe, ut nos bearet, non ut malè haberet. Cùm verò nos liberos, ſeu mutabiles in deteriorem, non minùs ac in meliorem partem, creare ſtatuiſſet; leges tulit, hoc eſt, monita de iis, quæ vitare nos oporteat & quæ ſint facienda, ut Virtuti adhæreamus, Vitium fugiamus; additis præmiis & pœnis, ut Virtutem potiùs ſequeremur, quàm Vitium; quippe quæ conſentanea & ipſius & noſtræ naturæ eſt, nóſque beare & in hac & in altera vita, poteſt. Quod experientiâ facilè intelligi potuit, ut antea oſtendimus, Cap. II, 7. de Religione Naturali, & multò magis Religioni Chriſtianæ aptari poteſt; quæ ſi ab omnibus & ubique obſervaretur, feliciſſima eſſet hominum vita, ut in ſequentibus etiam pluribus oſtendemus. Graviſſimè ergo falluntur, qui habent Leges Divinas, quaſi duri cujusdam Domini imperia; qui hominibus imponit plura, quàm præſtare queant; ut jus ſuum in miſeras & fragiles creaturas oſtentet, & earum infirmitati veluti inſidias ſtruat, in quas incidentes ſibi æternam perniciem creent. Hæc cum divina Bonitate & Juſtitia conſiſtere non poſſunt. Fateor neminem mortalium, excepto uno Chriſto, ita per omnia Religionem coluiſſe, ut ſuo jure, ex legum formula, à Deo præmia poſtulare poſſit. Verùm Deus perfectam pietatem, ita ut nihil ei deſit, ab hominibus non exigit; ſed tantùm ut lapſi reſurgant, inque eo pietatis habitu moriantur, qui pravos omnes excludat, quamvis ſubinde infirmitate peccent. Quo poſito, eſt cur omnes homines gratias habeant & agant Deo miſericordi, qui ſe ſe ad eorum imbecillitatem temperavit.

Ergo verè licet dicere, hominum causâ, à Deo impoſitam illis Religionem; nec ab iis exigi, quod præſtare nequeant. Si Deus ſibi ſponte ſuâ poſtulaſſet ſacrificia, quæ eorum opes planè exhauſiſſent, ritúmque difficillimorum obſervationem, quâ meliores, ac proinde Deo gratiores, facti non eſſent, duriora eſſent imperia; cùm Deus ea peteret, quæ hominibus nocerent, nec ullam utilitatem adferrent. Sed contraria omnia à nobis exigit Religio Chriſtiana, ut vidimus. Si Ethnici ſibi à Numine talia impoſita crediderunt; ſponte ſuâ, quòd Deum ex ingenio ſuo ſibi fingerent, in eum errorem delapſi ſunt. Si Judæis tale quid injunctum, id quoque factum ipſorum culpâ, quòd Ethnicorum mores induiſſent, Deúmque eò adduxiſſent ut, pro eorum carnali ingenio, non pro ſua præſtantiſſima natura, nonnullas leges illis daret; quarum tamen aliarúmque legum violationem, quotiescumque reſipuerunt, iis ignovit; ut, hac etiam in parte, eſſet cur eum laudarent, gratiáſque ei agerent.

III. Postquam legum Chriſtianarum, quæ directiùs in Deum feruntur, præſtantiam oſtendimus; ſequitur ut eas exponamus, quibus officia nobis præſcribuntur, quæ ad Deum quidem etiam, ſed tamen magis ad nos ipſos referuntur.

1. Nihil debet eſſe nobis antiquius, quàm quod eſt naturæ noſtræ, ſi

ſi eam probè inſpiciamus, inſitum, ut Veritatem & Virtutem amemus, quemadmodum oſtendimus Cap. II. hujus Sectionis. Ac ſanè hæc ſunt omnium rectè factorum fundamenta, ut verum à falſo ſecernamus, inventúmque amplectamur; útque quod bonum & honeſtum eſt malo ac turpi præferamus. Sine Veritatis amore, non invenitur, nec inventa eo in pretio habetur, quo digna eſt; paullatímque animos ſui contemtores fugit, aut prorſus inutilis fit, ut perinde ſit ac ſi ignota eſſet. Ejus ope, etiam Virtutis cognitionem adipiſcimur, amoréque ejus exardeſcimus. Sunt enim hæc ita inter ſe connexa, ut neque ſine Veritate poſſit eſſe Virtus, & ſine Virtute inutilis fiat Veritas. Veritatem autem hîc non intelligimus quidquid ita, in quovis rerum genere, vocari poteſt; ſed quæ ſita eſt in cognitione certa Dei, Revelationis ejus, alterius vitæ, viæque quâ ad beatitudinem pervenire licet. Ac ſanè paſſim Evangelium *Veritas*, in Novo Teſtamento, vocatur, dignúmque eſt quod tam auguſtâ adpellatione, præ ceteris omnibus, inſigniatur; quoniam unum hæc omnia, quæ diximus, docet. Promiſit Chriſtus Joan. XVI, 13. Apoſtolis *Spiritum Veritatis*, *qui eos ducturus eſſet in omnem Veritatem*, ad rectam, nimirum, Religionem pertinentem; orátque Patrem Cap. XVII, 17. ut eos *ſanctificet in Veritate*, *verbúmque* ejus *Veritatem eſſe* ait. Coram Pilato profeſſus eſt, ut videmus Cap. XVIII, 27. *ſe in hoc natum eſſe & ad hoc veniſſe in mundum*, *ut teſtimonium perhiberet Veritati*; *& omnis qui eſt ex Veritate*, inquit, *audit vocem meam*. Quiſquis enim, ut par eſt in rebus tanti momenti, Veritatem amat, & ſeriò quærit, non difficulter agnoſcit Chriſti doctrinam eſſe veram. *Nos ex Deo ſumus*, inquit Joannes I. Ep. IV, 6. *qui novit Deum audit nos*, *qui non eſt ex Deo non audit nos*; *in hoc cognoſcimus ſpiritum Veritatis & ſpiritum Erroris*. Hebræi quidem Scriptores vocem non habent, quæ per omnia reſpondeat Græcæ voci ἀρετὴ, & Latinæ *Virtus*, ideóque minùs etiam frequens eſt in Apoſtolorum Scriptis; ſed nomine *Juſtitiæ*, aut *Timoris Dei*, aut *Sanctitatis*, aliiſque ejuſdem poteſtatis ſignificatur. Eſt tamen inſignis locus Pauli ad Philip. c. IV, 8. in quo nomine *Virtutis* utitur, amorémque ejus, ut & Veritatis, efficacibus ſanè verbis, Chriſtianis ſuadet. *Quæcumque ſunt*, inquit, VERA, *quæcumque pudica*, *quæcumque juſta*, *quæcumque ſancta*, *quæcumque amabilia*, *quæcumque bonæ famæ*; *ſi qua* VIRTUS, *ſi qua laus diſciplinæ*; *hæc cogitate*, *quæ & didiciſtis*, *& accepiſtis & audiviſtis*, *& vidiſtis in me*; *hæc agite & Deus pacis erit vobiſcum*. Ex quibus verbis, aliiſque ſimilibus, ſatis liquet amorem Veritatis & Virtutis non eſſe theoreticum quoddam ſtudium ſciendi quid verum, quid Virtuti conſentaneum ſit; ſed ejuſmodi ſtudium, quo, invento Vero & cognitâ Virtute, ad eam cognitionem vitam noſtram componimus; hoc eſt, Veritatem profitemur & quàm latiſſimè propagamus, Virtutémque moribus noſtris effingimus; quovis propoſito periculo, & quæcumque incommoda propterea ſint ferenda.

 2. Ju-

2. Jubet nos Evangelium modeſtè de nobis ſentire, atque in factis & dictis Modeſtiam illam teſtatam facere; quæ ταπεινοφροσύνη, ἀπὸ τοῦ ταπεινὰ φρονεῖν, hoc eſt, ab humilibus cogitationibus, dictisque & factis. *Humilitatem* quidem Latini in vitio ponunt, ſed apud Chriſtianos nomen eſt virtutis, quam conſummatam Modeſtiam vocare poſſumus. Ea nititur rectâ noſtri cognitione, quæ cùm nos doceat quid & quantum nobis deſit, ut ad ſummam Virtutem ac Eruditionem perveniamus, quod in pleriſque omnibus permultum eſt, facit ut demiſsè de nobis ſentiamus & loquamur; nec eos honores, aut munera, quæ ſupra captum noſtrum ſunt, ambiamus; adquieſcamúſque ſemper in eo ſtatu, in quo à Providentia Divina collocati ſumus, dum majoribus aptiores facti ad ea modeſtè adſpirare, pro data occaſione, publicæ utilitatis ſtudio, non noſtri causâ, poſſimus. Alioqui *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*, ut divinitus dixit Paulus Gal. V, 3. Eâ virtute expelluntur animo ſuperbia omnis, amor ſui nimius, aliáque id genus vitia. Nec tamen eſt eò uſque extendenda, ut homo humilis, ac modeſtus de ſe demiſſiùs æquo ſentiens, utilioribus omiſſis, quia ſublimiora ſunt, viliora animo agitet & faciat, dum alii majoribus malè defunguntur. [15] Nati nobis ſolis non ſumus, ſed & Societati, cui prodeſſe, quàm maximè poſſumus, officii noſtri eſt. Pars hæc eſt non exigua caritatis Chriſtianæ, quæ eò major eſt, quò ad plures pertinet.

Eadem virtute fit, ut ab omni contemtu aliorum, dum nos iis præferimus, abſtineamus, útque eorum omnes dotes laude dignas in pretio habeamus, & libenter prædicemus; qua in re multò præſtat, dum de proximo bene ſentimus, pluris eas facere quàm dignæ ſunt, quàm quidquam, quod eis re verâ inſit, detrahere. Quamvis non debeamus eum laudare, quaſi inſtructum iis dotibus, quibus omnino deſtitutum eſſe liquet; attamen cùm ſæpe multa ſint, quæ inſunt hominibus, cetera nobis inferioribus, quibus caremus ipſi, qui iis longè interdum in aliis præſtamus; eſt cur Humilitatem noſtram, ea in re, exerceamus, dum quod aliis jure debetur agnoſcimus, & meritâ laude proſequimur. Hoc volunt Apoſtoli, dum jubent ὑποτάσσεσθαι ἀλλήλοις *ſubjicere nos invicem alios aliis, in timore Chriſti*, Epheſ. V, 21. & 1. Pet. V, 5. ubi Apoſtolus poſtquàm omnes *invicem ſubjectos* oportere eſſe monuit, continuò addit: τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, *humilitatem induite* ([16] non *inſinuate*, ut Vulgatus habet) quia *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Sic & Paulus Philip. II, 3. nihil vult fieri, *per contentionem*,

15 *Nati nobis ſolis non ſumus*] *Plato* in Ep. ad Archytam p. 358. Tom. III. Ed. Steph. ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. Interprete *Cicerone* Offic. Lib. I. c. 7. *Non nobis ſolùm nati ſumus, ortúſque noſtri partem patria vindicat, partem amici.* Idem ſentiebant Stoïci, & ad omnes homines rem porrigebant, ut docet in ſequentibus *Cicero.* Unde idem in Orat. pro Murena c. 28. *Eſt tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, ſed patriæ natus es, videre quid agatur* &c. Similiter *Lucanus* Lib. II, 383. inter alia *Catonis* placita, hoc habet:

Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere Mundo.

Poſtea

nem, *neque per inanem gloriam*, *ſed in humilitate ſuperiores ſibi alios* (Chriſtianos) *arbitrari*, *non quæ ſua ſunt ſingulos conſiderantes*, *ſed ea quæ aliorum.* Quod exemplo Chriſti confirmat.

3. Opus etiam eſt, ut Chriſtianæ vitæ ſtadium feliciter decurramus, Prudentiâ; quæ in eo eſt ſita, ut, expenſis rerum circumſtantiis, id ſemper faciamus quod liquet, aut veriſimile certè eſt utilius nobis & Societati Chriſtianæ futurum. Quod porrigitur ad omnes vitæ actiones, & dicta etiam noſtra, quæ niſi Prudentiâ & futuri etiam providentiâ regantur, pro utilitate, quam ex iis ſperamus, damni multùm adferre poſſunt. Quare Chriſtus nos voluit [17] *ſerpentium inſtar prudentes eſſe*, ut jam antea diximus. Prudentia autem, de qua hîc ſermo eſt, tota eò ſpectat ut à nobis amoveat quæ nobis, aliiſque noxia, ad ſalutem æternam quod adtinet, eſſe poſſint, & contrariorum compotes faciat. Impedit ne ab errantibus, aut fraudulentis hominibus fallamur, in rebus cùm theoreticis, tum practicis; dum nos docet adhærendum eſſe normæ Revelationis, & in iis quæ credenda & in iis quæ facienda ſunt. Ejus ope *omnia*, ex præcepto Pauli 1. Theſſal. V, 21. *probamus*, aut *exploramus & quod bonum eſt tenemus*; nec *cuivis ſpiritui credimus*, prout monuit Joannes 1. Ep. IV, 1. *ſed probamus Spiritus an ex Deo ſint*, *quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Alioqui paſſim fraudibus irretiremur, & in errrores periculoſos conjiceremur. Excludit ergo Prudentia Chriſtiana motus omnes fanaticos, nullâ ratione ſubnixos, quibus in errores & delicta facilè abduceremur, dum temerè & ſine judicio cuivis crederemus; dolóſque aperit, quibus homines callidiores aliorum ſimplicitati & inſcitiæ inſidiari ſolent.

4. Temperantiam in cibo & potu, licitíſque ceteris voluptatibus, paſſim etiam nobis Apoſtolica Scripta ſervandam proponunt; non quaſi humanæ naturæ commodis adverſentur, ſed ne licitorum abuſu, animum & corpus inepta reliquis Chriſtianæ vitæ officiis reddamus; ne re familiari peſſumdatâ, deſint nobis & noſtris neceſſaria; ne denique, pravo exemplo, alios trahamus. Itaque omnem gulam, ebrietatem, libidinémque eliminat è nobis, ſobrietatémque & continentiam contrà inducit. Quæ omnia non ad inanem macerationem corporis, quâ fiat inutile ſibi & aliis, ſed ad utilitatem ſingulorum & totius Societatis ſpectant.

Nec leviter hæc ſunt prætermittenda, cùm interdum incidamus in homines intemperantes, qui gulæ & libidinibus deditis, intelligere ſe poſſe

Poſtea etiam *Plato* Archytæ auctor eſt, ut Rempublicam capeſſat, eò quòd, ſi boni viri talia munera ſubterfugerent, improbi ſoli Reipublicæ clavo adſiderent: καλούσης δὲ τῆς πατρίδος αὐτῆς πρὸς τὰ κοινὰ, ἄτοπον ἴσως τὸ μὴ ὑπακούειν. ἅμα γὰρ ξυμβαίνει καὶ χώραν καταλιμπάνειν φαύλοις ἀνθρώποις: *cùm te vocet ipſa patria ad Rempublicam*, *abſurdum fortè eſſet te non obſequi*, *ſimul enim contingit te locum relinquere malis hominibus.*

16 Vide *Hug. Grotium* ad hunc locum, & *Thom. Gatakerum* Adverſ. Lib. I. c. 9.

17 Matth. X, 16.

poſſe negant, cur voluptatibus ejuſmodi uſque adeò infenſus ſit Deus, jugúmque Evangelii hac in re intolerandum ſibi eſſe ſatis apertè ſignificant. Atqui Deus hæc non ſui, ſed noſtrâ ipſorum causâ vetuit, ut ſingulis hominibus, familiis, totique adeò Societati conſuleret. Quicumque enim intemperantiùs ejuſmodi rebus indulgent ſibi, reique familiari ſummopere nocent, familiam, ſi quam habent, peſſumdant; nec ſe bonos cives præſtant, qui omnibus voluptates ſuas præferunt. Fac familias, aut urbes integras ejuſmodi œſtro agitari, cupiditatibúſque licentiùs indulgere; eo ſolo furore, in perniciem ruunt, aliiſque ludibrio & prædæ etiam ſunt, ſi quis eos invadat. Vita ipſa fit longè fœdiſſima & miſerrima; cùm ſi ponamus fas eſſe ita vivere, nulla ſint futura caſta matrimonia, nullúſque proinde mutuus amor, ac reciprocum auxilium; cùm liberorum nulla, aut prava futura ſit educatio, puerique facti ganeones, aut ebrioſi, & puellæ meretrices, omnia fúsque, déque habituri. Propterea turpia hæc ſunt, & à Deo vetita, non ut pro jure Dominii, imponeret leges non bonas, ſed quas liberet; verùm quia ſunt nobis noxia, & virtutibus omnibus, quibus maximè ſtat vita ac Societas humana, contraria. Hæc qui probè reputarit, non ampliùs quæret cur à Chriſto & Apoſtolis ſint usque adeò vetita. Vide 1. Cor. VI, 9, 10. Gal. V, 19. & ſeqq. Epheſ. V, 3. & ſeqq. Coloſ. III, 5.

Ceteroqui nulla ſtata jejunia, nullam cujuſvis cibi abſtinentiam, nemini cœlibatum impoſuit, aut talia Deo gratiora eſſe ſignificavit Chriſtus; pro locis, temporibus & perſonis facienda, aut omittenda, prout prodeſſent, vel nocerent, Chriſtianæ prudentiæ permiſit. Quin & Chriſtus ſpiritu ſuo Apoſtolicorum temporum homines præmonuit fore ut nonnulli, ſpecie pietatis, ejuſmodi inſtituta Chriſtianis obtrudere conarentur, ſed non eſſe audiendos; quod nos docet Paulus 1. ad Timotheum c. IV, 1. & ſeqq. his verbis: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, adtendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium & cauteriatam habentes ſuam conſcientiam, prohibentium nubere*, (jubentium) *abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum, cum gratiarum actione, fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei & gratiarum actionem.*

5. Ita nati ſunt homines, ut in otio jacentibus ac torpentibus & ipſis & aliis, qui eorum opera indigent, multa neceſſaria & ad animum & ad corpus quod adtinet, deſint; quæ non poſſunt, niſi labore nonnullo, comparari, quodcúmque vitæ genus ſequamur. Ideò ſemper ſapientes *otium* damnarunt, quaſi noxium & humana natura, ad labores animi & corporis comparata, indignum. Quod eo potiore jure damnatum, quia ho-

18 *Vide* Hug. Grotium *ad hunc locum.*

19 *Ars eſt regendi*] Vide *Platonis Alcibiadem* I. ubi *Socrates* egregiè *Alcibiadem* caſtigat, quod ab omni Politices cognitione

homines otioſi non tantùm deſtituuntur iis, quibus ut vitam bene & beatè agant, indigent, ſed etiam in vitia & delicta proniores ſint; quod experientiâ compertum eſt. Irrequies enim hominis animus ſemper aliquid apud ſe verſat, & niſi honeſtis cogitationibus paſcatur, & occupationibus utilibus diſtineatur, in pravas molitiones, actionésque delabitur. Cùm duplice naturâ conſtemus, animo & corpore; ſunt occupationes ad alterutrum, aut etiam ad utrumque pertinentes. Animus eſt neceſſariis cognitionibus excolendus, præceptiſque inſtruendus, idque perpetuò & quodcúmque vitæ iter ingreſſi ſimus; ſin minùs, ignorantiâ & vitiis præpediti, officiorúmque noſtrorum obliti, in delicta paſſim incidimus, quæ alioqui vitare poſſemus. Corpori etiam pleriſque hominibus eatenus danda eſt opera, ut neceſſaria ei comparentur, aut comparata ſerventur. Exercitatione aliquâ firmandum, ut valeat, poſſitque commodè vitæ muneribus defungi & animo, prout res poſtulat, pareat. Nec nobis ipſis tantùm ea facienda, ſed liberis, amicis, Reipublicæ præſtare debemus corpus atque animum, eâ firmitudine, officiorum cognitione & Virtute, quibus meliùs habeant; quæ ſi negligantur, & aliis & nobis ipſi graviſſimè nocemus. Quæ recta Ratio ſuadet, eadem Evangelium, quod eam perficit & exornat, nobis etiam imponit. Ideò Paulus Ep. ad Titum c. III, 8. *Fidelis*, inquit, *ſermo eſt & de his te volo confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe* (hoc [18] eſt, honeſtæ cuipiam arti præ ceteris operam dare, nam hæc eſt vis loquutionis Græcæ *καλῶν ἔργων προΐςασθαι*) *qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus*; & verſu 14. *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe, ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi.* Quod præceptum ad omnes pertinet, à Regibus & ſummatibus, ad tenuiſſimos uſque civium. Ut enim tenuis fortunæ homines ſellulariis artibus, aliique paullò honeſtioribus vitam ſuſtentant: ſic & ipſis Regibus & ſummatibus, quidquid ſuperbiant, conceſſa ſunt tributa, vectigalia, ſtipendia, aliáque honoraria præmia, eâ lege ut muneribus ſuis in Republica probè defungantur; nec otiari poſſunt, præter modum, ſine ſuo & eorum, qui iis parent, graviſſimo damno, quod nimis ſæpe ſenſerunt infelices populi. [19] Ars eſt regendi populos, virtutes ſunt imperantibus neceſſariæ, quæ nonniſi ſtudio & labore comparari poſſunt; multæ ſunt curæ, multa agenda, quæ iis incumbunt, & quibus otioſi homines non defunguntur, ut par eſt. Ad privatos quod adtinet, res eſt notior & certior, quàm ut pluribus ei immorari neceſſe ſit. Ad hos pertinet monitum Pauli 2. Theſſ. III, 10. *Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus, in Domino Jeſu-Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* Cujus præcepti ratio ad omnes omnino Chriſtianos ſpectat. 6. Vir-

ne imparatus, ſe ad Reipublicæ adminiſtrationem conferret. Quem Dialogum legere oporteret eos, qui ejusmodi munera ambiunt.

6. Virtus eſt, quæ ad multa Chriſtianæ vitæ officia pertinet, & quam Græci commodiſſimè αὐτάρκειαν vocant; quæ ſita eſt in æquanimitate, quâ, ſine querelis, quamvis ſortem ferimus, duram licet & laborioſam; & in animo ita iis, quæ ad manum ſunt, contento, ut vel in penuria & paupertate ſit quietus, & tranquillus. Nititur hæc virtus cùm certâ fide de Providentia, Sapientiáque Divina, & fidelitate quâ promiſſa præſtabit; tum etiam ſui ipſius cognitione, ex qua intelligimus quàm indigni ſimus indulgentia divina, ſi Deus nobiſcum ſummo jure agere velit. Quiſquis certò credit & apud animum ſuum reputat à Divina Providentia omnia & ſingula ſapienter & in utilitatem hominum, præſertim ei credentium, adminiſtrari; facilè intelliget Deo ſuas eſſe rationes, cur hominem rebus adverſis & paupertate premi tam ſæpe patiatur; ínque iis rationibus, licèt ſibi interdum ignotis, adquieſcet, nec umquam de Deo minùs bene ſentiet; præſertim ſi meminerit rerum adverſarum conſtanter & pio animo, ſine ullo improbo conatu ſe ſe iis expediendi, toleratarum præmium fore vitam æternam. Nihil iniquum à Deo fieri facilè etiam intelliget, quoniam ſua delicta novit, ſi duriùs eum habeat; imò gratias ei habebit & aget, quòd eo modo impediat ne deterior fiat. Quis eſt, qui poſſit eam in ſua virtute fiduciam habere, ut numquam ſecundis rebus [20] ac divitiis abuſurum ſe fuiſſe, ſi à Deo ei conceſſæ fuiſſent dicere auſit? Quis eſt etiam, qui ſe ei animam debere non fateatur, qui eam ſic ad ſalutem æternam deduci certiùs & faciliùs videat? Scatet Novum Teſtamentum præceptis, hanc in rem, planè divinis & promiſſis, quæ animos Chriſtianorum mirum in modum confirmant, & ſolantur. *Beati*, ait Chriſtus, Matth. V, 5. & ſeqq. *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*; item *mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; item *qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùs vos mentientes, propter me; gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Paulus etiam liberales in pauperes in ea virtute confirmat 2. ad Cor. IX, 8. *quòd potens ſit Deus omnem gratiam abundare facere in iis*; *ut in omnibus*, inquit, *ſemper omnem ſufficientiam* (αὐτάρκειαν) *habentes abundetis in omne opus bonum*; hoc eſt, ſat divites vos eſſe ſemper putetis, ut ſublevare egenos aliquo modo poſſitis. Sic & ad Timotheum 1. Ep. VI, 6. *Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia* (μετὰ αὐταρκείας) *nihil enim intulimus in hunc mundum*; *haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Didicerat & ipſe αὐτάρκης εἶναι, ſeu præſente copia, quantulacumque eſſet, contentus eſſe, ut ait Philip. IV, 11. *Scio & humiliari, ſcio & abundare* (*ubique &*

20 *Ac divitiis* &c.] Pulcrè Plato V. de Legibus: ἀγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον: *eximiè bonus etiam eximiè dives ut ſit fieri nequit.* Vide & Matth. XIX, 24. ſimiliáque loca.

& in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire & abundare, & pænuriam pati. Quæ virtus longè eſt utiliſſima, & ad vitam beatè & tranquillè tranſigendam adcommodatiſſima. Si enim tenuis res ſit, contentum & tranquillum animum præſtat, cùm paucis contento pauca non ægrè comparentur & difficile ſit neceſſaria deeſſe; nec facile illecebris ad vitia pellici, quia pluribus non indiget. Fac verò divitem eſſe, qui multa requirat, annon difficile eſt ſemper omnia in promtu eſſe, quæ cupit? Annon etiam poteſt divitias amittere, & cùm pauca ſuppetant, in maximos angores delabi, quia quod concupiſcit ad manum non eſt, miſérque ſibi videri & eſſe; ubi alii, paucis adſueti, ſat beatos ſe eſſe putarent, aut certè pænuriâ multò minùs cruciarentur? Annon denique in periculo perpetuo verſatur, quidvis faciendi, & quælibet ſcelera admittendi, ut priſtinas copias recuperet? Tanti ergo eſt ut paucis contentus ſis adſuefieri, vel ut beatiùs, tranquilliùs & ſine delinquendi periculo vivas. Ideò omnem non tantùm avaritiam, *quæ*, ut ait Paulus, *idololatria eſt*, Epheſ. V, 5. ſed & cupiditatem divitiarum damnat Evangelium. Vide 1. Tim. VI, 6. *& ſeqq.*

Talia quidem leguntur multa, etiam apud Ethnicorum Philoſophos, præſertim Stoïcos, & facta quædam eorum laudabilia hanc in rem proferuntur. Sed cùm de altera vita ſani nihil docerent, maximum virtutis firmamentum tollebant. Judæi verò, cùm Lege promiſſa vitæ hujus bona viderent, & contrà malorum ejus minas intentas, nec ſatis perſpicuè vitam futuram noſſent; admodum ægrè ferebant calamitates, quas Divinæ erga ſe iræ indicia eſſe putabant. Itaque, hac in re, longè anteferendus Chriſtianiſmus Ethniciſmo & Judaïſmo.

7. Proxima eſt Æquanimitati & adfinis Conſtantia, ſeu Perſeverantia, quâ in omnibus Virtutis officiis, ad finem uſque vitæ, perſeverare debent Chriſtiani. Sita autem eſt hæc virtus præſertim in duobus. Unum eſt, ut qui ſemel intellexerunt quid Deo, ſibi & aliis debeant, ejus per omnes vitæ actus meminerint, nec quidquam faciant, quod cum eo non conſentiat. Non poſſet, exempli causâ, temperans haberi, ad normam Evangelicam, qui plures intemperantiæ actus, aut etiam totidem admitteret, quot temperantiæ. Quis enim eam virtutem colere dici poſſet, qui aut ſæpiùs eam violaret, quàm ſequeretur, aut etiam totidem intemperantiæ indicia ederet? Idem de ceteris omnibus virtutibus dixeris. Plura hanc in rem habet Cap. III. 1. Epiſtolæ Joannes Apoſtolus, è quo hæc verba tantùm proferam, versûs 6. *Omnis qui in Chriſto manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*; eâ, nempe cognitione, quæ præceptorum ejus obſervationem parit, quam plenior & vividior cognitio parere ſolet. Quod autem negat Joannes eum, qui manet in Chriſto, *peccare*, non eſt intelligendum, quaſi velit Chriſtianos ſic eſſe perfectos, ut numquam peccent; ſed tantùm de peccandi habitu, quo fiat ut quiſpiam pronus in Vitium, alienúſque à Virtute, ſequatur animi propenſionem cùm

peccat, libénſque delinquat; ægrè verò, & præter animi ſui indolem, Virtuti obſequatur. Vult, nimirum, Chriſtianorum delicta, præter eorum perpetuam conſuetudinem, aut imprudentiâ, vel infirmitate, & quidem ægrè ac difficulter, contingere, quia eorum habitibus repugnant. Notum enim eſt nos facilè habitui obſequi, difficiliùs obſiſtere; quod non minùs de bonis, quàm de pravis intelligendum experientia docet. Liberalis, exempli causâ, non minùs ægrè in illiberalitatem delabitur; quàm avarus liberaliter ſe gerit. Ceteroqui tantùm abeſt ut peccare neget Joannes Chriſtianos, ut ejus Epiſtolæ Cap. I, 8, 9, 10. contrarium diſertè doceat: *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*, &c. Alterum, in quo Perſeverantia Chriſtiana ſita eſt, eò ſpectat ut ad finem uſque vitæ in habitu, conſuetudinéque parendi Evangelio, conſtantiam ſuam oſtendant Chriſtiani; quam in rem ſunt multa Novi Teſtamenti loca, ut Matth. X, 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit.* Vide & Cap. XXIV, 13. Marc. XIII, 13. Heb. III, 6, 14. VI, 11. Apoc. II, 26. Unde intelligere licet neminem Chriſtianum poſſe ſalutem conſequi, quem non mors deprehendat in habitu Chriſtianarum virtutum. Nec nos debent ullæ hominum blanditiæ, aut minæ, vel etiam ſupplicia ab illo mentis ſtatu dejicere; ut docet Chriſtus, locis antea memoratis, & Apoſtoli paſſim.

Hæc tamen non ita ſunt intelligenda, quaſi verè Chriſtianus non poſſit à Virtute, cujus habitum contraxerat, deficere; & in Vitium ita ſenſim prolabi, ut ſe ſe tandem ei mancipet. Frequentiſſimæ enim adhortationes ad Perſeverantiam, quæ in Scriptoribus Sacris occurrunt, rem contingere poſſe ſatis oſtendunt; ne jam dicam mutabilem hominis naturam id ipſum demonſtrare, quod & quotidianâ experientiâ confirmatur, cùm mali fiant ex bonis, non ſecus ac ex malis boni. Quod pluribus à Theologis eſt probatum. Ei qui in habitu peccati à morte deprehenditur, nihil prodeſt, apud Deum, prior vita, convenienter Virtuti acta; nec nocet ab habitu delinquendi ad conſtantem parendi conſuetudinem tranſlato flagitioſa, ante emendationem morum, vita. Vide Ezekielem Prophetam Cap. XXXIII, 12. & ſeqq. ubi res copiosè docetur.

8. Verecundia Virtus eſt, quâ à rebus dictu, aut factu turpibus ac indecoris abhorremus, omnémque impudentiam & obſcœnitatem longè amolimur. Aut idem eſt, aut conſummatior quædam Verecundia, quæ Σεμνότης Græcis, ac Latinis *Gravitas* dicitur, quâ nihil facimus, aut dicimus, quod perſonam, quam gerimus, dedeceat; ſed ea tantùm, quæ cum ea conveniunt. Verecundiæ gravis commendatio eſt, apud Paulum Epheſ. IV, 29. *Omnis ſermo malus* (σαπρὸς *putridus*, quod obſcœnitatem ſignificat) *ex ore veſtro non procedat*; *ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei*, *ut det gratiam audientibus.* Sic & Cap. V, 3. *Fornicatio autem*, *omnis immunditia*, *aut avaritia*, *nec nominetur in vobis*, *ſicut decet ſanctos*, *aut turpitudo*, *aut ſtultiloquium*, *aut ſcurrilitas*, *quæ ad rem non pertinet*, *ſed magis gratiarum actio.* Quod ſi verba obſcœna illicita ſunt,

multò

multò magis actiones obſcœnæ & turpes, quæ paſſim vetantur. Hinc *αἰδὼς καὶ σωφροσύνη* mulieribus præſertim præcipiuntur 1. Tim. II, 9. *Gravitas* etiam imponitur, cùm in dictis, tum in factis, omnibus & potiſſimùm quidem iis, qui munus quodpiam in Eccleſia obeunt Philip. IV, 8. 1. Tim. II, 2. III, 4, 8, 11. Tit. II, 2. Apud Ethnicos, quam frequens eſſet turpiloquium & quàm fœdum oſtendunt præſertim Poëtarum fermè omnium Scripta quæ ſuperſunt, plena ſpurcis & obſcœnis non amoribus tantùm, ſed etiam verbis. Vide vel Epiſtolam Lib. I. Epigrammatum *Martialis* præfixam.

9. Verecundiæ & gravitatis conſectarium eſt mediocritas in veſtibus, ab omni oſtentatione & laſcivia remota; qua in re, quia mulieres potiſſimùm peccare ſolent, diligenter ſunt ab Apoſtolis monitæ ne facerent. Sic Paulus 1. ad Timoth. II, 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato* (*κοσμίῳ*, *honeſto*, aut *modeſto*) *cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe & non in tortis crinibus*, *aut auro*, *aut margaritis*, *aut veſte ſpecioſa*; *ſed*, *quod decet mulieres*, *promittentes* (hoc eſt, profeſſas) *pietatem per opera bona.* Vide & Tit. II, 3, 5. 1. Pet. III, 3. Nec putandum hæc eſſe auſterioris ingenii monita, quibus jugum intolerandum hominibus imponebatur; Deúmque perinde habere, ſive obſerventur, ſive negligantur. Fateor quocumque tandem colore ſint homines veſtiti, & quacumque formâ veſtium ornati ſint, nihil intereſſe, ſi modò diligenter virtutes Chriſtianæ colantur; nec modum ſumtuum in ejuſmodi rebus tam adcuratè poſſe præſcribi, nihil ut ei addi ſine delicto poſſit. Magna, aut potiùs infinita temporum, hominum & locorum varietas non patitur rem certis & conſtantibus finibus circumſcribi. Sed ſunt cum hac re conjuncta nonnulla, quæ cum virtutibus Chriſtianis conſiſtere non poſſunt, aut homines paullatim ab iis alieniores reddunt; à quibus periculis cavere nos vult Deus, non ſui causâ, útque veluti auſteriore diſciplinâ Chriſtianos ſine fructu contineat; ſed propter nos ipſos, ne nobis ipſi imprudenter noceamus. I. Nimius in veſtibus ornatus oſtendit eos, qui eo delectantur, re omnium inaniſſimâ animum paſcere, crederéque ſe ab aliis pluris factum iri, ſi ornatiores in publicum procedant; quod judicium planè ſpernendum, cùm omnibus Chriſtianis ratum & fixum ſit oporteat virtutibus, non ejuſmodi ineptiis, placere. Qui ornamentorum cupidiores ſunt, ſibi ipſi magis propterea placent, & forte ſuâ magis ſunt contenti, ſi ei adfectui indulgeri patiatur. Quæ omnia ſtulta ſunt, & paullatim animi bonorum ſtudium exſtinguunt; quod numquam magnum eſt in iis, qui corporis ornatu nimiùm delectantur: II. Ornatus nimius ſuperbiam parit, quaſi veſtes augeant dotes & laudes eorum, qui iis ornatioribus utuntur; nec ea ſuperbia in nimia ſui propterea æſtimatione clauditur, ſed & ſe ſe in alios effundit, qui quòd ſimilia non faciant, aut facere nequeant, ſtultè contemnuntur. III. Alii pravâ illâ conſuetudine etiam corrumpuntur, & ad eam imitandam eò faciliùs adducuntur; quòd videant ſe eâ

T 2 inqui-

inquinatis, ſumtuoſis veſtibus, placere, neglectioribus verò contemni. IV. Nec dubium eſt quin matronæ & puellæ adliciant eâ ratione virorum oculos, quibus nimiùm placere cupiunt; quemadmodum & viri, cultiore habitu, mulierum oculos ad ſe convertunt. V. Ab immodici cultûs ſtudioſis frequentiſſimè, ut ei adfectui indulgeant, præſertim ſi longo habitu ſit confirmatus, ſumtus fiunt, quos rationes facultatum, quæ iis ſuppetunt, minimè ferunt. Quare in eas ſæpe conjiciuntur anguſtias, quibus familiam peſſumdant, paratique ſunt omnia, etiam illicita, facere & pati, ne vilioribus veſtibus induti conſpiciantur. VI. Nihil ſupereſt iis, quod in utiliores & honeſtiores, præſertim ad ſublevandos egenos, ſumtus abſumant.

Itaque, hac in re, modeſtiſſimi omnium noſtri loci & noſtræ ſortis ſunt nobis proponendi, quos imitemur; nec, ſi ſapiamus, ulli ſumtus faciendi, niſi qui neceſſarii ſunt, pro loco, dignitate & ſorte noſtra, ne aliis ridiculi videamur. Ut nemo debet ſplendore veſtium inſignis fieri, præ ceteris: ſic nemo vilitate aut ſordibus ſe conſpiciendum præbeat. Ut pretioſa veſtis meliorem, & digniorem qui laudetur neminem facit: ſic nec ſordida modeſtiorem aut probiorem. Centones datâ operâ quæſiti non minorem ſæpe faſtum & nequitiam occultant, quàm ſplendentes panni.

Quod autem de veſtibus dictum eſt, idem dicendum de ornamentis domuum, villarum, ſupellectilium, omniúmque, quæ ad animum non pertinent; nec opus eſt ut iis ampliùs immoremur. Hæc omnia ſatis oſtendunt ab Apoſtolis damnari luxum, ob eas rationes, quæ non ex tetricitate quadam nimiáque auſteritate, ſed ex ipſa quorumvis Chriſtianorum utilitate, ducuntur; quod jam de aliis Evangelii præceptis diximus. Nec Philoſophi à Chriſtiana doctrina, hac in re, diſſentiebant, ut vel ex Epiſtola V. *Senecæ* intelligere licebit.

10. Ubique divitiarum contemtus inculcatur in Scriptis Apoſtolicis, ut exemplis nihil opus ſit. Vix quidquam eſt quod ardentiùs optetur, nec tamen aliud eſt, ex quo majores abuſus, aut graviora mala ſequantur; quæ cauſa eſt, cur eas contemni velit Chriſtus, ex ſola erga homines benevolentia, qui quid ſibi conducat neſciunt. Sive enim eas à Majoribus acceperimus, ſive ipſi adquiſiverimus, aut in iis adquirendis laboremus; ſtultitiâ noſtrâ nobis frequentiùs multò nocent, quàm proſunt. Nec tamen abjiciendæ ſunt acceptæ à Majoribus, aut à nobis comparatæ, ſed in eos uſus adhibendæ, qui nobis & Societati Humanæ poſſint prodeſſe. Quæ omnia etiam à Philoſophis animadverſa ſunt, & paſſim in eorum Scriptis occurrunt. Plerumque, ut ſapientes docuerunt, útque quotidiana experientia oſtendit, eas comitatur ſuperbia, deliciarum immodicarum amor, aut inexhauſta plura habendi aviditas, & omnium vitæ Chriſtianæ officiorum neglectus. Earum ſitim, ſive ſint nobis etiamnum tenues, ſive majores, accendit metus ne quid cupiditatibus noſtris deſit, aut ne in paupertatem incidamus; qui pra-

vus

vus adfectus ita homines agitat, ut nihil non faciant, quo vitent quod numquam futurum eſt, aut etiam quod vitare, propter rerum humanarum mutabilitatem nulla humana prudentia poſſit. Hinc avaris perpetua anxietas ne ſibi quid deſit, aut ne amittant quod habent; quâ fit ut ne iis quidem, quæ tam avidè quærunt, uti umquam ſuſtineant, miſerique ſtultitiâ ſuâ vivant; dum miſeriam vitare, ut ſibi videntur, contendunt. Libidinoſi verò & deliciis dediti, dum uti ſibi videntur divitiis, ſervi interea fiunt libidinum & deliciarum, quibus carere non poſſunt; unde tandem fit ut ignavus eorum animus virtutibus fiat ineptus, útque valetudo corrumpatur, & ſubeant morbi, qui nullis divitiis curari poſſunt; ac denique ut, iis amiſſis, quod nimio luxu facilè fit, infeliciſſimam vitam agant, à qua nullo non ſcelere ſe ſe liberare parati ſunt. Interea virtutes, ad beandam Humanam Societatem ſuâ naturâ comparatæ, negliguntur, & homines amentiæ ſuæ pœnas luunt, quas vitare potuiſſent, ſi Evangelio auſcultaſſent.

Nec propterea, ut diximus, abjiciendæ ſunt divitiæ, aut mendicitas, vel nimia paupertas quærendæ nobis proponuntur; quæ pleroſque homines in maximam peccandi tentationem conjicerent. Opibus acceptis, aut adquiſitis utendum eſt, ut ne nimio labore præpediti negligamus curam animi, quæ omnibus anteferenda eſt, néve corporis tenuior valetudo vitietur; ut familiæ de neceſſariis ad utrumque proſpiciamus, & egenis etiam ea, quibus facilè carere poſſimus, largiamur. Interea metu futuri, ne fortè nobis deſit, aut noſtris quod vitæ degendæ neceſſarium eſt; nullum præceptum Evangelium, quod pertineat ad bonum uſum divitiarum, perfringendum eſt; nullum boni ac liberalis viri, pro copia præſente, prætermittendum officium. Dum Evangelio paremus, quamvis non fiat interdum ſine paupertatis periculo, cura futuri Deo eſt mandanda; qui ſolus ejus dominus eſt, nec patitur hominem Chriſtianum neceſſariis deſtitui. Ea demum eſt μέριμνα, ſeu anxietas de futuro, quam vetat Chriſtus Matth. VI, 25. & ſeqq. & quâ delinquitur in leges Evangelicas, metu futuri; non prudens rerum ſuarum adminiſtratio, labórque neceſſarius ad providendum ne quid nobis & noſtris deſit; neque enim vult nos otiari, quaſi Deus otioſis è cœlo, aut ex arca virorum induſtriorum, neceſſaria eſſet ſuppeditaturus, ut è conſtanti Apoſtolorum uſu & doctrina liquet. Non vetat nos ſerere, aut plantare, ut ſuo tempore colligamus fruges & fructus, quibus indigemus; non vetat collectum terræ proventum in horrea recondere, ut, cùm neceſſe erit, depromamus; nec pollicetur, per Angelos, culturum ſe agros noſtros; eorúmque proventum, quem nobis in diem dividat, collectum adſervaturum. Quapropter laudari non poteſt ſpontanea paupertas otioſorum Monachorum, qui alienâ beneficentiâ vivunt; quaſi hoc præcepiſſet, aut laudaſſet Evangelium. Si omnes Chriſtiani eos imitati mendici fierent, perverſo quodam perfectioris Virtutis ſtudio, apud quos mendici mendicarent? An apud Judæos, Mo-

hammedanos, vel Ethnicos, qui interea rerum omnium potirentur? Quàm ſint hæc inepta nemo non videt.

II. Continetur quidem, ſi res probè perſpiciatur, ſuperiorum Virtutum officiis, id quod vocatur à Chriſto *abnegatio ſui ipſius*; ſed & pauca, ſi non de re, certè de nomine, ne omiſſum videatur, dicenda. *Si quis vult poſt me venire*, ait Chriſtus Matth. XVI, 24. *abneget ſe ipſum & tollat crucem ſuam.* Ut Chriſto per omnia & ſemper pareamus, *abnegandi*, hoc eſt, dimittendi ſunt primùm omnes pravi adfectus, ſeu quicumque Chriſtianis Virtutibus & rectæ Rationi adverſantur. Secundò etiam ii adfectus *abnegandi*, qui per ſe mali non ſunt, in certis circumſtantiis; quando, nimirum, iis indulgere non poſſumus, niſi præceptum aliquod Evangelicum violemus. Si innocuis & licitis alioqui voluptatibus frui nequeamus, ſi opes retinere, ſi famam, ſi dignitatem tueri, ſi vitam ipſam ſervare, exempli causâ, non poſſimus; niſi veritatem Evangelicam negemus, aut niſi quid à Chriſto vetitum faciamus; tum demum *abneganda* ſunt hæc omnia, ut *crux tollatur.* Nos ipſos autem abnegare dicimur, quia ſunt inoliti ac naturales etiam adfectus, qui ſunt veluti pars noſtri; nec poſſumus iis, quæ dulciſſima ſunt, nuncium remittere, niſi noſtri veluti oblivisci videamur, ut ſi vitam amittamus. Ceterùm Religio Chriſtiana nos *Rationem abnegare*, ut nonnulli volunt, nuſquam jubet, cùm fieri nequeat ut Ratio ei adverſetur; Veritas enim cum Veritate ſemper conſentit. Nec *Rationis* nomine cohoneſtandi ſunt Mentis Humanæ errores, quæ numquam hallucinatur, niſi cùm à Ratione diſcedit. Sunt quidem in Religione multa, quæ Rationem ſuperant, ſed eam nequaquam evertunt; imò Ratione ipsâ confirmantur, quæ Deo, qui nec errare, nec fallere poteſt, credendum eſſe oſtendit.

IV. Postquàm vidimus quid Deo & nobis, è Legibus Evangelicis, debeamus; ſupereſt ut oſtendamus quæ nobis officia erga Proximum impoſuerint. Sed priùs animadvertendum in Evangelio *proximum* dici quemvis hominem; civem, peregrinum; amicum, inimicum; ejuſdem Religionis cultorem, & ab ea alienum. Apud Moſem, רע *reah*, aut רעה *reheh*, popularem tantùm, aut proſelytum certè Judaïcæ Religionis ſignificat, eáque vox ſolet ὁ πλησίον, vel *proximus* verti. Sic loquitur Levit. XIX, 17. *Odio non habebis fratrem tuum* (hoc eſt, ſine dubio Iſraëlitam) *ſed proximum tuum corripies, neque patieris incumbere ei peccatum. Non ſumes ultionem, neque memor eris injuriæ popularium tuorum; amabis enim proximum tuum, inſtar tui.* Chriſtus quidem hæc poſtrema verba repetiit, ſed *proximi* nomine omnes, ſine exceptione, intellexit homines, ut liquet ex Matth. VI, 43. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt:* diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos* &c. Quamvis non legamus diſertè hæc verba, in Moſe: *& odio habebis inimicum tuum;* ſuperiore tamen

men loco eorum ſententia ſat clarè continetur; qui enim jubentur tantùm amare populares, iis licitum ſit odiſſe peregrinos; etenim ſi illicitum fuiſſet, diſertè vetandum erat, ut diſertè præceptum eſt amare, vetitúmque odio habere populares. Quin & præter ſeptem Chananææ devotos populos, & Hamalekitas, Moabitis & Hammonitis vetantur eſſe amici Deut. XXIII, 3. & ſeqq. ubi etiam, cum Ægyptiis & Idumæis ſolis, amiciùs ſe gerere jubentur; quod perinde fuiſſe putarunt Judæi, ac ſi ceteris omnibus odia indicere neceſſe habuiſſent; nec aliter ſe geſſerunt. Sic & poſtea Samaritas internecino odio proſequuti ſunt, quos tamen Chriſtus iis proximorum loco habendos non obſcurè docet, in Parabola Samaritæ, quæ exſtat Luc. X, 36, 37. Ideò præceptum de amore mutuo hominum, inter ſe, novum vocat Joannis XIII, 34. Vide & Ib. XV, 12, 17.

1. Chriſtus *caritatis*, aut *amoris* nomine complectitur omnia officia, quæ & Lex Naturæ & Evangelica nobis, erga alios homines, imponunt; quia eos, quos amamus, omnibus bonis cumulatos cupimus, nedum ut invidiâ ullâ proſequamur, nec ullâ re, prudentes certè, lædimus, & in omnibus, quatenus licet, adjuvamus; quibus duobus capitibus, omnia in Proximum officia continentur. Utque clariùs conſtet quid velit, addit, è Moſe, *inſtar ſui ipſius diligendum proximum*, ſeu quemvis hominem, Matth. XXII, 39. Quod & aliter exprimit, ſed eadem ſententiâ, Cap. VII, 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim eſt Lex & Prophetæ*; hoc eſt, eò redit quidquid Lex & Prophetæ de Proximo præcipiunt. Negante enunciatione idem expreſſit Tobias C. IV, 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, ne tu aliquando alteri facias*, ſed eodem ſenſu. Si nihil fecerimus aliis, quod ab iis nobis fieri nollemus; omniáque contrà fecerimus, quæ nobis fieri ab aliis optaremus; nullum eſt officium erga Proximum, quod non expleverimus, eúmque noſtri inſtar amaverimus. Nec objicias irritum fieri poſſe præceptum, ſi de malefico quopiam ſermo ſit; qui licèt aliis ipſe nocuerit, nollet tamen ſibi ab aliis noceri, quod quivis nocens profitebitûr. Si quis enim ita loquatur, præter animi ſententiam loquitur, quod vel ex una, aut altera interrogatiuncula intelligi poteſt. Quæramus enim à flagitii reo, an vellet ſibi ab alio injuriam fieri? Continuò negabit, niſi mentiatur. Itáque alii fecit, quod pati nollet. Quæramus iterum annon de homine injurio pœnas repeti vellet, ne rurſus noceret, néve eo modo quidvis liceret, & Societas nulla inter homines eſſet? Pœnas ſumi ſine dubio de homine probabit, ſi dicat quod ſentiat; quo reſponſo ſemet ipſe damnabit. Si ergo proximo idem cupiamus fieri, quod nobis, ſeu ſi eum inſtar noſtri ipſorum amemus; eum per omnia habebimus, ut nos ab eo haberi cuperemus. De Caritate nihil præterea dicam, cujus eximia deſcriptio legitur apud Paulum 1. Cor. XIII, 1. Varia dixerunt Philoſophi eodem pertinentia, quamvis aliis nominibus uſi ſint; ſed nemo ab omnibus erga omnes omnia exegit,

git, quæ Chriſtus à nobis poſtulat, ut ex brevi ſingularum virtutum deſcriptione liquebit.

2. Ante omnia, poſtulantur ab hominibus mutua Juſtitia & Æquitas. Juſtitiâ, quâ unicuique, quod ſuum eſt, jure Naturæ, Gentium & Civili, reddimus; ab omni planè injuria, quæcúmque ſit, ſive dicto, ſive facto conſtet; ſeu in omiſſione, ſeu in actione quadam ſita ſit, abſtinemus. Æquitate etiam ulteriùs progredimur, multa enim ſunt quæ ex Legibus non debentur, & propter quorum omiſſionem nemo apud Judicem conveniri queat; quæ tamen ab æquo homine omitti non poſſunt, niſi ſemet, apud animum ſuum, damnet. Pendent hæc à circumſtantiis factorum, hominum, locorum & temporum; quibus poſitis, iniquum eſſet ſummo jure cum hominibus agere; quamvis per Leges, quæ rem arbitrio civium reliquerunt, illicitum non ſit. Utrámque hanc virtutem & præſertim poſteriorem, omniáque earum conſectaria, & adjuncta, qualia ſunt bene ſentire de Proximo, non facilè eum damnare, meliora in poſterum ab eo ſperare; Fides in promiſſis, Veracitáſque in omnibus dictis, per quas neminem fallere licet, non tantùm dato jurejurando, ſed etiam nudo promiſſo; Injuriæ, quæcúmque ſit, reparatio, quamvis lege repeti nequeat, ut reſtitutio clam aut ſpecie juris ablatorum, veniæ ob maledicta petitio, aliáque id genus, poſtulat à nobis Evangelium. Loca nec hîc, nec in ſequentibus, proferemus, cùm brevitatis causâ, tum etiam quia ſat nota ſunt, & à pluribus Theologis diligenter collecta. Vide 1. Cor. XIII, 1. & ſeqq. locáque ſimilia.

3. Vult Evangelium nos beneficos eſſe in omnes, quoad ejus fieri poteſt, ſeu gratiâ, ſeu operâ, ſeu re noſtrâ iis opus ſit; & præſertim erga miſeros, quos videmus miſericordiâ noſtrâ & liberalitate indigere; ſine quibus, in nimias anguſtias conjicerentur. Sed nuſquam jubet beneficentiâ noſtrâ & miſericordiâ ita nos exhaurire, ut miſeri fiamus, alienáque miſericordia ipſi indigeamus; aut ſinere liberos, propinquóſque noſtros in mendicitatem incidere; dum in alienos noſtra profundimus, ſeu quia jam mendicant, aut ne mendicare cogantur. Non poteſt certus quidam liberalitatis modus Chriſtianis imponi, ita ut proportio, quæ debeat eſſe inter facultates, lucrumque & inter largitionem, quæ fit in gratiam egenorum, adcuratè definiatur. Propter infinitam hominum, temporum & locorum varietatem, quæ nullis certis limitibus continetur; res æſtimationi uniuscujuſque relicta eſt. Chriſtus Lucæ XI, 41. vult *Eleemoſynam dari* τὰ ἐνόντα, hoc eſt, κατὰ τὰ ἐνόντα, *pro iis quæ inſunt*, ſeu pro præſente copia; quibus verbis, ſignificat unumquemque, pro divitiarum modo, liberalem eſſe oportere. Abſurdum planè eſſet cenſere ab homine ditiſſimo majorem liberalitatem non poſtulari, quàm ab homine cujus tenues tantummodò ſint facultates. Sed cùm indicari nequeat juſta proportio; eſt hominum liberalium potiùs proportionis cujuſcumque finibus excedere, quàm intra arctiores æquo

limites

limites ſe continere; quod laudatur in vidua Lucæ XXI, 2, 3. Cujus Chriſti præcepti eam rationem habuerunt Veteres Chriſtiani, ut non ultima hæc cauſa fuerit, cur Evangelii tanti progreſſus eſſent, ut ad annum XCIX. Æræ Chriſtianæ dicemus.

4. Humanitatem & Manſuetudinem prorſus ſingularem à nobis exigit; quarum virtutum priore quidem omnia facta ac dicta noſtra, ad Proximum pertinentia, comitate & benevolentiæ profeſſione condîmus, omnibúsque dictis durioribus & acerbioribus diligenter abſtinemus, ac frontis quamvis aſperitatem vitamus; poſteriore verò iræ temperamus, nec propter quævis aliorum delicta excandeſcimus, aut ad convicia & contumelias umquam devenimus; imò ne gravibus quidem nimiùm, aut nimis diu iraſcimur; ſeu intus apud animum noſtrum, ſeu etiam verbis, quæ iratis excidant. Quin hæ duæ virtutes, quas propter ſummam adfinitatem conjunximus, contineantur Caritate, nemo dubitet; qui reputet Inhumanitate & Iracundiâ, indole aſperiore, frontéque ferociore omnes offendi, & contrariis virtutibus delectari; ac proinde ea, quibus offendimur ipſi, nobis eſſe erga alios vitanda; eáque adhibenda, quibus delectamur. Nec ſanè erga eos, quos amamus, inhumani & iracundi eſſe ſuſtinemus. Hinc iram & convicia, quæ ex ea ſequuntur, damnat Chriſtus Matth. V, 22. qua in re Moſaïca Lege præſtantius ſe præceptum dare oſtendit, poſtquàm enim dixit homicidium eâ vetitum, ſubjicit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui verò dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Vide & Jacob. I, 19. & ſeqq. Sed hæc ſunt intelligenda de ira injuſta & immodica, quæque ſit conjuncta cum ultionis cupiditate, aut cum contemtu odioſo Proximi; alioquin enim licet iraſci, juſtis de cauſis, & modo iræ impoſito, & cùm oritur ira ex emendandi, non ex nocendi ſtudio, ita ut facilè delinquentibus placemur. *Iraſcite*, ait Paulus Epheſ. IV, 26. *& nolite peccare; ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram*; & vſ. 31. *omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur è vobis, cum omni malitia.* Chriſtus ita indignabatur Phariſæis, Judæisque impœnitentibus, ut cum reſipiſcentibus redire in gratiam paratus eſſet, & illorum etiam ſcelere moriens Deum pro illis orarit. Hiſce virtutibus, ut vitantur offenſiones, odia, & quæcumque mala inde naſcuntur: ſic conciliantur animi, benevolentiáque & amicitia generantur, ac aluntur. Sed non ſunt miſcendæ cum vitiis, quæ interdum ſub earum ſpecie latent; qualis eſt ficta Humanitas, quæ animum inſidioſum & malevolum occultat, mendaciiſque fallit; qualis adulatio, quâ pravis æquè blandiuntur homines ſubdoli, ac laudabilibus; quale denique turpe obſequium, quo improbè dictis & factis adſentiuntur, aut adſentiri ſe ſimulant. Noxia hæc ſunt Humanæ Societati, quæ verâ Humanitate, & Manſuetudine alitur & fovetur.

Ad has virtutes ſpectat monitum Pauli Rom. XII, 10. quo vult Chriſtianos

tianos τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγεῖσθαι, hoc eſt, *honere ſe invicem anteponere*, ut *Taciti* loquutione utar, & quidem ita ut alii alios antevertere conentur; quod eſt ſingularis Comitatis, quæ non exſpectat ut priùs honos ſibi ab aliis exhibeatur, quàm honorificè eos adpellet, aut habeat. Ejusdem virtutis eſt πάντας τιμᾷν, *omnes honorare*, quod præcipit Petrus 1. Ep. II, 17. Si quæ ergo Inhumanitas, aut aſperitas morum in Chriſtianis deprehenditur, & quidem in iis, qui aliis religioſiores videri volunt; id Religionis Chriſtianæ conditoribus, aut eorum doctrinæ, adſignari nullo modo poteſt. Sunt hæc vitia eorum, qui Religionis Chriſtianæ præcepta ignorant, aut ſcientes & prudentes negligunt; quos vel ipſi [21] Philoſophi Ethnici, & communis cultiorum & elegantiorum hominum uſus redarguunt.

5. Has ſequitur Pacis & Concordiæ amor, cùm in rebus ad hanc mortalem vitam pertinentibus, tum etiam in iis, quæ ad Religionem ſpectant, ſeu dogmata, ſeu Ritus dixeris. Sed cùm virtutes veluti ſorores ſint, quæ numquam inter ſe diſſident, ſtudium pacis ſemper cum Virtutis & Veritatis amore conjunctum ſit oportet; ita ut concordiæ ſic faveamus, ut Virtutem ſimul ac Veritatem conſtanter retineamus. Alioqui mera eſſet conſpiratio malorum hominum, qui in contemtu Virtutis & Veritatis concordes agerent, ceteroquin inter ſe diſcordes eſſent; dum ſua quiſque, non commune bonum, quæreret. Superiores quidem omnes, quas memoravimus, virtutes eò ſpectant ut homines inter ſe caritate & amicitiâ vinciant; verùm hæc propiùs rem adtingit. Maximè autem pacem conſervat, non ſuæ peculiaris utilitatis tantùm, ſed & alienorum commodorum, & totius Societis boni communis ſtudium; nam, ut ait [22] *Plato*, τὸ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ ἴδιον διασπᾷ, *communis* (utilitas) *connectit*, *privata divellit*. Sunt ergo quærenda ſua cuique commoda, at ſine aliena injuria, imò cum aliorum utilitate; quo pacto, quàm optimè pax coletur.

Sed quia unuſquiſque ſuis indiget, quibus ſi ſpolietur, alienâ injuriâ, in miſeriam incidit, unà cum ſuis; non poteſt cum ejuſmodi homine concordem vitam agere, à quo ſpoliatus eſt, eúmque ſi rapta reſtituere non vult, nec quidquam ſæpiùs monitus de injuſtitia remittit, cogitur minimùm fugere, quaſi hoſtem, à quo eſt cur ſibi metuat. Si quis etiam minis & vi extorquere velit, ut Virtus aut Veritas deſeratur, vel pacis cupidiſſimus ab eo longè abire neceſſe habet; ne prodat quæ ſunt per ſe omnium præſtantiſſima & Humano Generi utiliſſima, ac proinde à Deo ita commendata, ut numquam per eum ab iis diſcedere liceat. Ceteroqui, ſi, ſine communione vitiorum & errorum, licet Societatem colere, pax civilis incolumis maneat oportet; nec neceſſe eſt ab minimum, in rebus exigui momenti, diſſenſum, in partes abire. Ideò Paulus

21 *Philoſophi Ethnici*] Ut Seneca Ep. LXXXVIII. *Humanitas*, inquit, *vetat ſuperbum eſſe erga ſocios, vetat avarum; verbis, rebus, adfectibus comem ſe, facilémque omni-*

lus Rom. XII, 18. *Si poſſibile eſt*, inquit, *quantùm in vobis*, *cum omnibus hominibus pacem colite*; quod poteſt fieri, ſi Virtutis & Veritatis cultum, inter earum ſpretores, profiteri liceat. Sin minùs, fieri nequit, ut pacem colamus.

Sed cùm apud Chriſtianos duæ ſint Societates diſtinctæ, quarum una Civilis, altera Eccleſiaſtica dicitur; non modò Societatis Civilis pax & concordia ſunt, quatenus licet, alendæ, cum cujusvis generis hominibus, qui in eam coivere; ſed etiam Eccleſiaſticæ Societatis, quam Chriſtiani, non ut cives, ſed ut Chriſtiani formarunt. Ubi Eccleſiæ Chriſtianæ tradita antiquitus fundamenta ſervantur, aut ſervari videntur, nec quidquam probare aut improbare inviti coguntur Societatis illius participes, præter poſita ab Apoſtolis Dogmata; non eſt cur, aliorum Dogmatum causâ, pax ejus turbetur; quamvis alii, qui ad eam Societatem pertinent, in errores quoſpiam inciderint. Licet enim ſemper fundamenta ipſa Chriſtianiſmi retinere, & rejicere ſi quid cum iis pugnare videatur. Sed ubi aut fundamenta convulſa ſunt, aut neceſſitas imponitur probandi quod nolis, aut damnandi quod probes; tum converſa eſt Eccleſia Chriſtiana in Societatem, quæ eo nomine indigna eſt, nec eſt religioni ducendum ab ea diſſentire & diſſenſum illum profiteri. Sic olim Apoſtoli unam initio Eccleſiam cum Judæis conſtituerunt, quamvis ab iis multùm diſſentirent, dum licuit iis in Synagogis Judaïcis ſe diſcipulos Chriſti profiteri, Dogmatáque ab eo accepta tueri & contraria rejicere; ſed poſtquàm non ampliùs licuit, ſuos ſibi cœtus habuerunt, & Judaïcæ Synagogæ nuncium remiſerunt, ut diximus ad annum Æræ Chriſti XLVI. Interim in cœtibus ipſis Chriſtianis, cùm Hebræis & Gentilibus conſtarent, diſſentio nonnulla remanſit; dum Hebræi ritibus priſcis mordicus adhærerent, quos Gentiles nolebant ſuſcipere; ſed quia cetera Chriſtiana doctrina illibata manebat, neutrique id probare cogebantur quod probandum non putabant; non eſt propterea pax Eccleſiæ Chriſtianæ turbata, nec turbari debuit, ut docet Paulus ad Rom. c. XIV. & XV. & alibi. *Factus eſt Judæis*, ut ipſe teſtatur 1. Cor. IX, 20. *tamquam Judæus*, *ut Judæos* Chriſto *lucraretur*; *iis*, *qui erant ſub Lege*, *quaſi ſub Lege eſſet* (*cùm ipſe non eſſet ſub Lege*) *ut eos*, *qui ſub Lege erant*, *lucrifaceret*; *iis*, *qui ſine Lege erant*, *quaſi ſine Lege eſſet* (*cùm ſine Lege Dei non eſſet*, *ſed in Lege eſſet Chriſti*) *ut lucrifaceret eos*, *qui ſine lege erant* - - - denique *omnia omnibus*, *ut omnes ſalvos faceret*; hoc eſt, quidquid potuit, incolumi Religione Chriſtianâ, Hebræis, aut Gentilibus gratificari, conceſſit, ut utroſque ad Chriſtum adduceret.

6. Eadem de cauſa, Chriſtus jubet nos injuriis ignoſcere, ſive bona, aut

omnibus præſtat; *nullum alienum malum putat*, *bonum autem ſuum id maximè*, *quod alicui bono futurum eſt*, *amat*.

22 *Leg. Lib. IX.* pag. 875. Tomi II. Editionis Stephanicæ.

aut famam, aut corpus ipſum ſpectent; ſi modò ſint tolerabiles, & ne Magiſtratum quidem adiri patitur, ut ejusmodi injurias ſarciri petant Chriſtiani. Quod nuſquam vetitum eſt Judæis, quódque oſtendit majorem multò ſanctitatem à Chriſto poſtulari, quàm à Moſe. [23] *Audiſtis*, inquit Matth. V, 38. & ſeqq. *quia dictum eſt:* oculum pro oculo & dentem pro dente. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei; & volenti mutuari à te, ne avertaris.* Sapientiſſima eſſe oſtenderunt Interpretes, quia dum tolerabilem injuriam fers, ſiſtis omnem moleſtiam; cui nullus eſſet finis, ſi nemo inultus vellet injuriam accipere. Præterea ſæpe contingit eos, qui injuriam faciunt, patientiâ & manſuetudine Chriſtianorum adfici & ad ſaniorem mentem redire. Verùm obſervandum hîc agi de toleranda quadam injuria, non de ea, quæ ſine pernicie ferri non poſſet. Si quis, exempli causâ, ab improbo, ſine ulla auctoritate publica, graviter vulneraretur, bonis omnibus ſpoliaretur, uxori aut filiabus vim adferri, liberos in ſervitutem abduci videret, aliáque id genus, prorſus intoleranda; nihil vetat hominem Chriſtianum ad Magiſtratus, & auxilium Legum confugere, ſi liceat; aut vim vi opponere, ſi non poſſit; alioqui nulla Chriſtiana Societas ſtare poſſet, & improbiſſimis quibúsque optimi civium eſſent expoſiti, & veluti vincti traderentur. Multa non innoteſcunt Magiſtratui, etiam atrociſſima, nî ad eum à læſis deferantur; ac proinde ab eo coërceri, ſine læſorum querelis, non poſſent. Ad quod accedit, quòd ſi nemini privato jus ſit, ex legibus Evangelicis, vi ſe & ſua umquam tueri; plus juris Chriſtiano Magiſtratui non competat, cùm nullum ei ſit jus, niſi quod privati quique, vel Corporis Civilis membra in manibus ejus depoſuerunt, ut docent [24] qui de Jure Naturæ ſcripſerunt. Sic numquam Chriſtiana ulla Reſpublica poſſet eſſe, cùm infidelibus ſolis fungi Magiſtratuum munere liceret, cujus non exigua pars eſt ſcelerum ultio, & malorum coërcitio; quod longè abſurdiſſimum eſt.

Sed Chriſtus quæcumque diſſimulari poſſunt, ſine nimia jactura, nimióve periculo, ea ferri voluit, potiùs quàm Magiſtratuum auxilium imploretur. Quod Judæis nequaquam vetuerat Moſes, ut liquet ex verbis Legis laudatis è Libro Exodi XXI, 24. Levit. XXIV, 20. Deut. XIX, 21. Fuerunt etiam ſapientiſſimi viri, apud Ethnicos, qui ultionem vetuerunt, ut Socrates & Socratici, uti diximus Sect. 2. C. II, 11. Sed ulteriùs multò progreſſus eſt Chriſtus, qui & inimicos amandos, & beneficiis maleficia penſanda, vexationésque ac calumnias precibus ad Deum fuſis, pro vexatoribus & calumniatoribus, ulciſcendas

23 *Audiſtis* &c.] Copioſiùs hæc interpretati ſumus in additamentis ad Adnot. *Henr. Hammondi* in Novum Teſtamentum.

24 Vide inter alios *Joan. Lockii* de Origine;

das docuit, ad imitationem Dei, qui etiam malis benefacit Matth. V, 44. & ſeqq. VI, 14.

Vulgò Judæi & Ethnici ultionem, *vitâ*, ut [25] ait Poëta, *jucundiorem*, licitam eſſe credidere, & patientiam Chriſtianam, quaſi rem naturæ humanæ contrariam, & quæ à nemine ſervari queat irriſerunt. Sed jam antea intolerandas injurias à minoribus diſtinguendas diximus; & aliis homo mitis indolis facilè poterit à ſe impetrare ut ignoſcat, ſi modò veniam quæ à ſe petitur, probè expendat. Si juberet Chriſtus à nobis improbos, in improbitate ſua etiamnum perſeverantes, & nos lædere pergentes, pro hominibus probis haberi, & amicorum noſtrorum numero cenſeri, ut eos ſingulari amicitiâ proſequamur; ſi præciperet nos iis arma ac inſtrumenta, quibus nobis nocere poſſint, ſuppeditare, aut ab iis minimè nobis cavere; ea imperaret, quæ fieri non poſſent, nec deberent. Sed jubet tantùm eos eatenus amari, ut nos eorum nequitiæ miſereat, nec eis noceamus, beneficiisque, quæ nobis nocere non poſſint (qualia multa ſunt) ad meliorem mentem revocari, nedum ut malum malo rependamus; precibus etiam à Deo peti eorum reſipiſcentiam, quam ſi conſequantur, nobis fiant amici; paratóſque nos ſemper eſſe ad concedendam eis veniam & amicitiam noſtram, ſi eas à nobis petant, quamvis [26] ſæpiùs nos fefellerint, ſi modò ſpes ſit eos ſeriò nobiſcum ea de re agere. Hæc autem quidni poſſint & debeant fieri non video. Imò verò paſſim fieri contendo, nec Humanam Societatem, ſine ea indulgentia ſtare poſſe exiſtimo. Cùm enim homines ejus ſint indolis, ut perſæpe in Deum & Proximum delinquant; ut poſſit inter eos incolumis eſſe Civilis Societas, ſibi invicem veniæ tribuendæ ſemper paratos eſſe oportet; niſi immortalia odia inter homines eſſe, & injurias perpetuas malimus; quàm Societatem ullam cum minùs probis, aut certè in Virtute etiamnum vacillantibus colere; quod nemo, ut opinor, dixerit; præſtat enim eſſe, ut ille ajebat, aliquam Rempublicam, quàm nullam.

Quod autem diximus de privatis, idem dicendum de Summis Poteſtatibus, inter ſe invicem collatis; nec ullum eſt diſcrimen, niſi quòd, cùm privati ad Leges & Magiſtratus confugere poſſint, Summæ Poteſtates, inter ſe colliſæ, neminem habeant in terris, qui diſſidentibus jus dicat, & à nocentibus pœnas exigat; quamobrem, ad arma confugere coguntur. Ceteroqui, cum privatis conſtent Societates, quæ iis parent, cúmque earum Præfecti, quocúmque jure imperare cenſeantur, apud Deum ſummum omnium Judicem, ſint inſtar privatorum; eos etiam oportet tolerabiles injurias ferre & diſſimulare, potiùs quàm ad arma continuò devenire; miſereri ferociæ hoſtium iram Dei

gine, Ambitu, & Fine Regiminis Civilis Librum, Cap. XI.

25 *Juvenal, Sat.* XIII, 186.

26 *Vide Matth.* XVIII, 21, 22. & Intt. ad eum locum.

Dei provocantium; manſuetudine & beneficiis eos ſibi conciliare; arma nonniſi invitos & coactos induere, iisque erga hoſtes, quàm humaniſſimè fieri poteſt, uti; pro iis Deum precari, ut quid ſui officii ſit intelligant, & ad æquiora & humaniora conſilia revertantur; & cum vicinis populis in amicitiam redire, cùm primùm ſine pernicie Reipublicæ licet, præteritarúmque injuriarum obliviſci, quamvis ſæpiùs decepti. [27] Quod nî fieret, internecina eſſent inter populos bella, & tandem planè homines efferarentur. Ideóque, quotieſcumque, poſt bellum, pax convenit; ita ſe neceſſariò, magna ex parte, gerunt Summæ Poteſtates.

Hæc paullò pluribus proſequuti ſumus, cùm ut liqueret præcepta Chriſti, de ferendis ac condonandis injuriis, eſſe & privatis & populis utiliſſima, atque homines neceſſitate ipsâ adigi, ut ea partim certè obſervent; tum etiam, ut iis occurreremus, qui, in Ethicæ Chriſtianæ contumeliam, dictitant, nullas Societates Chriſtianas incolumes fore, ſi ejus præcepta obſerventur; niſi omnes omnino homines, eam in rem, conſentiant.

7. Si injurias ferri & condonari velit Chriſtus, ac maleficiis beneficia opponi, ut homines ad Virtutem revocentur; multò magis bene facta gratiarum actionibus, & ſimilis benevolentiæ officiis, majoribúsque etiam penſari vult. Vide Matth. V, 43. & ſeqq. Itaque, ſi de grato animo tacuiſſent Apoſtoli, hanc tamen virtutem nobis ab iis impoſitam, ex præceptis de venia injuriarum, intelligere liceret. Sed Paulus Coloſ. III, 13. & ſeqq. memoratâ delictorum veniâ aliis conceſsâ, Caritatéque & Pace, nos jubet etiam eſſe gratos, εὐχάριςοι γίνεσθε, *eſtote grati*; non erga Deum tantùm, ſed & erga homines. Sic & 2. Tim. III, 2. ubi mores improborum hominum, qui inter Chriſtianos futuri erant, deſcribit, *ingratos* fore ait.

8. Superiora officia à nobis memorata ad quoſvis pertinent, súntque à quolibet præſtanda, in quocumque genere vitæ; unde jam colligere eſt Evangelii præcepta longè præſtantiſſima & utiliſſima Humano Generi eſſe, quod eſſet beatiſſimum in terris, quatenus quidem hîc beatitudo comparari poteſt, ſi ea obſervaret; ac proinde ab hominibus, quibus nunciatum eſt Evangelium, rem tantam & tam utilem gratiſſimo animo excipi debuiſſe. Nec minùs hoc liquet ex privatis ſingularum ſortium officiis, quæ paucis adtingemus; in quibus quidquid à Philoſophis ſa-

27 *Quod ni fieret* &c.] Multa habet hac de re *Seneca* in Libris de Ira, ut Lib. II. c. 34. *Quos Populus Romanus fideliores habet ſocios, quàm quos habuit pertinaciſſimos hoſtes? Quod hodie eſſet imperium, niſi ſalubris Providentia victos permiſcuiſſet victoribus?* Addit de contentionibus privatis, ſed quæ de publicis etiam dici queant: *Iraſcitur aliquis? Tu contrà beneficiis provoca. Cadit ſtatim ſimultas ab altera parte deſerta, niſi pariter non pugnant. Si utrimque concurritur, ille eſt melior, qui prior pedem retulit; victus eſt, qui vicit. Percuſſit te? recede, feriendo enim & occaſionem ſæpiùs feriendi dabis & excuſationem; non poteris revelli, cùm voles.* Hinc *Socrates* ſæpe, apud *Platonem*, ut diximus Sect. II. c. II, 12. negabat oportere τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικεῖν, *injuriâ injuriam ul-*

ſapienter dictum fuerat, id comprobatum & cumulatè etiam repoſitum eſt à Chriſto & Apoſtolis.

Prima omnium, quæ docemur, officia ſunt quæ ad Juvenes & Cœlibes pertinent. Itaque præter ceteras virtutes, quæ omnibus impoſitæ ſunt, Juvenes præſertim oportet eſſe diſcendi cupidos; ut, dum licet, quæ ad vitam bene & beatè agendam eis neceſſaria ſunt, intelligere conentur; grandioris enim ætatis occupationes vix patiuntur multùm temporis diſcendo tribui, cùm jam ſit agendum ſive noris, ſive ignores quomodo rectè ſit agendum; propter urgentes vitæ neceſſitates, quæ differri non poſſunt. Itaque Juvenes dociles eſſe oportet, primùm ad cognoſcendam Religionem ejúſque officia, & quæcumque ad bonum virum, ſeu ad probam mulierem, in quolibet vitæ genere, præſtandos pertinent; deinde ad artes ſeu nobiliores, ſeu minùs nobiles, pro ſtatûs & fortunarum ratione, addiſcendas; ne poſtea neceſſariis cognitionibus deſtituti in peccata incidant ac pauperiem, quæ ſæpe ſcelerum mater eſt, in animis Virtutis imperitis; néve ſibi ac ſuis, totique adeò Societati Civili inutiles, imò & noxii ſint, innumeráque mala ſibi & ſuis contrahant. Oportet eos eſſe Senectutis reverentes, non tantùm propter imbecillitatem ætatis, ſed quia Senes experientiâ, ut plurimum, multa norunt quæ Juventus aut prorſus ignorat, aut non ita tenet, ut qui ſuâ ipſorum experientiâ didicerunt. Sed hac in re etiam ratio habenda eſt hominum, neque enim Senes omnes ſunt ſapientiâ, virtute, dignitate ac muneribus pares. Ideóque non ſunt ſimiliter omnes habendi, neque eadem fide digni. Secernendi itaque ſunt, quatenus ætas patitur; cui tamen ignorantiæ peccata, ubi nulla eſt malitia admiſta, facilè condonantur. Reverenter ergo ſunt Senes, eo honore non palam indigni, compellandi, quod monet Paulus Timotheum 1. Ep. V, 1. & Titum II, 1. & ſeqq. Obſequium eis eſt præſtandum, niſi ſi quid velint, quod manifeſtò malum ſit. Denique iis eſt ſubveniendum, quoad licet, ubi provectior ætas, ejúſque incommoda eos ſibi proſpicere & ſua, ut vellent, curare non patiuntur.

Viciſſim, ut docet Paulus Epiſtolâ ad Titum Cap. II. debent Seniores iis virtutibus eſſe præditi; quæ, cùm ad omnes Chriſtianos pertineant, ſeveriùs tamen exiguntur ab iis qui per ætatis progreſſum, quàm ſint neceſſariæ, non doctorum tantùm auctoritate, ſed ſuâ etiam ipſorum experientiâ diſcere debuerunt. Præſertim debent eſſe graves, & quò

ulciſci. Laudati proinde qui, injuriæ ignoverunt, ab Ethnicorum ſapientibus, unà plaudentibus Chriſtianis. Λυκοῦργος μὲν, ait *Origenes* contra *Celſum* Lib. VIII. p. 401. λαβὼν ἐξουσίαν τοῦ ἐκκόψαντος αὐτοῦ τὸν ὀφθαλμὸν, οὐ μόνον οὐκ ἠμύνατο, ἀλλὰ καὶ ἐπαύσατο κατεπᾴδων αὐτῷ, ἕως αὐτὸν πείσῃ φιλοσοφεῖν. Ζήνων δὲ πρὸς τὸν εἰπόντα· ἀπολοίμην, ἐὰν μή σε τιμωρήσωμαι· ἐγὼ δὲ εἶπεν, ἐὰν μή σε φίλον κτήσωμαι: *Lycurgus quidem in poteſtatem ſuam traditum, qui extuderat ipſi oculum, non tantùm non ultus eſt, ſed nec deſiit hominem demulcere, donec ei philoſophari perſuaſiſſet. Zeno verò dicenti:* diſpeream, niſi te ulciſcar; *dixit:* & ego, niſi te amicum fecero. Utrumque apud *Plutarchum*, Vitâ Lycurgi, & Libro *de ira cohibenda.*

quò peritiores rerum humanarum volunt videri, eò rectioris, in omni virtutum genere, exempli. Cùm ætas adfectus Juventutis exſtinguat, magna ex parte, ſi ſceleratos homines excipias; quibus adfectibus fit ut modum, in omnibus ſervandum, ſæpe tranſiliamus; debent grandiores natu ſuo exemplo Juventutem ad moderationem & temperantiam revocare. Sed cùm Juvenes etiam fuerint, ſciántque adfectus in Juventute acriores eſſe, atque aſperioribus caſtigationibus irritari; dare operam Senes oportet, ut manſuetudine admonitiones omnes ſuas condiant, séque non triſtitiâ quadam & moroſitate ſenili, ſed benevolentiâ, & rerum cognitione ad reprehendendos Juvenes adduci oſtendant. Debent etiam ſermonibus & conſiliis, prout res fert, monere & juvare Juniores, rerum minùs peritos. Denique oportet Senes, decursâ magnâ vitæ parte, mortem quaſi inſtantem meditari; nam Juvenes quidem mori poſſunt, at Senes vivere non poſſunt; eámque, ubi adeſt, æquo animo excipere, & adſtantibus exemplum fidei & ſpei Chriſtianæ præbere.

Ad Cœlibes quod adtinet, præter communia officia, ſingularem in modum impoſita iis eſt caſtitas, & abſtinentia ab uſu mulierum; quandoquidem nullam ſibi vitæ comitem eligere voluerunt. Quódque viris præcipitur, idem potiore jure à puellis exigit Evangelium. Quin etiam arctiorem & Cœlibibus & aliis omnibus ſanctimoniam impoſuit, ut docet Chriſtus Matth. V, 27. quàm Lex Moſaïca poſtulabat: *audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Idem, ex natura ipſa rei, puellis & mulieribus præcipi intelligere licet. Intueri virum, aut mulierem, & tacitè eos concupiſcere, modò ne ad effectum deveniretur, delictum in Deum non putabant Ethnici & Judæi; quòd lege nullâ plecteretur. Sed Evangelium concupiſcentiam tacitam damnat; quâ animo conceptâ, ſi paullò vehementior ſit, nihil deeſt ad effectum præter occaſionem. Decimo quidem Decalogi præcepto vetita eſt *concuſpicentia*, ſed eſt ejuſmodi cupiditas, quæ ſita eſt, in uſu artium quarumdam, quæ ei ſatisfaciant; quamvis effectum non ſemper ſortiantur, ut ad eum locum oſtendimus. Chriſtus verò damnat vel ipſas cogitationes, quamvis eò nondum proceſſerint, ut homines adduxerint ad ineundas vias, quibus cupiditati ſuæ ſatisfacerent. Ideò etiam Paulus docet 1. Cor. VII, 8. melius eſſe *nubere quàm uri*, ne inardeſcens cupiditas animum invadat, & poſtea etiam in facta erumpat. Vide Jac. I, 14, 15.

9. Cùm matrimonium ſit à Deo inſtitutum, ad humani generis propagationem, útque auxilium nobis invicem feramus; hinc pendent omnia Viri & Uxoris officia, quæ poſtulant amorem mutuum, concordiam, obſequium, ſtudiúmque ſe invicem juvandi, per totam vitam; ita ut nec vir ad aliam mulierem ſe conferat, nec uxor ad alium virum, cum quibus conſuetudinem habeant. Hæc quidem, apud pleraſque gentes, paullò moratiores, obtinuerunt; ſed apud Judæos, non minùs quàm

quàm apud Ethnicos, licitum ſuit divortium; & apud Judæos quidem, ſoli viro fas erat uxorem repudiare; apud Ethnicos verò, etiam uxori virum. Chriſtus autem plus multò à conjugibus exigit, quàm per Jura Civilia Hebraïca, Græca, ac Romana licebat. *Dictum eſt*, inquit Matth. V, 31. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Similia etiam habet Cap. XIX, 7. & ſeqq. quod cùm mirarentur Phariſæi, objiceréntque ei Moſis auctoritatem, qui libellum repudii inſtituerat dari, reſpondet: *Moſes, ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem, non fuit ſic.* Ac ſanè in matrimonii primæva inſtitutione, nulla divortii vel minima mentio occurrit, nec res ipſa patitur tale quidquam, ſine Societatis Humanæ incommodo, fieri. I. Qui matrimonium unà contrahunt, ſobolis & auxilii causâ, neceſſe habent curam communis prolis gerere; quod non poteſt fieri, ſi interceſſerit divortium, quo liberi à matre ſua divelluntur. II. Nec ſperandum eſt novercam eamdem curam geſturam alienorum liberorum, ac ſuorum; aut patrem invitâ novercâ, ſine gravi moleſtia, eam in ſe ſuſcepturum. Nota ſunt ex hiſtoria, experientiáque quotidiana, *novercarum odia*, quæ etiam in proverbium abierunt; & quæ multò olim frequentiora erant, apud Judæos atque Ethnicos, & ſunt etiamnum hodie inter Mohammedanos, quàm apud Chriſtianos; apud quos pauciores multò ſunt novercæ, quia illicita ſunt repudia. III. Licentia ejuſmodi libidini & injuſtitiæ virorum, apud Judæos: utriuſque conjugis, apud Ethnicos, ingentem feneſtram aperiebat. IV. Reverentiæ, parentibus à liberis debitæ, grave impedimentum erat; difficulter enim liberi mulieris dimiſſæ de utroque parente bene ſentire poterant; cùm penès alterutrum culpa eſſet repudii, ac proinde de alterutro non ſatis honorificè ſentirent, nec parentes ideò *honorarent*, prout lex jubet. V. Ægrè etiam liberi jam adultæ ætatis pati poterant matri ſuæ, aut ſine Conjuge, aut in impari Conjugio viventi, malè eſſe; vel etiam invidebant fratribus ac ſororibus, ex eadem matre ab alio viro genitis, ſi melior eſſet ſors eorum, quàm ſua ſub noverca fuerat, & patri ſuo minùs benevoli erant. Cùm hæc ſint manifeſta, ſatis liquet repudia à Chriſto eſſe vetita, non ut gravius jugum, ſine cauſa, naturæ humanæ imponeret, ſed in utilitatem hominis, inque Humanæ Societatis commodum. Attamen Apoſtoli, qui præjudiciis Judaïſmi etiamnum laborabant, reſponderunt Chriſto: *ſi ita ſit cauſa hominis cum uxore, non expedit ducere uxorem*; nec aliud imperitis reponit Sapientiſſimus Magiſter, niſi, *omnes non capere hoc verbum, ſed quibus datum eſt.* Nunc verò meliore conſuetudine emendatis mirum videtur ſic Chriſto reſpondiſſe Apoſtolos; cùm id, quod in virorum gratiam dicebant, poſſet in gratiam mulierum, hoc eſt, dimidiæ Humani Generis partis in eos retorqueri: *ſi ita ſit cauſa mulieris cum viro, non*

 expedit

expedit nubere. Quâ ratione conjugia, ut effreni libidini janua aperiretur, tollenda eſſent, & Humana Societas funditus evertenda.

Ex ratiocinatione Chriſti, deducta à prima inſtitutione matrimonii, quam quaſi exemplar diſcipulis proponit, *ab initio non fuit ſic*; collegerunt poſtea Chriſtiani, Græcorum & Romanorum etiam exemplo adjuti, apud quos unam dumtaxat uxorem ſimul habere licuit, naturæ conſentaneam eſſe conſuetudinem, cùm Deus unam tantùm uxorem uni viro creaſſet. Ac ſine dubio non parum hoc facit ad concordiam familiæ, ad rectam educationem liberorum, útque in amore mutuo fratres & ſorores adoleſcant; ſi ſit tantùm una mater familias ſimul, ut eſt pater familias unus. Huc accedebat, quòd multitudo illa uxorum turpem libidinem redoleret, & familiæ etiam opes exhauriret. Itaque quamvis nullum exſtet diſertum præceptum Chriſti, aut Apoſtolorum, de una uxore ducenda, non immeritò Chriſtiani Polygamiam damnarunt.

10. A parentibus erga liberos, viciſſimque à liberis erga parentes ea officia exigit Evangelium, quæ ab omnibus Gentibus excultioribus umquam exacta ſunt. Vult à Parentibus diligenter educari & inſtitui liberos, ut docet Paulus Epheſ. VI, 4. Coloſ. III, 21. cúmque Chriſtus quidquid ad bonos mores, in rectæ Rationis luminibus, pertinebat in Evangelium ſuum tranſtulerit, aut diſertè, aut ex conſequentia; Religioni Chriſtianæ, non minùs ac conſilio Dei de propagatione Humani Generis, planè contraria cenſetur inhumana Ethnicorum conſuetudo, quâ infantes recens natos necare, aut exponere ſolebant, ſi tollere nollent. Res per ſe crudelis erat & naturæ contraria, non enim procreatur ſoboles, ut occidatur, ſed ut alatur, ac educetur; quò poſtea parentes viciſſim adjuvet, ſi ad ætatem adultam perveniat. Gignitur etiam non ſolis parentibus, verùm & Reipublicæ, quæ tum maximè floret, cùm hominum copiâ abundat. Huc accedit quòd infantum occiſio & expoſitio feneſtram aperiret turpiſſimæ fornicationi, quia impudicæ mulierculæ eò faciliùs corpore quæſtum faciebant, quòd de alimentis & educatione partûs anxiæ non eſſent; cùm nihil eum exponere, aut necare vetaret. Hiſce de [28] cauſis, jam olim Judæi illicitum habuerant, & poſtea Chriſtiani.

Pau-

28 Vide *Juſtini* Apol. I. c. 36. & *Minuc. Felicem* c. XXX. atque ad hunc Interpretes.

29 *Opinionum aut conſuetudinum* &c.] Conſuetudinem & Veritatem eleganter inter ſe contendit Auctor Clementinarum Homil. IV. §. 11. his verbis: *magna eſt differentia Veritatis & Conſuetudinis; nam Veritas ex animo quæſita invenitur, Mos verò quicumque ſumtus eſt, ſive verus, ſive falſus, ſine examine à ſe ipſo confirmatur; neque eo, ſi verus ſit, delectatur qui ſumſit, neque falſò gravatur; non enim judicio, ſed præconceptæ opinioni vir ejusmodi credidit, & ſententiæ eorum, qui ante eum fuerunt, incerto caſu fretus, ſpem ſuam commiſit. Nec facile ei eſt patriam veſtem deponere, quamvis ſtulta & ridicula eſſe demonſtretur.* Πολλή τις ἡ διαφορὰ τυγχάνει ἀληθείας τε καὶ συνηθείας· ἡ μὲν γὰρ ἀλήθεια γνησίως ζητουμένη εὑρίσκεται· τὸ δὲ ἔθος ὁποῖον ἂν παραληφθῇ, εἴτε ἀληθὲς, εἴτε ψευδὲς ἀκρίτως ὑφ᾽ ἑαυτοῦ κρατύνεται. καὶ οὔτε ἀληθεῖ ὄντι αὐτῷ ἥδεται ὁ πα-

Paulus etiam, iisdem locis, vetat à parentibus *ad iracundiam provocari*, παροργίζεσθαι, *exacerbari* liberos; ne, dum eos aut nimis imperiosè, aut etiam injuſtè habent, eorum animos à ſe alienent & improvidam ætatem in delinquendi occaſiones conjiciant. Ratione & amicitiâ oportet liberos regi & permoveri, niſi ſint perditæ prorſus indolis; non imperiis pro arbitrio conceptis, aut acerbitate, quæ bonam etiam indolem exacerbant.

Viciſſim jubet Paulus liberos *obſequi parentibus in Domino*, & *per omnia;* hoc eſt, in omnibus, quæ ſunt Legi Divinæ conſentanea, aut quæ certè ei non adverſantur, eóſque *honorare*, hoc eſt, colere & adjuvare. Verùm, hac in re, ut in aliis multis, ſingulare quiddam habet Evangelium, quod apud Judæos atque Ethnicos non obtinebat. Nihil frequentiùs occurrit, in utriſque, *Deo patrum*, aut *Diis patriis*; quaſi additamentum illud oſtenderet quis Deus eſſet colendus, eſſétque impium alium Deum colere, quem Majores non coluiſſent. Sic etiam loquuntur de *ritibus patriis*, vel à parentibus acceptis, quaſi nefas eſſet eos negligere, Deumque aliter colere. At Chriſtus [29] opinionum, aut conſuetudinum parentum nullam rationem haberi voluit; ubi veritas Evangelica ageretur; imò eas pedibus conculcari juſſit, etiam cùm odium parentum liberis ſubeundum eſſet, eò quòd aliter ſentirent; potiùs quàm quidquam faceremus, quod cum ea non conſentiret. *Veni*, inquit, *ſeparare hominem adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam, & nurum adversùs ſocrum ſuam - - - Qui amat patrem, aut matrem, plusquàm me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Sic loquitur apud Matth. X, 37. Quin & efficaciùs loqui videtur Luc. XIV, 26. *Si quis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem - - - non poteſt eſſe meus diſcipulus*; hoc eſt, non paratus eſt eos relinquere, quaſi odio haberet, potiùs quàm Evangelium eorum causâ deſerat. Sed talia ſunt prudenter & manſuetè facienda, ſine ulla dictorum aut factorum aſperitate, quæ vel minimam inhumanitatem redoleat, aut ſuperbiam. Nec eſt ipſi Evangelio credendum, apud Chriſtianos, quia à Majoribus à nobis acceptum, ſed dumtaxat quia verum eſt; quod vel adcuratiſſimo examine deprehendere licet. Sed hæc non ſunt hujus loci.

II. Quia

ὁ παραλαβὼν, οὔτε ψευδεῖ ἄχθεται· οὐ γὰρ κρίσει, ἀλλὰ προλήψει ὁ τοιοῦτος πεπίστευκε, γνώμῃ τῶν πρὸ αὐτοῦ ἐπ' ἀδήλῳ τύχῃ τὴν ἐπιδεδωκὼς ἐλπίδα· καὶ οὐκ ἔστι ῥᾳδίως ἀποδύσασθαι τὴν πάτριον περιβολὴν, κᾂν πάνυ αὐτῷ δείκνυται μωρὰ καὶ καταγέλαστος οὖσα. Pulcrè etiam *Tertullianus*, de Velandis Virginibus C. I. *Oſtendam* — *hoc exigere Veritatem, cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum; ex his enim ferè Conſuetudo initium, ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate, ſortita in uſum, per ſucceſſionem, corroboratur & ita adversùs Veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus Veritatem ſe, non Conſuetudinem cognominavit. Si ſemper Chriſtus & prior omnibus, æquè Veritas ſempiterna & antiqua res eſt. Viderint ergo quibus novum eſt, quod ſibi vetus eſt. Hæreſes non tam novitas, quàm veritas revincit. Quodcumque adversùm Veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus Conſuetudo.*

11. Quia verò familiæ conſtabant non modò conjugibus, eorum liberis, ſed etiam ſervis, ſeu mancipiis; quorum ſine dubio multa ad fidem Chriſti vel cum Heris, vel ſeorſim ab illis, adducta fuerant; & periculoſum erat ne ſervi Chriſtiani ſe pluris facerent, quàm heros Ethnicos, aut ſe æquipararent Chriſtianis, quorum *fratres* fiebant, ex Religionis Chriſtianæ indole; Apoſtoli diligenter docent ſervos, quæ eorum eſſent officia, ne Religionem Chriſtianam infamarent, quaſi eâ ſervi deteriores fierent, quod ejus progreſſibus non parum obeſſe potuiſſet. *Servi*, inquit, Epheſ. VI, 5. & ſeqq. *obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto; non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino & non hominibus; ſcientes quoniam unuſquiſque quodcúmque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.* Similia leguntur & Coloſſ. III, 22. 1. Tim. VI, 1. Tit. II, 9. ac in loco quidem Epiſtolæ prioris ad Timotheum, ita habet: *Quicúmque ſunt ſub jugo ſervi dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur; ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Quibus verbis intelligit eos, qui ſerviebant Ethnicis Dominis; qui doctrinam Chriſtianam infamaſſent, quaſi heris ſubtraxiſſet ſervos, aut minùs obſequentes reddidiſſet; ſi contigiſſet ſervos Chriſtianos aut fugere, aut deteriores fieri. Sequentibus verò verbis, Chriſtianis heris ſervientes ſic admonet: *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt; ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt.* Tum ad Timotheum converſus: *hæc doce*, inquit, *& exhortare. Si quis aliter docet, ſuperbus eſt* &c. Unde colligere eſt [30] quoſdam tunc fuiſſe, qui aliter docerent &, obtentu Religionis, heris ſervos ſubtraherent. Indidem factum ut Petrus 1. Ep. II, 18. & ſeqq. tam anxiè ſervis Chriſtianis obſequium non tantùm erga heros bonos & modeſtos, ſed etiam *dyſcolos*, ut habet Vulgatus Int. hoc eſt, acerbos & moroſos, præſcribat.

Servitus quidem non jure Naturæ; quo omnes homines ſunt æquales, ſed tantùm [31] jure Gentium & Civili olim, apud omnes fermè populos, inſtituta; ut etiamnum hodie apud eos, qui à Chriſtiana Religione alieni ſunt. At Religio Chriſtiana, cùm primùm inter homines ſpargeretur, jura Gentium & Civilia intacta reliquit, ne Humanam Societatem turbaret, quod ſummopere noxium fuiſſet. Sed cùm indole ſuâ, homines ad Naturæ inſtituta & ſummam Caritatem revocet; fieri non potuit, ut in animos hominum admitteretur, & altiores radices ageret, quin paullatim diſcrimen illud dominorum & ſervorum, quod originem ſuam à vi & calamitate trahebat, planè exſtingueret; prout tandem factum

30 *Quoſdam fuiſſe* &c.] Nempe, Judæos de quibus antea Sect. I. C. VI, 9. Vide & infra §. 12.

31 Vide *Hug. Grotium* de J. B. & P. Lib. III. c. 7.

factum eſt, ubicúmque ſoli ſunt Chriſtiani. Sunt hodie tantùm, apud eos, mercenarii, qui certâ mercede & certis legibus ſerviunt, deſinúntque ſervire, ex iis legibus; cùm operam pro mercede præſtiterunt, nec ſervire ampliùs volunt. Chriſtianæ Religionis ingenium non patiebatur homines emi ac vendi, pecudum inſtar, & ludibrio etiam haberi, prout libebat, imò etiam occidi; quod olim [32] apud plerósque populos licitum fuerat, quamquam legibus Romanis poſtea vetitum. Sed non oportebat ideò ſervos Chriſtianos ſe ſe invitis heris ſubtrahere, aut fugere; verùm patienter ferre, ſpe æternæ mercedis à Deo, etiam duriſſimam ſervitutem; dum memorata jura publicâ auctoritate, aut conſenſu populorum Chriſtianorum antiquarentur. Vide 1. Cor. VII, 21,22.

Nihil erat quod Apoſtoli Chriſti Ethnicis heris præciperent, ſed non minore curâ Chriſtianos docuerunt, quî ſe erga ſervos gerere deberent, ut Paulus Epheſ. VI, 9. *& vos, Domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum*; hoc eſt, qui æquè pœnas ſumat de hero inhumanè ſervum habente, quàm de ſervo, qui herum fallit. Vide & Coloſſ. IV, 1.

12. Cùm temporibus Apoſtolicis nulla eſſet Reſpublica Chriſtiana, quæ Magiſtratus ſuos haberet; nulla ſunt Apoſtolorum monita, de modo, quo ſe Magiſtratum gerere oporteat, erga cives. Sed iis non caret Vetus Teſtamentum, unde Chriſtiani quod ſatis erat haurire poterant, ſi quando ſummæ rerum præeſſent. Nec apud ipſos Ethnicos ignota erant cùm ſummarum, tum etiam minorum Poteſtatum officia. Verùm munera nulla ejuſmodi ambiebant Chriſtiani, cùm Sacra, Ethnico more, Magiſtratibus impoſita facere nefas ducerent. Præterea officiis omnibus Chriſtianis impoſitis continentur etiam Magiſtratuum officia; quorum regimen eò laudabilius eſt & beatiorem Rempublicam facit, quò magis cum Caritate & ceteris virtutibus Chriſtianis conſentit. Nec cives, ut antea diximus, plus juris dare Poteſtatibus poſſunt, quàm ipſi habent; ac proinde Caritatis Chriſtianæ, ceterarúmque Virtutum legibus non magis eos ſolvere queunt, quàm ſunt ipſi ſoluti, qui omnibus tenentur, atque in perpetuum tenebuntur. Ergo Magiſtratûs officia iis, quæ ſunt ſingulis Chriſtianis impoſita, continentur. Itaque, iis omiſſis, Apoſtoli operam dederunt, ut Chriſtiani quàm optimè noſſent, quî ſe erga Magiſtratus gerere deberent. Quod eò magis neceſſarium erat, quòd Judæi eo tempore jugum Romanorum impatientiſſimè ferrent, ſeditionémque clam & palam, in Judæa viciniſque tractibus, ac res novas molirentur; atque Religionem quidem conatibus improbis prætexerent, ut diximus Sect. I. c. VI, 9. Ne ergo à Judæis deciperentur Chriſtiani, néve vel minimo motu calumniis anſam præberent, quaſi & ipſi rerum novarum amantes eſſent, eóque Religione ſuâ impellerentur; Apoſtoli

32 Vide notata à nobis ad Exod. XXI, 20.

toli diligenter Chriſtianos, de officiis civium erga Magiſtratus, edocuerunt. *Omnis anima*, inquit Paulus Rom. XIII, 1. & ſeqq. *ſublimioribus Poteſtatibus ſubdita ſit, non eſt enim Poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt; nam Principes non ſunt timori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non timere Poteſtatem? Bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium geſtat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit* &c. Satis liquet hoc velle Paulum I. ordinem illum Societatis Civilis, quo ſunt Magiſtratus, vel Poteſtates, quibus Reipublicæ adminiſtratio commiſſa eſt à populis, eſſe *à Deo*, ἀπὸ Θεοῦ, hoc eſt, à Divina Providentia manaſſe; quæ eam naturam hominibus indidit, ut ſine Societate vivere non poſſent, quæ ſine Magiſtratibus conſiſtere nequit. Nec diſſentit Petrus à Paulo, cùm 1 Ep. II, 13. Magiſtratum vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν, *humanam conſtitutionem*, cui ſimiliter dicto audientes vult eſſe Chriſtianos; nam homines naturæ, hoc eſt, Dei inſtinctu, Societates inſtituerunt, quibus rectores præfecerunt, ſine quibus ſtare non poſſent: II. Etiam eam ipſam adminiſtrationis formam, quæ tum erat in Imperio Romano, conſentiente populo, inſtituta, ut Cæſari, Magiſtratibúsque ab eo conſtitutis omnes parerent, non improbatam à Deo; nam unicuique populo poteſtatem fecit ſibi certam Reipublicæ formam conſtituendi: III. Privatorum non fuiſſe, quales erant Chriſtiani, quidquam in ea re movere, ſed tantùm bonis moribus, & obſervatione Legum, quæ quidem Religioni ſuæ non adverſabantur, Magiſtratuum protectionem demereri; ſin minùs, juſtas pœnas ab iis exſpectandas, quaſi à Societatis, divinitus inſtitutæ, ac proinde Dei miniſtris: IV. Magiſtratus tantùm de ſceleribus pœnas ſumſiſſe, quod ut plurimum verum erat, nam eo tempore nondum erant Leges contra Chriſtianos latæ; alioqui monuiſſet Paulus, parendum eſſe Romanis Magiſtratibus, è Legibus Civilibus, de litibus inter cives, ad res hujus vitæ quod adtinet ortis, jus dicentibus; ſed non Religionem pro arbitrio iis, qui parebant Imp. Romano, imponentibus; cùm neque Deus, neque homines cuiquam jus conſtituendæ, pro arbitrio, Religionis conceſſerint.

Pergit verò Paulus his verbis: *ideò neceſſitate ſubditi eſtote* (legit V. I. ἀνάγκῃ ὑποτάσσεσθε, pro ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, ut habent alii Codd.) *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; ideò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Vult Paulus I. Chriſtianos ſe ſe ſubjicere Magiſtratibus, non ſolùm metu pœnarum, ſed *propter conſcientiam*; hoc eſt, quia probè norunt ordinem illum Deo naturæ, eum flagitantis, auctori ortum debere, in Humani Generis utilitatem: II. eis tributa & vectigalia ſolvere, jure Gentium debita, quia ſine iis Societatem tueri non

non poſſent; quod pertinet ad ſummam Poteſtatem: III. timorem atque honorem minoribus Magiſtratibus, ab ea conſtitutis, exhibere, prout par erat. Nemo ergo ſibi jure fingat Paulum voluiſſe *Neronem*, qui tum rerum potiebatur, à Deo ipſo eâ poteſtate, ſine ullo eam in rem populi jure, inſtructum fuiſſe; aut Romanos Magiſtratus, etiam inferiores, ſoli Deo auctoritatem ſuam debuiſſe; utrumque enim falſum eſt, ut omnes norunt, qui Hiſtoriam Romanam vel à limine ſalutarunt. Ita loquitur ob rationes adlatas, & quidem contra Judæos; qui, præter ſuæ Gentis Magiſtratus, neminem à Deo inſtitutum putabant; nec parendum eſſe aliis, niſi *propter metum*; cùm ipſa Naturæ, ac proinde Dei ejus auctoris jura, amore Humani Generis, & Numinis reverentiâ, non metû hominum, obſervanda ſint.

13. Expoſitis communibus omnium Chriſtianorum & ſingulorum, pro loco quem in Societate Chriſtiana obtinent, officiis; è dictis colligere eſt, præter veluti communem quamdam omnibus Religionem, eſſe unicuique hominum ſorti ſingularem, quæ è communi quidem fonte ortum ducit, ſed peculiaria tamen habet, pro circumſtantiis, præcepta. Quam in rem, probè obſervandum, Ethicam Chriſtianam, qualem eam deſcripſimus, in vitæ uſum non deduci, niſi & communia omnibus & peculiaria ſingulis præcepta moribus exprimantur; fruſtráque futuros eos, qui communia aliquo modo obſervarint, niſi ſui loci, ſuæque ſortis ſingulares leges impleverint. Sunt in quavis Republica, dignitates & munera publica; ſortes variæ, & ſtatus hominum; ac tandem artes multorum generum, quibus omnibus impoſita ſunt ſingularia officia. Sunt Reges, Principes, Proceres, Magiſtratus variorum generum, Antiſtites & rerum Sacrarum interpretes, Miniſtrique eorum omnium cùm in Pace, tum in Bello, innumerabiles. Sunt Nobiles & Ignobiles; Eruditi, & Ignari; Divites & Pauperes. Sunt Artes nobiliores, quales profitentur Juriſconſulti, Medici, diſciplinarúmque aliarum ingenuarum Doctores; ſunt Mercatores, Agricolæ, Nautæ, Artifices ſellularii, & viliorum operum adminiſtri, omnium generum. Si quis eorum communibus tantùm officiis intentus, quæ ab hominibus ſui loci, muneris, aut artis, ad uſum, vel incolumitatem Societatis poſtulantur, neglexerit, non minùs reus eſt, quàm ſi communia ſpreviſſet; cùm Juſtitia eadem ſit, ſive in generalibus, ſive in ſingularibus legibus ſpectetur. Rex, exempli causâ, qui publicis, Religionis causâ, cœtibus conſtanter adeſt, rectè quidem facit; ſed hoc cujusvis eſt, etiam è tenuiſſima plebe, officium, & niſi regiis virtutibus ornatus ſit, earúmque ſibi peculiariter impoſitis officiis diligenter defungatur; propterea nec Deo, nec hominibus ſatisfaciet. Præſul, qui bonus quidem ceteroquin, in alio vitæ genere, vir eſſet; ſed neque doctrina, neque prudentia præditus erit, quibus dignitas, ad quam eſt evectus, indiget; neque virtuti & eruditioni, ut par eſt tales viros, favebit; ejuſmodi, inquam, Præſul, licèt externa omnia pietatis officia

ſtudioſè obeat, propterea religioſus & pius Præſul haberi non poterit, quia muneri ſibi peculiariter impoſito ineptus eſt, & indignus loco, quem in Republica Chriſtiana obtinet. Eadem de ceteris omnibus ferenda ſunt judicia. Simile quiddam docet Paulus, de variis in Eccleſia Chriſtiana muneribus, pro donorum varietate ſuſcipiendis, Rom. XII, 3. & ſeqq. Sic in Societate Civili unusquiſque omnia muneris, ſortis, loci, aut artis munia impoſita ſtudioſè, & fideliter obeat neceſſe eſt; ſi velit vir bonus, in eo ſtatu, in quo eſt à Providentia collocatus, haberi. Bonus vir non eſt, qui in dignitate quapiam conſtitutus, privati tantùm, & vilioris ſortis hominis artibus eſt inſtructus, nec ſibi impoſito munere rectè defungitur. Nec bonus vir eſt artifex, quiſquis ſit, qui ſuæ artis negligens & malæ fidei, ſuperiorem quamdam ſortem adfectat, & exigui operis imperitus, majora conſequi molitur. [33] Non ſunt grati Deo homines, niſi quatenus ei rei, ad quam à Providentia vocati ſunt, in uſum Societatis, ex ejus legibus & moribus innoxiis, bonâ fide & diligenter incumbunt. Caritatis eſt Chriſtianæ, imò & juſtitiæ unumquemque, pro ſua virili parte, Societatem adjuvare & beare. Sic demum Deo & hominibus accepti omnium ordinum homines fieri poſſunt.

14. Atque hactenus omnia Religionis Chriſtianæ præcepta ſummatim expoſuimus, ad quæ cetera, ſi quæ ſunt, magis peculiaria facilè referri poterunt. Hinc intelligere licet nihil in ea eſſe, quod non ad amuſſim conſentiat cum puriſſimis rectæ Rationis luminibus, humanæque naturæ ſummopere conſentaneum non ſit, & obſervari ab ea poſſit, ſi ad rectè vivendi conceptum animo propoſitum accedat conſuetudo. Nihil ullus umquam Philoſophorum dixit, aut dicere potuit eximium atque utile Humano Generi, quod non Chriſtianæ Religionis conditores aut diſertè præceperint, aut certè aliis præceptis involverint; ita ut nihil eorum doctrinæ, quod ad Virtutem faciat, addi poſſit.

15. Ideò Deus vult revelatam à ſe Veritatem & præcepta de Virtute à nobis non frigidè excipi, aut ſegniter exſequutioni mandari; ſed non ſine quodam animi fervore, qui, ubi res magni momenti agitur, animos noſtros invadere ſolet. Vocatur ea animi adfectio à Chriſtianis *Zelus*, Ζῆλος, non eo ſenſu, quo *invidia*, aut *æmulatio* eâ voce ſignificatur; perturbationes enim ſunt animi, quæ à Chriſto damnantur, ut docent Paulus Rom. XIII, 13. 1. Cor. III, 3. XII, 20. Gal. V, 20. &

33 *Non ſunt grati Deo*] Optimè *Socrates* in Memorabilibus Xenophonteis Lib. III. c. VI, 15. *homines optimos, Deóque acceptiſſimos aiebat eſſe in agricultura, qui rectè faciant, quæ agriculturæ ſunt; in Medicina, qui res medicas; in Republica, qui res civiles; ſed qui nihil rectè agat, eum neque utilem ad quidquam eſſe dicebat, neque acceptum Deo.* Τοὺς ἀρίϛους καὶ θεοφιλεϛάτους ἔφη εἶναι, ἐν μὲν γεωργίᾳ, τοὺς τὰ γεωργικὰ εὖ πράττοντας· ἐν δὲ ἰατρείᾳ, τοὺς τὰ ἰατρικά· ἐν δὲ πολιτείᾳ, τοὺς τὰ πολιτικά· τὸν δὲ μηδὲν εὖ πράττοντα οὔτε χρήσιμον ἔφη εἶναι, οὔτε θεοφιλῆ.

34 *Non oderimus*] Egregiè *Auguſtinus* Ep. CLIII, 9. *Facile eſt atque proclive malos odiſſe, quia mali ſunt. Rarum autem & pium eoſdem ipſos diligere, quia homines ſunt; ut in*

& Jacobus III, 14, 16. Intelligitur hîc zelus, ex eâ vocis poteſtate quâ *fervorem* ſonat, ideoque ἀπὸ τοῦ ζέειν, *fervere*, ducta putatur, & fervorem quidem laudabilem, ut Joan. II, 16. Rom. X, 2. 2. Cor. VII, 7, 11. Coloſſ. IV, 13. Hinc Paulus Rom. XII, 11. vult Chriſtianos eſſe *ſpiritu ferventes*, πνεύματι ζέοντας, qualis erat Apollos, ut docet Lucas Act. XVIII, 25. Ac ſanè cœleſtis Veritatis cognitione indigni ſunt, qui quod verum eſt ſe amare non profitentur, & factis etiam, quavis datâ occaſione, non oſtendunt; ita ut Veritatem & Virtutem, quoad ejus fieri poteſt, inter homines, non promoveant, & pari loco Mendacium & Vitium habere videantur, quibus nequaquam, ut par eſt, adverſantur. Ejusmodi fuit Angelus Laodiceæ, quem Chriſtus ſic adloquitur Apoc. III, 15. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus*, aut potiùs *fervidus*, ζεστός: *Utinam frigidus eſſes, aut calidus! Sed quia tepidus es, neque frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Qui theſauro accepto non utuntur, ſpernere eum videntur, eique, à quo eo donati ſunt, ingrati fiunt & inviſi. Verùm is Chriſtianus fervor, de quo loquimur 1. conjunctus ſit oportet, cum certa ac perſpicua cognitione Veri; alioquin eſt inconſultus ardor, qui Deo probari nequit, qualis Judæorum, qui *ſecundùm* quidem *Deum* erat, ut ait Paulus Rom. X, 2. hoc eſt, ex amore Dei ortus, ſed non *ſecundùm ſcientiam*: 2. debet omnium præceptorum divinorum amorem complecti, non minùs ac dogmata theoretica, nec ulli Chriſtianæ virtuti adverſari; quod deprehendere eſt in eorum zelo, qui caritatem Chriſtianam violant, dum Dei amore fervere videri volunt; quales ſunt ii, qui à ſe diſſentientes vexant, & omni ſuppliciorum genere cruciant; quem *amarum zelum* vocat Jacobus Ep. III, 14. ubi in eum graviſſimè invehitur: 3. oportet ut ei prudentia adſit, quâ ardor ejus intra modum, pro rebus, temporibus & locis, contineatur; quod niſi fiat, plus nocere queat, quàm prodeſſe; prout eis contigit, qui olim ad Martyrium currebant, quod tamen perferre non poterant, quique ſunt graviter in Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ, de *Polycarpi* Martyrio, notati: 4. zelum laudabilem ſemper comitatur Chriſtiana Moderatio, quâ fit ut quamvis Veritatem & Virtutem maximi faciamus, tamen dum errores & vitia fugimus, homines iis irretitos propterea [34] non oderimus; ut gravitatem utrorúmque expendamus, ita ut exardeſcamus in intoleranda, levioribus indulgentiores ſimus, dum infirmitatem & ignorantiam humanam reputamus; ut denique errantes & pec-

in uno ſimul & culpam improbes & naturam adprobes, ac propterea culpam juſtiùs oderis, quòd eâ fœdatur natura quam diligis. Ita ſe gerit Deus Opt. Maximus, qui licèt vitiis infenſus adeò homines iis infectos non odit, ut quotidie ingentibus beneficiis cumulet, & miſericorditer excipiat, quoties meliores fiunt. Quod exemplum nobis proponit Chriſtus Matth. V. & ipſe illud ſequutus. Sed ſic ſe gerunt etiam parentes erga liberos vitio deditos, ſic amici erga amicos maculoſos; quos non perire, ſed ad ſanctiorem vitam traductos optant, præteritorum omnium, ſi quando ad ſe homines redeant, obliviſci parati. Odere homines, qui eos periiſſe cupiunt, & ne emendatis quidem ignoſcunt.

peccantes leniter, adhibito tempore neceſſario, ad ſaniorem mentem revocemus. Quod antea ab Apoſtolis erga Judæos factum eſſe oſtendimus, & clariùs etiam ex Apoſtolicorum temporum Hiſtoria liquebit.

V. Quæret fortè quiſpiam, cur ergo tam præſtans, támque utilis doctrina quamprimùm ab iis, quibus nunciata eſt, aut innotuit, non ſit avidiſſimè admiſſa? Fuiſſet ſanè, ſi homines ita adfecti fuiſſent, ut facilè rectæ Rationis luminibus obtemperare poſſent. Sed ignorantiâ, adfectibus & vitiis ita erat Humanum Genus depravatum; ut iis oculos clauderet, & imprudens, ſponte ſuâ, in perniciem ſuam rueret. Ideò Evangelium docet oportuiſſe homines, ut fierent verè Chriſtiani, μετανοεῖν, [35] *animum mutare*, πάλιν γεννηθῆναι, *iterum generari*, aut *naſci*, νέας κτίσεις γίνεσθαι, *novas creaturas fieri*, ἀποθνήσκειν τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ ζῆν τῇ δικαιοσύνῃ, *mori peccato & vivere juſtitiæ*, ἀπαρνήσασθαι ἑαυτοὺς, *ſemet ipſos abnegare*, & alia id genus, quæ maximam mutationem in animo & moribus ſignificant. Ac ſanè Ethnicum oportuit notionibus vulgi de Religione, déque moribus, nuncium remittere, & novâ prorſus ratione vivere, haud aliter quàm ſi *denuo naſceretur*, ac novus homo fieret; ut ſatis liquet ex ingenti diſcrimine, quod vidimus eſſe inter Ethnicorum & Chriſtianorum opiniones atque inſtituta. Rectiùs quidem in multis ſentiebant Judæi de Deo, déque cultu ei exhibendo & moribus; ſed in multis erat, ut paſſim oſtendimus, etiamnum imperfecta ac mutila Judæorum cognitio & ſanctitas. Ideóque Chriſtus Nicodemum, hominem Judæum, & more gentis religioſum docet, *niſi renatus fuerit denuo, eum non poſſe videre regnum Dei*; *niſi renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poſſe eum introire in regnum Dei*, Joan. III, 3, 5. quæ verba probè ſunt obſervanda, ne quis putet exigua opus fuiſſe mutatione homini Judæo, ſi pius in Judaïſmo eſſet, ut fieret Chriſtianus. Eum oportuit, non minùs ac Ethnicum, ἀπαρνήσασθαι ἑαυτὸν, *ſemetipſum abnegare*, Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. hoc eſt, multis opinionibus temerè conceptis, praviſque conſuetudinibus atque adfectibus, quos licitos putarat, prorſus exutis, non ampliùs quærere quod ſibi antea placuerat; ſed ſe rudem atque integrum diſcipulum Chriſto tradere, ut credenda & facienda, ab eo, acciperet, amplecteretúrque ac obſervaret; quaſi priora omnia ſua conſilia improbaret, nec

35 *Animum mutare*] Sic vertimus vocem Græcam, ex ſignificatione præpoſitionis μετὰ, quæ *transformationem* ſignificat; quam poteſtatem ei tribuit *Xenophon* Cyropæd. Lib. I. c. 3. ubi μετανοεῖν eſt *mutare ſententiam*. Ergo μετάνοια eſt *animi mutatio*, quam circumloquutione hac exprimit Paulus Epheſ. IV, 23. ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς, *renovari ſpiritu mentis*, & paullò efficaciore loquendi genere Rom. XII, 3. μεταμορφοῦσθαι τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς, *transformari renovatione mentis*. Exempla aliarum loquutionum non addimus, quæ è Concordantis peti poſſunt.

36 *Non defuerunt tamen homines* &c.] Huc faciunt verba *Origenis*, quibus confutat *Celſum*, qui eò quòd Dei miſericordiam vel flagitioſiſſimis hominibus, ſi modò pœnitentiam agerent, pollicerentur Chriſtiani; iis objiciebat non potuiſſe eos ad ſe probos viros adlicere, ideoque improbis quibusque portas aperuiſſe, Lib. III. p. 151. Ed. Cant. ἡμεῖς δὲ, εἴ τις κατανοῆσαι ἡμῶν εὐγνωμόνως τὸ ἄθροισμα, πλείονας

nec ullam eorum rationem haberet. Quod facile factu non fuiſſe omnes ſatis intelligunt.

Si nonnulli, faciliùs quàm alii, Evangelio aurem præbebant, doctrinámque ejus non averſabantur, ita ut, ſi per eos ſolos ſtetiſſet, orbis terrarum eam accepturus illico fuiſſet; at erant præ iis, qui Evangelio adverſabantur, ob cauſas memoratas, perpauci, & quò mitioris erant indolis, eò difficiliùs querelis, rixis, contumeliis, & odio ſuorum, ſi, patriâ Religione relictâ, Chriſtianæ nomen darent, obſiſtere poterant. Erant eis clamores & maledicta parentum, conjugum, liberorum, fratrum, conſanguineorum, adfinium, amicorum; hoc eſt, eorum quos maximâ caritate complecti ſolent & debent homines, ſpernenda. Eorumdem contemtus, faſtidia, vexationes flocci facienda erant; ſæpe & omnia amittenda, cùm non liceret ſua ſervare & Chriſtianam Religionem profiteri. Poſtquàm etiam Judæi & Ethnici efferati in Chriſtianos fuerunt, carceres, exſilia, mortes ab iis exſpectari debuere, & fortiter ferri; potiùs quàm quidquam diceretur aut fieret, quod non eſſet Chriſtianæ diſciplinæ conſentaneum. Hæ graviſſimæ fuerunt difficultates, per quas primævos Chriſtianos eluctari oportuit.

[36] Non defuerunt tamen homines, quibus, ſingulari quodam Dei beneficio, ea obtigit animi adfectio, ut excipiendo Evangelio, etiam antequàm nunciaretur, parati eſſent. Homines, nempe, fuerunt Veritatis, undecúmque adfulgeret, amantes, & Virtuti etiam, quatenus eis nota erat, ita dediti, ut & pleniùs eam noſſe & ad uſum quotidianum vitæ revocare vehementer cuperent. [37] Hi dicuntur à Chriſto Luc. VIII, 15. *corde honeſto & bono auditum verbum retinere, & fructum proferre in patientia*; hoc eſt, quævis mala potiùs perpeti, quàm Evangelium deſerere. Vocantur & Cap. IX, 62. *apti ad regnum Dei*, εὔθετοι εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ; apud Joannem verò 44. & 45. Cap. VI. *tracti à Patre & edocti à Deo*, ἑλκυσθέντες ὑπὸ τοῦ πατρὸς & διδακτοὶ Θεοῦ; in Actis Apoſtolorum Cap. XIII, 48. *diſpoſiti ad vitam æternam*, τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, aliiſque loquendi generibus deſcribuntur; ex quibus liquet eos, qui Evangelio crediderunt, non fanatico neſcio quo adflatu, eò adductos fuiſſe, ut nonnulli putant; ſed Veritatis & Virtutis amore, quo priùs à Deo donati fuerant, incenſos. Qua in re, licèt ii, quos diximus, longè

ονας ἔχομεν παραστῆσαι τοὺς οὐκ ἀπὸ χαλεποῦ πάνυ βίου, ἤπερ τοὺς ἀπὸ ἐξωλεστάτων ἁμαρτημάτων ἐπιτρέψαντας· καὶ γὰρ πεφύκασιν οἱ τὰ κρείττονα ἑαυτοῖς συνεγνωκότες εὐχόμενοι ἀληθῆ εἶναι τὰ κηρυσσόμενα περὶ τῆς ὑπὸ Θεοῦ τοῖς κρείττοσιν ἀμοιβῆς, ἑτοιμότερον συγκατίθεσθαι τοῖς λεγομένοις, παρὰ τοὺς πάνυ μοχθηρῶς βεβιωκότας ὑπ' αὐτοῦ τοῦ συνειδότος κωλυομένους παραδέξασθαι, ὅτι κολασθήσονται ὑπὸ τοῦ ἐπὶ πᾶσι δικαστοῦ κολάσει, ἥτις πρέποι ἂν τῷ τὰ τοσαῦτα ἡμαρτηκότι: *nos verò, ſi quis noſtrum cœtum æquo animo conſideret, plures poſſumus ſiſtere à vita non valde flagitioſa, quàm à perditiſſimis delictis, converſos. Etenim ita ſunt adfecti ii qui meliorum ſibi ſunt conſcii, optantes vera eſſe quæ prædicantur de remuneratione quæ à Deo fit melioribus, ut faciliùs adſentiantur iis quæ dicuntur; quàm qui flagitioſiſſimè vixerunt, impediunturque à conſcientia ne ea admittant; quia plectentur à ſummo omnium judice eo ſupplicio, quo digni ſunt qui tam gravia deliquerunt.*

37. *Hi dicuntur* &c.] Vide Adnot. *Henr. Hammondi* ad Evang. Joan. VI, 37.

longè ceteris præcellant; attamen non eſt putandum quemquam ita Veritatis & Virtutis contemtui mancipatum fuiſſe, ut paullatim non potuerit emendari & ad ſaniorem mentem redire; quam in rem & morſibus occultis conſcientiæ à Deo excitatæ, pravos mores ſubinde damnantis, & prædicatione Evangelii homines juvari poſſunt. Quare meritò eorum pervicacia Legibus divinis damnatur: ut ipſis Legibus humanis, mali habitus & mala facta, quibus Societas turbatur, ac evertitur, digna cenſentur, quæ pœnas dent; quòd improbi in iis ſolâ ſuâ nequitiâ obfirmentur, quam vincere poſſe ſtatuuntur, ab omnibus Legiſlatoribus.

Nihil opus eſt hîc doctrinæ Chriſtianæ adſui controverſa dogmata, è contentionibus quinti Sæculi nata, de Naturæ corruptione; de neceſſitate Gratiæ & quidem ejuſmodi, ut ei animus eorum qui eam accipiunt obſiſtere nequeat; de Prædeſtinatione perpaucorum ad eam accipiendam, dum reliqui omnes homines æternis ſuppliciis, quæ vitare nequeunt, quòd gratiâ divinâ deſtituti ſint, addicuntur. Controverſiis illis, dogmatibúsque ex iis ortis, quæ antea erant ignota, optimè res Chriſtiana carere in perpetuum potuiſſet. Satis erat conſtare hominum peccata ab ipſis eſſe, non à Deo; qui pereunt, eos ſuâ tantùm culpâ perire; Deum eſſe auctorem & conditorem omnium bonorum, quæ ſunt in hominibus; Providentiâ ejus & Revelatione, Virtutis & Vitii cognitionem hominibus eſſe datam, nec quidquam neceſſarium, ſive internum id ſit, ſive externum, negatum, ut Virtutem colere, & Vitium vitare poſſent; ita ut in Deo agnoſcendæ ſint ſumma Juſtitia, infinita Bonitas, & intemerata Sanctitas, ſine ulla vel minima vitiorum humanorum miſtura. Horum veritas ex tota Scriptura Sacra conſtat, & cùm à ſe ipſa numquam diſſentiat Veritas, quæcumque eis contraria ſunt falſa ſint neceſſe eſt.

VI. Quæ modò diximus de opinionum & morum mutatione, pertinent ad eos, qui cùm in Ethnica, aut Judaïca Religione nati & educati eſſent, Evangelio crediderunt, aut fidem detraxerunt. Attamen & iis, qui Chriſtianis parentibus nati & ab iis inſtituti ac educati fuerunt, ſua etiam eſt μετάνοια impoſita; quamvis plerumque tantam mutationem opinionum & morum non involvat. Etiam boni & pii ſubinde

38. *In dolore concepto*] Optimè *Origenes* contra Celſum Lib. III. p. 154. Τὲς σφόδρα ἑαυτῶν ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις κατεγνωκότας, ὡς ἐπὶ τέτῳ οἱονεὶ πενθεῖν καὶ θρηνεῖν ἑαυτὲς ὡς ἀπολωλότας, ὅσον ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις, καὶ ἀξιόλογον ἐπιδεικνυμένες μεταβολὴν, προσίεται τῆς μετανοίας χάριν ὁ Θεὸς, καὶ τὲς ἐκ μεταβολῆς κακίςε βίε: *eos qui valde ſemet ipſi, propter peccata, damnant, & propterea lugent & lamentantur quaſi periiſſent, quantum quidem ad facta ſpectat, & oſtendentes convenientem mutationem, admittit Deus, propter pœnitentiam, & eos qui flagitioſam vitam mutarunt.* Vide & ſequentia. Rectè etiam *Lactantius* Inſt. Divin. Lib. VI. c. 24. *Sicut enim nihil prodeſt malè viventi antè actæ vitæ probitas, quia ſuperveniens nequitia juſtitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia ſuperveniens juſtitia labem prioris vitæ abolevit. Is enim, quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit. Ideóque Græci meliùs & ſigni-*

de peccant ut diximus antea §. III. 7. ſed ea peccata ſunt leviora, & præter habitum, ex mutabilitate naturæ, admiſſa; unde fit etiam ut in iis Chriſtiani non adquieſcant, ſed quam primùm damnata deſerant, ut ad ſolitam Virtutem revertantur. Quæ reſipiſcentia planè neceſſaria eſt, ne, pro virtutum habitibus, vitiorum habitus ſenſim contrahantur. Itaque agnoſci vult Evangelium ea delicta, eorum veniam à Deo quotidie peti, & ſi qua injuria alii impoſita eſt, eam inſtaurari; nam eum non verè pœnitet illatæ injuriæ, qui læſo, quatenus poteſt, non ſatis facit. Sed ſunt præterea homines, qui Chriſtiani vocantur, & qui pravè educati, aut malâ indole prædìti, aut ab utroque etiam laborantes, vel improborum conſortio adducti, vitiorum abnormium habitus paullatim contrahunt, in quibus diu vivunt. Hos neceſſe eſt, reſipiſcere, ſeu mutari, haud multò minùs, quàm Judæos ac Ethnicos olim mutari oportuit, ut verè Chriſtiani fierent; quod nî fiat, nulla ſpes iis veniæ à Deo proponitur. Cavendum autem hîc à nonnullorum errore, qui putant pœnitentiam, cui Deus ſalutem promiſit, ſitam eſſe dumtaxat [38] in dolore concepto, ob admiſſa peccata, inque propoſito meliùs poſtea vivendi, etiam ſine ullo effectu, aut contrariarum virtutum habitu. Eſt verò hoc tantùm initium Chriſtianæ μετανοίας, ad quod niſi accedat ipſa mutatio morum, nihil eſt cur ſperent, ex OEconomiæ Evangelicæ notis Legibus, ejuſmodi pœnitentiæ rationem à Deo habitum iri; Deus enim ſanctitati felicitatem, pollicitus eſt, non promiſſionibus, quibus homines ſe ſanctos futuros ſpondent, nec tamen umquam ſunt, [39] ut ſatis oſtenderunt Theologi.

VII. Nec tamen Deus, ut jam antea diximus, perfectam ſanctitatem ab hominibus exigit, ut eos beet. *Juſtificat* eos, hoc eſt, *juſtos*, ſeu *bonos habet* & pronunciat, ac proinde beatitate donat, qui aliquando tandem Virtutis firmum, imperfectæ licèt, habitum ſibi compararunt. Eò pertinet diſceptatio Pauli cum Judæis, in [40] Epiſtola ad Romanos; quæ diſceptatio tota in eo ſita eſt, ut oſtendat homines, apud Deum, *juſtificari*, hoc eſt, *juſtos cenſeri*; non obſervatione rigidâ Legis Moſaïcæ, ſeu ritus ſpectes, ſeu præcepta moralia; ſed fide, hoc eſt, dum credunt & obſequuntur Evangelio, quod miſericordiam & gratiam divinam pollicetur iis, qui ante mortem reſipuerint; quæcumque fuerit

ſignificantiùs μετάνοιαν dicunt; quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim ac mentem ſuam, quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſe ipſum dementiæ & confirmat animum ſuum, ad rectiùs vivendùm; tum illud ipſum maximè cavet, ne rurſus in eosdem laqueos inducatur. Huic rei rectè aptare poſſimus quod habet *Auguſtinus* de Pœnitentia Serm. CCCXCIII. de Pœnitentibus col. 1506. Tom. V. Ed. Benedictinorum, quamvis de Pœnitentia publica agat: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes (ſi tamen eſtis pœnitentes & non irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo — ſi ergo pœnitet, cur facis quod malè feciſti? Si adhuc facis, certè non es pœnitens.* In ſequentibus etiam ſeram pœnitentiam improbat.

39 Vide *Steph. Curcellæi* Inſtit. Rel. Chriſt. Lib. VII. c. 1.

40 *Cap. III. & IV.*

rit eorum vita anteacta, & quamvis nullam Legis partem antea obſervarint. *Ei qui operatur*, ait Paulus Rom. IV, 4. *merces non imputatur, ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum; ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei*; hoc eſt, fides quæ divinæ revelationi habetur, & quam comitatur fidelis ejus præceptorum obſervatio, licèt imperfecta, eſt apud Deum homini, quamvis antea impio, loco *juſtitiæ*, ſeu ſanctitatis, cui Deus ſalutem promiſit; unde liquet Deum *ex gratia juſtificare*, ſeu juſtum hominem habere. Quam doctrinam cùm non ſatis adſequerentur nonnulli, ea abuſi videntur; quaſi ſatis eſſet, ad juſtificationem apud Deum conſequendam, ſi quis fidem ei habere ſe profiteretur, quamvis ceteroquin Evangelii præcepta nequaquam obſervaret. Ejuſmodi homines caſtigat Jacobus Epiſt. Catholicæ Cap. II, 14. & ſeqq. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, ſi fidem quis dicet ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* Quod probat exemplo caritatis in verbis ſitæ, ſine ullo egenis præbito auxilio, quæ caritas prorſus inutilis eſt; tum addit: *Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemet ipſa. Sed dicet quis: tu fidem habes, & ego opera habeo; oſtende mihi fidem tuam, ſine operibus, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus* &c. Perinde eſt ac ſi diceret, nullam eſſe veram fidem, ſine operibus; ideoque iis, qui rectè factis non confirmant fidem ſuam, non eſſe credendum, fidem licèt jactantibus; ſed iis demum, quorum vita eſſet profeſſioni fidei conſentanea. Sic facilè cum Paulo Jacobus in concordiam redigitur, eáque certiſſima eſt utriusque Apoſtoli, eorúmque Magiſtri Chriſti ſententia; quam tamen multi, præjudiciis præpediti, & contentionibus exacerbati non ſatis adſequuti ſunt.

VIII. 1. Expositis ſummatim Chriſtianorum dogmatibus, de Dei cultu, hominúmque inter ſe officiis; nihil ſupereſt, niſi ut addamus paucis quid ſentiant de fine bonorum ac malorum, hoc eſt, de Virtutis præmio, & Vitii pœnis; quibus in rebus, multùm non conjecturas tantùm Ethnicorum, ſed & revelationem Judæis datam ſuperat Evangelium. Quamvis Chriſtiani, non minùs quàm Ethnici & Judæi, Divinam Providentiam, in hac ipſa vita, præmia Virtuti, pœnas Vitio tribuere doceant, quemadmodum ei videtur; quæ partim ſita ſint in bonis & malis ad corpus pertinentibus, partim etiam ad animum ſpectent, in cujus tranquillitate & certa ſpe beatitudinis futuræ, Virtus in terris juſtam mercedem accipiat: contrà verò in cujus anxietate & metu jam

41 *Minùs pii de Providentia* &c.] Celebres ſunt, hanc in rem, primi verſus Lib. I. *Claudiani* in Rufinum:

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera Mundi,
Præſcriptóſque mari fines, annique meatus,
Et lucis, noctiſque vices; tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei ——
Sed cùm res hominum tantâ caligine volvi
Adſpicerem, lætóſque diù florere nocentes,
Vexa-

jam de Vitio pœnæ ſumantur; attamen, quia non ſemper id fieri videmus, in altera vita præmia Virtuti, ſupplicia Vitio repoſita potiſſimùm eſſe docent. Profectò nimis ſæpe videre licet improbos, in hac vita, omni genere bonorum corporis & animi florentes, exceptâ ſolâ Virtute, ejúsque conſcientiâ; unde ſæpe factum eſt, ut [41] minùs pii de Providentia divina dubitare inciperent, imò & eam propterea oppugnarent; útque pii interdum vacillarent, cujus rei exemplum habemus Pſalm LXXIII. Contrà paſſim fuere viri probi, per totam vitam, omnibus, ſi ſolam Virtutem, animumque ſibi bene conſcium excipias, deſtituti. Semper quidem ejuſmodi exempla, in utramque partem, videre licuit; ſed ea incidunt aliquando tempora, quibus multò frequentiora ſunt; ut cùm Pietatis ac Virtutis causâ, malè habentur boni viri, auctoritate publicâ; quod Chriſtianis contigit, tribus primis ſæculis, nimiùm quàm frequenter. Quo rerum ſtatu, meritò Chriſtiani, cum Paulo, dicere potuerunt: *ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, 1. Cor. XV, 19. Similia etiam experti ſunt veteres Hebræi, quando à vicinis populis, à quibus victi fuerant, malè mulctati ſunt; quod ſæpe contigit ab initio Reipublicæ Hebrææ, ad poſtrema ejus tempora; aut quando à Regibus ſuæ Gentis impiis, jugo propemodùm intolerando, ſunt preſſi. Pariter etiam Ethnicorum optimi ſæpe gravia mala paſſi ſunt, vel ob vicinorum bella, vel ob tyrannidem ſuorum, ut ſub multis Imperatoribus Romani.

2. Hæc videntur eò adduxiſſe Ethnicos ut, quoniam res ita habebat, conjicerent fore poſt hanc vitam præmia bonorum, & pœnas malorum. Sed de tanta re nihil niſi dubium & fabulis commaculatum proferebant, quod vidimus antea Sect. II. C. I, 18. ubi de Platonicis egimus. Quin & ipſi Judæi, poſt Captivitatem Babylonicam, cùm de alterius vitæ præmiis & pœnis clariùs & rectiùs loquerentur; attamen, hac in re, etiam vacillabant, mentémque ſuam verbis Ethnicorum Poëtarum ac Philoſophorum, potiùs quàm Prophetarum, exprimebant, ut oſtendimus Sect. I. Capp. II & IV. Quamobrem etiam Sadducæi, inſignis apud eos ſecta, hæc omnia quaſi commenticia rejicebant, ut ibidem diximus, Cap. III.

3. At Chriſtiani, ſine ulla dubitatione, aut fabularum miſtura, docuere primùm poſt hanc mortalem vitam eſſe æterna Virtuti præmia; quæ nominibus *vitæ æternæ*, *gaudii æterni*, & *regni cœleſtis* paſſim vocitantur, aliiſque tralaticiis loquendi generibus deſcribuntur; iiſque præmiis animos corpore ſolutos incipere frui, ſed pleniùs fruituros, cùm, omnium

Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Relligio, cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Adfirmat, magnúmque novas per inane figuras
Fortunâ, non arte regi; quæ Numina ſenſu
Ambiguo, vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos &c.

Ad quem locum vide quæ collegit *Gaſpar Barthius*, ubi multæ ſimiles querelæ.

nium hominum corporibus excitatis, ſua etiam recipient: Secundò, improbos pœnas daturos *æternæ mortis*, quæ & *æternus ignis*, & *inexſtinctus*, *ſtagnum ignis & ſulfuris*, etiam dicuntur, aliiſque tralaticiis loquutionibus exprimuntur; eáque ſupplicia initium accipere à morte ipſa improborum, ſed tum demum conſummatum iri, cùm, corporibus quoque receptis, pœnas in corpore & in animo eſſent daturi: Tertiò, fore conventum totius Generis Humani, in vitam revocatis corporibus malorum & bonorum, ad tribunal Jeſu-Chriſti, hanc in rem à Deo Patre conſtituti, qui è cœlo delapſus & coronâ Angelorum cinctus jus hominibus dicet: Quartò, judicatum iri homines ex norma Evangelii, quod & Legem Naturalem, & quidquid eſt in Moſaïca æterni juris complectitur, & præterea à Chriſto nobis primùm revelata habet; ideóque Chriſtianos abſolutum, aut damnatum iri, prout Evangelium obſervarint, aut ſecus; Judæos pariter & Ethnicos, qui de Evangelio nihil audiverint, è legis Moſaïcæ, aut Naturalis formula, à Judice ſententiam accepturos: quo tandem peracto, abſoluti ibunt *in regnum à Deo eis paratum*, damnati verò *in ignem æternum*, *paratum Diabolo & Angelis ejus*, prout loquitur Chriſtus Matth. XXV, 34 & 41. Admittebant quidem Judæi reſurrectionem & vitam æternam, ſempiternáque ſupplicia, ſed, ut vidimus *Sect.* II. non ſine obſcuritate; cetera verò prorſus ignorabant. Certè vetuſtiſſimi Judæi de ultimo Judicio, eóque à Meſſia ferendo, & quidem de toto Humano Genere, unde æterna felicitas aut infelicitas pendebit, nihil, quod ad nos pervenerit, ſcripſerunt; nec poſteriores, quaſi traditionem à Majoribus acceptam, venditarunt.

4. Ceteras circumſtantias præmiorum ac pœnarum non aperuerunt Apoſtoli, ſeu quòd eis revelatæ non eſſent, ſeu quòd ſcitu non judicarent neceſſarias. Satis eſt hoc nobis conſtet, judicium Chriſti ex certis Legibus, iiſque notis latum iri, ita ut ejus Juſtitia ab omnibus intelligatur. Pro diverſiſſima gravitate delictorum, ingens erit varietas pœnarum, quacumque tandem in re ſint ſitæ; eademque erit ratio præmiorum, cùm rectè factorum non minor ſit varietas. Quòd ſi quem utrorumque æternitas, quaſi Divinæ Bonitati & Juſtitiæ repugnans, offendat; meminerit oportet ex ipſa diverſitate ſuppliciorum & præmiorum petendam eſſe ſolutionem difficultatis. Si tamen cum Juſtitia Divina conſiſtere non poſſe judicarentur pœnæ æternæ finitæ creaturæ, finitiſque delictis impoſitæ; non eſſet propterea eò deveniendum, ut de Evangelii veritate dubitaretur, aut in controverſiam Divina Juſtitia vocaretur, quòd viderentur cum recta Ratione pugnare. Præſtaret, ſi omnino neceſſe eſſet, eò confugere ut, propter hominum pravitatem, Deus plura eſſe minatus diceretur, quàm exſequetur, cùm jure ſuo pœnas remittere hominibus poſſit; aut ut *æternitas* vocari crederetur duratio, cui limites nullos nobis notos poſuerit Deus, cùm ea vox ejuſmodi ævum ſignificet. Quod neceſſe fuit dici in eos, qui

qui hinc probare conati ſunt doctrinam Evangelicam, de alterius vitæ pœnis, rectæ Rationi repugnare. Sed digna ſunt quæ legantur, quæ hac de re ſcripſit acutè & prudenter *Sim. Epiſcopius*, in reſponſione ad Quæſt. Theol. LXII.

IX. 1. Si quis ſuperiora adcuratè expendat, videbit Religionem Chriſtianam nihil hominibus imponere, quod aut ſuperſtitioſum ſit, aut gignendæ ſuperſtitioni naturâ ſuâ aptum. *Superſtitionem* autem, ſeu, ſi Græcè mavis, δεισιδαιμονίαν vocamus noxiam illam animi adfectionem, quâ quis Deum non reveretur, quaſi Naturam Sanctam & Beneficam, nec quidquam niſi præſtantiæ ſuæ per omnia conſentaneum à nobis poſtulantem; ſed potiùs horret quaſi Dominum maleficum, ac moroſum, qui multa imperarit aptiora ad vexandum, quàm ad juvandum Humanum Genus, ea ſeverè exigat, & vehementer indignetur labentibus, non tantùm in gravioris momenti rebus, ſed & in minutis quibuſdam præceptis, ac ritibus, naturâ ſuâ indifferentibus; nec placari, niſi multis σκληραγωγίαις, ſeu duris corporis laboribus, quibus homines meliores non fiunt, aut cærimoniis Virtuti nulla in re adfinibus. Veſtigia ejus rei videre eſt in ipſa Religione Judaïca, non ex Dei conſilio, quaſi iis delectaretur, verùm propter carnalem populi Hebræi indolem, quæ aliter in officio contineri non potuiſſet; ſed præſertim in Ethnica, quod docebit *Theophraſtus* Characterum Cap. XVI. & *Plutarchus* libro *de Superſtitione.*

2. Deus ubique à Religionis Chriſtianæ conditoribus, & à Prophetis etiam Hebræorum, multis in locis, quaſi beneficentiſſimus, tardus ad iram, placatu contrà facilis, nec deſinens homines beneficiis ſibi, ut ſic loquar, conciliare, & duritiem pervicacis interdum naturæ omni ratione emolliens; nihil ab hominibus exigens, niſi quod ſit per ſe honeſtum & laudabile, imò verò naturæ ipſi humanæ conſentaneum & utile; in quo ſi quid durum occurrat, quod ſæpe fit, nequitiâ Veritatis aut Virtutis adverſariorum, id internis ſolatiis, in hac vita, æternis, in altera, præmiis, cumulatè penſat.

3. Nihil etiam eſt in Religione Chriſtiana, quod fanaticis ſomniis adfine ſit. Tota abundè, & ſat perſpicuè continetur Libris Sacris, ſi ad eos intelligendos neceſſaria diligentia adhibeatur. Nihil opus eſt novis adflatibus, quibus ſuppleatur quod deeſt, aut explicetur quod eſt obſcurum. Peritia linguarum, & recta Ratio ſatis nos docent quî intelligantur neceſſaria, ac ſanè in iis Chriſtiani omnes, licèt in aliis diſſidentes, conſentiunt; & quiſquis ea fideliter obſervabit conſummatam virtutem adipiſcetur, ita ut in eo nihil ampliùs deſiderari, nihil carpi poſſit. Nullum eſt officium pietatis erga Deum, temperantiæ erga nos, & caritatis erga Proximum, quod non ſit diſertè præceptum, aut ex diſertè præceptis, neceſſariâ conſequentiâ, facilè non poſſit deduci. Fanaticos omnes provocare hîc poſſumus, ut vel unum proferant officium, cum Revelatione & Ratione conſentiens; quod non in Scrip-

tura inveniamus; quod numquam fecerunt, aut umquam facient. Præterea quis ignorat, ſi ab illis luminibus diſceſſerimus, nihil certi, nihil ſani proferri, aut fide dignum prædicari? Itaque in iis adquieſcere nos decet, cetera omnia flocci facere, quaſi Religione indigna, & Deo gratias agere, quòd nos incertis, ne quid gravius dicam, adflatibus obnoxios eſſe noluit. Nec ea exigua Chriſtianæ Religionis laus, quod nihil rectæ Rationi, nihil non ſecum & cum omnibus aliis ejus partibus conſentiens complectatur. Ideò Apoſtoli vetuerunt nos *omnibus ſpiritibus credere*, juſſerúntque *eos expendere, an ex Deo ſint*, ut habet Joannes 1. Ep. C. IV, 1. Vide & Epheſ. V, 6. Coloſ. II, 18. Quin & Paulus Gal. I, 7. vult *Angelum de cœlo, ſi nobis evangelizet, præter id quod accepimus, anathema eſſe.*

CAPUT V.

Religioni Chriſtianæ nihil objici poſſe, quod facilè ſolvi nequeat, ſi modò ex ſolo N. T. petatur; nec mores, aut errores nonnullorum Chriſtianorum ei officere debere.

I. EX iis, quæ ſuperioribus Capitibus diximus, jure noſtro colligere poſſumus Religioni Chriſtianæ objici nihil poſſe eorum, quæ Ethnicæ & Judaïcæ objiciebantur, nec ab Ethnicis ac Judæis ſolvi poterant. Rationi rectæ, naturæque rerum convenientiſſima ſunt, quæ Chriſtiana Religio de Deo, de Homine, de Cultu Dei, déque officiis Hominis docet; nec quidquam inveniri poſſet, vel ab acutiſſimis Philoſophis, ab ea diverſum, quod ei eſſet aliquo modo æquiparandum. Nihil poſſet ingenium omnium præſtantiſſimum comminiſci eximium de Deo, quod non doceat; nec de cultu ejus, quod non præcipiat. De Humano Genere nihil quidquam habet, quod adprimè ei non conveniat; nec de regula morum, quod non ſit ſanctiſſimum, æquiſſimum, & utiliſſimum hominibus, etiam in hac vita, ſi probè obſervetur. De fine bonorum, ſeu beatitudine ea tradit; quibus auditis, omnes omnium Philoſophorum de ea opiniones ſponte ſuâ concidunt, dum doctrinæ Chriſtianæ præſtantia immota & inconcuſſa manet. Poſſent hæc facilè latiùs diduci, & ſingillatim, explicari, ſed Lectoribus eam curam relinquemus; cùm ex iis, quæ jam diximus, omnia eam in rem neceſſaria conſectaria non difficulter deduci queant; præter quàm quòd non probandam hîc, more Theologorum, ſed hiſtoricâ expoſitione deſcribendam Religionem Chriſtianam ſuſcepimus, quod ſat copiosè à nobis factum putamus.

II. SED monere neceſſe habemus nos eam Religionem intelligere, non quæ ſuperiorum proximè ſæculorum erroribus & tricis impedita & com-

commaculata eſt; ſed quæ in Scriptis Apoſtolicis exſtat, atque ex eorum verbis quàm ſimpliciſſimè & nativâ poteſtate, quoad licet, intellectis colligi poteſt, & re verâ ab antiquiſſimis Chriſtianis collecta eſt. Hujus veritatem agnoſcere & tueri neceſſe habent omnes Chriſtiani, ſi nominis ſui menſuram implere velint; ſed nihil neceſſe eſt additamenta & interpretationes poſteriorum ſæculorum, quæ in multis ab Apoſtolorum mente aberrarunt, pro Chriſtianæ Religionis capitibus habere. Multa in iis peritiores animadverterunt divinæ Revelationi contraria, & cum recta etiam Ratione pugnantia; quæ nemo jure, quaſi Apoſtolica, tueri poſſit, & quibus everſis, incolumis & integra ſtat genuina Theologia Chriſtiana. Ea cuivis oppugnare liceat oportet, quæ Chriſtianæ Religionis vera eſſe nihil intereſt. Sed quæ antea expoſuimus ejuſmodi eſſe confidimus, ut negari nequeant Chriſtiana eſſe dogmata, & à pleriſque omnibus Chriſtianis, perpaucis exceptis, admittantur; licèt plerique (neque enim hoc diſſimulandum) multa prætera pro Chriſtianis dogmatibus venditare ſoleant, quibus ſi noſtra cenſeantur fortaſſe jejuniora, at certè falſa videri jure non poterunt.

III. Nocere nequeunt veritati primævi Chriſtianiſmi errores poſtremorum ſæculorum, aut etiam antiquiorum; ſive in eos exigua pars eorum, qui Chriſtiani vocari volebant, jámque cum ſuis erroribus exſtincta: ſive pars major, quæ etiamnum ſuperſtites cœtus habeat, inciderit. Nuſquam Chriſtus & Apoſtoli neminem non, aut pleroſque eorum, qui Chriſtianorum vocabulo gloriaturi eſſent, erroris immunes futuros prædixerunt; nec proinde conditoribus Religionis Chriſtianæ poſterorum opiniones minùs veræ adſcribi poſſunt. Philoſophi Ethnici, eorúmque admiratores iniquiſſimo animo paſſi eſſent errores poſterorum Sectarum principibus adſignari; nec Chriſtiani hodie æquiore animo ferrent Moſi & Prophetis tribui quidquid recentiores Judæi delirarunt, imò graviter ſubinde traditiones eorum caſtigant, quemadmodum olim fecit ipſe Chriſtus, quamvis ſummo in pretio Prophetas meritò habeant.

IV. Idem dicendum de pravis nonnullorum Chriſtianorum moribus, & cum præceptis Evangelicis pugnantibus. Si eas Leges tuliſſet Chriſtus, quæ vitiis faverent, aut ullo modo ea diſſimularent, ferendáque ſuaderent, poſſent vitia Chriſtianorum ipſi Chriſtianiſmi auctori tribui; ſed cùm omnia ad unum damnarit & ferri vetuerit, non eſt cur minimùm ejus diſciplinæ officere poſſint. Quis ſuſtineret Philoſopho vitia, in quæ invectus eſſet, quæ ferenda negaſſet, nec in diſcipulis umquam tuliſſet, quorúmque immunis ipſe fuiſſet, quaſi ejus culpâ propagata, exprobrare? Quis jure ſe poſſe reprehendere Leges Reipublicæ cenſeret, quæ delicta vetarent, quibus alioqui cives eſſent obnoxii? [1]

V. Ita-

[1] Quædam etiam hanc in rem diximus *Artis Criticæ* T. III. Ep. V. pagg. 140 & 149.

V. Itaque nec errores, nec vitia Chriſtianorum, quicumque ſint, veritatem ac ſanctitatem doctrinæ Chriſtianæ ullâ ratione obſcurare poſſunt. Nec quiſquam dixerit errores & vitia ita anteverti oportuiſſe à Chriſto, ut numquam Chriſtiani decipi poſſent, aut delicta admittere, Legibus ab eo promulgatis contraria. Tum enim Veritatis amor & conſtans profeſſio, delictorúmque fuga & deteſtatio virtutes, quæ præmio adficerentur, non fuiſſent; quandoquidem ea demum eſt Virtus, in hoc mortalitatis ſtatu, quæ nullâ neceſſitate nullóve ineluctabili adflatu animis hominum inſtillata; ſed quæ liberè, ita ut negligi poſſit, colitur. Non poſſunt laudari homines, quòd Veritati evidenti, & mathematicè demonſtratæ adſenſum præbeant; aut quòd beati eſſe cupiant. Eò nativâ propenſione ita feruntur, ut non ſit in eorum poteſtate aliter ſe gerere. Sed laudantur, qui Veritati, quæ non mathematicis quidem, ſed firmis tamen rationibus probata eſt, libenter adſentiuntur; quamvis ei adfectus adverſentur, quod ſæpiſſimè contingit. Laudantur item, qui felicitatem quærunt, cultu Virtutis, licèt multa adverſa & triſtia ejus amantibus ſint, in hac vita, exſpectanda; quæ omnia, præ Virtutis amore, nihili faciunt.

VI. Si ita ſe geſſiſſet Chriſtus, ut nemo Chriſtianus errare, aut in vitia labi potuiſſet, planè natura humana (quod Deo viſum non eſt) mutanda fuiſſet in hiſce terris & in Angelorum ſtatum transferenda; qui nec decipi, nec delicta ulla admittere poſſunt, nec propterea præmia ulla ferunt, ut nec ſunt ullæ, quas ſibi timeant, pœnæ, ob peccata quæ admittere nequeunt. Evangelium conſtat Legibus, iiſque præmio & pœnâ ſancitis, quippe quæ latæ ſunt hominibus in meliorem, aut deteriorem partem mutabilibus; fuiſſétque planè refingendum, ſi ſimile nihil fieri potuiſſet. Itaque ſi nec natura humana, nec Evangelium immutari debuere, ut res ipſa oſtendit; homines Chriſtianos nec errandi, nec peccandi periculo exemtos eſſe oportuit.

VII. Quin & Chriſtus atque Apoſtoli, præmonuerunt fore ut multi errarent, vitiiſque inquinarentur, qui Chriſtiani haberi vellent. [2] Tritico Evangelico ut prædixerat Chriſtus, zizania Humani Generis inimicus, hominibus quos vigilare decebat, alto ſomno ſopitis, admiſcuit; unde nata eſt ea, quam videmus, zizaniorum ſeges. Idem etiam monuerat Chriſtus, fore ut ſagena Evangelii, non tantùm bonos, ſed & putridos piſces caperet. Ne miraremur errores & vitia Veritati & Virtutibus paſſim comites adjungi, docuit ita Deo viſum eſſe, ut hæc non ſepararentur, donec ipſe Humano Generi jus dicturus è cœlo rediret. *Audio*, inquiebat Paulus Corinthiis 1. Ep. XI, 18. *ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo; nam oportet & hæreſes* (ſeu ſectas) *eſſe inter vos, ut & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* Nimirum, ſi una ſemper fuiſſet ubique, & per omnia, Chriſtianorum ſententia, iidémque mores

2 *Vide Orat. Inaug. de Hiſt. Eccleſ.* p. 22.

mores, ita ut nullus errori, nullus vitio locus eſſet; nec amor Veritatis, nec delictorum fuga tantopere enituiſſet, tantáque laude dignum utrumque fuiſſet; quàm ubi hallucinationes & vitia fuere vitanda. Tum enim eſt electioni locus, qui nullus alioquin eſſet. Offendicula ejuſmodi futura prædixit Paulus & 1. Tim. IV, 1. quemadmodum etiam Petrus 2. Ep. II, 1. & Joannes 1. Ep. II, 19. Quare cùm nihil, hoc in negotio, contigerit, quod non præmonuerint Chriſtus & Apoſtoli; nihil etiam eſt quòd ſanctiſſimæ eorum doctrinæ, aut Providentiæ Divinæ, hac in re, exprobretur.

VIII. Nec umquam tanta fuit zizaniorum ſeges, ut & veram doctrinam, bonóſque mores ubique prorſus ſuffocaret. Manſit ſemper incolume divinum volumen, quo Apoſtolorum Scripta continentur, ubi neceſſaria ad ſalutem capita tam ſæpe & tam perſpicuè traduntur; ut, ne corruptiſſimis quidem ſæculis, oblitterari potuerint, fueríntque ſemper boni viri, qui præceptis Evangelicis paruerunt. Veritatis perſpicuitas & bonorum morum clariſſima regula, quotidianâ experientiâ confirmata, oppoſitæ obſcuris errorum tricis & vitiorum turpitudini, noxiæque naturæ, tantâ vi præditæ ſunt, ut longè efficientiâ ſuâ quæ eis adverſantur ſuperent & excludant; ſi modò in animum *εὔθετον*, ſeu *aptum regno cœleſti*, incidant. Qua in re Providentia Divina ſatis ſupérque proſpexit, [3] *ne portæ mortis*, aut *ſepulcri prævalerent contra Eccleſiam* Chriſtianam; hoc eſt, ne umquam deeſſent, qui Chriſti doctrinam ſequerentur, præceptáque ejus obſervarent; quod jam oſtendimus in Libro Unico, quem Libris *Hug. Grotii* de Veritate Religionis Chriſtianæ, ſubjecimus, §. III. V. & VII; nec opus eſt ut hîc quidquam præterea adjiciamus.

3 Matth. XVI, 18.

PROLEGOMENΩN

FINIS.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

SAECULUM PRIMUM

I. *Regni* Herodis *Magni & Natalium* Christi *Hiſtoria.*

Cum ſub finem regni Herodis Magni, Antipatri F. natum eſſe Jesum Christum, & imperantibus ejus filiis vixiſſe, dum in terris fuit, conſtet; cúmque multa ſint, in Hiſtoria Chriſti, quæ ad Herodis M. regnum reſpiciunt; breviter potiſſimas ejus res geſtas, ad ſuos annos relatas, exponere, antequàm ad Hiſtoriam Chriſti veniremus, neceſſe nobis eſſe duximus.

Cn. Domitio Calvino II. C. Aſinio Pollione COSS. Auguſti anno V. Herodis I. ante Æram Vulgarem Chriſti XL.

I. Capta à Parthis Jeroſolimâ, Herodes in Ægyptum profugus Alexandriam pervenit, indéque ſolvit, ut in Italiam, ſpretis, quæ per eos dies ſæviebant, procellis, navigaret; ægréque Rhodum, factâ ſarcinarum jacturâ, adpulit. Tum inſtructâ triremi, & cum amicis conſcensâ, Brunduſium delatus eſt, unde Romam cùm veniſſet, [1] menſe, ut viris doctis videtur, Septembri, quæ in Judæa contigiſſent M. Antonio expoſuit; quem, promiſsâ pecuniâ, eò adduxit, ut, adjunctâ ſibi C. Cæſaris Octaviani operâ, Regem ipſum Judææ ſalutari curaret, & ſeptiduo pòſt in regnum dimitteret, quæ prodidit *Joſephus* Antiquit. Judaïc. Lib. XIV, 25 & 26.

II. Tum ex Italia navigatione inſtitutâ, Ptolemaïdem adpulſus eſt, ubi operam contrahendo quàm celerrimè exercitui dedit, & Regis inſtar ſe geſſit; quod fuit prius ejus regni initium, à quo triginta ſeptem annis regnaſſe dicitur à *Joſepho*, Belli Jud. Lib. I. c. ult.

L. Mar-

1 Vide *Ant. Pagium* ad hunc annum, in Critic. *Baronii*, & *Henr.* Cardinalem *Noriſium* in Cenotaphia Piſana, quem ſequutus eſt. Hi nobis in hac Chronologia præiverunt.

L. Marcio Cenſorino, C. Calviſio Sabino COSS. *Auguſti VI. Herodis* II. *ante Æram Vulgarem Chriſti* XXXIX.

I. Herodes à P. Ventidio, Antonii in Syria Legato, & Silone adjutus, totam fermè Galilæam ſubegit, & Joppen expugnavit, tum Maſſadam caſtellum in quo matrem, cum ſuis, reliquerat, obſidione liberavit, ſuóſque recepit. Reſſam item, alterum caſtellum, & urbem Jerichuntem cepit, ut narrat *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XIV. c. 27.

II. Hoc eodem anno, P. Ventidius inſignem victoriam de Parthis retulit, occiſis eorum ducibus Labieno, & Pharnapate, ſeu Phraate, ut ab aliis vocatur; quæ copioſiùs expoſuerunt *Plutarchus* in Antonio, *Appianus* de Bellis Parthicis, & *Dion* Lib. XLVIII.

Ap. Claudio Pulcro, C. Norbano Flacco COSS. *Auguſti VII. Herodis III. ante Æram Vulgarem Chriſti* XXXVIII.

I. Idem Ventidius reportavit iterum nobilem victoriam de Pacoro, Parthorum Regis F. quem occidit, ut habet *Dion*, Lib XLIX. Herodes interea rem bene in Palæſtina geſſerat, & Galilæam latronibus purgaverat; accepitque à Ventidio, poſt victoriam memoratam, duas legiones & mille equites; ſed quibus uti quàm primùm non potuit, quia Antonius ipſe, cùm in Aſiam veniſſet, Samoſatáque, quibus ſe incluſerat Antiochus, Rex Commagenes, obſideret, hominem ad ſe evocarat. Reliquerat Herodes Joſephum fratrem, cum copiis, in Judæa; additis mandatis, ne per abſentiam ſuam, rem in ultimum diſcrimen deduceret; ſed ferocior juvenis, aliquot auxiliariis cohortibus Romanis, quæ tironibus conſtabant, ſibi adjunctis, prælium cum Antigoni exercitu commiſit, victus eſt & in acie cecidit.

II. At pace Antiocho, æquis legibus datâ, dimiſſus eſt ab Antonio Herodes, juſſúsque C. Soſius; quem, Ventidii loco, Syriæ præfecerat Antonius; ei auxilium ferre. Signa ergo conjunctim intulerunt Pappo, Antigoni duci, quem vicerunt; Antigonúmque in tantas anguſtias conjecerunt, ut de deſerenda Jeroſolima, conſilia agitaret; & urbem illico obſidione cinxiſſent, niſi acrior hiems obſtitiſſet; quibus de rebus egit *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XIV. c. 7. & de Bello Jud. Lib. I. c. 13.

M. Vip-

M. Vipſanio Agrippa, L. Caninio Gallo COSS. Auguſti VIII. Herodis IV & I. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXXVII.

I. Hieme præteritâ, C. Soſius & Herodes Jeroſolimam obſederunt, dúmque aggeres & turres exſtruuntur, Herodes in Samariam ivit & uxorem illic Mariamnen, Ariſtobuli Regis neptem, duxit, rediitque ad obſidionem; quâ tandem factum eſt ut Jeroſolima caperetur, & quidem menſe tertio, ipsô jejunii die, anno Sabbathico, ut teſtatur *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XIV. cap. ult. Menſis tertius fuit anni Sacri, nimirum, *Siwan*; in cujus 23. diem incidebat jejunium ob Idololatriam Jerobohami, qui dies LXVIII. fuit poſt Paſcha. Non poteſt enim intelligi tertius menſis anni Civilis, qui incipit menſe Thiſri; nam hoc ipſo menſe deſiit annûs Sabbathicus, anno ſuperiore inchoatus. Ingens cædes ab iratis Romanis facta eſt, omnéſque Antigonianæ factionis principes occiſi.

II. Antigonus ipſe captus eſt, ſervatúſque fuiſſet ab Antonio, in triumphum; niſi Herodis gratiâ & muneribus adductus, eum ſecuri Antiochiæ, ubi erat, percuſſiſſet. Sic Haſmonæorum principatus deſiit, poſt annos CXXVI. ut habet *Joſephus*, cœpitque poſterius initium regni Herodis, quod idem Hiſtoricus interdum ſequitur. Incidit ergo hoc in *primum* annum Herodis, ex hoc poſteriore calculo, & in *tertium* ab eo tempore, quo Herodes Romæ fuit Rex Judæorum ſalutatus; nam hic annus hujus demum anni Juliani autumno deſiit.

L. Gellio Poplicola & M. Cocceio Nerva COSS. Auguſti IX. Herodis V & II. à capta Jeroſolima, ante vulgarem Chriſti Æram, XXXVI.

I. Phraates, Parthorum Rex, ab Herode rogatus, Hyrcanum in Judæam remiſit, quem comiter quidem habuit Herodes; ſed homini principatum non reſtituit, ut docet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XV. c. 2. Cavit etiam ne Pontificatus Maximus in illuſtrem ullum virum, è poſteris Aharonis, conferretur; qui regnantem eum ferre fortaſſe non potuiſſet. Sed eâ dignitate Ananelum neſcio quem, obſcurum Sacerdotem, Babylone accerſitum ornavit; quamvis Alexandra, Herodis ſocrus, rem iniquiſſimè ferret.

L. Cornificio & S. Pompeio COSS. Auguſti X. Herodis VI & III. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXXV.

I. Herodes interim cùm quotidianis precibus Mariamnes uxoris obtunderetur, ut Pontificatum Maximum Ariſtobulo fratri redderet,

 ad-

advocato amicorum concilio, multis verbis in Alexandram ſocrum invectus eſt, quam ſibi & regno inſidiari querebatur; ſed tamen ſe Pontificatum Ariſtobulo redditurum dixit, quo hactenus, ut aiebat, functus erat Ananelus, ea tantùm de cauſa, quòd Ariſtobuli immatura tanto muneri gerendo eſſet ætas. Hîc Alexandra, præ gaudio vix compos ſui, lacrimis criminationes ab Herode prolatas purgare conata eſt, ſéque Regi dicto audientem poſthac fore promiſit. Itaque Herodes, vivo Ananelo ademtum Pontificatum Ariſtobulo, ſeptemdecim tantùm annos nato, reſtituit, ut narrat *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XV. c. 2, & 3.

II. At Alexandra, imperii cupida, cùm diligentiùs Herodis juſſu obſervaretur, ita ut arcanum nihil habere poſſet, conſilio Cleopatræ Reginæ, aufugere conata eſt; ſed deprehenſa, veniam ab Herode genero impetravit, qui Cleopatram, præ Antonii metu, offendere non audebat. Mox cùm Ariſtobulus annum XVII. egreſſus ſacra in Templo feciſſet, more Majorum; eleganti formâ oculos plebis in ſe convertit, ſtudiáque ita concitavit, ut multitudo in inconſultas voces erumperet; quibus graviter offenſus Herodes, metuénſque ne plebis favore Majorum ſuorum regiam dignitatem recuperaret adoleſcens, curavit Ariſtobulum, animi gratiâ in piſcina natantem, quaſi per luſum & laſciviam, ſuffocari. At ne Alexandræ & Mariamnes uxoris iram in ſe concitaret, ſe inſcio factum teſtatus, juvenem magnifico funere extulit. Verùm ne ſic quidem fraus latere potuit, in homine, cujus tota vita dolis & crudelibus factis diſtincta fuit. Quare Alexandra queſta, apud Cleopatram, Herodis inimicam, per eam impetravit ut ab Antonio, qui in Aſiam venerat & Laodiceæ verſabatur, ad cauſam dicendam, vocaretur Herodes; quod pluribus Lib. XV. c. 4. expoſuit *Joſephus.*

M. Antonio II. L. Scribonio Libone COSS. Auguſti XI. Herodis VII. & IV. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXXIV.

I. Cum ad Antonium proficiſceretur Herodes, ſibique ab homine Cleopatram depereunte timeret, Joſepho patruo curam regni permiſit, mandavitque, ſi quid humanitus ſibi contigiſſet, ut Mariamnen uxorem è medio tolleret; quaſi, præ amore, eam in alienas manus, poſt mortem ſuam, incidere pati non poſſet. Sed muneribus, & blandis colloquiis Antonium ſibi placavit, effecitque ne poſtea Cleopatræ criminationibus facilè fidem haberet. Joſephus interea ſæpiùs, honoris causâ, Alexandram & Mariamnen inviſebat, quarum querelas de exiguo, quo Herodes uxorem proſequebatur, amore frequentiores audire non potuit, ſine Regis defenſione; cui mulieres putavit ſe conciliaturum, ſi aperiret quod de Mariamne à proficiſcente in mandatis acceperat, quódque flagrantiſſimi amoris indicium eſſe putabat. Sed mulieres

res crudelem zelotypiam exhorruerunt, nedum ut æquiores illi fierent. Interea rumore ſparſo, ab Antonio necatum Herodem, deliberarunt de confugiendo ad Romanam Legionem, quæ circa Jeroſolimam relicta, cuſtodiæ causâ, fuerat; ſed mox adlatæ ſunt litteræ ab Herode, quæ ei Antonii gratiam reconciliatam & brevi rediturum nunciabant. Haud multò pòſt ipſe redux à ſorore Salome, infenſa Mariamnæ, quæ ei ignobilitatem generis objicere ſolebat, conſilium confugiendi ad Romanos accepit; eadémque Salome virum ſuum Joſephum vitiatæ Mariamnæ accuſavit. Quibus auditis, Herodes Mariamnæ tamen juranti, ſe nullam conſuetudinem cum Joſepho habuiſſe, facilè credidit, amorémque ſuum ei viciſſim venditavit. Illa verò negare ſe ab eo amari, qui mandata dediſſet de ſe occidenda, ſi ab Antonio necaretur. Hìc Herodes tantum arcanum Joſephum Mariamnæ revelaturum numquam fuiſſe, niſi cum ea concubuiſſet, ratus, eam propemodum occidit; ſed, amore iram ſuperante, coërcitus is ejus impetus. At Joſephum, inauditum, interimi juſſit; qua de re & aliis, quæ prætermiſimus, adeundus *Joſephus*, Lib. XV. c. 4. Hìc tantùm ea de Herode memoramus, quæ ad indolem ejus cognoſcendam faciunt, & quæ minùs miram Bethlehemitici Infanticidii hiſtoriam reddunt.

II. Cleopatra, quæ Judææ & Arabiæ regnis inhiabat, voluiſſet quidem Herodem & Malchum occidi, ut iis donaretur; ſed Antonius rem nimis injuſtam cenſuit, nimiſque invidioſam; quàm ut, ambitioſæ & avaræ mulieris causâ, amicos Reges necaret. Attamen Arabiæ parte, Nabatæa, Ituræa & Jerichuntino agro, balſami ferace, aliiſque terrarum tractibus mulierem donavit. Herodi deinde Arabicos & Jerichuntinos agros Cleopatra locavit; pro quorum fructibus, certam à Rege pecuniam quotannis accepit. *Joſeph.* Lib. XV. c. 5.

Auguſto Cæſare II. L. Volcatio Tullo COSS. Auguſti XII. Herodis VIII & V. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XXXIII.

I. Hoc tempore, ut res infida eſt regni ſocietas, eruperunt occultæ inimicitiæ, quæ Antonium inter & Auguſtum erant; cœperúntque ii ſe viciſſim contumelioſè proſcindere, & bellum parare, quod paullò pòſt terrâ marique geſſerunt; ut docebunt *Plutarchus* & *Dion*, aliique. Nos iis non immorabimur, niſi quatenus ad Herodis vitam pertinent; qui Antonio, à quo plurimùm ei metuendum erat, favebat.

Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Soſio COSS. Auguſti XIII. Herodis IX & VI. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XXXII.

I. Cum ingenti adparatu Antonius quàm primùm Cæſari bellum illaturus videretur, Herodes ſponte ſuâ auxilia parabat, quæ ad eum mitte-

mitteret; quibus tamen ille ſibi opus eſſe negavit, frumentúmque dumtaxat & pecunias ab eo accepit. Sed cùm ab Herode & Cleopatra audiſſet Arabum Regem vectigalia, quæ Cleopatræ debebat, non pendere, Herodem armis Arabem in ordinem cogere juſſit. Itaque bellum adgreſſus, de Arabibus, poſt acrem conflictum, victoriam retulit. Deinde altero prælio commiſſo, eos iterum fugavit; ſed ab Athenione Cleopatræ duce, qui tum aderat, & copias ſubitò collectas cum Arabibus conjunxerat, clade adfectus & caſtris etiam, dum remotiora auxilia acceſſitum iviſſet, exutus eſt. Quare non ampliùs auſus ſigna cum hoſtibus conferre, latrociniis, potiùs quàm juſto bello, Arabiam infeſtam reddidit; dum ſui animum colligerent, atque excurſionibus bello fortiùs denuo gerendo paullatim adſuefierent. *Joſephus*, Lib. XV. c. 6.

Auguſto Cæſare III. M. Valerio Meſſalla COSS. Auguſti XIV. Herodis X & VII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXXI.

I. Hoc anno, cùm jam bellum gererent Antonius & Cæſar, in Græcia, graviſſimus fuit in Judæa terræ motus; quo magna jactura pecudum facta, & decem hominum millia ruinis ædium oppreſſa. Eâ clade gens territa, legatos miſit ad Arabas, pacis faciendæ causâ, qui à barbaris hominibus, ſpreto Jure Gentium, ſunt occiſi; at injuriam brevi, inſignibus victoriis, ultus eſt Herodes. Interea victus eſt Antonius ab Auguſto, ad Actium, a. d. II. Septembris. Vide *Dionem* Lib. LI.

Auguſto Cæſare IV. M. Licinio Craſſo COSS. Auguſti XV. Herodis XI & VIII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXX.

I. Antonius & Cleopatra victi in Ægyptum rediere; eorúmque clade auditâ, Herodes, qui Antonio bene volebat, dudúmque Cleopatram ſibi infenſam expertus erat, ei auctor fuit mulieris quàm primùm occidendæ, ut in ejus regna ſuccederet, pacémque à Cæſare æquioribus legibus impetraret; quod ipſe Herodes apud Cæſarem poſtea profeſſus eſt, ſi credimus *Joſepho* hæc narranti, Ant. Jud. Lib. XV. c. 10. Interea homo callidus, cùm rebus Antonii non ampliùs fideret, Cæſaris gratiam captabat, miſſis Q. Didio, quem Syriæ præfecerat, auxiliariis copiis, quibus uteretur in gladiatores Antonianos; qui per Syriam in Ægyptum contendebant, ei, quem jam amici omnes deſeruerant, opem laturi; cujus rei gratiam Herodi habuit poſtea Cæſar.

II. Interea cùm ſibi timeret Herodes, qui palam florenti Antonio faverat; Alexandra ejus ſocrus Hyrcano patri perſuaſit, ut ad Malchum Arabum Regem, litteras daret, quibus ab eo facultatem in Arabiam

Arabiam confugiendi peteret; unde poſtea, adflicto Herode, in regnum rediret. Sed Herodes, re deprehensâ, prolatóque Malchi reſponſo, quod interceperat, Hyrcanum occidi juſſit. Quo facto, antequàm ad Cæſarem proficiſceretur, Pheroræ fratri curam regni commiſit, idque retinere juſſit, ſi quid ſibi, ſeciùs quàm vellet, contigiſſet. Cypron matrem, Salomen ſororem, conſanguineóſque reliquos Meſſadæ reliquit. Mariamnen verò, cum Alexandra, in Alexandrio caſtello depoſuit, fidiſque cuſtodibus in mandatis dedit; ut, ſi mori eum contingeret, utraque interfectâ, regnum liberis regiis & Pheroræ ſervarent. Quæ habet *Joſephus*, Lib. XV. c. 9.

III. Cum hæc mandaſſet Herodes, Rhodum ad Cæſarem navigavit, eúmque diademate poſito adivit, & ingenuâ eorum quæ fecerat in gratiam Antonii confeſſione, ingentibúſque muneribus, ei & amicis oblatis, placavit; & quidem eo faciliùs, quòd à Q. Didio Cæſar adversùs Antonii gladiatores miſſa ſibi auxilia acceperat. Itaque Herodes, diademate recepto, in regnum incolumis remiſſus eſt. *Ibid. c.* 10.

Dum autem abeſſet, Alexandra & Mariamne, captivitatem ſuam ægrè ferentes, in maximas querelas effundebantur; Mariamnéque etiam eblandita eſt à Sohemo, cui cuſtodiendam mandarat Herodes, arcana juſſa de ea, ſi non rediret, occidenda. Quare aucto, quod in eum dudum conceperat, odio nec eo apud reducem diſſimulato, concors cum eo numquam poſtea vixit, ut prodidit *Joſephus*, Lib. XV. c. 11.

IV. Cæsarem deinde Herodes, per Judæam, in Ægyptum contendentem, Ptolemaïde magnificentiſſimè excepit, exercituique neceſſaria omnia, Peluſium uſque, ſuppeditavit, & Cæſarem ipſum DCCC talentis donavit; quibus rebus gratiam ejus ſibi ſummopere conciliavit. Quod habet idem Scriptor, Lib. XV. c. 10. Non multò pòſt, cùm ſibi Antonius & Cleopatra mortem conſciviſſent, Cæſárque Ægypto potiretur; Herodes ad eum, victoriam gratulaturus, ſe contulit, magniſque ab eo ornatus eſt beneficiis. Regionis quippe, quam ei in gratiam Cleopatræ eripuerat Antonius, partem recepit, & præterea in mediterraneis, Gadaris, Hippo & Samariâ; in maritimis, Gazâ, Anthedone, Joppe & Stratonis Turre donatus eſt.

Auguſto Cæſare V. Sex. Apuleio COSS. Auguſti XVI. Herodis XII & IX. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXIX.

I. Herodes in regnum redux, hinc pervicaciâ uxoris offenſus; quæ ei Hyrcani & fratris Ariſtobuli mortem exprobrabat; illinc artibus Salomes ſororis, quæ ingenio doloſo & crudeli fratrem referebat, incenſus, eò devenit ut Mariamnen occidi juberet; quaſi eum veneno tollere voluiſſet, & conſuetudinem cum Sohemo habuiſſet; à quo quid ei mandatum de ipſa fuiſſet, ut diximus, acceperat, & Herodi objece-

bat. Mortem illa conſtantiſſimè tulit, quam veris lacrimis Herodes, cùm ira deferbuiſſet, proſequutus eſt. Alexandra verò, pudendâ ſimulatione, ne Herodes eam unà cum filia interficeret, ad ſupplicium eunti turpiſſimè, omnibus audientibus, conviciata eſt. Quæ pluribus narrata leguntur apud *Joſephum*, Lib. XV. c. 11.

Auguſto Cæſare VI. & M. Vipſanio Agrippâ II. COSS. Auguſti XVII. Herodis XIII & X. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXVIII.

I. Dum Herodes mortem uxoris lugeret, gravis exorta eſt Jeroſolimæ peſtilentia; quæ magnum numerum, non plebis tantùm, ſed & aulicorum abſumſit. Quod ita vulgò interpretabantur, quaſi Deus, ob innocentis Mariamnæ mortem, Regi & populo indignaretur. Hinc Herodis auctâ ægritudine, in oppidum Samariæ, veluti venatione ſe oblectaturus, conceſſit, ubi in graviſſimum morbum incidit. Quo audito, ambitioſa Alexandra conata eſt eos, qui arces Jeroſolimitanas ſervabant, adpellare, ut eas ſibi traderent, regnúmque Mariamnæ ex Herode liberis reſtituerent. Sed prodita Herodi, ſine mora, capite pœnas luit. Interea Rex convaluit, & ita ſuſpicionibus atque adfectibus indulſit, ut veluti efferatus, quavis de cauſa, in Judæos ſæviret. *Joſephus* Ibid.

Auguſto Cæſare VII, M. Vipſanio Agrippa III. COSS. Auguſti XVIII. Herodis XIV & XI. à capta Jeroſolima, ante Æram Chriſti Vulgarem XXVII.

I. Antea diximus primum Salomes virum Joſephum ab ea accuſatum periiſſe. Eam poſtea Herodes Coſtobaro Idumæo, viro apud ſuos nobili, cujus ſtrenua opera uſus erat, collocarat, eúmque Gazæ & Idumææ præfecerat. Poſtea tamen Coſtobarus, inſimulatus, apud Herodem, adfectatæ in Idumæam dominationis, pœnas ſine dubio dediſſet, niſi ſocrûs & uxoris precibus ſervatus fuiſſet; ſed numquam eum gratiæ, apud Herodem, locum, quem obtinuerat, recuperavit. Tum etiam, ſive ſuâ ipſius culpâ, ſive levitate & aſperitate morum uxoris offenſus ab ea diſſentire cœpit, quo tandem diſſidio exitium ſibi creavit.

II. Hoc anno, ut hoc obiter dicam, Cæſar cognomen *Auguſti* à Romanis nactus; regiámque poteſtatem, quamvis à nomine abſtineret, in poſterum per totum Romanum Imperium ſolus exercuit.

Auguſto Cæſare VIII. & T. Statilio Tauro II. COSS. Auguſti Cæſaris XIX. Herodis XV & XII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXVI.

I. Salome, viro à quo diſſentiebat, libellum repudii miſit, præter morem Gentis Hebrææ, apud quam jus hoc virorum, non mulierum erat, & ad fratrem ſe contulit; cujus benevolentiam ſe amori conjugali præferre dictitabat. Nec virum dimiſiſſe, novo exemplo, ſatis habens eum novas res ſæpiùs molitum dixit; cui criminationi fidem fecit, alterâ criminatione, quòd Babæ Sacerdotis liberos, qui olim Antigono faverant & Herodi adverſati erant, cùm Jeroſolimam obſideret, jam à duodecim annis in agris ſuis occultè haberet; quibus quid factum eſſet quærenti Herodi Coſtobarus ſe ſcire negaverat. Miſit ergo è veſtigio Herodes, qui homines inquirerent & occiderent; reique omnes conſcii, unà cum iis, interfecti.

II. Cum exſtincta ſic fuiſſet omnis Hyrcani conſanguinitas, nec quiſquam Herodis voluntati obſiſtere ampliùs poſſet, in mores peregrinos in dies magis ac magis migrabat; quorum primum hoc fuit, quòd conditis in honorem Cæſaris theatro & amphitheatro, quinquennales ludos gymnicos & muſicos, antea Judæis ignotos, celebravit. Statuit etiam in iis tropæa, in quibus latere imagines cùm putaſſent Judæi, non priùs placari potuerunt, quàm armis detractis, ſtipites tantùm eſſe viderent. *Joſephus* L. XV. c. 11.

Auguſto Cæſare IX. M. Junio Silano COSS. Auguſti XX. Herodis XVI, & XIII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXV.

I. Decem cives Jeroſolimitani, qui in Herodem conſpiraverant, & ſicis armati deprehenſi erant, facinus, quod fruſtra tentarant, impavidè faſſi &, ſolius boni publici causâ, à ſe ſuſceptum eſſe profeſſi ſunt. Quo audito, gravibus ſuppliciis ſunt necati. Delator eorum omnibus inviſus paullò pòſt clam eſt interfectus, cadavérque canibus lacerandum objectum; nec potuit reſcire Herodes à quibus res facta eſſet, niſi moleſtâ inquiſitione, & tortis quibuſdam conſciis mulierculis. Deinde cædis reos, cum univerſis eorum familiis, delevit.

II. *Neceſſe eſt*, ut rectè olim Mimus, *multos timeat*, *quem multi timent*. Itaque Herodes tyrannidis ſuæ ſibi probè conſcius, nec odium Judæorum erga ſe ignorans, de muniendis urbibus, quæ arcium inſtar eſſent, & Judæorum cervicibus imminerent, cogitare cœpit, & re ipsâ Samariam, quam *Sebaſten* vocavit, in honorem Auguſti; Turrim Stratonis, quam eadem de cauſa *Cæſaream* adpellavit; in magno Campo caſtellum,

tellum, in quo delectos equites collocavit; in Galilæa Gabala; in Peræa Æſthmonitin munivit, Samariámque præ ceteris, unius diei itinere Jeroſolimâ remotam, munitionibus auxit, præſidiario milite inſtruxit, incoliſque è finitimis Gentibus implevit. Quæ, aliáque habet *Joſephus*, loco memorato.

III. Hæc ſine magnis ſumtibus, gravibúſque adeò tributis & vectigalibus fieri non potuere. Munificum tamen in egenos, crudelis alioqui tyrannus, interdum ſe præſtitit; ut hoc anno, quo hiems graviſſima fuit. Abſumto pecore & laneis, aliiſque tegumentis deficientibus, veſtes pauperibus de ſuo diviſit, aliáque neceſſaria liberaliter largitus eſt. Quin & urbibus Syriæ vicinis, quæ frumento, quod ſererent, carebant, magnum numerum tritici miſit. *Ibid. c.* 12.

Auguſto Cæſare X. C. Norbano Flacco COSS. Auguſti XXI. Herodis XVII & XIV. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XXIV.

I. Quam primum ſegetes maturuerunt, Herodes ad quinquaginta hominum millia, quos famis tempore ſumtibus ſuis aluerat, per agros ſuos & vicinorum Syrorum dimiſit, ut docet *Joſephus*, Lib XV. c. 12. Eodem etiam anno, quingentos delectos è ſatellitibus ſuis miſit Ælio Gallo, expeditionem Arabicam paranti, quæ infeliciſſima fuit; ſed in qua tamen ſatellitum Herodis ſtrenua opera uſus eſt Gallus.

II. Erat iis temporibus Zenodorus quidam, qui Trachonitidis, Batanææ & Auranitidis agros, qui Lyſaniæ erant, conduxerat, & præterea ex incolarum Trachonis, qui in ſpeluncis vitam agebant & agrum Damaſcenum ſubinde populabantur, latrociniis lucrum captabat. Itaque adcolæ Varronem, Syriæ Præſidem, adierunt, orarúntque ut ad Cæſarem ſcriberet de Zenodori injuriis; quod cùm feciſſet, juſſit Cæſar latrones exterminari. Varro paruit, Zenodoróque eum terrarum tractum abſtulit, & Herodi dedit, quod habet *Joſephus*, Ant. Lib. XV. c. 13. & de B. J. Lib. I. c. 15.

III. Interea Herodes Jeroſolimæ, in ſuperiore urbis parte, ſplendidiſſimam Regiam ſibi ædificavit, cujus alteram partem *Cæſaris*, alteram *Agrippæ domum* Romanorum perpetuus adulator vocavit, ut iiſdem locis idem Scriptor prodidit.

Auguſto Cæſare XI. Cn. Calpurnio Piſone COSS. Auguſti XXII. Herodis XVIII & XV. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXIII.

I. Herodes amoto à Pontificatu Maximo Jeſu, Phabetis filio, Simonem ſacerdotem Jeroſolimitanum, Boëthi Alexandri filium, ſuffecit;

ſecit; ejúſque filiam Mariamnen, omnium ejus ætatis mulierum pulcherrimam, matrimonio ſibi copulavit. Nuptiis celebratis, novam regiam condere cœpit. Condidit etiam oppidum loco Jeroſolimâ, Arabiam versùs, LX ſtadiis diſtante, & *Herodium* de ſuo nomine adpellavit; quæ locis antea dictis memorat *Joſephus*.

II. Hoc anno, à Senatu Romano in Auguſtum collatus eſt Tribunatus Plebis perpetuus, ut quoties Senatus haberetur, quamvis Auguſtus Conſulatum non gereret, de quibusvis rebus ad Senatum referre poſſet. Datum eſt etiam extra Urbem Proconſulare Imperium perpetuum, quod tamen Urbem ingreſſus, ut fieri ſolebat, non deponeret, neque renovare umquam neceſſe haberet, atque ex quo major ejus in Provinciis, quàm earum Præfectis, eſſet poteſtas. Unde factum ut ipſe & ceteri Cæſares Poteſtatis Tribunitiæ annos numerarent, quod prodidit *Dion*, Lib. LIII. Decretum hoc eſt a. d. V. Cal. Junias, [1] ut ex vetere Inſcriptione liquet.

M. Claudio Marcello Æſernino, L. Arruntio COSS. Auguſti XXIII. Herodis XIX & XVI. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XXII.

I. Sebaste jam conditâ, Herodes urbem alteram Stratonis Turrim ædificare cœpit, cui admirandi operis portum, Piræeo parem, adjecit. Quod opus, cùm nec labori, nec ſumtibus parceret, duodecimo demum anno abſolvit. Hæc fuit celeberrima Palæſtinæ Urbium, quæ & poſtea Metropolis facta eſt, Cæſarea. Rem copiosè deſcripſit *Joſephus* Ant. Lib. XV. c. 13. de B. J. Lib. I. capp. 15 & 16.

II. Tum filios ſuos, Alexandrum & Ariſtobulum, è Mariamna Haſmonæa ſuſceptos, Romam miſit, ut Cæſarem convenirent. Cùm eis liceret hoſpitio Cæſaris uti, eos tamen excepit Vedius Pollio Herodis ſtudioſiſſimus, & Cæſar omni humanitatis genere cumulavit. Quin & patri poteſtatem fecit heredem ſcribendi, quemcumque filiorum vellet ſuccedere in regnum, Trachonitide, Batanæâ & Auranitide auctum.

His acceptis, Herodes Trachonem latronibus prorſus purgavit, ſecuritatémque vicinis præſtitit. Zenodorus eâ ditione ſpoliatus Romam ſe contulit, ut Herodem apud Auguſtum accuſaret, ſed fruſtra fuit.

III. Interea Agrippa, ob ſimultatem cum M. Marcello, Auguſti genero, conceptam, Româ relictâ, quaſi in Syriam venturus, Mitylenis conſederat, legatis in Orientem miſſis. Eum ſibi amiciſſimum inviſit Herodes, rediítque mox in Judæam. Eò etiam ſe contulerunt Gadarenſes, Herodem accuſaturi, ſed ſunt ab Agrippa vincti & remiſſi ad Herodem, qui tamen iis ignovit; quamvis erga ſuos inexorabilis eſſet. Hæc de eo *Joſephus*, Ant. Lib. XV. c. 13.

Q. Æmi-

1 Vide *Henr. Noriſii* Cenot. Piſana Diſſ. II. p. 263.

Q. Æmilio Lepido, M. Lollio COSS. Auguſti XXIV. Herodis XX & XVII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XXI.

I. Zenodorus, cùm ſe tueri contra Romanos & Herodem non poſſet, Auranitidem L talentis annuis Arabibus elocaverat; qui Arabes eam ſibi ab Herode auferri non paſſi ſunt, ſed nunc excurſionibus ſibi vindicabant, nunc apud diſceptatores de poſſeſſione agebant. Hæc cùm maturè intellexiſſet Herodes, maluit tamen jure, quàm armis diſceptare; auctoritate, nimirum, & potentia Romanorum fretus. *Idem ibidem.*

M. Appuleio & P. Silio Nerva COSS. Auguſti XXV. Herodis XXI & XVIII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XX.

I. Augustus in Syriam venit, anno decimo poſtquàm in ea provincia fuerat, ut ait *Joſephus* de B. J. Lib. I. c. 15. & decimo ſeptimo regni Herodis jam elapſo, ut loquitur Ant. Jud. Lib. XV. c. 13.

II. Zenodorus, interpoſito jurejurando, Gadarenſibus promiſerat ſe non priùs deſtiturum, quàm ditioni Herodis exemti provinciæ Cæſaris iterum adtribuerentur. Itaque graves querelas ad Cæſarem, de ejus tyrannide, detulerunt. Quas in judicio diluere cùm pararet Herodes, nihilo inhumaniùs ſe erga eum geſſit Auguſtus. Re animadversâ, Gadarenſium legati, cùm certis conjecturis adducti timerent ne Herodi dederentur, exquiſitáſque pœnas odii ſui ei darent, alii proximâ poſt congreſſum nocte ſe jugularunt, alii præcipites ſe dederunt, alii conjecerunt ſe in fluvium, quo ſunt ſuffocati. Quod cùm vidiſſet Cæſar, ſine mora, hominem abſolvit. Zenodorus quoque eo tempore, ruptis intra corpus venis, interiit; eóque interitu audito, Auguſtus Herodem ejus tetrarchiâ donavit, quæ inter Galilæam & Trachonitidem ſita Ulatham, Paneadem, & agros finitimos complectebatur. Adjunxit etiam eum Cæſar procuratoribus Syriæ, vetuitque procuratores Romanos quidquam in ea Provincia, inconſulto Herode, agere. Tum ille fratri ſuo Pheroræ Tetrarchiam à Cæſare impetravit, de ſuo etiam regno, in ejus gratiam, C talentorum reditibus, ne ipſo mortuo filiis ſuis dicto audiens eſſe neceſſe haberet, deciſis.

III. Cæsar, cùm è Provincia decederet, ad mare uſque eſt ab Herode deductus; qui ei, grati animi causâ, templum è candido marmore ad Panium montem, in quo ſunt Jordanis fontes, ædificavit. Eodem tempore, partem tributorum, quæ ei ſolvebantur, populis, qui ejus imperio ſuberant, remiſit; veluti ob ſterilitatem agrorum, quâ ad paupertatem redacti fuerant, ſed re verâ ut Judæos ſibi infenſos, ob

Ædem

Ædem Auguſto conſecratam, aliáque Ethniciſmum redolentia, placaret. Nec tamen eorum animos lenire potuit, quominùs contumelioſi ſermones de eo haberentur; qui ne nimiùm crebreſcerent, noviſque rebus occaſionem præberent, vetuit Jeroſolimæ concurſus hominum, frequentioráque convivia; nec tantùm ſpeculatores circummiſit, qui ſe circulis insererent, vulgique ſermones captarent, ſed & ipſe vili cultu indutum ſe ſe plebi admiſcuit noctu, ut per ſe quid de ipſo populus ſentiret intelligere poſſet. Si cui deprehendebat ſua inſtituta pertinaciùs improbari, in hominem inclementer animadvertebat. Reliquam verò multitudinem ſacramento adegit, ut ſibi dicto audiens & fida eſſet; eóſque, qui propterea paullò liberiùs indignabantur, quocumque modo è medio tollebat.

Hoc jusjurandum cùm à Pollione, Samæáque inſignibus Phariſæis & eorum diſcipulis exigeret, repulſam à multis tulit; quos tamen, ob reverentiam, quâ Pollionem proſequebatur, ad ſupplicium rapere auſus non eſt, ut habet *Joſephus*, Ant. Lib. XV. c. 13.

IV. Interim ut Gentis gratiam ſibi conciliaret, primoribus conſilium ſuum, de inſtaurando Templo Jeroſolimitano & magnificentiùs ornando, aperuit. Tum verò illi timere, ut dejecto priore ædificio novum ad umbilicum perducere umquam poſſet. At eum illis metum ſuſtulit, pollicitus vetus ædificium intactum fore, donec lapides & materiam omnem ad novum ædificandum comportari & parari curaſſet, nec fidem datam fefellit. Ab hoc enim anno XVIII. quo à capta Jeroſolima regnabat, mille plauſtra conduxit, quæ lapides veherent, & ex omni artificum copia decem millia peritiſſimorum delegit, qui operi gnaviter incumberent. Quin & mille ſacerdotes, ſtolis ſacerdotalibus indutos, ſuis ſumtibus, curavit à fabris inſtitui; ut poſtquàm omnia convecta eſſent manum ipſi ædificio ſacro admoverent. Quæ narrat *Joſephus*, Ant. Lib. XV. c. 14.

Q. Lucretio Veſpillone, Cn. Sentio Saturnino COSS. *Auguſti XXVI, Herodis XXII & XIX. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti* XIX.

I. Hunc totum annum abſumſit Herodes in convehendis & parandis, ad ædificationem Templi, omnibus neceſſariis. Quid aliud prætereà geſſerit non docet *Joſephus*, nec ſupereſt nobis Herodis vita olim à *Nicolao* Damaſceno conſcripta, ex qua plura fortaſſe alia cognitu digna intelligere poſſemus. Sed non eſt prætermittendum quod huc aliquo modo facit. Non in Judæa tantùm multa ædificavit ſuis ſumtibus, quorum aliquot jam meminimus; verùm etiam, ut prodidit *Joſephus*, Ant. Lib. XVI. c. 9. munificentiæ ſuæ participes eſſe voluit multas Syriæ, Græciæque urbes; & quaſcumque peregrinando inviſit, in iis publica multa ædificia à fundamentis excitavit, aut ſicubi inchoata

 pen-

pendebant, pecuniam, quâ abſolverentur, erogavit. Sic Rhodiis, ſuis ſumtibus, Pythium templum exædificavit, & ad compingendas naves multa talenta dedit. Nicopolitanos, urbem ad Actium promontorium ab Auguſto conditam incolentes, ad ædificanda pleraque publica opera, ſuâ pecuniâ adjuvit. Antiochiæ mediam plateam, quæ magnam urbem, juxta longitudinem, ſecabat, ad utrumque latus porticibus ornavit & quadrato lapide ſtravit. Ludos etiam Olympicos, præ inopia, non ſatis famæ ſuæ reſpondentes, conventúmque illum, cùm ad ſacra quod adtinet, tum ad reliquum etiam ornatum, adtributis reditibus, ſplendidiorem reddidit; propter quam munificentiam, perpetui Agonothetæ titulum retulit. Nec mentitum hæc *Joſephum* oſtendit [1] inſcriptio, quæ etiamnum Athenis exſtat, ex qua Athenas etiam Herodis liberalitatem ſenſiſſe intelligere eſt. In ea enim Berenice Regina, de qua Act. XXV. dicitur à populo Athenienſi ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΣ, *magnorum Regum, benefactorum urbis* (Athenarum) *proſapia*, quod omnino ad Herodem Magnum referendum videtur.

II. Ejusmodi beneficentiâ, duplici ratione offendebantur Judæi, nam & ægrè ferebant Gentilia Templa ab Herode ædificari, & iniquo animo tributa ſolvebant, ut ejuſmodi inanibus ſumtibus impenderentur, quod non diſſimulat *Joſephus*. Sed homo callidus interdum aliquid è tributis populo remittebat, interdum gratiam ejus ædificiis publicis captabat. Talia vocat memoratus Hiſtoricus εὐεργεσίας, *beneficia*, atque ad ea reſpicit Chriſtus Luc. XXII, 25. *Reges gentium iis dominantur, &, dum poteſtatem in eos exercent, benefactores vocantur.*

P. Cornelio Lentulo Marcellino, Cn. Cornelio Lentulo COSS. *Auguſti XXVII. Herodis XXIII & XX. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti* XVIII.

I. Et hic annus Herodi inſumtus, ut ædificando Templo materiam & lapides pararet, Jeroſolimámque vehi curaret.

II. Cum primum Imperii decennium, in quod ſolum Auguſtus, ſimulatione quâ perpetuò uſus eſt, rerum Romanarum adminiſtrationem accipere voluerat, ad exitum tenderet; in quinquennium iterum ſibi prorogavit Imperium, ut habet *Dion* Lib. LIV. Jam anno, ante Æram Vulgarem XXI, mortuo Marcello, Agrippam revocaverat, & abdicatâ uxore, Juliam filiam, Marcelli viduam, ducere juſſerat. Ei, ut idem *Dion* teſtatur, cùm eadem ferè quæ ſibi, tum Tribunitiam Poteſtatem itidem ad quinquennium dedit.

1 Vide *Jac. Sponii* Iter per Græciam, T. 3. p. 35.

C. Fur-

C. Furnio, C. Junio Silano COSS. Auguſti XXVIII. Herodis XXIV, & XXI. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram XVII.

I. Hoc demum anno, ex ſententia [1] *Jacobi Uſſerii*, reverâ cœpit ædificari Templum, ſed quia tertio ante hæc anno parari eam in rem cœperant neceſſaria, alii ad id tempus ædificationis initium retulere. Qua de re dicemus ad Annum Æræ Vulgaris XXVI. Abſolutum autem eſt ab Herode ædificari, novem annis & dimidio; ſed & alia poſtea ornamenta addita, & nonnullæ partes inſtauratæ; quo factum ut *Joſephus*, qui Ant. Lib. XV. c. 14. novem annis ac dimidio perfectum dixerat, idem Lib. XX, 8. ſub initium tantùm belli Judaïci, ad umbilicum perductum narret.

II. Hoc eodem anno, qui Urbis Conditæ DCCXXXVII fuit, Auguſtus ludos ſæculares celebravit; ut docet *Cenſorinus* Lib. de Die Natali c. XVII. útque veteres nummi oſtendunt.

L. Domitio Ahenobarbo, P. Cornelio Scipione COSS. Auguſti XXIX. Herodis XXV & XXII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti XVI.

I. Herodes navigavit in Italiam, ut ſalutaret Cæſarem, filiósque inviſeret, cúmque per Græciam tranſiret, agoni Olympico, Olympiade XCI. non interfuit modò, ſed & præfuit; quâ occaſione, munificentiam ſuam Græcis oſtentavit, ut diximus ad annum ejus XXII. Vide *Joſephum* Ant. Lib. XVI. c. 1. & B. J. Lib. I. c. 16. Cæſar Herodem humaniſſimè excepit; filiósque, liberalibus ſtudiis ſat inſtitutos, reducendos in regnum ei tradidit.

II. Interea Jeroſolimæ Templi propriè dicti, hoc eſt, Adyti & Sacrarii exterioris, ædificium, ſeſquianni ſpatio, à Sacerdotibus eſt perfectum. Octo deinde annis ſequentibus, porticus, & ſepta quæ circa erant abſoluta ſunt, ut docet *Joſephus*, Ant. Lib. XV. c. ultimo. Deſcriptionem ejus à *Joſepho* habemus, Ant. Lib. XV. c. 14. & Lib. VI. B. J. c. 14. & à *R. Juda*, in Miſchnæ Thalmudicæ Codice מדות *middoth*, ſive, *de menſuris*. Utramque deſcriptionem collatam & uberiùs explicatam habemus à *Joan. Lightfootio*, in Libro de Templo Jeroſolimitano. Poſterius hoc Templum, quamvis multò magnificentius, idem habent Rabbini, ac Zorobabelicum, vocántque *ſecundum*; nam *primum* fuit Salomonicum.

1 *Vide ejus Annales.*

M. Livio Druſo Libone, & L. Calpurnio Piſone COSS. *Auguſti XXX, Herodis XXVI & XXIII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti* XV.

I. Cum Alexander & Ariſtobulus, in Judæam reverſi, omnium oculos in ſe converterent & amorem ſibi conciliarent; Salome & qui ei favebant, veriti ne, ſi regnarent, matris necem ulciſcerentur; in vulgus ſtudioſè rumores ſparſerunt, de eorum odio erga patrem, ob matris ſupplicium concepto, quò ſenſim patrem iis exacerbarent. At Herodes tunc temporis, nihil ſibi mali ab iis ſuſpicatus, adoleſcentes eodem in honore habuit, & Ariſtobulo quidem Salomes filiam Berenicen, Alexandro verò Glaphyram, Archelai Cappadocum Regis filiam, collocavit.

II. Superiore anno, Auguſtus miſerat in Aſia Agrippam, ut Syriam vicináſque Provincias inſpiceret. Ad eum profectus eſt Herodes, hominémque in regnum ſuum invitavit, ut habet *Joſephus*, Lib. XVI. c. 1. & 2. Obſequutus eſt Agrippa, exquiſitóque adparatu exceptus & circumductus ab Herode, primùm per oppida & caſtella recèns condita, deinde Jeroſolimam adductus. Obviam ei proceſſit totus populus, cum magnis adclamationibus, ingreſſúſque urbem Agrippa, nomine ſuo juſſit Hecatomben Deo offerri, populóque epulum præbuit. Sic & olim, nomine Alexandri, ſacra fecerant Sacerdotes Hebræi, ſi credimus *Joſepho* Lib. XI. c. 8. Imò & Auguſtus, ſi *Philoni* adſentimur, rem narranti, in legatione ad Caium, juſſit ut ex ſuis reditibus compararentur holocauſta, pro ſe quotidie mactanda. Attamen, ſi fidem habemus *Suetonio*, vitæ Auguſti C. XCIII. idem *Caium nepotem, quòd Judæam prætervehens, apud Jeroſolimam, non ſupplicaſſet, collaudavit.* Vereor ne veriora hæc ſint, quàm quæ habet *Philo.*

M. Licinio Craſſo & Cn. Cornelio Lentulo COSS. *Auguſti XXXI. Herodis XXVII & XXIV. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti* XIV.

I. Profectum ante hiemem Agrippam, inſtante vere, ſequutus eſt Herodes Pontum Euxinum versùs; ſed coactus in inſula Chio, propter adverſos Boreæ flatus, commorari, cùm porticum in ea, à Mithridatico bello, dirutam & jacentem vidiſſet, pecuniam quâ inſtauraretur Chiis largitus eſt. Mox Agrippam eſt adſequutus Sinope, à quo amiciſſimè exceptus, particeps fuit conſiliorum ejus, in Boſporo Cimmerio pacando, & multis civitatibus Græcis, ut Ilienſibus & Chiis, Agrippæ favorem, aut veniam impetravit.

II. Cum

1 *Pecuniam in uſum Templi*] Quam non Judææ tantùm incolæ, ſed & totius orbis terrarum Judæi conferebant, ut ſartum tectum ſervaretur Templum, ſumptibúſque

II. Cum verò ſimul in Ioniam veniſſent, ingens multitudo Judæorum ad eos concurrit, nactáque opportunitatem, apud Agrippam, queſta eſt de Græcorum injuriis; qui Judæos legibus ſuis vivere non ſinebant, feſtis diebus in jus ambulare cogebant, [5] pecuniam, in uſum Templi, Jeroſolimam mittere vetabant, atque in alios uſus convertere adigebant, denique munia publica invitis obeunda imponebant. Judæis, è familiaribus ſuis, comitem & patronum dedit *Nicolaum* Damaſcenum, qui eorum cauſam ageret. Quam cùm peroraſſet, præſentibus Regibus aliquot & Dynaſtis, hominibúsque Romanis, qui Agrippæ in Concilio aderant; Græci rem minimè inficiati hoc unum dixerunt, ſibi graves eſſe Judæos inquilinos. At illi ſe & ingenuos cives adprobaverunt & ſine ullius injuria patriis legibus vivere oſtenderunt, quod illis Romani conceſſerant. Pronunciavit ergo Agrippa, propter Herodis amicitiam & rei æquitatem, velle ſe, quæ iis priùs conceſſa fuerant ſingularia jura, rata haberi, nec ullas propterea iis moleſtias creari. Tum Herodes adſurgens gratias ei, omnium Judæorum nomine, egit; poſteáque in inſula Lesbo ab Agrippa digreſſus, paucis pòſt diebus, Cæſaream adpulſus eſt, unde Jeroſolimam petiit. Ibi advocatâ populi concione, peregrinationis ſuæ rationem reddidit, & Judæis Aſiam incolentibus impetratam immunitatem expoſuit. Deinde quò magis benevolentiam ſibi conciliaret, quartam partem ſoliti tributi plebi remiſit; quâ munificentiâ delinita, fauſta omnia Regi comprecata domum diſceſſit. Quæ pluribus expoſita legi poterunt apud *Joſephum*, Ant. Lib. XVI. c. 3, 4, & 5.

Ti. Claudio Nerone, P. Quinctilio Varo COSS. *Auguſti XXXII. Herodis XXVIII & XXV. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram* XIII.

I. Herodes, in ceteris felix, conſanguineorum & liberorum improbitate infeliciſſimus, Salomes & Pheroræ calumniis ita incenſus eſt in Alexandrum & Ariſtobulum filios; ut Antipatrum filium, natu maximum, ſed ex matre plebeia & à privato etiamnum genitum, quem, in eorum gratiam Jeroſolimâ expulerat (feſtis tantùm diebus, in urbem veniendi poteſtate factâ) arctiùs complecti & ad ſucceſſionem regni ſperandam erigere cœperit. Quin & ad Auguſtum ſcribens diligentiùs Antipatrum ei commendavit. Precibus illius poſtremò victus matrem ejus Doridem, genere Jeroſolimitanam, quam Mariamnen ducturus repudiaverat, in Regiam induxit. Antequàm etiam Agrippa Romam reverteretur, ad eum navigavit Herodes, ſecúmque ſolum Antipatrum duxit; quem Agrippæ, cum multis muneribus, Romam abducendum, atque in Cæſaris amicitiam inſinuandum tradidit. Hæc aliáque habet *Joſephus*, Ant. Lib. XVI. c.4. & B. J. Lib. I. c. 17.

M. Vale-

búſque Sacrorum publicorum pecunia ne deeſſet, idque è Lege Moſaïca, qua de re vide *Hug. Grotium* ad Matth. XVII, 24.

M. Valerio Meſſalla Barbato, P. Sulpicio Quirino COSS. *Auguſti XXXIII, Herodis XXIX & XXVI. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti* XII.

I. Agrippa, hoc anno, in Campania mortuus eſt; cui Auguſtus, cùm Cajus & Lucius Cæſares, Agrippæ è Julia filii, ſed ab avo jam adoptati, pueri etiamnum eſſent, Tiberium Privignum, Liviæ filium, invitus ſuffecit; quem etiam coëgit, abdicatâ Agrippinâ uxore, Juliam Agrippæ viduam ducere. Qua de re *Dion*, Lib. LIV. & *Suetonius* in Auguſto & Tiberio.

II. Interea Antipater, Herodis F. Romæ amicis paternis innotuit, litteriſque ejus commendatus acceptiſſimus fuit. Nec abſens licèt fratres ſuos, Mariamnes Haſmonææ filios, litteris ad Patrem criminari deſiit; quâſi de incolumitate ejus anxius, ſed reverâ ut viam ſibi iis artibus ad ſucceſſionem regni muniret; quod adoleſcentibus quidem nocuit, verùm & ipſi tandem malè ceſſit. Vide *Joſephum* Antiq. Lib. XVI. c. 7.

Paulo Fabio Maximo, Q. Ælio Tuberone COSS. *Auguſti XXXIV. Herodis XXX & XXVII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Æram Chriſti* XI.

I. Jam Herodes uſque adeò filiis Alexandro & Ariſtobulo infenſus erat, ut de eorum exitio cogitaret. Cùm tamen in eos animadvertere, inconſulto Auguſto, non auderet; Romam cum iis navigavit, ut juvenes, apud eum & amicos, accuſaret. [1] *Nicolaum* Damaſcenum ſecum eadem navi duxit, in qua unà cum illo Philoſophiæ operam dabat; à qua tamen tyranni animus planè erat alienus. Ideóque, mox omiſſo Philoſophiæ ſtudio (quod principibus viris, ut ait ipſe *Nicolaus*, [2] ob voluptatum varietatem & copiam, quibus eorum animi mutantur, uſu venire ſolet) artem Rhetoricam adamare cœpit, & Nicolaum ſecum ei operam navare coëgit. Rurſus eum percipiendæ Hiſtoriæ cupido inceſſit, cùm rem laudaſſet Nicolaus & ad rectè adminiſtrandam Rempublicam utilem eſſe, conducerégue Regi priorum res geſtas cognoſcere dixiſſet. Igitur eò ſe convertit & Nicolaum hortatus eſt ut Hiſtoriam conſcriberet. [3] Rem, non ſine magno labore, præſtitit vir eruditus, fragmentáque ejus operis, in Collectaneis *Conſtantini* Porphyrogenetæ habemus; ſed melior aut humanior propterea factus non eſt

Rex

1 Ex collect. *Conſtantini* Ed. Valeſianæ p. 421.

2 *Ob voluptatum varietatem* &c.] Verba Græca ſic habent: ὃ φιλεῖ τοῖς ἐν ὑπεροχῇ ὧσι συμβαίνειν διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐξαλλαττόντων αὐτοῖς ἀγαθῶν, ἐπεθύμησε πάλιν ῥητορικῆς &c.

3 *Rem non ſine magno labore* &c.] Καθολικὴν,

Rex Judæorum. Cùm Romæ Auguſtum non inveniſſet, eum Aquileam uſque ſequutus eſt, ubi filios inſidiarum in ſe ſtructarum accuſavit. Filii verò cùm rationibus, precibus, ac lacrimis omnibus, qui in Concilio aderant, ſatisfeciſſent, à Cæſare ſunt cum Patre reconciliati, & unà in Judæam remiſſi. Rediit & Antipater, qui adoleſcentibus ficto ſermone reconciliationem cum Patre gratulabatur. Pluribus rem narravit *Joſephus* Ant. Lib. XVI. c. 7 & 8. unde intelligere eſt Herodi homini Judæo, veri Dei, ut ſe profitebatur, cultori, minorem fuiſſe erga ſuos pietatem, quàm Ethnicis commenticiorum Deorum cultoribus; uſque adeò verum eſt, pravam indolem Religione raròemendari!

II. Herodes verò & filii, antequàm in Judæam redirent, in Ciliciam navigarunt adpulerúntque Eleuſam; quæ, mutato nomine, *Sebaſte* vocabatur; ubi Archelaum Cappadocum Regem offenderunt. Is Herodem perhumaniter excepit, à genero ſuo Alexandro objecta crimina probè refutata vehementer gaviſus. Tum verò, datis & acceptis invicem muneribus, ad ſua digreſſi ſunt. Herodes Jeroſolimam redux, advocato in Templum populo, quid egiſſet in peregrinatione narravit, filiósque poſt ſe regnaturos, primùm Antipatrum, deinde Alexandrum & Ariſtobulum, pronunciavit.

Julio Antonio Africano, Q. Fabio Maximo COSS. Auguſti XXXV. Herodis XXXI & XXVIII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti X.

I. Perfecta eſt Cæſarea, in cujus dedicatione ludos Gymnicos & Muſicos, gladiatores, ac feras, more Græco & Romano, ingentibus ſumtibus, exhibuit Herodes; iique ludi Auguſto ſacri, & ſingulis quinquenniis inſtaurandi, ab eo inſtituti ſunt. Legatos etiam plurium populorum, qui eò miſſi ſunt, propter *beneficia* ab eo accepta, lautè excepit. Quas in res, D talenta abſumſiſſe dicitur. Nec eò ſeciùs, paucis pòſt diebus, oppidum in campo Capharſabæ, quod de patris nomine Antipatrida vocavit & caſtellum, matris nomine inſignitum, Cypron, exſtruere cœpit. Jeroſolimæ etiam turrim pulcherrimam, Pharo Alexandrinâ non minorem, cui nomen Phaſaëlo, in memoriam fratris, impoſitum, ædificavit, condiditque urbem eodem vocabulo, juxta vallem Jerichuntinam, ex qua ager Phaſaëliticus dictus eſt. Hæc *Joſephus*, Lib. Ant. XVI. c. 9. habet.

Nerone

λικὴν, nimirum, ſeu Univerſalem Hiſtoriam, cujus exigua tantùm ſuperſunt fragmenta: πᾶσαν ἀθροίσας τὴν ἱστορίαν μέγαν τε πόνον ὑπόστας, καὶ οἷον ἄλλος, ἐν πολλῷ δὲ χρόνῳ φιλοπονήσας ἐξετέλεσεν αὐτήν, καὶ τὰ ἑξῆς.

Nerone Claudio Druſo Germanico, T. Quinctio Criſpino COSS. Auguſti XXXVI, Herodis XXXIII, & XXX, à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram IX.

I. Asiatici & Cyrenenſes Judæi, hoc anno, legatos Romam miſere; qui apud Auguſtum quererentur, Græcos non pati ſe patriis legibus vivere & immunitate à Romanis ſibi conceſſa uti. Quam in rem Reſcripta à Cæſare impetrarunt, quibus jura eorum confirmavit, quæ Reſcripta habet *Joſephus*, Lib. XVI. c. 10. Antiquiora etiam Senatûs conſulta & decreta profert Lib. XIV. c. 17. ex quibus intelligere licet quanta eſſet Romanorum æquitas; qui ſuæ Religionis contemtores patiebantur æquo jure, cum ceteris, qui ſuo Imperio parebant, frui. Paria certè non feciſſent Judæi, ſi rerum eſſent potiti; nec æquo animo tulerunt Chriſtianos, ab ipſis in levioribus multò diſſentientes, eadem benignitate Magiſtratuum Romanorum frui, quod in Apoſtolicorum temporum Hiſtoria videbimus.

II. Herodes inconſultâ liberalitate, ſumtibusque inutilibus, exhauſtis opibus, Joannis Hyrcani exemplo, de quo *Joſephus*, Lib. XIII. c. 16. inſciâ plebe Davidis ſepulcrum, ſi ei credimus, reſeravit; in quo pecuniam quidem non invenit, ſed multa aurea & pretioſa vaſa, quæ omnia abſtulit; hiſque irritatâ cupiditate, diligentiùs interiora ſcrutaturus, ubi perveniſſet ad conditoria Davidis & Salomonis corporum; flamma, ut aiebant, erumpens duos avari Regis ſatellites occidit, ejúsque aviditatem compeſcuit. Quare ut flagitium expiaret, in ipſo aditu, monumentum ex pretioſo lapide albo pulcherrimum ædificari juſſit. *Joſephus* qui tria millia talentorum hinc ab Hyrcano ablata narraverat, ait *Nicolaum*, in vita Herodis, hoc hominis facinus diſſimulaſſe; quòd non veritatis causâ, ſed ut Herodi vivo gratificaretur, vitam ejus ſcriptis mandaſſet; ſe verò veritatem ſolam ſpectaſſe, nec turpiter ab eo facta tacuiſſe, aut excuſaſſe; quod tamen, per omnia, ab eo factum non eſſe ſatis conſtat. In hoc negotio rectiùs multò ſtatuiſſet, ſi modò verum eſt ſepulcrum Davidis ab Herode umquam violatum, faciliùs defendi, aut condonari hoc ejus factum potuiſſe, quàm civium expilationes; cùm mortuis nihil proſint divitiæ, quæ adjumento & ornamento ſunt vivis; ne dicam miſeris non divitias, ſed quæ vitæ neceſſaria ſunt rapere, ut fit, longè turpius eſſe, quàm inutiles ſepulcrorum theſauros in uſum Reipublicæ convertere. Verùm divitias cum Regibus ſepultas, olim apud Hebræos, ex nullo fide digno auctore conſtat; nec *Joſepho*, hac in re, facilè credendum.

III. Attamen homo ſuperſtitioſus, poſt violatum Regum ſepulcrum

1 *Sive Fortunâ* &c.] Verba *Joſeph.* hæc ſunt: Ἡρώδης δὲ διὰ τὴν ἐπιχείρησιν ἣν ἐποιήσατο τῷ τάφῳ, χεῖρον ἐδόκει πράττειν κατὰ τὴν οἰκίαν· εἴτε δὴ τοῦ μηνίματος ἐπιδόντος εἰς ἃ μάλιστα καὶ πρότερον ἐνόσει, πλείω γενέσθαι πρὸς ἀνηκέστους ἐξελθεῖν συμφοράς· εἴτε καὶ τῆς

crum, ait res domeſticas Herodis in dies deteriùs habuiſſe, ſive irâ Dei, [1] ſive Fortunâ (ſic enim loquitur) in id tempus calamitates conferente; quibus fides facta, ea mala propter eam impietatem, contigiſſe. Calumniæ, diſcordiæ, inſidiæ, cædes, quæ domui Herodis, veluti agminatim incubuere, liberorum, conſanguineorum & ipſius etiam improbitatis ac ſævitiæ neceſſaria conſectaria fuere.

IV. Antipater callidè ſimulans ſe Mariamnæ filiis amicum eſſe, dum eos interdum apud patrem defenderet, eò nocentiùs miſeros, aliis in rebus, calumniabatur; eáque calliditate ita patri fucum faciebat, ut ſolum eum putaret Herodes, cui ſalus ſua curæ eſſet. Quapropter Ptolemæum fidiſſimum procuratorem ſuum Antipatro commendavit, ſi quid ſibi humanitus contingeret, conſilia ſua cum Doride ejus matre communicavit, omniáque ex eorum arbitratu fecit, & odio eos habere cœpit, quos ei inviſos eſſe prava mulier & matre nequior filius ſuâ intereſſe putabant. Ne à liberis tantùm ludibrio haberetur, contigit & Pheroram fratrem, cui maximè fiderat, in amorem ancillæ tam inſanum incidere, ut oblatam ſibi in conjugium Cypron Herodis filiam faſtidiret; quamvis, auctore Ptolemæo, quem diximus, Regi ſe ancillam, intra triginta dies, miſſam facturum & Cypron ducturum promiſiſſet. Idem etiam Alexandro, Herodis filio, dixit ſe habere à Salome ſorore, quod tamen inficiata eſt, Herodem amore Glaphyræ nurûs, Alexandri uxoris, captum eſſe. Quod cùm Rex reſciviſſet, non leviter ei excanduit. *Joſephus*, Lib. XVI. c. 11.

C. Martio Cenſorino & Aſinio Gallo COSS. Auguſti XXXVII. Herodis XXXIII & XXX. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti VIII.

I. Nullus erat finis ſuſpicionibus, ſimultatibus, odiis, calumniis, inſidiiſque in Herodis familia; nec ſatis ipſe ſciebat cui fidem habere, aut cui negare deberet; quod, memorato loco, pluribus tradit *Joſephus*. Inde tormenta ſervis decreta, ſupplicia innocentibus & nocentibus inflicta, confeſſiones extortæ, criminationes veræ & fictæ omnia in Regia miſcuerunt. Jam Alexander, fraudibus Antipatri circumventus, quò ſe verteret neſciebat, & in vincula conjectus mendaciis Patrem ita conturbaverat, ut ei nihil ampliùs jam liqueret. Itaque Archelaus, adoleſcentis ſocer, generi & filiæ causâ anxius, iter Jeroſolimam ſuſcepit, amicéque ab Herode exceptus filium cum Patre, & Pheroram cum fratre reconciliavit. Muneribus regiis donatum non tantùm dimiſit Herodes, ſed & Antiochiam uſque proſequutus eſt, & in priſtinum etiam gratiæ locum, apud M. Titium Syriæ Præſidem, viciſſim reſ-

τῆς Τύχης ἐν ἐκείνοις τὴν ἐπίθεσιν ποιουμένης, ἐν οἷς τὸ κατὰ τὴν αἰτίαν εὔκαιρον, οὐ μικρὰν πίστιν παρεῖχε τοῦ διὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτῷ τὰς συμφορὰς ἀπηντηκέναι.

reſtituit. Cùm verò Herodes Auguſto de iis, quæ in familia ſua contigerant, ſcripſiſſet, Romam ſibi, ex conſilio Archelai, eundum eſſe judicavit; ut Auguſto rem pleniùs exponeret, ſicut habet *Joſephus*, ejusdem Libri c. XII.

II. INTEREA dum abeſſet, Trachonitæ, qui imperium ejus ægrè ferebant, & jam antea res novas moliti fruſtra fuerant, Syllæo Arabe, ad quem confugerant, auctore, non Judæam modò ſed etiam Cœlen Syriam latrociniis infeſtam habebant. Sed mox Româ reverſus, poſtquàm inſtaurati jam Templi dedicationem celebraſſet; ipſo die, quo regnum Judææ olim à Senatu in eum collatum fuerat, quem anniverſariâ ſollemnitate colere ſolebat, Trachonitas adgreſſus eſt; cúmque latrones ipſos comprehendere non potuiſſet, neceſſarios eorum jugulavit; quâ re magis efferati, infeſtioribus latrociniis, vicinitatem omnem depopulati ſunt.

III. HOC anno, cùm alteriùs decennii, quo Auguſtus adminiſtrationem Imperii acceperat, finis inſtaret; ſimulavit iterum deponendæ poteſtatis cupiditatem, quam veluti invitus à Senatu recepit, ut narrat *Dion* Lib. LV.

IV. EODEM etiam anno, Syriæ Præſes fuit C. Sentius Saturninus, & in eadem Provincia Procurator Cæſaris Volumnius, qui auctoritate ſuâ Trachonitas & Arabas ad officium revocare in caſſum conati ſunt.

Ti Claudio Nerone II. C. Calpurnio Piſone COSS. Auguſti XXXVIII. Herodis XXXIV & XXXI. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram VII.

I. HERODES à Sentio & Volumnio, qui Syriæ præerant, petiit ut latrones Trachonitæ ſibi traderentur ad ſupplicium; quo poſtulato exacerbati Trachonitæ non agros tantùm & vicos finium Herodis, ex Arabia Nabatæa prorumpentes, populati ſunt, ſed & omnes Herodi parentes, qui in manus ſuas incidebant, trucidare cœperunt. A Syllæo ergo Arabe, qui iis favebat, LX. talenta, quæ, eo internuncio, Obodæ Arabum Regi commodaverat, repetiit. Syllæus, qui, deturbato Obode, rerum ſummæ præerat, negavit latrones illos in Arabia eſſe, déque pecunia, apud Præſides Syriæ, diſceptavit. Sed ab iis juſſus eſt pecuniam intra XXX dies reſtituere, & perfugas Herodi tradere, qui & ipſi viciſſim perfugas redditurum ſe ſpopondit. At Arabes quidem nulli, apud Herodem, inventi; Syllæus verò receptorum eſt latronum convictus; quos tamen non tradidit, uti nec pecuniam, tempore præſtituto, numeravit. Ergo, conſentientibus Syriæ præſidibus, Herodes jus ſuum armis perſequutus, Arabicum caſtellum, in quod ſe latrones recipiebant, cepit & ſolo æquavit, déque Arabibus victoriam retulit. Hæc *Joſephus*, aliáque huc pertinentia, habet Lib. XVI. c. 13 & 14.

D. Lælio

D. Lælio Balbo, C. Antiſtio Vetere COSS. *Auguſti XXXIX. Herodis XXXV & XXXII. à capta Jeroſolima, ante Vulgarem Chriſti Æram* VI.

I. Dum hæc in Arabia gererentur, Syllæus Romæ agebat; ubi cùm accepiſſet victorias Herodis, hominem apud Auguſtum accuſavit, qui ejus injuſſu regnum Arabiæ armis ſubegiſſet. Qua de cauſa, minaces litteras Auguſtus ad Herodem dedit, in quibus cùm alia dura, tum hoc quoque erat, *ſe poſthac Herode non amico, ſed obnoxio uſurum*; legatóſque ad rem purgandam miſſos ne audire quidem voluit, iterúmque idem petentes, re infectâ, dimiſit. Interea Trachonitæ Idumæos, quos ad cuſtodiendam Trachonitidem reliquerat Herodes, malè ſubinde vexabant; quod Herodes, Cæſaris iram metuens, diſſimulare cogebatur. Hoc tempore, mortuus Obodes, cui ſucceſſit Æneas, cui nomen Aretæ impoſitum eſt; & quem, quia, inconſulto Auguſto, diadema ſumſerat, Syllæus Romæ accuſavit; multâ pecuniâ amicis Cæſaris divisâ, & majore ei promiſsâ, ſi Rex ipſe ſalutaretur.

II. Paullo pòſt adfuere Aretæ legati, cum muneribus, & litteris, in quibus Syllæum multorum flagitiorum accuſabat; ſed legatorum orationem ne ad aures quidem admiſit Cæſar. Mox advenit & Nicolaus, ab Herode miſſus, qui ſe ſe iis ad accuſandum Syllæum adjunxit; diſſimulato conſilio defendendi Herodis, ne aditus ſibi negaretur. Is cùm multa Syllæi ſcelera aperuiſſet, hoc quoque addidit, Herodem ejus mendaciis, apud Cæſarem, fuiſſe circumventum; quod ita probavit, ut Syllæus damnatus in provinciam remiſſus fuerit, ut poſtquàm æs alienum diſſolviſſet, pœnas daret. Dein Aretæ munera accepta, regnúmque Arabiæ ei conceſſum.

III. Herodem etiam in amicitiam recepit Cæſar, & quia antea ad ſe, de filiorum inſidiis, ſcripſerat, ei auctor fuit ut, convocato Berytum concilio, unà cum Archelao Rege, & Syriæ Præſidibus, quid factu opus eſſet decerneret. Concilio non adfuit Archelaus, ſed Saturninus cum filiis tribus, quos in Provincia legatos habebat, & Volumnio. Auditæ Herodis querelæ, qui ex tortis Alexandri & Ariſtobuli amicis, & in ipſis tormentis interfectis, nihil exculpere potuerat, præter inconſultos juvenum de credulitate Patris, calumniis quibusvis aurem præbentis, querentium ſermones; tum conſilia de fuga ad Archelaum capeſſenda, quæ nec ipſi negabant. Saturninus improbavit quidem verba & conſilia Alexandri & Ariſtobuli, ſed occidendos negavit. At Volumnius in eos mortis ſententiam tulit, quam ceteri ſequuti ſunt. Nec multo pòſt, cùm milites nonnulli Herodis auſi eſſent id conſilium reprehendere, occiſi ſunt, & mox Herodis filiis Sebaſten abductis fracta laqueo gula. Rei circumſtantias ſuppeditabit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVI, c. 15, & 16.

IV. Hoc eodem anno, Cæſaris ipſius domus turbata eſt, ſuperbiâ nepotum C. & L. Cæſarum; ad quam frangendam Auguſtus Tiberio Tribunitiam Poteſtatem in quinquennium conceſſit, & Armeniam Provinciam, quæ defecerat, adtribuit. Nec tamen eò proficiſci auſus Tiberius, quòd iram adoleſcentium metueret; ſed Rhodum conceſſit, ubi privatus vixit. Quæ copioſiùs tradiderunt *Suetonius* & *Dion* in vita Tiberii, nos pluribus non adtingemus.

V. Multo magis noſtrâ intereſt ſcire, hoc anno, Zachariæ Sacerdoti, in Sacrario Jeroſolimitano ſuffitum offerenti conſpicuum factum eſſe Angelum Gabrielem; qui homini ſeni, cujus uxor etiam provectâ ætate erat, & ſine ulla ſpe liberorum, promiſit fore ut naſceretur filius; cui nomen *Joanni*, hoc eſt, *à Deo conceſſo*, imponi juſſit. Ea verba adjecit, ex quibus intelligere poſſet Zacharias filio ſuo eximium munus à Deo mandatum iri; quæ habentur apud Lucam I, 11. & ſeqq. Cùm verò ſenectutem ſuam & uxoris reputaret Zacharias, à Gabriele ſignum præſens petiit, ex quo rem futuram intelligeret. Ibi Angelus hominem leniter caſtigatum, quòd ſibi fidem non haberet, mutum ac ſurdum fore ab ea hora dixit, ad id uſque tempus, quo uxor ejus Elizabetha peperiſſet. Egreſſus è Sacrario Zacharias ſe mutum ac ſurdum ſenſit, nec quidquam populo quærenti quid ſibi contigiſſet reponere potuit. Tum exactâ hebdomade, domum rediit; nec multò pòſt gravida facta eſt Elizabetha, quæ tamen nemini, per priores quinque menſes, rem patefecit.

VI. Hoc quoque anno, Sentio Saturnino ſucceſſit Quinctilius Varus in Syriæ adminiſtratione, [1] ut ex antiquis nnmmis conſtat. A priore quidem factum Cenſum, de quo poſtea dicemus, adfirmat obiter *Tertullianus*, contra Marcionem Lib. IV. c. 19. ſed parum adcurato ſcriptori facilè fides haberi nequit, niſi aliæ accedant rationes.

Auguſto Cæſare XII. L. Cornelio Sullâ COSS. Auguſti XL. Herodis XXXVI & XXXIII. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti V.

I. Sexto poſt conceptum Joannem menſe, Angelus Gabriel Nazaretham miſſus eſt ad Virginem, cui Mariæ nomen erat, deſponſam Josepho, viro pauperi quidem, ſed tamen ex proſapia Davidis Regis oriundo; ut ei nunciaret eam illico gravidam factum iri, & exactis menſibus, filium parituram; cui juſſit imponi nomen Jesu, quod Servatorem ſignificat. Adjecit fore eum magnum virum, filium

1 *Ut ex antiquis nummis conſtat*] Eos profert *Anton. Pagius* Adparatûs Chronologici ad Annales *Baronii* §. CXXXVI. in quorum poſtica parte leguntur hæc: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, additis numeralibus litteris ΕΚ, hoc eſt, XXV (quibus ſignificantur anni Imp. Auguſti in Syria, poſt devictum Antonium, qui anni cœperant labi ab Autumno anni U. C. DCCXXIII.) qui in hunc annum incidit. Putat tamen vir

filium Dei vocatum iri & regnaturum, non minùs ac Davidem, regnóque ejus finem nullum futurum. Virgo verò ſe non capere reſpondit, quî è veſtigio gravida fieri poſſet, cùm etiamnum virgo eſſet. Verùm Angelus eam docuit divinâ potentiâ, ſine viri concubitu, factum hoc iri; quamobrem fore ut, qui rem reſciſcerent, ſanctiſſimam ejus prolem, Dei Filium vocarent; néve dubitaret an res futura eſſet, addidit Elizabetham ejus conſobrinam, cui nulla erat ſpes prolis, jam à ſex menſibus uterum gerere. Nec pia Virgo quin vera diceret dubitavit, cúmque mox conſobrinam inviſiſſet, rem ita eſſe comperit. Commota eſt, eâ conſpectâ, Elizabetha, intellexitque Spiritûs Sancti adflatu Meſſiâ gravidam eſſe Mariam; quæ & ipſa in laudes Dei erupit. Quæ habemus apud Lucam Cap. I, 26 & ſeqq.

II. Interea Regia Herodis iiſdem malis, quibus antea, laborabat. Antipater, ſublatis fratribus, cùm ſe non dubium regni heredem putaret, patris longiorem vitam ægrè ferebat; ne fortè tandem, ſi diutiùs viveret, aliquà erumperent doli, quibus fratres perdiderat; præſertim cùm ſe militibus & populo inviſum eſſe ſciret. Itaque amicos ſibi conciliare conabatur, Pherorámque, Regis fratrem, & Salomen muneribus maximis adgreſſus eſt. Sed Pheroras non multò pòſt obiit, veneno à Doride, Antipatri matre, ſublatus; Salome verò, quæ ſolâ fratris amicitiâ nitebatur, & Antipatri fraudes norat, adduci non potuit, ut ei faveret. Attamen prava mulier, Syllæi Arabis amore capta, vehementer ei nubere cupiebat; ſed auctoritate fratris Herodis, Alexæ cuidam collocata eſt, quam in rem uſus etiam eſt Liviæ, Auguſti uxoris, precibus, quibus rem negare non auſa eſt Salome.

III. Occisis Mariamnæ Haſmonææ filiis, viduam Alexandri Glaphyram, quæ duos ei filios pepererat, ad patrem Archelaum, reſtitutâ dote, remiſit Herodes. At ejus filios diligenter educari curavit, ut & liberos Berenices, Ariſtobuli viduæ, quæ tres filios, & duas puellas enixa erat. Jam Herodes de nepotum ſuorum & conſanguineorum conjugiis quid fieri, ſi adoleviſſent, conſultum eſſet, deliberabat, & quædam etiam ſtatuerat; ſed Antipatri artibus & morte ipſius Herodis, poſtea mutata ſunt. Habebat autem Herodes, eo tempore, novem uxores ſimul; una erat Doris, Antipatri mater; altera Mariamne, Simonis Pontif. Maximi filia, ex qua filium ſibi cognominem habuit; tertia fratris filia, & quarta conſobrina, quæ ambæ ſteriles fuere; quinta Malthace Samaritis, è qua Antipam, Archelaum & filiam Olympiadem ſuſcepit, quam poſtea duxit Regis fratruelis Joſephus. Antipas & Archelaus Romæ, apud privatum, Regis amicum, educabantur. Sexta fuit Cleopatra Jeroſolomitana, quæ peperit Herodem &

vir eruditus hoc anno nondum in Syriam præfuerit. Sed quod obiter à *Tertulliano* dictum non tanti fecerim, ut quidquam ex eo collegerim. iviſſe Quinctilium, quòd Saturninus, auctore *Tertulliano*, Cenſui qui factus eſt in Judæa, tempore quo natus eſt *Chriſtus*,

& Philippum, qui Romam etiam miſſi fuerant; ſeptima Pallas quædam, quæ Phaſaëlum filium habuit; octava Phædra, è qua Roxanen; nona Elpis, è qua Salomen genuit. Mariamnes Haſmonææ majorem natu filiam Pheroræ fratri fruſtra collocare voluit; at minorem natu Antipatro, ſororis filio, nuptui dedit. Atque hæc quidem fuit progenies Herodis, quâ imperium in ejus familia in perpetuum firmari potuit; niſi ſcelera patris & proſapiæ perniciem ipſis, non ſine Dei & hominum ira, brevi contraxiſſent. Exemplum hoc inſigne fuit, in quo veluti in tabula pictas videre licuit, hinc Improbitatem, ſine modo & fine graſſantem: illinc Ultionem Divinam, improborum exitio, quàm meliùs fuiſſet Virtutem colere, liquidò oſtendentem.

IV. Fuit, hiſce temporibus, Phariſæorum, quorum multi Herodi ſacramentum dicere numquam voluerant, conſpiratio retecta; quam capitum cæde reſtinxit. Prædixerant, quaſi rem à Deo acceptam, fore ut regnum ab Herodis familia in Pheroram ejúsque poſteros transferretur, quia Pheroræ uxor iis favebat. Sed fictas prædictiones eventus confutavit, nec eſſe ejuſmodi factioſis vaticiniis credendum oſtendit.

V. Antipater, ut à ſe omnem ſuſpicionem averteret, per amicos Romæ agentes, effecit ut ab Auguſto Romam vocaretur; quò Rex eum, cum pretioſiſſimis muneribus, miſit & teſtamento, quo regni heredem, &, ſi fortè prior vitâ decederet, Herodem, Mariamnes Simonis filiæ prolem, ſcribebat. Interea dum Herodes tormentis inquireret in auctores mortis Pheroræ, inſidias ſibi ab Antipatro ſtrui cognovit. Lethale enim venenum miſſum ex Ægypto à Theudione, Doridis fratre, ad patrem necandum, Antipater Romam proficiſcens Pheroræ tradiderat, ne parricidii ſuſpicio in abſente hæreret. Quibus intellectis, Herodes Doridem, muneribus, quibus eam cumulaverat, ſpoliatam è Regia ejecit, ſimúlque Mariamnen arcanorum ejus participem, & earum filios è teſtamenti tabulis delevit. Simoni quoque ſocero, Pontificatu dejecto, Matthiam, Theophili F. ſuffecit. Inter hæc Bathyllus, Antipatri libertus, Româ redux, comprehenſus & tortus, faſſus eſt adlatum à ſe venenum; quod Doridi & Pheroræ daret, & quo, ſi prius minùs efficax fuiſſet, Herodem adgrederentur. Venerunt & litteræ Româ ab amicis miſſæ, inſtinctu Antipatri, quibus inſimulabantur Archelaus & Philippus; quaſi cædem Alexandri, & Ariſtobuli miſerarentur, patrémque damnarent. His Antipater adjunxerat litteras, quibus, quaſi excuſaturus adoleſcentes, rem inconſultæ ætati adſignabat; quâ tamen ratione, Patrem minimè placatum iri probè

1 *Vir mitis ingenii*] Sic interpretatur *Chryſoſtomus* vocem δίκαιος, χρηστὸς καὶ ἐπιεικής. Vide & *Hug. Grotium* & *H. Hammondum* ad hunc locum, apud quos rationes plerumque invenientur ſententiæ, quam locis N. T. tribuimus. Adde & *Harmoniam* noſtram *Evangelicam*, quam partim exſcripſimus. Quod ſemel hîc monemus.

2 *Domum ducere*] Exiſtimat *Chryſoſtomus* hîc παραλαβεῖν γυναῖκα, perinde eſſe *ac domi retinere*, ἔνδον κατέχειν, quia eam jam domi habebat, ſi ei credimus, quòd eſſet mos

bè norat. Hæc & ſuperiora *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVII. c. 1. & ſex ſequentibus, copioſiùs narrat.

VI. Ut à conſceleratæ familiæ facinoribus aliquantisper oculos avertamus, ad alia deveniendum. Hoc ergo anno, ſed quo menſe minimè conſtat, tempore ſuo Elizabetha, Zachariæ uxor, filium peperit; quem de nomine Patris, cùm octavo die circumcideretur, vocari conſanguinei volebant, at parentes Joannem adpellandum ſignificarunt. Quo facto, Zacharias aurium & vocis uſum recuperavit, canticúmque Deo cecinit; quod habemus Luc. I, 57. & ſeqq.

VII. Non multò pòſt Joſephus deprehendit Mariam, ſponſam ſuam, gravidam eſſe; quamobrem, [1] vir mitis ingenii, ne infamaretur, clam dimittendam cenſuit. Sed cùm hoc conſilium animo agitaret, per quietem monitus eſt ab Angelo, Mariam, non ex viri concubitu, ſed Spiritûs Sancti efficientiâ gravidam eſſe factam & parituram filium; cui nomen futurum eſſet Jesu, quippe populum ſuum à peccatis ſervaturo. Qua de cauſa, eam [2] domum ducere jubebatur. Quæ legimus apud Matthæum Cap. I, 18. & ſeqq.

VIII. Eodem tempore, Auguſtus cupiens ſcire quæ vires eſſent Imperii Romani, omnium non tantùm in Provinciis Romanis habitantium, ſed etiam in regnis amicorum Regum, nomina & familiam, ut in Cenſibus Romanis fieri ſolebat, deſcribi juſſit & Romam mitti; unde poſtea confectus ab eo eſt liber, quo opes publicæ continebantur, quantum civium, ſociorúmque in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, ut loquitur *Tacitus* Annal. Lib. I. c. 11. Sed tributa ac vectigalia pertinebant ad Provincias Romanas, non ad amica regna, quale erat Herodis, quæ nihil Populo Romano pendebant. Ut autem commodiùs hæc deſcriptio fieret, juſſi ſunt omnes ad ea oppida ſe conferre, unde originem ducebant; quemadmodum in Cenſibus Romanis, [3] in quibus unusquiſque in patria ſua cenſebatur. Hæc autem recenſio *facta eſt, priùs quàm Q. Sulpicius Quirinus Syriæ præeſſet*, ut loquitur Lucas Evangelii Cap. II, 1. ſic enim vertenda ſunt verba hæc: *πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίȣ*, quod decennio pòſt, ut ſuo loco dicemus, contigit.

IX. Ea de cauſa, Joſephus, cujus familia Bethlehemenſis erat, ſe, unà cum uxore, Bethlehemum contulit; ubi peperit Maria, cúmque in diverſorio, hoſpitibus referto, commodior nullus eſſet locus, infantem in præſepi reclinavit; quæ narrantur à Luca II, 4, 5. & Matth. I, 25.

mos Veteribus plerumque deſponſas domi habere. Cujus rei certa argumenta dum viderim, adſenſum ſuſtinebo.

3 *In quibus unusquiſque in patria ſua cenſebatur*] Vide locum *Livii*, in additamentis ad *Hammondum* adlatum. Non fuit tamen hic Cenſus, qui Judæâ demum in provinciæ formam redactâ factus eſt, anno Chr. VII. ex Æra Vulgari, ut ad eum annum dicemus. Fuit recenſio, unde vires ſociorum collegit, ut à viris doctis dudum animadverſum eſt.

I, 25. II, 1, 5. De Menſe & die non conſtat, ut in Diſſertatione I. Harmoniæ Evangelicæ ſubjecta, oſtendimus.

C. Calviſio Sabino II. L. Paſſieno Rufo COSS. Auguſti XLI. Herodis XXXVII & XXXIV. à capta Jeroſolima, ante Æram Vulgarem Chriſti IV. *ætatis ejus* I.

I. Hinc primum veræ Chriſti ætatis annum numeramus, à Menſe Januario anni Juliani, quod & in Æræ Vulgaris calculo fieri ſolet, quia ſub finem antecedentis anni natus videtur; neglectis ceteroqui paucis fortè aut Menſibus, aut Diebus, quorum ignotus eſt numerus. Octavo à die natali, Judæorum more, aut anno antecedente, aut hoc circumciſus fuit. Paullò pòſt ex Arabia ſapientes quidam viri, ex eorum genere, qui Magi vocabantur, cum ſumma omnium admiratione, Jeroſolimam venerunt, quæſituri ubi eſſet nuper natus Rex Judæorum; aiebant enim à ſe in Arabia conſpectam eſſe inuſitatam ſtellam, ex qua intellexerant natum eſſe Regem Judæorum, dignum cui ſummi honores à ſe ſe deferrentur; qua de cauſa, eum adoraturi venerant. Quod cùm audiſſet Herodes, timere cœpit, ne ſeditionis ſemina hiſce rumoribus ſpargerentur; nec minùs Jeroſolimitani omnes, Magorum oratione, commoti ſunt. Itaque Rex eos, qui Pontificibus Maximis oriundi, aut ipſi id munus geſſerant, vel ſacerdotalium claſſium principes erant & Synedros quoſque eruditionis famâ celebres, convocat, ſciſcitatúrque quo loco Judææ, ex vaticiniis Prophetarum, Meſſiam naſci oporteret. Reſpondent verò, Meſſiam alibi non poſſe naſci, niſi Bethlehemi; ſic enim prædictum à Michæa Propheta, qui Bethlehemum, tribûs Judæ oppidum, ſpernendum eſſe negaverat; cùm ex eo oriturus eſſet Rex, populo Judæo imperaturus.

II. His auditis, Herodes clam ad ſe vocat Magos, ne fortè quod animo agitabat Judæis innoteſceret, & diligenter ab iis quærit tempus à quo exorta erat ſtella, de qua loquebantur, atque ex qua intellexerant fore ut Rex, apud Judæos, naſceretur; quò eum, ſine tumultu, in ipſis incunabulis exſtingueret, qui ſeditioni occaſionem ſuppeditare poſſet. Quod illi, mali nihil ſuſpicati, cùm dixiſſent, dimittit homines Bethlehemum, juſſos omnem diligentiam adhibere, ut puerum illum, cui ſtella regnum Judæorum portenderat, inveſtigarent; ſe enim inventum adoraturum etiam eſſe dictitabat. Certiorem ſe facturos polliciti & à Rege dimiſſi rectà Bethlehemum ſe conferunt, & cùm in itinere eſſent, ecce verò idem illud ſidus, ſeu meteorum ignitum, quod viderant, cœpit iis illucere, & in locum, in quo erat Jeſus, præire. Quod conſpicati, non ſine magna lætitia, ducem æthereum ſequuntur, ingreſſique domum, ſupra quam ignis cœleſtis ſteterat, infantem, cum

Maria

Maria matre, invenerunt; quem procumbentes adorarunt, muneribúsque, quæ adtulerant, auro, thure & myrrhâ, donarunt. Deinde cùm eſſent ad Herodem reverſuri, ut puerum à ſe inventum ſignificarent, in ſomnis divinitus moniti ſunt, ne Jeroſolimam ad Regem redirent. Quare ne fortè ex itinere retraherentur, non eadem viâ, quâ venerant, in patriam confeſtim reverſi ſunt. Hæc Matthæus II, 1. & ſeqq.

III. Eodem tempore, exacti erant quadraginta dies, quibus puerpera ſacris lege arcebatur; quapropter, abeuntibus Magis in Arabiam, Joſephus & Maria unà Jeroſolimam iverunt, ut puerulum illic coram Deo ſiſterent, ſolitóque quinque ſiclorum pretio redimerent; ex Hebræorum enim Lege, omnes maſculi primogeniti Deo ſacri habebantur, adeóque pretio Lege conſtituto redimendi erant. Eadem Lege, pauperioribus puerperis, par turturum, aut columbarum, purgationis causâ, offerendum impoſitum erat; quod etiam à Maria ritè eſt oblatum.

IV. Erat tunc temporis Jeroſolimæ Symeon quidam, vir religioſus ac ſanctis moribus, qui Meſſiæ adventum exſpectabat, & prophetico Spiritu interdum adflabatur. Is à Spiritu Sancto acceperat ſe eò uſque vitam producturum, donec Regem illum, mittendum ad liberandos Judæos, vidiſſet. Itaque, Spiritûs Sancti impulſu, ſe contulit in Templum, eodem tempore, quo Joſephus & Maria puerulum oblatum ibant; eóque ulnis excepto, Deo clarâ voce gratias egit, quòd ſibi conſpiciendum eum, per quem populos omnes eſſet ſervaturus, exhibuiſſet. Joſephus verò, & Maria mirabantur, quæ ſibi de Jeſu prædicebantur. At Symeon iis bene precatus & defixis in pueri matrem oculis: *hic*, inquit, [1] *multos Judæos ad ſanctiorem vitam adducet; dum alii, eo fruſtra audito, deteriores fient; multi enim ei credent, multi vehementer adverſabuntur; atque hinc intelligere licebit, quinam, religione minimè fucatâ, Deum antea coluerint, quinam verò pietatem ſimularint; nam ab hiſce repudiabitur filius tuus, dum illi eum libentiſſimè excipient. Quo in conflictu diſſentientium Judæorum, patietur, quæ haud minorem dolorem tibi creabunt, quàm ſi gladio ipſa tranſadigereris.*

V. Vivebat etiam eodem tempore Jeroſolimæ Anna quædam, Phanuëlis filia, ex Aſeritica tribu, quæ mulier à Deo interdum adflata vaticinabatur. Ea erat octoginta annos nata, & jam à multis annis vidua; quippe quæ per ſeptennium dumtaxat nupta cum viro, cui fuerat virgo collocata, vixerat, nec ſecundas nuptias umquam ambiverat. Frequens verſabatur in Templo, jejuniiſque crebris ac precibus religioſiſſimè Deum colebat. Hæc ergo cùm eadem horâ in Templo eſſet, divino adflatu intellexit puerum Jeſum eſſe exſpectatum illum liberatorem Iſraëlitarum, narrabátque eum à ſe conſpectum piis omnibus

1 *Multos Judæos, ad ſanctiorem vitam* &c.] Vide notata in Addit. *Hammondi*, ad Lucæ Cap. III, 35.

bus Jeroſolimitanis, qui Meſſiam exſpectabant; [2] videntur enim fuiſſe homines aliter ſentientes, è Sadducæorum genere, qui poſtea *Herodiani* dicti ſunt, eò quòd Herodem, qui tum regnabat, Meſſiam eſſe promiſſum crederent, aut certè dictitarent. Hæc debemus Lucæ Cap. II, 22. & ſeqq.

VI. Interea dum abirent Magi, Joſephúſque, cum Maria, Jeroſolimæ eſſet, ſibi in ſomnis viſus eſt audire Angeli Dei vocem, ſe jubentem cum puerulo ejúſque matre in Ægyptum, quæ à Cleopatræ morte erat Provincia Romana, fugere, & manere illic, donec divinitus in Judæam revocaretur; quia Herodes mox erat Jeſum quæſiturus, ut eum occideret, ne fortè poſteris ejus regnum eriperet. Excitatus Joſephus, ſine mora, cum Maria, ejúſque filio, in Ægyptum ire contendit, ubi ad interitum uſque Herodis manſit.

VII. Cum verò Herodes per aliquot dies Magorum reditum Bethlehemo, ſex dumtaxat paſſuum millibus Jeroſolimâ diſtante, fruſtra exſpectaſſet; tandem ab iis ſibi verba eſſe data ſenſit, quod homo iracundus ægerrimè tulit. Suſpicatus etiam eum puerum à Judæis occultari, & veritus ne quis ex rumore ſparſo, de Rege Judæorum nuper nato, occaſionem rerum novarum adriperet; immiſſis militibus, occidit omnes pueros Bethlehemitas, qui à biennio nati erant; ne is elaberetur, cui Magi regnum Judææ portendi dixerant. Adcuratè enim exquiſiverat tempus, à quo ſtella orta erat; ex quo natum oportere eſſe puerum, quicumque eſſet, intra proximè elapſum biennium colligebat. Hoc Matthæus Cap. II, 13. & ſeqq. cui ſimilia haberet *Joſephus*, niſi homo Judæus, ex odio Chriſtianæ Religionis, hæc datâ operâ reticuiſſet, quæ vix ei ignota eſſe poterant; nam ceteroqui ſcelera & immania facta Herodis diſſimulare non ſolet.

VIII. Cum Româ litteras ab Antipatro accepiſſet, quibus filius ſignificabat ſe, confectis ex animi ſententia negotiis, brevi in Judæam rediturum; Herodes, diſſimulatâ irâ, reſpondit feſtinaret reverti, ne quid ſibi quod nollet, eo abſente, contingeret. Operam enim dederat Rex, per ſeptem poſtremos menſes, quibus Antipater Romæ fuerat, ne quid eorum, quæ in Judæa gerebantur, audiret. Attamen, iiſdem litteris, leniter de matre Antipatri querebatur; cui tamen ſe condonaturum, poſtquàm rediiſſet filius, promittebat. Jam ex Italia profectus erat Antipater, Celenderínque Ciliciæ oppidum pervenerat, cùm has accepit litteras. Alias priùs acceperat Tarenti, è quibus Pheroræ mortem intellexerat; quâ indoluerat, non amore Pheroræ, ſed quia ejus opera in tollendo Herode nullius uſûs ſibi fuerat. Dubitavit, lectis Herodis litteris, an Celenderi progredi ulteriùs è re ſua eſſet, verùm,

2 *Videntur enim fuiſſe homines aliter ſentientes*] Indicare hoc videtur Evangeliſta, his verbis, Luc. II, 38. *loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant redemtionem Iſraël*, vix enim ita eſſet loquutus, ſi nulli fuiſſent, qui eam Liberationem non exſpectaſ-

rùm, ab amicorum nonnullis perſuaſus, navigare perrexit, breviquc Cæſaream adpulit; unde à nemine, præter morem, ſalutatus Jeroſolimam ivit.

IX. Forte in urbe erat Quinctilius Varus, Syriæ Præſes, qui ad conſilium ab Herode adhibitus eſt. Sedentibus ſupervenit Antipater, omnium inſcius, ſolúsque admiſſus; excluſis, qui eum comitabantur, amicis; à complexu patris, quem petiit, eſt repulſus; patre ei fratricidium admiſſum & parricidium tentatum illico exprobrante, judicémque Varum ferente. Poſtero die, in conſeſſum adductus reus audivit patrem accuſationem exorſum, tum Nicolaum, qui rem penitus norat, reliqua perſequentem. Cúmque nihil eorum, quæ dicebantur, confutare potuiſſet Antipater; Varus juſſit proferri venenum, quod ille ad patrem de medio tollendum miſerat. Hauriendum datum homini, capitis damnato, eum è veſtigio necavit. Tum Varus ſurrexit è concilio & poſtero die Antiochiam profectus eſt. Herodes verò Antipatrum in vincula conjecit, totámque rem ad Auguſtum perſcripſit; additis nunciis, qui facinoroſam Antipatri vitam narrarent, & alias interceptas litteras, ex quibus manifeſta fiebant ejus ſcelera, traderent. Hæc aliáque pluribus narravit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVII. c. 7.

X. Dum Romam miſſi properant, Herodes in morbum incidit, novúmque condidit teſtamentum; in quo, etiamnum exaſperatus in Archelaum & Philippum, ſucceſſorem relinquebat Herodem Antipam filiorum natu minimum. Sparſo de morbo Regis, eóque immedicabili, rumore, Judas & Matthias, Legis Interpretes, auctores fuere diſcipulis aliquot ſuis, ut auream aquilam, quam Herodes maximæ Templi portæ impoſuerat, dejicerent; quod claro meridie factum eſt. Herodis tamen præfectus, cum militibus adcurrens, quadraginta adoleſcentes, cum duobus Magiſtris, corripuit; quos rem defendentes, quaſi ſacrilegos, vivos comburi Rex juſſit. Pontificatu etiam dejecit alterum Matthiam, quem facinoris conſcium fuiſſe ſuſpicabatur, & Joazarum, fratrem uxoris Mariamnes, Simonis Pontificis filiæ, ei ſuffecit.

XI. Desperata deinde ſalute, & circiter LXX annos natus, prorſus efferatus eſt, ac per omnia iræ & indolis ſuæ amarulentiæ indulſit; cùm præſertim reputaret, ſe à Judæa gente ſperni & odio haberi, ita ut calamitatibus ipſius gauderet. Ingraveſcebat interea morbus, lento enim igne torrebatur, quem intra viſcera majorem ſentiebat, quàm externo tactu deprehendi poterat. Accedebat cibi nimia adpetentia, cui obtemperare neceſſe habebat. Simul vexabatur inteſtinorum exulceratione & colicis doloribus. Pedes phlegmate tumidi erant & pellucebant. [3] Simili incommodo in imo ventre laborabat, & putredo

pectaſſent. Tales autem videntur fuiſſe *Herodiani*, de quibus Matth. XVI, 6. coll. cum Marc. VIII, 5. & Matth. XXII, 16.

3 *Simili incommodo in imo ventre*] περὶ τὸ ἦτρον, quod non eſt propriè *inguen*, ut habet *Sig. Gelenius* in Verſione Joſ. Lib. XVII,

tredo etiam verendorum, è quibus vermes erumpebant, accedebat. Orthopnœâ adflictabatur, cùm fœtente, tum frequentiore halitu incommoda. Diſtendebantur omnia membra, eáque tenſione vires habebat, quibus reſiſti non poterat. Itaque, ut habet *Joſephus*, qui hæc Lib. XVII. c. 8. narrat, quicumque divinum adflatum & prædicendi facultatem præ ſe ferebant, Numen impietatis ab eo pœnas repetere dictitabant. Verùm, eam in rem, vaticinandi facultate minimè opus erat. Ad vermes quod adtinet, [4] non ex putredine, ſed ex veſica erumpebant; ſeu in ea nati eſſent, ſeu ex inteſtinis, quorum dolore angebatur, per meatum quemdam, vi morbi apertum, eò eſſent, quod ſæpiùs contigit, delati.

XII. Quamvis verò gravior eſſet morbus, quàm ut eum ferret; ſperabat tamen interdum ſe poſſe, arte medicorum, medicamentorúmque quæ præſcribebant, & quorum nullum averſabatur, uſu convaleſcere. Profectus ergo ultra Jordanem, calidis aquis Callirhoës ſe fovit. Immiſſus poſtea in vas oleo plenum, ex conſilio medicorum, viſus eſt animam agere; ſed comploratione familiarium excitatus, cùm ſpem omnem abjeciſſet, quinquaginta drachmas viritim militibus juſſit dividi, multáque ducibus & amicis largitus, Jerichuntem reverſus eſt. Atrâ bile deinde & crudelitate inſitâ exagitatus, convocavit ad ſe primores quoſque, è tota Judæorum gente, viros; pœnâ capitis non venientibus propoſitâ. Qui cùm conveniſſent, omnes ſunt Hippodromo concluſi; ut, Herode mortuo, ab Alexa & Salome, ſic enim juſſit, interficerentur; ne ob ejus mortem poſſent lætari Judæi, útque, vel inviti, lacrimis eam proſequerentur.

XIII. Adlatæ ſunt, inter hæc, litteræ eorum, quos Romam miſerat; quibus ſignificabant cùm alia, tum etiam Auguſtum ei ſupplicii de Antipatro ſumendi arbitrium relinquere. His auditis, paullulùm recreatus eſt Herodes, ſed mox repetitus gravi dolore, nec minùs tamen cibi adpetens pomum & cultellum, ut id purgaret, popoſcit; quo cultello cùm ſe ferire vellet, Achiabus nepos ictum antevertens, clamore ſublato, dextram ejus cohibuit, ſimúlque luctum ac trepidationem in regia, quaſi Rege animam agente, excitavit. Strepitum ſenſit Antipater, qui illic captivus ſervabatur, conatúſque eſt cuſtodem promiſſis corrumpere, ut ſe dimitteret. At cuſtos rem Herodi renunciavit, qui, quamvis morti proximus, exclamavit; cúmque in cubitum ſe ſe erexiſſet, accitum ſatellitem, ſine mora, Antipatrum occidere, & clam in Hyrcanio ſepelire juſſit. Tum mutatâ voluntate, mutavit etiam teſtamentum; Herodem enim Antipam, quem prioribus tabulis

XVII, c. 8. neque *ventriculus*, ut vertit *Henr. Valeſius* Euſeb. E. H. Lib. I. c. 8. ſed ſpatium inter umbilicum & pubem, quod & aliter ὑπογάστριον dicitur. Vide *Pollucem* Onomaſt. Lib. II. §. 170. Sequentia: πνεύματος δὲ ὀρθία ἔντασις, morbum ſignificant, qui uno verbo ὀρθόπνοια dicitur; quod non ſatis commodè expreſſit *Valeſius*, ſed deteriùs multò *Gelenius*, qui locum pervertit.

4 *Non ex putredine* &c.] Hæc ex ſententia doctiſſimorum Medicorum, qui de Vermibus in Italia, non ita pridem, ſcripſerunt,

tabulis ſucceſſorem deſignaverat, Galilææ tantùm & Perææ Tetrarcham conſtituit, regni verò ſucceſſorem Archelaum ſcripſit, & Philippo Gaulanitidem, Trachonitidem, Batanæam & Paneadem, Tetrarchiæ nomine, adſignavit. Salomæ Sorori Jamniam, Azotum & Phaſaëlida adtribuit, cum argenti ſignati D millibus. Ceteris cognatis pecuniam & annuos fructus reliquit. Cæſari argenti ſignati centies centena millia, vaſa ſua argentea & aurea, ingentémque pretioſæ veſtis copiam; Liviæ & quibuſdam amicis, quinquagies centena millia legavit.

XIV. Deinde quinto die, ex quo Antipatrum occiderat, fato functus eſt, dignus qui alio lethi genere interiret. Sed nefarius licèt tyrannus ſat graves ſcelerum pœnas vivus dederat, tot horrendorum flagitiorum conſcientiâ; quâ factum erat ut, omnibus inviſus, infeſtúsque, in perpetua anxietate verſaretur; quòd ſibi ab omnibus metueret, nec cui crederet aut non crederet, perſpectum haberet. Regiam dignitatem, præter jus & fas, Haſmonææ genti de ſe bene meritæ eripuerat, Hyrcanum immerentem, Mariamnénque uxorem & fratrem ejus Ariſtobulum, deinde & filios innoxios occiderat, quod & ipſe poſtea intellexit. Tum & aliis uxoribus infenſus vixerat, inſidiiſque Antipatri, maximi natu filiorum, adpetitus, eum, cui regnum relinquere conſtituerat, morti damnaverat. Seditionibus, conſpirationibúsque veris, vel fictis, exercitus ferè ſemper fuerat; ſanguinem multum, noxium ac innoxium, promiſcuè fuderat; pueros Bethlehemitas, ex inani ſuſpicione, trucidaverat, univerſámque gentem Judæam mœrore & luctu confectam relinquere moriens moliebatur; quæ à crudeli licèt animo, ſine magnis perturbationibus, & rabie quadam, quæ ſecum ſupplicium ſuum trahunt, fieri non potuere. Eò tandem deveniunt quicumque, Religionis & Virtutis loco, turbulentos ac exitiales adfectus normam factorum ac dictorum ſuorum habent, ſi ad ſummam poteſtatem ſint evecti. Dicitur [5] Auguſtus, ut prodidit *Macrobius*, cùm audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes, Rex Judæorum, intra bimatum, ut loquitur, juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, in hæc verba prorupiſſe: *melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.* Potuit hæc dicere Auguſtus, auditâ morte filiorum Mariamnes; non de ullo filio, quem inter Bethlehemitas pueros amiſerit, neque enim res cum Hiſtoriæ fide conſentit.

XV. Mortuus eſt autem teterrimus tyrannus, anno XXXIV., à capta Jeroſolima & XXXVII, ex quo Rex Romæ ſalutatus fuerat, inchoatis; circa Novembris noſtri diem XXV, nempe VII. Kislevi menſis,

ferunt, oſtenderúntque Vermes nequaquam è corruptione naſci, ſed ex ovis & aliquando ex inteſtinis viam ſibi in veſicam facere, & per verenda egredi. Quod pluribus non diducam, cùm aptus Phyſicis diſputationibus hic locus non ſit. Vide *Anton. Valliſnieri* opus Italicum de Generatione vermium in Corpore Humano, editum Patavii.

5 *Macrobius Sat.* Lib. II. c. 4.

menſis, ex calculo *Jac. Uſſerii*, qui dies feſtus fuit Judæis, quòd eo Herodes, *qui ſapientes odio proſequutus eſt*, *mortem obierit*, quod habetur in [6] Codice Thalmudico, qui de Jejunio. Cetera petita ſunt ex *Joſepho*, Ant. Lib. XVII. c. 8. & ſeqq.

XVI. Alexas autem & Salome, ut Herodis famæ conſulerent, néve odium populi in ſe & ejus liberos augerent, antequàm Herodis mors innotuiſſet, Hippodromo clauſos, veluti ex ejus mandatis, dimiſerunt. Morte dein promulgatâ, milites in Jerichuntinum Theatrum convocarunt, recitarúntque litteras ab Herode ad exercitum ſcriptas; quibus ei, ob fidem & benevolentiam, gratias agebat, útque eodem adfectu ſucceſſorem ſuum Archelaum complecteretur orabat. Recitatum & teſtamentum, quod tamen, nonniſi conſentiente Cæſare, ratum habendum eſſet. Milites verò fauſtis adclamationibus Regem Archelaum ſalutarunt, fidémque illi atque operam, quas patri præſtiterant, promiſerunt. Is verò patri magnificentiſſimum funus parare cœpit, quod magno concurſu paullò pòſt celebratum eſt.

Cn. Cornelio Lentulo, M. Valerio Meſſalino COSS. Auguſti XLII. Archelai, Herodis & Philippi I. ante Æram Vulgarem Chriſti III. *ætatis* II.

I. Mortuo Herode, Angelus Joſephum in ſomnis, prout pollicitus erat, monuit, tempus jam eſſe redeundi in Judæam; in qua tutò vivere poterat, cùm mortuus eſſet Rex, qui vitæ Jeſu antea inſidiabatur. Itaque excitatus, unà cum uxore, ejúsque filio, in Palæſtinam eſt profectus. Sed cùm audiviſſet Archelaum, pro ſucceſſore patris, adeóque Rege Judææ, ſe ſe gerere, quamvis nomine regio nondum uteretur, veritus eſt in eam redire; at iterum monitus ab Angelo in ſomnis, non ampliùs cunctatus ivit in Galilæam, & quidem Nazaretham, ubi antea vixerat; qui tractus Herodis Tetrarchiæ, niſi aliter Auguſto videretur, adtributus fuerat. Hæc de reditu Joſephi habet Matth. II, 19. & ſeqq.

II. Archelaus extulit patris corpus Jerichunte & maximâ pompâ in Herodium caſtellum deferri curavit, ubi ſepultum eſt, ut narrat *Joſephus*, Lib. XVII. c. 10. Tum Jeroſolimam rediit, cúmque, more Judæorum, patrem luxiſſet, per ſeptem dies & funebre epulum plebi præbuiſſet; in Templum, inter populi lætas adclamationes, adſcendit. Conſcenſo illic ſublimi ſuggeſtu & in ſella aurea ſedens omnia præclara ſpopondit, atque à regio nomine abſtinere paulliſper ſe dixit, donec ab Auguſto ratum habitum eſſet patris teſtamentum. Interim exorta eſt ſeditio, ab amicis eorum, quos, propter dejectam aquilam auream, Herodes ſupplicio adfecerat. Defunctum Regem conviciis, quæ ſanè meritus erat,

6 ספר תענית *ſepher thahanith.*

erat, proſcindebant, amicóſque quoſdam ejus, rei auctores, ad pœnas depoſcebant, & Joazarum Pontificatu dejici poſtulabant. Placare quidem homines conatus eſt Archelaus, ſed fruſtra; réſque eò devenit, ut, ſub tempus Paſchatis, in eos immitteret totum exercitum, & tria millia virorum circa Templum, invecto equitatu, occideret, dum alii ſe in montes vicinos fugâ proriperent.

III. Compressis ſeditioſis, Archelaus Cæſaream ivit, unà cum Malthace matre, muliere Samaritide, Nicolao Damaſceno & aliis amicis, ut in Italiam, Philippi fratris fidei regno & familiâ commiſſis, navigaret. Eodem etiam profecta eſt Salome, unà cum liberis, quaſi Archelaum adjutura; ſed reverâ ut quàm maximè poſſet adverſaretur, & ob commiſſam circa Templum cædem invidiam ei, apud Auguſtum, crearet. Idem iter ingreſſus eſt quoque Herodes Antipas, inſtinctu Salomes, controverſiam fratri de Judææ regno moturus, quod prioribus tabulis in eum contulerat Herodes. Duxit & ſecum matrem Cleopatram, Ptolemæum Herodis procuratorem, Nicolai fratrem, & oratorem Irenæum, in negotiis regiis diu verſatum, eumdémque præcipuum petendi regni auctorem. Poſtquàm Romam veniſſet, cognati omnes patris Herodis, qui Archelaum oderant, ſe ſe Herodi adjunxerunt. Scripſit etiam ad Cæſarem contra Archelaum Sabinus, Syriæ Procurator; qui, eo abſente, arces & pecunias Herodis, nomine quidem Auguſti, ſed privati compendii causâ, occupare conatus eſt, quæ res magnos tumultus in Judæa creavit.

IV. Archelaus Cæſari, per Ptolemæum, libellum, quo jura ſua, & rationes pecuniarum patris obſignatas complexus erat, obtulit. Auguſtus eo libello, litteriſque Vari & Sabini perlectis, amicos & C. Cæſarem nepotem, in tertium ab hoc annum Conſulem deſignatum, cui primum tribuit locum, conſilio adhibuit; ut, unà cum iis, Herodis filios audiret. Antipater, Salomes filius, vir eloquens contra Archelaum prior dixit; eique pro Archelao reſpondit Nicolaus. Qui finem dicendi cùm feciſſet, Archelaus ad Auguſti genua accidit; éſtque ab eo continuò erectus. Addidit Auguſtus regno ſibi dignum juvenem videri, nec quidquam ſe facturum, quod cum Teſtamento Herodis, Archelaique commodis non conſentiret; nec tamen de re ipſa, eo in conſeſſu, judicavit.

III. Venere paullò pòſt Romam, conſentiente Varo, quinquaginta è Judæa legati, ab Auguſto petituri, ut ſibi legibus ſuis, ſine Rege, vivere liceret. Advenit & Philippus, Herodis filius, ut fratri laboranti adeſſet, Tetrarchiámque ſibi à patre adſignatam à Cæſare impetraret; qui iis in æde Apollinis Concilium amicorum & primariorum civium dedit. Priores dixerunt Judæorum legati, & ab accuſatione Herodis fato functi atque Archelai exorſi, tandem poſtularunt ut, mutatâ Reipublicæ formâ, ſibi ſine Regibus agere, & contributis Provinciæ Syriæ, à ſolis Magiſtratibus Romanis jus petere liceret. Idem

Nicolaus, pro Herode mortuo & Archelao, qui aderat, reſpondit; eóque audito, Cæſar Concilium dimiſit, quid facto opus eſſet maturiùs conſideraturus.

IV. Paucis pòſt diebus, Cæſar Archelaum non Regem quidem, ſed Ethnarcham ſalutavit, regium quoque nomen pollicitus, ſi ſe eo dignum præſtitiſſet. Datæ ſunt ei Judæa, Idumæa & Samaria, cui remiſſa eſt tributi quarta pars, quòd ceteris tumultuantibus, abſente Archelao, ſola remanſiſſet in officio. Potiſſimæ urbes Etnarchiæ fuere Cæſarea, Sebaſte, Joppe, Jeroſolima; at Gaza, Gadara & Hippos, Græcæ urbes, ſunt Syriæ adjunctæ. Sexcenta autem talenta quotannis Archelao, ex iis quæ habebat, pendebantur. Altera dimidia pars regni Herodis, ceteris duobus ejus filiis eſt diviſa, & Antipæ quidem Galilæa & Peræa, tractus inter lacus Tiberiadis & Aſphaltiten ad occaſum & ortum Jordanis, ceſſere, quorum fructus annuus ducentorum erat talentorum; Batanæa verò, Trachonitis & Auranitis, vicinique nonnulli agri Philippo dati, quorum omnium fructus centum talentorum fuere. Salomæ, præter legata ab Herode, conceſſa eſt Aſcalone domus. Habitavit in Archelai Ethnarchia, & ſexaginta talenta in annuis fructibus habuit. Ceteris cognatis regiis, ex tabulis teſtamenti, legata ſunt reddita. Duæ Herodis filiæ virgines, præter relicta à Patre, ab Auguſto accepere ducenta qninquaginta argenti ſignati millia, & Pheroræ filiis, elocatæ ſunt. Reliquæ pecuniæ filiis Herodis ceſſere, nec quidquam ſibi retinuit Cæſar, niſi pauca quædam vaſa, non ex pretioſiſſimis, in amici memoriam. Quæ memorata à nobis ſunt, ut quæ divitiæ Herodis eſſent, cùm tot immodicis ſumtibus exhauſtum ejus non eſſet ærarium, & quantâ fuerit Auguſtus liberalitate liqueret.

V. Archelaus in Ethnarchiam redux Joazaro Pontificatum ereptum in Eleazarem, fratrem ejus, contulit. Dum abeſſet, magni motus in Judæa fuerant concitati, ab hominibus ſeditioſis, quos omnes prudentia & fortitudo Vari compeſcuere, ut narrat *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVII. c. 12. & ſeqq. ubi & cetera, quæ paucis expoſuimus, legentur.

Aug. Cæſare XIII. C. Plautio Silvano COSS. Auguſti XLIII. Archelai, Herodis & Philippi II. ante Æram Vulgarem Chriſti II. *ætatis* III.

I. Hoc anno, Auguſtus L. Cæſarem in forum deduxit, honoribus auxit, quibus antea Caïum fratrem ornaverat, Conſulémque, in quintum ab hinc annum deſignavit. Iis ut favorem Romanæ plebis conciliaret, *ſexagenos denarios dedit plebi*, ut ipſe loquitur in monumento Ancyrano, *quæ tum frumentum publicum accipiebat. Ea* autem, ut ſubjicit, *millia hominum paullò plura quàm ducenta fuerunt.* Munus etiam gladia-

gladiatorium, & naumachiam exhibuit; qua de re, *Xiphilinus* ex *Dione* & *Suetonius* in *Auguſto* Cap. XLIII.

II. Eodem anno, Julia Aug. Filia & Tiberii conjux, propter adulteria & flagitioſam vitam, in Pandatariam Campaniæ inſulam à Patre relegata eſt, ut pluribus narrarunt *Xiphilinus* ex *Dione*, *Velleius Paterculus* Lib. II. c. 100. *Suetonius* in Auguſto Cap. 65. & alii.

III. C. & L. Cæſares ejus filios Reipublicæ admovere cœpit, & circum Provincias & exercitus, ut omnibus innoteſcerent, mittere, ut habent *Suëtonius* in Auguſto Cap. LXIV. & *Velleius* Lib. II. c. 101. Iisdem temporibus Armenii, quibus Artavasdem Regem dederat Auguſtus, eo dejecto, Tigranem elegerunt, auxiliáque à Parthis petierunt. Qua de cauſa, C. Cæſarem poteſtate Proconſulari, ad Provincias Orientis ordinandas, ornatum miſit, addito M. Lollio juventutis ejus moderatore; quæ invenientur apud *Velleium* Lib. II. c. 102. *Suetonium* in Tiberio c. XII. & *Zonaram* ex *Dione*. Cùm verò bellum in Parthos pararet, Phraates, Parthorum Rex, ſe per legatos, apud Cæſarem, excuſavit & pacem petiit. Quæ conceſſa eſt, ſi Armeniâ excederet, ut docuerat *Dion*; cujus fragmentum ſupereſt, in Excerptis legationum à *Fulvio Urſino* editis.

Coſſo Cornelio Lentulo, L. Calpurnio Piſone COSS. Auguſti XLIV. Archelai, Herodis & Philippi III. ante Æram Vulgarem Chriſti I. *ætatis* IV.

I. Tiberius, elapſo Tribunitiæ Poteſtatis tempore, profeſſus tandem nihil aliud, Rhodio ſeceſſu, devitaſſe ſe, quàm æmulationis, cum Caio & Lucio ſuſpicionem, petiit ab Auguſto, ut ſibi ſecuro jam ab hac parte, corroboratis his & ſecundum locum facilè curantibus, permitteretur reviſere neceſſitudines, quarum deſiderio teneretur; uti narrat *Suetonius* in Tiberio C. XI. Sed, ut idem habet, neque id impetravit, ultróque etiam eſt admonitus dimittere omnem curam ſuorum, quos tam cupidè reliquiſſet; invitis enim Auguſto & Liviâ, Rhodum antea ſeceſſerat. Remanſit ergo Rhodi, contra voluntatem, vix per matrem conſequutus, ut, ad velandam ignominiam, quaſi legatus ab Auguſto, abeſſet. Plura de eo hîc non dicemus.

II. Caius Judæam prætervehens apud Jeroſolimam non ſupplicavit, quod & antea, ad annum ante Æram Vulgarem XV. obiter narravimus; quamobrem ab Auguſto, ſi *Suetonio* credimus, collaudatus eſt. Verùm in Syria nihil memoratu dignum geſſit. Parthorum enim Rex, audito ejus in Syriam adventu, cùm ſimul accepiſſet domi, odio ſui, res conturbatas eſſe; relictâ, prout poſtulaverat Auguſtus, Armeniâ, in gratiam cum eo rediit.

III. Interim Artavasde morbo exſtincto, Tigranes, æmuli metu libe-

liberatus, dona ad Auguſtum miſit, atque in litteris ad eum ſcriptis, omiſſo Regis nomine, Armeniæ regnum quaſi res integra fuiſſet, ab eo petiit. Qui cùm Parthicum bellum timeret, munera accepit, Tigranémque, ſpe regni factâ, ad Caïum filium in Syriam adlegavit, à quo Rex eſſet ſalutandus. Hæc *Xiphilinus* & excerptor legationum ex *Dione*. Sequentia tamen oſtendent Tigranem rem Caïi arbitrio permittere noluiſſe.

IV. Non erit ſupervacaneum hìc de urbibus, ab Herodis filiis duobus conditis, aut inſtauratis, pauca ſubtexere; quòd non ſatis conſtet ad quem annum ſint referenda. Cùm ergo Tetrarchiam uterque à Cæſare accepiſſet, earum res, ut narrat *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 3. ordinarunt, & Herodes quidem Sepphorin, urbem Galilææ, mœnibus cinxit, eámque propugnaculum & regiam totius illius tractûs effecit; & præterea oppidum, quod tunc Betharamphtha vocabatur, ſimiliter munitum [1] Juliadem, de nomine uxoris Auguſti, adpellavit. Liviam, nimirum, perpetuò *Joſephus*, quaſi in familiam Juliam adoptatam, quod tamen poſt mortem Auguſti factum eſt, vocitat. Philippus verò Paneadem, ad fontes Jordanis ſitam, inſtauravit & Cæſareæ nomine honeſtavit. Bethſaïdam etiam vicum, ad Genneſareticum lacum, incolis & opibus inſtruxit & Juliadem, de nomine filiæ Auguſti, Tiberii conjugis, dici voluit. Quod ante Juliæ exſilium oportuit factum, hoc eſt, triennio ante Æram Vulgarem Chriſti; nam ſequente anno in Pandatariam inſulam, ut diximus, relegata eſt. Ingrata fuiſſet Auguſto Philippi ea erga infamem & exſulem mulierem comitas, & fortè etiam Philippo noxia. Ideò crediderim Juliadis nomen brevi in Judæa exoleviſſe, & priſtinum Bethſaïdæ revocatum; quo ſemper in Evangeliis adpellatur.

V. Nòn diſſimulandum tamen *Joſephum* de B. J. Lib. II. c. 13. ſic loqui de harum urbium ædificatione, quaſi poſt Auguſti mortem facta eſſet. Sed quod habet de ratione nominis Betharamphthæ, in Antiquitatibus, manifeſtò oſtendit, ſi verum eſt, conditam & auctam, multò ante Auguſti mortem, fuiſſe. Fatendum etiam, apud Romanos, tempore *Plinii*, Juliadem etiamnum dictam; eo enim nomine adpellat Hiſt. Nat. Lib. V. c. 15. ubi ab oriente lacûs Genaſaræ ſitam fuiſſe ait; hoc eſt, ut habet *Joſephus* de B. J. *in inferiore Gaulanitide*. Facilè fieri potuit à Romanis Juliadem etiamnum dictam urbem, in honorem Juliæ gentis, cùm propter Juliam, Auguſti filiam, ſic dictam fortè neſcirent.

1 *Juliadem de nomine uxoris Auguſti*] Eam vocat *Euſebius* Λιβιάδα, in Locis Hebraïcis. Βηθραμφθὰ, παρὰ Συρίοις (non παρ' Ἀσσυρίοις) αὕτη δὲ ἐστιν ἡ καλουμένη Λιβιάς. Ubi *Hieronymus* habet: *Betharam civitas tribûs Gad, juxta Jordanem*, quæ à Syris *dicitur Bethramphtha, & ab Herode in honorem Auguſti* Libias *cognominata eſt.* Notum eſt *Libiadem* & *Liviadem* idem eſſe.

II. VITAE CHRISTI IN TERRIS,

ab anno ejus ætatis V. Æræ Vulgaris I. rerúmque Judaïcarum & Romanarum, ad ejus in Cœlum Adſcenſionem,

HISTORIA.

C. Cæſare, L. Æmilio Paulo COSS. anno Auguſti XLV. Archelai, Herodis Antipæ & Philippi IV. Chriſti ætatis V. Æræ Vulgaris I.

I. PERPAUCA de infantia, pueritia & adoleſcentia Jeſu Chriſti ab Apoſtolis ſunt litterarum monumentis mandata, ad annum ejus ætatis XXX. nec eſt quod de eo, ad ſingulos ejus in terris vitæ annos, memoremus. Ut tamen Hiſtoriæ & annorum ſeries conſtet, nonnulla è Romana, Judaïcáque Hiſtoria delibabimus. ANN. I.

II. Hoc anno, C. Cæſar in Syria Conſulatum iniit, [1] ut ex Neapolitana, Anagnina & Piſana inſcriptionibus intelligere eſt. Paullo pòſt in colloquium in Inſula, quam Euphrates ambit, cum Rege Parthorum venit; cujus rei ſpectator fuit *Velleius Paterculus*, cùm Tribunus eſſet militum, ut ipſe narrat Lib. II. c. 101. A Parthorum Rege accepit Caius ſubdola conſilia Lollii, cui Regum & Orientis muneribus ac ſpoliis ditato amicitiâ ſuâ interdixit; quamvis filiam ejus, aut neptem duxiſſet. Quamobrem paullò pòſt obiit Lollius, fortuitáne, an ſpontaneâ morte, *Velleio* non conſtabat.

III. TIBERIUS etiamnum Rhodi erat, nam per matrem quidem reditum impetrare tentaverat; ſed, inconſulto Caio, concedere noluit Auguſtus. Caium Lollius Tiberio inimicum fecerat, eóque mortuo, placabilior factus eſt, ut habet *Suetonius* in Tiberio c. XIII.

P. Vini-

1 *Ex Neapolitana* &c.] Vide hac de re *Steph. Pighium*, in Annal. Romanorum T. III. ad A. U. C. DCCLIII. & præſertim *Henr.* Cardinalem *Noriſium* ad Cenotaphia Piſana, Diſſert. II. cap. 13. ubi res extra omne dubium collocatur.

ANN. II & III.

P. Vinicio, P. Alfenio Varo COSS. Auguſti XLVI. Archelai, Herodis Antipæ & Philippi V. Chriſti ætatis VI. Æræ Vulgaris II.

I. P. SULPICIUS Quirinus, loco Lollii, rector C. Cæſari datus, cùm ad eum ſe conferret, Tiberium Rhodi agentem inviſit, & coluit; quod Tiberius, poſt ejus mortem, in Senatu patefecit; laudatis in ſe Quirini officiis, & incuſato M. Lollio, quem auctorem C. Cæſari diſcordiarum arguit, ut ait *Tacitus* Ann. Lib. III. c. 48.

II. PATIENTE ergo Caio, Tiberius revocatus eſt, ſed eâ lege ne quam partem Reipublicæ adtingeret. Itaque, octavo poſt ſeceſſum anno, Romam rediit; ubi cùm filium Druſum in forum deduxiſſet, totum ſe ad quietem contulit, omiſſiſque publicis omnibus muneribus, privata tantùm officia obiit, ut habet *Suetonius* in ejus vita C. XV.

III. L. CÆSAR ad Hiſpanienſes profectus exercitus, Maſſiliæ repentino morbo exſtinctus eſt, duodeviginti menſibus ante Caii fratris obitum, ut ait idem Scriptor in Auguſto c. LXV. [1] & quidem ante Octobrem menſem, ut ad ejus Cenotaphium, quod Piſæ ſuperſtes eſt, oſtendit *Henr. Noriſius*.

L. Ælio Lamiâ, M. Servilio Gemino COSS. Auguſti XLVII. Archelai, Herodis Antipæ & Philippi VI. Chriſti ætatis VII. Æræ Vulgaris III.

I. ARMENIAM ingreſſus C. Cæſar Tigranem expulit, & Ariobarzanem, origine Medum, ob inſignem corporis formam, & præclarum animum, volentibus Armeniis impoſuit, ut narrat *Tacitus* Ann. Lib. II. c. 4. Sed neſcio quis *Addo*, vel *Adduus*, vel *Ador* (nam quomodo ſcribendum hoc ſit nomen non conſtat) caſtelli Artagerarum Præfectus, cùm rebellaſſet, Caium ad mœnia perlectum, tamquam arcani aliquid dicturus, vulneravit. Vulnus quidem lethale non fuit, ut eo paullò pòſt Cæſar interiret, ſed tamen mortis, quæ anno ſequente contigit, ei cauſa fuit. Caſtello longâ obſidione capto, pœnas percuſſor Cæſari dedit. Quæ copioſiùs habent *Velleius* Lib. II. c. 102. *Strabo* Lib. XI. & *Zonaras* ex *Dione*.

II. CAIUS ex vulnere non tantùm debilior corpore factus eſt, ſed & animi vigore minutus; ita ut mallet in angulo Orientis conſeneſcere, quàm Romam, ad Imperii capeſſendas habenas, redire, diúque Auguſto

1 *Et quidem ante Octobrem* &c.] Vide memoratum *Noriſium*, ejuſdem Operis Diſſert. II. c. 15.

1 Vide *Jani Gruteri* Inſcript. p. CCXXXV, 4. & *Henr. Noriſium*, ad Cenotaphia Piſana.

2 *Chriſtiani quidam Scriptores.*] *Paulus Oroſius* Lib. VI. c. 22. *Domini adpellationem, ut homo, declinavit.* Tum verba *Suetonii* recitat: *Nam cùm eodem ſpectante ludos, pronunciatum eſſet à quodam Mimo.* O Do-

guſto revocanti, rémque ægerrimè ferenti obluctatus fuerit. Quod narrant, eodem loco, *Velleius* & *Zonaras*. ANN. IV.

S. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino COSS. Auguſti XLVIII. Archelai, Herodis Antipæ & Philippi VII. Chriſti ætatis VIII. Æræ Vulgaris IV.

I. Litteris Auguſti ſæpiùs revocatus C. Cæſar tandem ſe ſe itineri dedit, navéque onerariâ in Lyciam vectus in urbe Limyra obiit, ut eſt apud *Velleium* & *Suetonium* in Auguſto C. LXV. Quod contigiſſe a. d. IX. Calendas Martias intelligere eſt ex Cenotaphio Piſano. Corpus ejus, ut & fratris, Tribunorum Militum, Decurionúmque cujusque urbis, quâ tranſibant, Romam eſt adlatum, & in urbe ſepultum; ubi cernitur etiamnum hodie ſepulcri ejus [1] inſcriptio: Ossa C. Cæsaris Augusti F. Principis Juventutis. Sed fuere alibi etiam Cenotaphia, ut Piſanum de quo dixi, & id quod vidit Emeſæ, in Syria, *Petrus Belonius*, ut teſtatur Obſervationum Lib. II. c. 97.

II. Augustus, hoc anno, *Dominus* à Populo Romano adpellatus, non modò adpellationem non admiſit, ſed & edicto prohibuit, útque maledictum & opprobrium ſemper exhorruit; ut docent *Xiphilinus* & *Zonaras* è *Dione*, & *Suetonius* in Auguſto Cap. LIII. Cùm rem obtineret, nomen callidè averſatus eſt, ne aures nondum ei adſuetas offenderet; & ſæpe contigit nominibus majorem invidiam, quàm rebus ipſis, creari. [2] Chriſtiani quidam Scriptores, non ſine Divina Providentia, factum putant, ut nato vero rerum *Domino* Jeſu Chriſto, eam adpellationem Auguſtus repudiaret. Sed *Dominium* Chriſti non fuit ejusdem generis, ac *Dominium* Auguſti; quod, apud Pontii Pilati tribunal, Chriſtus apertè profeſſus eſt. Verùm & ante eos *Philo* Judæus, in Legatione ad Caïum, p. 1014. factum hoc Auguſti ita interpretatus eſt, quaſi ſententiam Judæorum, qui *Dei* & *Domini* nomina hominibus conceſſa abominabantur, non improbaſſet; τοὺς Ἰουδαίους ἀποδέχεσθαι, οὓς ἀκριβῶς ᾔδει πάντα ἀφοσιουμένους τὰ τοιαῦτα. Sed Auguſtus, in rejicienda *Domini* adpellatione, Dei nullam rationem habuit; éſtque Diis, à *Virgilio* & *Horatio*, ſatis apertè, ut omnes norunt, æquatus.

III. Tertio Principatûs decennio ad finem vergente, Auguſtus quartum decennium veluti invitus, ut ſolebat, ſuſcepit, ut è *Dionis* Epitome liquet. Poteſtatem Tribunitiam in Tiberium, cujus opera jam carere non poterat, in quinquennium contulit, ſi *Suetonio*, Tiberii c. XVI.

O Dominum æquum & bonum, *univerſique, quaſi de ipſo dictum eſſet, exſultantes adprobaviſſent, ſtatim quidem manu, vultúque indecoras adulationes repreſſit & inſequente die graviſſimo corripuit edicto, dominúmque ſe poſthac adpellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus ſuis, vel ſeriò, vel joco paſſus eſt.* Verùm nihil hæc ad Chriſtum, nec pluris fecerim, quæ de Jano clauſo, apud eum habentur.

ANN. V & VI. c. XVI. in decennium, ſi *Velleio* Lib. II. c. 103. & *Dioni* Lib. LV. credimus. Mox etiam illum adoptavit, quod à ſe, Reipublicæ causâ, in Concione fieri juravit, ut docent *Velleius* Lib. II. c. 103 & 104. & *Suetonius* in Tiberio c. XVI. Certè amicitiâ, quâ Tiberium proſequeretur, eò non devenit. Iidem teſtantur eodem die M. Agrippam, quem poſt mortem Patris enixa erat Julia, fuiſſe ab Auguſto adoptatum; qui & Tiberium coëgit adoptare ſibi Germanicum, Druſi fratris filium, quamvis ipſe quoque filium haberet, quod legimus apud *Suetonium* c. XV. *Tacitum* Annal. Lib. I. c. 7. & *Dionem* Lib. LV. Tunc Tiberius in Germaniam miſſus eſt, ubi rerum ab eo geſtarum ſpectator fuit *Velleius*, qui hæc narrat.

L. Valerio Meſſalla Voluſo, Cn. Cornelio Cinna Măgno COSS. Auguſti XLIX. Archelai, Herodis Antipæ & Philippi VIII. Chriſti ætatis IX. Æræ Vulgaris V.

I. Solis Eclipſis conſpecta eſt Romæ a. d. Martii XXVIII. horâ quartâ & aliquot minutis poſt meridiem, cujus meminit *Dion* Lib. LV. Primo etiam vere Tiberius, qui ex Germania anno antecedente initio hiemis redierat, noménque inde *Imperatoris* retulerat, eodem reverſus eſt. M. Agrippæ toga virilis data; ſed citra eos honores, qui in fratres ejus collati fuerant.

M. Æmilio Lepido, L. Arruntio COSS. Auguſti L. Archelai, Herodis Antipæ, & Philippi IX. Chriſti ætatis X. Æræ Vulgaris, VI.

I. Cum Archelaus Ethnarcha Judæos & Samaritas, tyrannorum more, haberet, contrà quàm ei mandaverat Auguſtus, qui ideò Regis nomen ei dare diſtulerat, ut videret priùs an eo dignus eſſet; legati ab utraque gente, ut ait *Joſephus*, & fratres etiam ejus, ſi *Dioni* credimus, Romam queſtum iverunt, & Cæſari ſuas querelas ita probarunt; ut, iis auditis, ad ſe Archelai procuratorem, qui Romæ agebat, vocaverit, & juſſerit in Judæam protinus navigare, & patronum ſuum ad ſe adducere, cauſam dicturum. Archelaus Romam evocatus venit, auditíſque accuſatoribus & ejus defenſione, damnatus eſt, atque in exſilium Viennam miſſus, patrimonio ejus & pecuniis fiſco adjudicatis. Quod narrat *Joſephus*, Lib. Ant. XVII. c. ult. déque B. J. Lib. II. c. 11. Exſilii Archelai in Gallia meminere & *Strabo* Lib. XVI. & *Dion* Lib. LV. ubi eum *Herodem Palæſtinum* vocat. Contigit hoc initio anni X. à morte Herodis patris, unde fit ut *Joſephus*, in Belli Judaïci Hiſtoria, rem ad nonum Archelai annum; in Antiquitatibus verò, ad decimum referat. Erat tantùm, qui labebatur, nonus annus à confirmatione Auguſti, ſed decimus inchoatus à morte patris. Sunt qui

rem-

rem ad ſequentem annum referant, quod tum demum cœperit annus decimus à confirmatione Auguſti; ſed ſuperiorem calculum, ne *Joſephus* à ſe diſſideat, malumus ſequi. ANN. VII.

A. Licinio Nervâ, Q. Cæcilio Metello Cretico COSS. Auguſti LI, Herodis Antipæ & Philippi X. ætatis Chriſti XI. Æræ Vulgaris VII.

I. Damnato Archelao, miſſus eſt in Syriam P. Sulpicius Quirinus, qui Judæam, Samariam & Idumæam in Provinciæ formam redegit ac Syriæ adtribuit; impoſito tamen illis Procuratore, qui à Syriæ Præſide penderet. Primus omnium fuit Coponius, Eques Romanus, qui eò cum Quirino venit. Is Quirinus Archelai domum vendidit, pecuniásque in poteſtatem ſuam redegit. Tum cenſum egit, per totam Syriam & Judæam, ut, æſtimatis Syrorum & Judæorum facultatibus, tributum iis, pro ratione opum, imponeret. Hanc ſolam *deſcriptionem* Judææ à Quirino factam memorat *Joſephus*, cúmque celeberrima & notiſſima eſſet, tempore Lucæ, quòd eâ tributum Romanis pendere cœpiſſent inviti Judæi; ideò, ut priorem *deſcriptionem*, quæ tempore, quo Chriſtus natus eſt, contigit, ab hac diſtingueret, diſertè dixit eam fuiſſe *deſcriptionem*, [1] *quæ priùs facta eſt, quàm Syriæ præeſſet Quirinus*, πρώτη, hoc eſt, προτέρα ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίε· Nam ſi πρώτην *primam* vertas, Quirino geminam deſcriptionem tribuas, quod cum Hiſtoria non conſentit; neque enim, ante hunc annum, Syriæ præfuit Quirinus.

II. Judæi tametſi primùm deſcriptionis mentionem ægrè ferebant, attamen, auctore Joazaro, Boëthi filio, qui ab Archelao Pontificatum receperat, vel, eo abſente, repetierat, ſe ſe cenſeri paſſi ſunt; quamquam non ubique idem obſequium Romanis exhibuerunt. Hoc enim tempore, Judas quidam Galilæus, aut Gaulanita (nam utroque, è patria, aut habitationis loco, cognomine ducto inſignitur) exortus eſt, multóſque ad ſpem rerum novarum erexit & ad capienda arma concitavit; ſed brevi in eo molimine oppreſſus eſt, ut ait Gamaliel, Act. V, 37. Vide & *Joſephum*, Lib. XVIII. c. 1, & 2. & XX. c. 3. & quæ de eo diximus Prolegom. Sect. I. Cap. VI, 9.

III. Is, adjuncto ſibi Saddoko Phariſæo, populum eò adducere conabatur, ut Romanorum jugum excuterent, nec paterentur Cenſum fieri; quòd mera foret ſervitutis confeſſio. Fore autem ut, re bene geſtâ, facultatibus ſuis liberè fruerentur, laudémque fortitudinis referrent; nec ſperandum iis Numinis auxilium, niſi & ipſi animosè ſe & ſua tuerentur. Pronis auribus vulgi hæc accipiebantur, cui tamen calamita-

[1] *Quæ priùs facta eſt* &c.] Vide Diſſert. noſtram de Anno natali Chriſti, *Harmoniæ Evangelicæ* ſubjectam.

ANN. VIII.

lamitates innumeras crearunt; cædibus enim & latrociniis, nullo amicorum & inimicorum diſcrimine, Religionis obtentu, omnia miſcuerunt, & pro utilitate publica, privata tantùm commoda quæſiverunt. Atque hæc, quamvis Romanâ potentiâ repreſſâ, ſequentium tamen malorum, coërcitis quidem, ſed non curatis ſeditioſorum animis, ſemina fuerunt.

IV. Augustus, hoc eodem anno, unicum heredem ſuum M. Agrippam poſtumum, rudem ſanè bonarum artium & viribus corporis ſtolidè ferocem, ſed nullius flagitii reum in inſulam Planaſiam, Corſicæ propinquam, amovit, ut habet *Tacitus* Annal. Lib. I. c. 3. quod & apud *Dionem* legere eſt, Lib. LV.

M. Furio Camillo, Sex. Nonio Quinctiliano COSS. *Auguſti LII. Herodis Antipæ & Philippi XI. ætatis Chriſti XII. Æræ Vulgaris* VIII.

I. Quirinus, publicatis Archelai facultatibus, & peracto Cenſu, cùm plebs in Joazarum Pont. Max. conſurrexiſſet, ob Cenſum, quem ferendum perſuaſerat, inviſum, eum ſpoliare dignitate coactus eſt; quam tranſtulit in Ananum, vel Annam, Sethi F. ut teſtatur *Joſephus*, Lib. XVIII. c. 3.

II. Dum Coponius Cæſaris Procurator in Judæa eſſet, hujus anni, vel ſequentis (neque enim de tempore omnino conſtat) Paſchate, dum Sacerdotes, pro more ejus diei, à media nocte fores Templi Jeroſolimitani aperuiſſent; Samaritæ, clam urbem ingreſſi, oſſa humana per porticus, & per totum Templum ſparſerunt, ut locum impurarent, & ſanctiſſimum feſtum conturbarent; quo factum ut Sacerdotes diligentiùs Templum ſervarent, auctúmque ſit, jam ſatis incenſum, in Samaritas Judæorum odium.

III. Hujus anni Paſchate, Jeſus annos duodecim natus, à Joſepho & Maria Jeroſolimam ad feſtum ductus eſt. Exactis autem diebus feſtis, Nazaretham, unà cum multis aliis diſceſſerunt, Jeſum, cum amicis, aut conſanguineis in comitatu eſſe rati. At manſerat ille Jeroſolimæ, nec eum abeſſe, niſi confecto unius diei itinere, ſenſerunt; quo tempore, inter notos fruſtra eo quæſito, Jeroſolimam, ut illum inveſtigarent, reverſi. Jam per triduum quæſiverant, cùm tandem in atrio exteriore Templi puerum invenerunt, ſedentem inter Legis Doctores, eóſque audientem, & interrogantem ac quæſitis, mirâ ſapientiâ, reſpondentem. Mirati ſunt Joſephus & Maria eum ita ſe ſe ſubduxiſſe, atque in Templo à ſe inveniri, & mater quidem, pro adfectu, quo filium proſequebatur, *fili*, inquit, *cur nos reliquiſti? Ego & pater tuus anxii te, per hoc triduum, quæſivimus; nec exiguum dolorem nobis creaſti.* At Jeſus, qui jam eâ ætate, ex divina revelatione, norat quo munere adultior defuncturus eſſet, *non erat*, inquit, *cur me anxiè quære-*

retis, aut cur miraremini me ſeorſim à vobis hîc remanſiſſe. Scire enim du- ANN.
dum vos oportuit, brevi adfore tempus, quo negotiis à Patre demandatis in- IX & X.
tentum me domi ampliùs non habebitis. Nec illi intellexerunt, Patrem Cœleſtem & Evangelii nunciationem à Jeſu ſignificari. Attamen è veſtigio, Nazaretham redeuntibus comitem ſe præbuit, &, quemadmodum antea ſolebat, deinceps paruit. Mater interim dicta omnia & facta pueri diligenter obſervabat ac memoriæ mandabat. Cum ſtatura Jeſu, mirum in modum augebatur ejus ſapientia, gratúſque erat Deo & ab omnibus laudabatur, quibus innoteſcebat. Quæ omnia nos docet Lucas Cap. II, 40. & ſeqq. qui ceteroqui reliquam ejus pueritiam & adoleſcentiam ſilentio prætermittit; ſeu nihil contigiſſet memoratu dignum, ſeu ei nequaquam innotuiſſet. Nec ceteri Evangeliſtæ, in hac hiſtoria, adcuratiores ſunt; Jeſu, nimirum, doctrinæ & miraculis, ex quo munus ſuum obire cœpit, intenti, ceterorúmque negligentes; quod, non ſine Divinæ Providentiæ nutu, factum videtur.

Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino COSS. Auguſti LIII. Herodis Antipæ & Philippi XII. ætatis Chriſti XIII. Æræ Vulgaris IX.

I. Hoc anno, nihil in Judæa memorabile contigit. Auguſtus Romæ legem de maritandis ordinibus tulit, [1] quâ maritos præmio, cœlibes pœnâ adfecit. Dicta eſt *Papia Poppæa*, quòd lata ſit ab Auguſto, per Conſules, ſuperioribus, à Calendis Juliis, ſuffectos, M. Papium Mutilum & Q. Poppæum Secundum. Vide *Dionem* Lib. LVI. ad eum annum, *Suetonium* in Auguſto c. XXXIV. & alios.

II. Bello Pannonico, quod ab aliquot annis geri cœperat, finem impoſuit Tiberius, cui Quæſtor erat Germanicus, fratris ejus filius. Ideò Auguſtus & Tiberius Imperatores dicti & Germanico triumphalia ornamenta data. His decretis, cladis *Quinctilii Vari*, in Germania, nuncius advenit; quo triumphus Tiberii impeditus eſt, ut docet idem *Dio*, eodem loco, & *Velleius* Lib. II. c. 118, 119, 120.

P. Cornelio Dolabella, C. Junio Silano COSS. Auguſti LIV. Herodis Antipæ & Philippi XIII. ætatis Chriſti XIV. Æræ Vulgaris X.

I. Hoc anno, Tiberius Romæ Ædem Concordiæ dedicavit, ſuúmque & fratris Druſi, licèt mortui, nomen ei præfixit, ut ibidem *Dion* tradit. E Judæa revocato Coponio ſuccceſſorem miſit Auguſtus M. Ambivium, qui ſecundus fuit, ea in Provincia, Cæſaris Procurator; atque ita ſingulis trienniis novos Procuratores eò mittere perrexit.

II. Hu-

1 Vide *Juſti Lipſii* Excurſum C. ad Lib. III. *Taciti* & *Tertull.* Apol. c. IV.

ANN. XI, XII & XIII.

II. Hujus tempore, Salome, Herodis Magni ſoror, fato eſt functa, & Liviæ Auguſtæ Jamniam, cum ſua Toparchia, Phaſaëlidem ſitam in magno Campo & Archelaïdem, ſibi olim à fratre datas, teſtamento reliquit, ut eodem, quo antea, loco, prodidit *Joſephus*.

M. Æmilio Lepido, T. Statilio Tauro COSS. *Auguſti LV. Herodis Antipæ & Philippi XIV. ætatis Chriſti XV. Æræ Vulgaris* XI.

I. Cum miſſus fuiſſet in Germaniam Tiberius, poſt Varianam cladem, ut pœnas de Germanis repeteret, quod & fecit, Romæ a. d. V. Cal. Septembres ab Auguſto Collega Imperii renunciatus eſt, ut docet *Tacitus* Annal. Lib. I. c. 3: [1] *Collegæ Imperii* dicti, qui Tribunitiâ Poteſtate & Proconſulari Imperio, per omnes Provincias, inſtructi erant, ac proinde extra Urbem idem jus in exercitus & Provincias habebant, quod Cæſares & Auguſti. Ideò Veteres Chriſtiani imperium Tiberii ab hoc anno inchoarunt, & inchoatum voluerunt à Luca Evangeliſta; ut dicemus, ubi de Baptiſmo Chriſti agemus. Vide *Velleium Paterculum* Lib. II. c. 121.

Tib. Germanico Cæſare, C. Fonteio Capitone COSS. *Auguſti LVI. Herodis Antipæ & Philippi XV. Ætatis Chriſti XVI. Æræ Vulgaris* XII.

I. Tiberius & Germanicus hoc anno Romam è Germania redierunt, triumphavitque de Germanis Tiberius, ut narrant *Velleius* Lib. II. c. 121. *Suetonius* c. XX. & *Dion* Lib. LVI. ad hunc annum. Cenſus etiam hoc anno Romæ ab Auguſto & Tiberio Cenſoribus eſt inchoatus, nec niſi poſt biennium peractus.

III Tertius in Judæam Procurator Cæſaris miſſus eſt *Annius Rufus*, quod ſcribit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 3. Is Ananum Pontificem Max. exauctoravit, eique Iſmaëlem, Fabi filium, ut idem teſtatur, ſubſtituit.

C. Silio, L. Munacio Planco COSS. *Auguſti LVII. Herodis Antipæ & Philippi XVI. Ætatis Chriſti XVII. Æræ Vulgaris* XIII.

I. Augustus regimen Reipublicæ in Decennium, veluti invitus, quintùm ſuſcepit, & Tiberio Cæſari Tribuniciam Poteſtatem prorogavit, ut habet *Dion*, Lib. LVI. ad hunc annum.

Sex.

1. *Collegæ Imperii*] Vide *Ant. Pagium* in Epicriſi Baroniana, hac de re, doctè & copioſè agentem, num. IV. & ſeqq.

ANN. XIV & XV.

Sex. Pompeio, Sex. Appuleio COSS. Tiberii I. Herodis Antipæ & Philippi XVII. Ætatis Chriſti XVIII. Æræ Vulgaris XIV.

I. Hoc anno, Auguſtus luſtrum condidit, in Campo Martio; centum diebus, antequàm moreretur, ut habet *Suetonius* ejus vitæ c. XCVII, hoc eſt, a. d. IV Idus Maias. Ipſe in breviario rerum ſuarum, marmori Ancyrano inciſo, teſtatur ſe, cùm *nuperrimè luſtrum* clauderet, *collegâ Tiberio, Sex. Pompeio & Sex. Appuleio COSS. cenſa fuiſſe Romanorum capitum quadrageſies centum millia triginta & ſeptem millia*; hoc eſt, numeris noſtris, 4137000. Cùm autem luſtrum hoc magnâ populi frequentiâ conderet, Aquila eum ſæpiùs circumvolavit, transgreſſáque in vicinam Ædem, ſuper nomen Agrippæ, ad primam litteram ſedit. Quo animadverſo, vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos erat, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit; nam ſe quamquam conſcriptis, paratisque jam tabulis, negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus; quæ verba ſunt *Suetonii*, qui & alia præſagia, veráne an falſa non conſtat, mortis ejus refert. Mortuus eſt a. d. XIV. Calendas Septembres, ſeu die 19. Auguſti. Ei ſucceſſit Tiberius, cujus nec initia, nec res geſtas deſcribemus; Romanam enim Hiſtoriam non adtingimus hîc, niſi ut ordinem temporum ſervemus. Nihil adjectum eſt auctoritatis Tiberio, novo hoc Principatu; niſi quòd Romæ eamdem poteſtatem obtineret, quam in Provinciis tantùm habuerat, & quidem ſolus. Itaque meritò duplex initium Tiberii ſtatuitur, prius ab eo tempore, quo ab Auguſto Collega Imperii factus eſt, poſterius ab exceſſu Auguſti, à quo ſolus rerum ſummæ præfuit.

Druſo Cæſare Ti. F. C. Norbano Flacco COSS. Tiberii II. Herodis Antipæ & Philippi XVIII. Ætatis Chriſti XIX. Æræ Vulgaris XV.

I. Drusus Ti. F. videtur Cæſar dictus, quòd pater Tiberius in Cæſarum familiam ab Auguſto adoptatus fuiſſet; nec hoc nomen, ante Neronis interitum, dignitatem, ſed familiam ſignificabat.

II. Hoc anno Tiberius, in Annii Rufi locum, Procuratorem in Judæam miſit Valerium Gratum; qui in ejus Provinciæ adminiſtratione undecim annos exegit, ut teſtatur *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 3. Non ſolebat enim Tiberius tam frequenter Provinciarum rectores, quibus adſuetus erat, mutare. Valerius Eleazarum, Anani F. in Iſmaëlis Pont. Max. locum ſubrogavit.

ANN. XVI & XVII.

T. Statilio Siſennâ Tauro, L. Scribonio Libone COSS. Tiberii III. Herodis Antipæ & Philippi XIX. Ætatis Chriſti XX. Æræ Vulgaris XVI.

I. Quiescente Judæâ, vicinæ Orientis gentes propterea non conquieverunt. Vonones ab Artabano Parthorum regno deturbatus in Armeniam ſe contulerat, & Armenorum Rex ab incolis ſalutatus fuerat. Sed & hinc ab eodem expulſus, fruſtra imploravit Romanorum auxilium, ſucceſſorémque accepit Orodem, Artabani F. Qua de re, vide *Joſephum*, Lib. XVIII. c. 3. *Tacitum Annal.* Lib. II. c. 4. & *Suetonium* in Tiberio c. XLIX.

II. Tiberius Archelaum, Cappadociæ Regem, cui infenſus erat, quòd ipſum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet, Romam, per litteras Liviæ matris, evocari curavit; cùm enim callida mulier filii offenſionem non diſſimularet, poſſe tamen eum placari Archelao, ſi Romam veniret, ſignificabat. Ille aut doli ignarus, aut, ſi eum intelligere videretur, ſibi vim metuens, ad Urbem properavit. Accuſatus in Senatu fictorum criminum, angore & ſenio, Romæ obiit. Mox regnum ejus in Provinciam redactum eſt, & equiti Romano regendum datum. Adi *Tacitum* Annal. Lib. II. c. 42. & *Suetonium* c. 37.

III. Per idem tempus, Antiocho Commagenorum, & Philopatore Cilicum Regibus, defunctis, turbata ſunt contrariis ſtudiis eorum regna; dum plerique Romanum, alii regium imperium cuperent. Provinciæ etiam Syria & Judæa, feſſæ oneribus, deminutionem tributorum Romam oratum miſerunt. Quæ memoravit, eodem loco, *Tacitus.*

C. Cælio Rufo, L. Pomponio Flacco COSS. Tiberii IV. Herodis Antipæ & Philippi XX. Ætatis Chriſti XXI. Æræ Vulgaris XVII.

I. Sub his Conſulibus, triumphavit Germanicus de Cheruſcis, Cattiſque & Angrivariis, aliiſque nationibus, quæ uſque ad Albim colebant, ut habet *Tacitus* Lib. II. c. 41. Jam ab initio Tiberius, qui omnes oderat & provocati in ſe omnium odii probè ſibi conſcius erat, Germanico fratris filio, quem adoptarat, malè velle cœperat; odiúmque in dies augebatur, propter gratiam, quâ juvenem apud omnes valere videbat, virtutéſque, quibus Pop. Romano gratiſſimus erat. Itaque, ſub honoris ſpecie, hominem amandare decrevit; & cùm de rebus Aſiæ in Senatu ageret, dixit ſibi videri, non poſſe motus Orientis, niſi Germanici ſapientiâ, componi. Quibus auditis, Senatûs-Conſulto permiſſæ ſunt Germanico Provinciæ; quæ trans mare erant, majúſque impe-

1 *Ab ætate, ut videtur, Sibyllæ* &c.] Annus enim agebatur, hoc tempore, ab Urbe condita ex Varronis calculo, DCCLXXII, nec curaſſet Tiberius vaticinium, quod impleri non poterat, niſi poſt CXXVIII. annos. Eadem ratio ſuadet Sibyllæ ætatem reſpici, cui,

imperium ei datum, quoquò adiſſet, quàm iis, qui ſorte, aut miſſu Principis, eos obtinebant. Quia verò Syriæ præerat Silanus Creticus, cujus filia Neroni maximo natu filiorum Germanici nupta erat, eum amovit, miſitque ejus loco Cn. Piſonem, qui Germanico adverſaretur & inſidiaretur. Vide *Tacitum* Lib. II. c. 43. ANN. XVIII & XIX.

II. Hoc anno, Valerius Eleazarum, Anani F. in Iſmaëlis Pont. Max. locum ſubrogavit, ut habet *Joſephus*, Ant. Lib. XVIII. c. 3.

Cl. Tiberio Aug. III. & Germanico II. COSS. Tiberii V. Herodis Antipæ & Philippi XXI. Ætatis Chriſti XXII. Æræ Vulgaris XVIII.

I. Germanicus priùs Româ egreſſus, quàm Conſul renunciaretur, Nicopoli demum, in Epiro, Conſulatum iniit. Inde in Leſbum inſulam navigavit, variáſque urbes famâ celebratas viſit, & provincias interea, internis certaminibus, aut imperio Magiſtratuum feſſas, fovit. At Piſo, qui eum Rhodi adſequutus erat, in Syriam præivit, inviſúmque exercitui & Provinciæ facere omnibus artibus, cœpit; quod multis narrat *Tacitus* Annal. Lib. II. c. 54. & ſeqq. Inde Germanicus res Armeniæ compoſuit, victo Orode, impoſitóque ei regno Zenone, Polemonis Pontici Regis filio; quamvis alii Artaxiam Regem ſalutaſſent, ut prodidit idem, Cap. LVI. In ſequentibus etiam, apertas inimicitias Germanici & Piſonis narrat, quibus non immorabimur.

II. Simon Camithi F. à Valerio Pont. Maximus Jeroſolimæ factus eſt, ut eodem loco, quo antea, teſtatur *Joſephus*. Emebatur, nempe, ab ambitioſis Judæis, is dignitatis locus, qui alioqui principi familiæ Aharonis ſoli & perpetuus debebatur; Procuratoréſque Cæſariscorum ambitioni, dum ſuæ avaritiæ ſatisfacerent, gratificabantur.

M. Junio Silano, Cn. Norbano Balbo COSS. Tiberii VI. Herodis Antipæ & Philippi XXII. Ætatis Chriſti XXIII. Æræ Vulgaris XIX.

I. Germanicus, hoc anno, Ægyptum peragravit viſendorum locorum causâ; quamobrem eſt acerrimè à Tiberio increpitus, quòd contra Auguſti inſtituta, non ſponte Principis, eſſet Alexandriam ingreſſus. Deinde in Syriam ivit, ubi à Piſone lento veneno eſt interfectus. Quæ omnia pluribus deſcripta legentur, apud *Tacitum* Annal. Lib. II. c. 59. *& ſeqq.*

II. Cum oracula quædam vana, quaſi Sibyllina, de Romæ interitu, poſt nongenteſimum annum, [1] ab ætate, ut videtur, Sibyllæ, non à Ro-

[1] cui, quia diu ante Urbem conditam vixiſſe ſtatuebatur, oracula hæc adtributa. Quàm dubia fuerint, non vaticinia tantùm, ſed & tempora ipſa Sibyllarum, ſatis oſtenderunt viri docti qui de iis ſcripſerunt. Oraculum ſic habebat:

Τρὶς

ANN. XIX.

à Roma condita, ut putabat *Dio*, in vulgus ſparſa eſſent, crederentúrque falsò ea tempora reſpicere, & plebem commoverent; Tiberius inſpexit omnes libros, qui vaticinia complectebantur, & quoſdam quidem rejecit, alios verò admiſit. Qua in re, ſine dubio, commodorum tantùm ſuorum rationem habuit, putidiſſima vaticinia probaturus, ſi modò ea vera haberi ejus interfuiſſet; & veriſſima rejecturus, ſi quid ſibi ab iis timuiſſet. Vide *Dionem* Lib. LVII. ad hunc annum.

III. Actum etiam de Sacris Ægyptiis, Judaïciſque Urbe pellendis, factúmque Senatûs Conſultum, ut quatuor millia libertini generis, eis ſuperſtitionibus infecta, queis idonea ætas, in Inſulam Sardiniam veherentur; coërcendis illic latrociniis, &, ſi ob gravitatem cœli interiſſent, leve damnum futurum; ceteri cederent Italiâ, niſi certam ante diem eos ritus exuiſſent, ut habet *Tacitus* Annal. Lib. II. c. 85. cui ſuccinit etiam *Suetonius* in Tiberio Cap. XXXVI. Eò reſpexit quoque *Seneca* Ep. CVIII.

IV. Ægyptiacæ ſuperſtitionis amovendæ hæc occaſio fuit, [2] ſi nonnullis credimus, quòd Romæ Paulina nobilis matrona decepta à Sacerdote Iſidis, pecuniâ corrupto à viro amore mulieris capto, cum adoleſcente concubuiſſet, dum putaret ſe cum Anubide rem habere; quod pluribus narrat *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 4. Quam ob rem, Tiberius diruto Iſidis Templo, ſtatuam ejus Tiberi mergi juſſit. At *Joſephus* hæc refert ad tempora, quibus Pilatus Judææ præfuit, aut circiter. Infames fuiſſe ſacerdotes Iſidis, lenoniis artibus, [3] ipſi etiam Ethnici docent.

V. Cur verò Judæi pellerentur, hæc cauſa fuit. Erat Romæ quidam impoſtor, qui, ne in Judæa pœnas Legibus patriis daret, ſolum verterat. Is ſe illic, adſcitis ſibi ſimilibus Judæis, pro Legis Moſaïcæ interprete gerebat; quibus cùm ſe Fulvia nobilis matrona, Judaïcam Religionem amplexa, in diſciplinam dediſſet, mulieri perſuaſerunt, ut ad Jeroſolimitanum Templum purpuram & aurum mitteret; quæ homines nequam in ſuos uſus converterunt. Audivit hæc Tiberius à Saturnino familiari ſuo, Fulviæ viro; quare Judæos omnes ex Urbe juſſit pelli; quod idem habet Judæus Hiſtoricus Lib. XVIII. Diſſimulavit tamen hæc *Philo*, in Legatione ad Caium, [4] ubi Tiberium ſummopere faviſſe Judæis innuit.

VI. Eodem anno, Germanicus malè habitus à Piſone, & ut vulgò creditum, veneno ſublatus, cum maximo Pop. Romani dolore, interiit. Quod copioſiſſimè narravit *Tacitus* Annalium Lib. II & III.

M. Va-

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίοις ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις, ἁ Συβαρῖτις
Ἀφροσύνη.
At ter tercentis revolutis protinus annis,
Roma inteſtinâ perdetur ſeditione,
Luxus & exitium Sybariticus adferet Urbi.
Quæ ſi ad annos Urbis conditæ referantur, ad tempora Antonini Pii ſpectabunt.

2 *Si nonnullis credimus*] *Jacobo Uſſerio*, qui ad hunc annum hæc retulit.

3 Vide

M. Valerio Meſſalla, M. Aurelio Cotta COSS. *Tiberii VII. Herodis Antipæ & Philippi XXIII. Ætatis Chriſti XXIV. Æræ Vulgaris* XX. ANN. XX, XXI, XXII, & XXIII.

I. Hoc anno nihil, quod ad hiſtoriam Judæorum, aut Chriſtianorum pertineat, ad poſteros pervenit; nihilque memorabilius in Hiſtoria Romana, quàm funus Germanici, & mors Piſonis, apud Senatum, rei facti.

Tiberio Cæſare IV. Druſo Cæſare II. COSS. *Tiberii VIII. Herodis Antipæ & Philippi XXIV. Ætatis Chriſti XXV. Æræ Vulgaris* XXI.

I. Mortuo Germanico, conſultatum inter ejus legatos, quique alii Senatorum aderant, quiſnam Syriæ, expulſo ex ea Piſone, præficeretur, donec Tiberius Præſidem eò mitteret. Electus Cn. Sentius Saturninus, qui pro Legato Cæſaris eam Provinciam ad hunc uſque, aut etiam ſequentem annum obtinuit. Mortuus eſt, hoc anno, *P. Sulpicius Quirinus*, qui Judæam in Provinciæ formam redegit, cenſúmque primus in ea inſtituit. Vide *Tacitum* Ann. Lib. II, 48.

C. Sulpicio Galbâ, D. Haterio Agrippâ, COSS. *Tiberii IX. Herodis Antipæ & Philippi XXV. Ætatis Chriſti XXVI. Æræ Vulgaris* XXII.

I. Hoc circiter anno, Cn. Sentius è Syria revocatus, eique ſuffectus L. Pomponius Flaccus. Tum Tiberius in ipſa morum correctione, ut ait *Suetonius* c. XLII. ejus vitæ, cum Pomponio Flacco & L. Piſone, noctem, continuúmque biduum epulando, potandóque conſumſit. Quorum alteri (Pomponio, nempe,) Syriam, alteri Urbis præfecturam continuò dedit.

C. Aſinio Pollione & C. Antiſtio Vetere COSS. *Tiberii X. Herodis Antipæ & Philippi XXVI. Ætatis Chriſti XXVII. Æræ Vulgaris* XXIII.

I. Ælius Sejanus, Tiberio gratiſſimus, & omnium conſiliorum par-

3 Vide *Ovidium* de A. A. Lib. I, 77. *Tibullum* El. III. Lib. I. ℣. 23. *Juvenalem* Sat. IV, 489.

4 *Ubi Tiberium* &c.] Poſtquàm multis extulit beneficia Auguſti erga Judæos dixitque gentes, quæ Romanis parebant, ideò Judaïca jura violare non auſas, ait ſub Tiberio eodem modo rem habuiſſe. Vide pag. 1015. Ed. Pariſ.

ANN. XXIV & XXV.

particeps, Druſum Ti. F. uxore ejus Liviâ adulterio priùs corruptâ, veneno per Lygdum Spadonem dato, ſuſtulit. Adfirmat hæc & alia de homine longè fœdiſſima *Tacitus* Lib. IV. An. c. 8, & 10. Addit & *Philo*, in libro de Legatione ad Caium, [1] multa confiâa crimina de Judæis à Sejano ad Tiberium delata, ut Gentem diriperet; quam, ut ait *Philo*, noverat vel ſolam, vel præcipuè conſiliis & factis impiis eò tendentibus, ut perfidæ proditionis periculum ſubiret Imperator, repugnaturam. Fidem erga Cæſares quod adtinet, Judæi paucis pòſt annis ſat oſtenderunt ſibi eam minimè cordi eſſe; & nimis pauci erant in Italia, quàm ut timeri ab Ethnicis poſſent. Sed *Philo* ſuæ Genti patrocinatur, nec eſt cur illi quiſquam propterea ſuccenſeat.

II. Hoc eodem anno, Judææ Procurator exauctorato Simoni Camithi F. Pontifici Maximo, ſuffecit Joſephum Cajapham, qui per ſeptemdecim annos, præter morem, Pontificatum tenuit.

Sex. Cornelio Cethego, L. Viſellio Varrone COSS. *Tiberii XI. Herodis Antipæ & Philippi XXVII. Ætatis Chriſti XXVIII. Æræ Vulgaris* XXIV.

I. Decem annis imperii exactis, nullo Senatûs-Conſulto indiguit Tiberius, ut in decennium ei prorogaretur, quod Auguſtus ſibi fieri voluerat. Ludi tamen decennales facti, ut habet *Dion* Libro LVII. ad hunc annum. Ad eum viri docti revocant quod habetur in *Euſebio*, ex Editione *Arnoldi Pontaci*, anno Abrahami MMXLI. qui Calendis Octobris anni labentis Chriſti inchoatur: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes conſtruxerat, Cæſaream Philippi vocavit,* [2] *& Juliadem aliam civitatem.* Tempore enim decennalium Cæſarum, ejuſmodi dedicationes fieri ſolebant. Rem tamen ad annum ſequentem refert Scaligerana Editio, quæ & Tiberiadis & Liviadis ad annum Tiberii XIV. meminit. Sed de ea re diximus, ad annum I. ante Æram Vulgarem.

M. Aſinio Agrippa, Coſſo Cornelio Lentulo COSS. *Tiberii XII. Antipæ & Philippi XXVIII. Ætatis Chriſti XXIX. Æræ Vulgaris* XXV.

I. Hoc anno Valerio Grato, qui Judææ Procurator undecim annis fuerat, ſuffectus eſt Pontius Pilatus; ut auctor eſt *Joſephus*, Ant. Jud. Lib.

1 *Multa conficta crimina* &c.] Pag. 1015. Ed. Pariſ. ait Tiberium, poſt mortem Sejani, intellexiſſe ὅτι τὰ κατηγορηθέντα τῶν ᾠκηκότων τὴν Ῥώμην Ἰουδαίων ψευδεῖς ἦσαν διαβολαὶ, πλάσματα Σηϊανοῦ τὸ ἔθνος ἀναρπάσαι θέλοντος, ὅπερ ἢ μόνον, ἢ μάλιστα ᾔδει βουλαῖς ἀνοσίοις καὶ πράξεσιν ἀντιβησόμενον, ὑπὲρ τοῦ παρασπονδηθῆναι κινδυνεύσαντος αὐτοκράτορος.

2 *Juliadem.*] Fallitur *Euſebius*, ut ſenſit jam *Joſephus Scaliger*, perperámque ad hunc annum Juliadis inſtaurationem, ex conjectura refert. Vide quæ diximus ad annum I. ante Æram Chriſtianam.

I *Euſe-*

Lib. XVIII. c. 3. Vide & de Bello Jud. Lib. II. c. 13. in Græcis, & [1] *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 9. ANN. XXV.

II. Coepit hoc anno, a. d. V. Calendas Septembres, quindecimus annus Imperii Proconſularis Tiberii, de quo diximus ad annum Æræ Vulgaris XI. ætatis Chriſti XV. Hoc ipſo anno, [2] Joannes, Zachariæ Sacerdotis filius, cùm in deſertis locis duram ac ſolitariam vitam ageret, juſſus eſt à Deo Judæos ſuo nomine adire, & ad pœnitentiam vocare, eò quod regnum cœleſte Meſſiæ immineret; ut habemus apud Matthæum Cap. III. Marcum C. I. & Lucam C. III. Eo munere cœpit defungi, circa Jordanem, in Magno Campo, ubi auditores ſuos aquâ Jordanis abluebat, pro more illius ævi; ut hoc ritu ſignificaret priſtinæ vitæ ſordibus, ſeu vitiis eos purgari oportere; ſi peccatorum veniam à Deo conſequi, & regni cœleſtis Meſſiæ participes fieri vellent. Ille autem, veterum Prophetarum more, præſertim [3] ſi dura nunciarent, veſtitus erat tunicâ aſperiore, villis cameli contextâ, cingulóque coriaceo cinctus; nec ſe ſæpiùs ullo cibo, niſi locuſtis & melle ſilveſtri, ſuſtentabat. Cùm nunciaret pœnas à Deo de Judæis, vitiis mancipatis, mox ſumendas, niſi ad meliorem frugem quàm primùm redirent; ingentes concurſus ad eum fiebant, cùm ex reliqua Judæa, tum etiam ipsâ Jeroſolimâ, hominum; qui ingenuè profitebantur ſe, ob vitia ſua, dignos eſſe, qui Deo pœnas darent, ſed ſe præteritorum pœnitere, atque in poſterum caſtigatiùs velle vivere; quod Joanni, ſollemni ablutionis ritu ſuſcepto, confirmabant.

III. Inter ceteram turbam, quæ ad eum confluebat, multi erant è Phariſæorum ac Sadducæorum genere; quorum priores, alteram poſt hanc vitam fore contendentes, fictâ tamen Religione plebem ut plurimùm fallebant: poſteriores verò, negatâ animi immortalitate, omnem Religionem intra hujuſce vitæ limites claudebant, vimque ejus prorſus infringebant. Itaque ille eorum nequitiam cum lethifero ſerpentium veneno conferre, negaréque ſuſcepto dumtaxat baptiſmo à ſe adminiſtrato, nec mutatis alioqui moribus, immunes futuros pœnarum improbis Judæis à Deo imminentium. Si vellent ablutionem hanc ſuam ſibi utilem eſſe, oportere eos in poſterum ita vitam inſtituere, ut ex moribus emendatioribus eos ſeriò ad ſaniorem mentem rediiſſe liqueret. Quâ demum mutatione vitæ, Deo acceptiores futuri eſſent; non genere ex Abrahamo ducto, quemadmodum putabant, quaſi Deus ejus proſapiæ, quibuſcumque tandem eſſet moribus, propitius eſſe neceſſe haberet. Senten-

1 *Euſebium*] Bis ait *Joſephum* ſcripſiſſe Antiquit. Jud. Lib. XVIII. *κατὰ τὸ δωδέκατον ἔτος τῆς Τιβερίȣ βασιλείας* iviſſe Pilatum in Judæam. Quod tamen *Joſephus* diſertè non habet, in noſtris exemplaribus. *Hieronymus* rem refert ad annum XIII.

2 *Joannes* &c.] Hæc ex *Harmonia* noſtra *Evangelica*, ut & totam Chriſti Hiſtoriam ſumſimus, paullulùm immutata & in Epitomen paſſim redacta.

3 *Si dura nunciarent*] Vide quæ adnotavit vir doctiſſimus *Henr. Hammondus* ad Matth. C. III, 4.

ANN. XXVI.

Sententiam hujus orationis Joannis, ſummatim ſpectatam non malè expreſſit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 7. ut in additamentis ad *H. Hammondi* adnotationes ad N. T. poſterioris Editionis, monuimus.

IV. Egregium etiam illic Joanni teſtimonium perhibet, de quo & poſtea agemus. Quod cùm animadverteret nonnemo, ægréque ferret *Joſephum*, Jeſu præterito, ſolum Joannem laudaſſe; adſuit de ſuo Hiſtorico Judæo, quæ Judæum nequaquam redolent, nec tamen ita exprimuntur, ut à Chriſtiano debuiſſent, encomia Chriſti, quæ leguntur Lib. XVIII. c. 4. Quare à viris doctis ſuppoſitionis meritò inſimulata ſunt; qua de re, & nos egimus *Artis Criticæ* P. III. S. I. c. 15.

V. Pilatus interea, cùm Cæſareâ Romanos præſidiarios Jeroſolimam hibernatum transduxiſſet, ſimul in urbem intulerat ſigna, quibus inerant imagines Cæſaris; cùm ſuperiores Præſides aliter ornatis ſignis uti Jeroſolimæ ſolerent, ne offenderent Judæorum oculos, ab imaginibus, præſertim quæ colerentur, abhorrentes. Igitur enixis Judæorum, quos ne metu quidem mortis abigere à ſe poterat, precibus adactus juſſit ſigna Cæſaream reportari.

VI. Adgressus etiam aquæductum ſtruere, quo aquam à [4] ducenteſimo ſtadio Jeroſolimam perduceret, pecuniâ in eos ſumtus è ſacro Templi ærario deſumtâ, alteram ſeditionem excitavit; ſeu quòd ab Ethnicis nollent Judæi ſacros theſauros adtingi, ſeu quòd ejusmodi obtentu ne prorſus expilarentur timerent. Nec potuerunt Judæi à conviciis compeſci, niſi militibus immiſſis, qui fuſtibus multos occiderunt, multitudinémque ſe in fugam dare coëgerunt. Quo anno, contigerint hæc non docet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 4. Sed initio ejus adminiſtrationis contigiſſe colligere poſſe videmus è Lib. II. de Bello Jud. c. 14. ubi eadem narrantur. Nec reliqua Pilati adminiſtratio æquior, aut Judæis gratior fuit, ut poſtea videbimus.

Cn. Cornelio Lentulo Getulico, C. Calviſio Sabino COSS. Tiberii XIII. Antipæ & Philippi XXIX. Ætatis Chriſti XXX. Æræ Vulgaris XXVI.

I. Cum Joannes Judæos ad ſe venientes ablueret, Jeſus etiam è Galilæa ad eum ſe contulit, ſuſcipiendi baptiſmi causâ. Quem cùm peteret, Joannes, qui Judæos omnes promiſcuè abluebat, poſſe ſe adduci negavit, ut eum ablueret, à quo ipſum ablui oporteret; quippe multò ſanctiore & qui ſe docere poſſet, quomodo vitia ſua emendaret. Quod adflatu prophetico ab eo dicebatur, nam Jeſum alioqui non norat. At Jeſus reſpondit ſibi certum eſſe facere, quæ, Religionis causâ, à Judæis meritò fiebant, ideóque velle ſe etiam ab eo ablui; quamvis ablutione,

4 Ant. Jud. XVIII, 4. ſic legitur, διακοσίων, ſed Bel. Jud. Lib. II, 14. τετρακοσίων quadringentis.

tione, quâ ſignificabatur purgatio vitiorum, nequaquam indigeret. Quo audito, Joannes non ampliùs dubitavit an eum eſſet abluturus. Cùm verò Jeſus ablutus & ex aqua egreſſus genua flexiſſet, ut Deum oraret; tum diſcedentibus ſubitò utrimque nubibus, cœlum veluti aperiri viſum eſt, atque ex ſummo æthere deſcendit Spiritus Sanctus, inſtar columbæ, in flammula conſpicua, quæ inſedit capiti Jeſu, auditáque ſimul eſt vox è cœlo Dei dicentis: TU ES FILIUS MEUS, QUEM SINGULARI AMORE PROSEQUOR. Hoc autem tempore, Jeſus natus erat circiter triginta annos, quâ ætate cœpit ſuo munere fungi, ut mox dicemus. ANN. XXVII.

II. TUM verò, Spiritûs Sancti adflatu, è Jordane in ſolitudinem Arabiæ vicinam, ad ortum fluvii profectus eſt; ut, tentatione Cacodæmonis ſpretâ, firmaretur atque inſignior fieret ejus conſtantia. Illic, per quadraginta dies, ſine ullo cibo, manſit: quot diebus etiam Moſes, in monte Sinaï, olim moratus erat jejunus, interea dum leges à Deo acciperet. Memoriæ quidem proditum non eſt quid Jeſu contigerit, per totos quadraginta dies in ſolitudine verſanti; ſed dumtaxat, ſub finem ejus temporis, divinâ potentiâ hominem humanæ naturæ infirmitati permittente, cœpiſſe eum eſurire.

III. TUNC ad eum acceſſit Cacodæmon, conſiliorum Dei adverſarius, qui ei dixit, quandoquidem eſuriebat, ſi Filius Dei eſſet & imperio paterno legibus naturæ ſuperior; oportere dumtaxat eum jubere lapides, qui illic erant, fieri panes, ut urgentem famem ſedaret. Reſpoſuit verò ei Jeſus à Moſe ſcriptum eſſe [1] *non pane ſolo vivere hominem, ſed re quavis, quæ ex ore Dei egrederetur*, ſeu quam vellet Deus alimenti ei loco eſſe; ideóque minimè opus eſſe, ut lapides in panes converterentur, cùm aliter poſſet à Deo ſuſtentari.

IV. EUM deinde Cacodæmon Jeroſolimam duxit, loricæ tecti Templi impoſuit, juſſitque, ſi Filius Dei eſſet, ſe præcipitem dejicere, nihil enim mali paſſurum ex lapſu, quandoquidem de eo à [2] Pſalte ſcriptum eſſet: *Angelis ſuis de te in mandatis dabit, ut te cuſtodiant. In manus ſuas tollent te, ne quando pedem tuum in lapidem impingas.* Jeſus verò reſpondit vetuiſſe Moſem [3], ne quis *Dominum Deum ſuum tentaret*; quaſi, ſcilicet, de ejus bonitate & potentia dubitaret.

His auditis, Cacodæmon, alio tentationis genere Jeſum adgreſſurus, eum ſubduxit in altiſſimum montem; è cujus ſummo jugo, brevi momento, ei oſtendit ampliſſimos terrarum tractus quaquaversùm porrectos, atque opes multorum populorum, quibus omnibus ſe donaturum eum promiſit, ſi procumbens ſe ſe quaſi Deum adoraret; ſe enim eorum eſſe dominum, & cuicumque vellet dare poſſe confirmavit. At Jeſus Dei adverſarium à ſe faceſſere juſſit, Moſem enim [4] *ſolum Dominum*

1 Deut. VIII, 3. ad quem locum vide notata. 2 Pſ. XCI, 11. 3 Deut. VI, 16. ad quem locum vide notata. 4 Deut. X, 20.

ANN. XXVI. *num Deum adorari & coli* juſſiſſe. Quo reſponſo accepto, cùm Cacodæmon intelligeret ſe fruſtra eſſe, ab eo receſſit. Interea Jeſus in ſolitudine verſabatur, cum feris; ſed Angeli cibum ad eum adtulerunt, omnibus ejus imperiis obſequi parati. Hæc habemus apud Matthæum Cap. III, 13. & ſeqq. IV, 1. ad 11. Marc. C. I, 9. ad 13. Luc. C. III, 21. & ſeqq. C. IV, 1. ad 13.

VI. Postea etiam Jeſu teſtimonium clarâ voce & palam perhibuit Joannes, cùm profeſſus eſt eum eſſe, quem *poſt ſe venturum & majorem ſe futurum* prædixerat. Jeroſolimitani verò proceres, cùm viderent Judæam totam ad Joannem concurrere, & ab eo ablui, miſerunt ad eum legatos Sacerdotes & Levitas, quoniam & ipſe è Sacerdotali genere erat; qui hominem interrogarent de munere, quod ſuſceperat, déque auctoritate quâ eo defungebatur. Qui cùm Joannem conveniſſent & mandata expoſuiſſent, multi, qui ſuſpicabantur eſſe Chriſtum, reſponſum ejus, non ſine quadam animi anxietate, exſpectabant. At ille apertè negavit, & quidem coram omnibus, ſe eſſe Meſſiam. Quæſiverunt ergo Jeroſolimitarum legati, quaſi dubitaſſent an eſſet Zachariæ Sacerdotis filius, aut inſidias ei ſtruentes, an eſſet Elias, quem è cœlo in terras deſcenſurum, autequàm veniret Meſſias, putabant Judæi; quod pariter inficiatus eſt Joannes, licèt Eliæ nomine fuiſſet deſignatus à Propheta; quòd reverâ Thisbita ille Elias non eſſet, quem exſpectabant à cœlo Judæi. Tertiùm interrogarunt an eſſet alius è veteribus Prophetis, è mortuis, nempe, excitatus; quod ille perinde negavit. At illi quærere, quid ergo de ſe vellet reſponderi Jeroſolimitarum proceribus, à quibus miſſi fuerant? Si de ſe, ex aliena conjectura, nollet judicium ferri, diceret ipſe quem dici cuperet. Tandem ſe eum eſſe profeſſus eſt Joannes, de quo Eſaïas Propheta, Cap. XL, 3: *Vox eſt clamantis in deſerto, complanate viam Domini*; hoc eſt, Meſſiæ prænuncium.

VII. Cum autem legati eſſent è Phariſæorum ſecta, quæ Majorum inſtituta & opiniones acriter tuebatur, nec novi quidquam proferri, aut inſtitui patiebatur; rogarunt Joannem, diceret, quâ auctoritate inſtituiſſet ablutionem, quâ, non modò erga Proſelytos ex aliis Gentibus, quod fieri ſolebat, ſed & erga ipſos Judæos utebatur; cùm neque Meſſias, neque Elias, neque alius Propheta eſſet, qui novos mores condere poſſet. Tum verò repoſuit Joannes, ſe abluere dumtaxat aquâ, nec ulla cœleſtia dona baptiſmo illo ſuo conferre in ablutos, ſed eos tantùm docere animum vitiorum ſordibus eſſe purgandum, ſi Deo accepti eſſe vellent. Verùm jam eſſe, apud Judæos, virum iis ignotum, qui quidem poſt ſe ad eos, nomine Dei, venturus erat, ſed ampliore multò poteſtate inſtructus, majoréque dignitate à Deo ornatus; & cui ipſe Joannes dignus non erat, qui viliſſima exhiberet miniſteria, quale eſt calceos domum redeunti è pedibus exuere. Hunc autem diſcipulis ſuis, non baptiſmum tantùm aquæ, ſicut ipſe faciebat, collaturum; ſed & Spiritum

tum Sanctum, ſub imagine ignis, in eos demiſſurum. Quemadmodum verò fruges demeſſæ triturantur in areis, ita ut granum in horrea recondendum ſeparetur à gluma, quæ incendi ſolet atque abſumi: ita eum virum bonos quosque, in Judæorum gente, ſeparaturum brevi à malis, & poſteriores graviſſimas pœnas ei daturos, dum priores ampliſſimis præmiis fruituri eſſent. Hæc & ſimilia, de Meſſia mox venturo, docuit Joannes Judæos; atque hoc quidem teſtimonium præbuit Jeſu Bethabaræ, ad ripam Jordanis, ubi tunc ad ſe accedentes abluebat.

VIII. Interea Jeſus ex monte, in quo poſtremùm à Cacodæmone tentatus fuerat, & quidem fruſtra, ut antea diximus, ad Joannem rediit; à quo conſpectus poſtridie ejus diei, quo ei teſtimonium exhibuerat, apud Jeroſolimitarum legatos, novis laudibus illico apud eum eſt ornatus; ita ut ſignificaret Joannes eumdem illum eſſe, de quo pridie egerat cum legatis, & *hic eſt*, inquit, *agnus ille, vitii omnis expers, qui ſe Deo, quaſi victimam, ad expianda hominum peccata, offeret. Hic eſt quem dicebam eſſe me potiorem, majoréque dignitate à Deo ornatum. Hunc equidem antea non noram, quamvis cœpiſſem abluere pœnitentes & docere regnum cœli mox adfuturum, ut Judæis meâ prædicatione innoteſceret. Intellexi autem illum eſſe, quando in eum, à me ablutum, deſcendere Spiritum Sanctum, inſtar columbæ, eique aliquamdiu inſidere vidi; divinitus enim monitus fueram, cùm miſſus ſum ad pœnitentes aquâ abluendos, ab eo, in quem ita viderem Spiritum delapſum, Spiritu Sancto ſimiliter diſcipulos donatum iri. Quem cùm viderim huic viro inſidentem, hunc eſſe Filium Dei palam teſtor.*

IX. Postero die, cùm Joannes eſſet cum duobus diſcipulis ſuis, conſpicatus iterum Jeſum non procul ambulantem, *ecce*, inquit, *agnum Dei, de quo heſterno die dicebam.* Quæ omnia habemus præſertim Joannis I, 15. ad 33. & nonnulla Matthæi III, 11, 12. Marc. I, 7, 8. & Lucæ III, 15, 16, 18.

X. Iterato Joannis teſtimonio de Jeſu audito, duo diſcipuli, qui ei adſtabant, illico Jeſum ſunt ſequuti; quos, cùm à tergo venientes animadvertit, converſus interrogavit qua de cauſa ſe ita adſectarentur. Illi verò, cupere ſe ſcire, ubi habitaret. Eos ergo in hoſpitium ſuum duxit Chriſtus, in quo circiter per duas horas, ad occaſum usque ſolis, manſerunt; nec quid à Jeſu quæſiverint interea, vel audiverint memoriæ proditum eſt.

XI. Alter horum diſcipulorum erat Andreas Bethſaïdenſis piſcator, Simonis, qui poſtea Petrus dictus eſt, frater. Is fratrem, qui de Jeſu nihil inaudiverat, monuit à ſe inventum eſſe Meſſiam, & ad Jeſum duxit; qui hominem intuitus, *vocaris*, inquit, *Simon, Jonæ filius, at poſthac vocaberis* Cephas; hoc eſt, *Petrus*, ſeu lapis. Quâ nominis mutatione, ſignificabat, Hebræorum more, mutationem inſtituti vitæ, quæ in Simone brevi erat futura.

XII. Sequente verò die, ſtatuit Jeſus ire in Galilæam, & cùm in-

ANN. XXVI. incidiſſet in Philippum Bethſaïdenſem, Andreæ & Petri popularem, juſſit eum ſe ſe adſectari, diſcipulum ſuum poſthac futurum. Quod ille ſe facturum pollicitus non multò pòſt conventum Nathanaëlem monuit, tandem diu exſpectatum illum Meſſiam, de quo tam multa Moſes & Prophetæ, à ſe conſpectum eſſe; Jeſum, nempe, Nazarenum, Joſephi filium, ut vocabatur ab iis, qui arcanam ejus generationem ignorabant. Miratus Nathanaël egregium quidquam Nazarethâ, ignobili tum Galilææ oppido, potuiſſe oriri, juſſus eſt à Philippo ſecum adire Jeſum, ut per ſe ipſe de eo judicaret. Paruit verò ille, atque hanc laudem à Jeſu accedens tulit, eum eſſe eâ adfectione animi, quæ verum Iſraëlitam, ſeu veri Dei cultorem deceret, nec ullâ fraude inquinatum. Quæſivit ab eo Nathanaël, unde Jeſu notus eſſet, qui tam benignè de ſe ſentiebat. Jeſus verò repoſuit ſe eum vidiſſe ſub ficu quieſcentem, antequàm à Philippo vocaretur; unde intelligere poterat Jeſum eſſe Prophetam, qui ſciret quod à nemine reſciri potuerat. Ibi verò Nathanaël exclamare, nequaquam erraſſe Philippum, qui dixerat eum eſſe Filium Dei, ſeu Regem illum Iſraëlis, qui à piis Judæis uſque adeò expetebatur. At Jeſus, *mihi*, inquit, *credis*, *quia dixi te à me conſpectum eſſe*, *ſub ficu; atqui multò majora & mirabiliora poſthac videbis. Cæleſtes ipſi Angeli*, *Dei miniſtri*, *quaſi reſerato cœlo*, *deſcendent*, *& à me ad Deum redibunt.*

XIII. Tertio jam die, cùm Jeſus in Galilæam perveniſſet, eſſétque Canæ, quod erat ejus regionis oppidum, unà cum matre Maria & aliquot Diſcipulis, qui jam eum, ut Magiſtrum, adſectari cœperant, cum iis ad nuptias eſt vocatus. Ibi verò contigit vinum deficere, quod Chriſtus, inſigni miraculo, conversâ in vinum aquâ, quâ ſex hydriæ plenæ erant, ſupplevit. Atque hoc fuit miraculorum Jeſu, quæ palam edidit, initium; unde ejus diſcipuli à Deo miſſum collegerunt, eique propterea, non ut vulgari Magiſtro, ſed ut ſummo Prophetæ crediderunt. Canâ deinde Capernaümum, oppidum ſitum ad occidentalem ripam lacûs Geneſaretici, ſe, cum matre, cognatis & Diſcipulis, contulit, verùm eo tempore non diu eſt illic commoratus. Hæc narrantur, apud Joannem Cap. I, 34. ad finem, & Cap. II, 1. ad 12.

XIV. Quæ modò diximus Menſe Martio, labente XVI. Proconſularis Imperii Tiberii anno contigerunt; nam inſtabat paullò pòſt Paſcha, quod eo anno, ex Cyclo, quo utebantur Judæi, incidebat in IV. Cal. Apriles, Jeſus autem, Paſcha celebraturus, Jeroſolimam eſt profectus; quò cùm veniſſet & Templum ingreſſus eſſet, mercatorum victimarum & numulariorum menſas evertit, homines flagello è funiculis facto ejecit, increpitos quòd Templum Dei in ſpeluncam latronum, propter fraudes, quibus in commerciis utebantur, converterent. At Judæi nonnulli, qui aderant, negabant factum hoc ejus poſſe, niſi propheticâ auctoritate, defendi; quam tum demum crederent Jeſum à Deo accepiſſe, cùm miraculum quodpiam ab eo editum vidiſſent. Repoſuit

poſuit verò Jeſus, ſi hoc Templum diruiſſent, ſe ſe intra triduum inſtauraturum. At illi negare ſe capere quî poſſet triduo excitari Templum, in quo ædificando abſumti fuerant quadraginta ſex anni, ex quo ab Herode Magno inſtaurari cœperat. Quod verum erat, de primo adparatu Templi condendi, qui cœperat fieri, ut ſuo loco diximus, anno ante Vulgarem Chriſti Æram XX. à quo ad annum, ab initio ejus Æræ, XXVI. etiam poſt Herodis mortem, ſemper aliquid ædificio Templi additum fuerat. Verùm ea de re Chriſtus non loquebatur, ſed de Templo corporis ſui; quod à Diſcipulis, poſt reſurrectionem demum Jeſu, intellectum eſt, ut & alia plura quæ homines rudes ab initio adſequuti non fuerant. Attamen & miracula nonnulla ab eo facta ſunt, per Azymorum dies, è quibus eum à Deo verè miſſum multi intellexerunt. Sed Jeſus non fidebat Judæis; omnium enim animos norat, nec quâ indole eſſent homines ab aliis petere neceſſe habebat. ANN. XXVI.

XV. Tum fuit Chriſto colloquium cum Nicodemo Phariſæo, Synedrii Magni Adſeſſore, de neceſſitate denuo naſcendi iis, qui regni Dei beneficiorum participes eſſe cupiebant. Quod non eſt adſequutus Nicodemus, qui neſciebat quantum intereſſet inter dogmata, quæ vulgò apud Judæos obtinebant, & doctrinam Chriſti; itémque inter mores Judæorum & eorum, qui veros ſe Jeſu diſcipulos præſtituri eſſent. Prædixit etiam Jeſus, eo colloquio, fore ut in crucem tolleretur, hominésque, morte ſuâ, à peccatis redimeret, ſi modò fidem ei haberent; [5] quam negaturi erant mali, ſed optimi quique facilè habituri, quippe quos vitia à ſanctitate ejus doctrinæ alienos non facerent. Quæ copioſiùs legentur, apud Joannem Cap. II, 13. ad finem & Cap. III, 1. ad 21.

XVI. Exactis diebus feſtis Paſchatis, Jeſus Jeroſolimâ profectus ſe contulit in alium Judææ tractum, ubi Judæos ad ſe venientes Diſcipulorum ſuorum operâ baptizabat; dum idem faceret Joannes Ænone, Samariæ pago ad Jordanem; nec dum enim in carcerem conjectus fuerat, cùm Jeſus Evangelium nunciare cœpit. Eo tempore, orta eſt contentio inter Phariſæos & Joannis diſcipulos, de utriuſque baptiſmo, quem æquabant Phariſæi, qui neutri credebant; cùm diſcipuli Joannis, quibus Jeſus nondum ſat notus erat, Magiſtri ſui baptiſmum præferendum eſſe cenſerent. Itaque hi Joannem monuerunt de eo quod à Jeſu fiebat, quaſi ad exiſtimationem Joannis pertineret dare operam ne plures à Jeſu, quàm à ſe ablueretur. At Joannes longè ſibi Jeſum prætulit, adjecitque ſe gaudere plures in dies eſſe ei Diſcipulos, nec quemquam ſalutem conſequi poſſe, qui ei non crederet; quæ, ſolis fidem habentibus à Deo promittebatur.

XVII. Non multò pòſt, cùm Joannes eſſet in agris, qui pertinebant ad Herodis Antipæ Ethnarchiam, ceteris ſuis ſceleribus homo tyrannicæ

5 Vide Prolegomena Cap. IV. §. V.

ANN. XXVI.

rannicæ indolis hoc addidit, ut ſanctiſſimum virum in carcerem Machæruntinum immeritò conjiceret; quia nuptias ejus, præter Legem Moſis contractas, reprehendere auſus erat. Abduxerat enim Herodes à Philippo fratre, viro modeſto, & quieto, uxorem Herodiadem, Ariſtobuli fratris utriúsque filiam, eámque ſibi matrimonio conjunxerat, vivo etiamnum Philippo; quod ex Lege illicitum eſſe liberè Joannes prædicabat, nec cetera hominis ſcelera diſſimulabat. Itaque Herodias, Joanni ſummopere infenſa, homini inſidiabatur, quærebátque occaſionem, quâ eum è medio tolli curaret, ſed nondum invenerat; quia Herodi ipſi perſpectæ erant Joannis innocentia & integritas, quas reverebatur. Quin & interdum ſermones ejus non iniquo animo audiverat, nec pauca, ejus auctoritate adductus, fecerat. Attamen, ut ſunt tyrannorum ingenia ad ſævitiam proniora, Herodiadis iræ gratificatus ea in re eſſet; niſi ſibi metuiſſet à populo Judæo, qui Joannem Prophetam eſſe putabat. De iis plura apud Joannem C. III, 22. ad 36. Matth. C. XIV, 3, 4. Marcum C. VI, 17. ad 20. Luc. III, 19, 20.

XVIII. Cum aliquamdiu Jeſus in Judæa abluiſſet pœnitentes, tanta confluebat ad eum multitudo, ut rei fama pervenerit ad Phariſæos; qui cùm audiſſent plures ei eſſe auditores, quàm Joanni fuerant, conſilium ceperunt de exſtinguenda nova hac ſecta; quam auctoritati ſuæ adverſaturam non falsò exiſtimabant. Rem ubi intellexit Jeſus, ſimúlque accepit Joannem ab Herode Herodiadi proditum eſſe, relictâ Judæâ, in Galilæam redire conſtituit; nihil enim erat, quod ſibi ab Herode timeret, quia Joannis diſcipulus haberi nequaquam poterat.

XIX. Ut autem pedeſtri itinere rectà iret è Judæa in Galilæam, eum per Samariam tranſire neceſſe erat; per quam cùm iter faceret, pervenit Sicharam, quæ olim Sichem, vel Sichima vocabatur, & condita erat non procul ab agris, quibus Jacobus quondam Joſephum filium donaverat. Ad id oppidum puteus fuit, qui Jacobi dicebatur, ad quem Jeſus itinere feſſus ſedit, circa meridiem. Eâ diei horâ, contigit mulierem Samaritidem venire ad puteum, aquæ hauriendæ causâ; à qua muliere Jeſus petiit aquam, quam biberet, dum ejus diſcipuli abeſſent; quippe qui oppidum, cibi emendi causâ, ingreſſi fuerant. Mulier verò, intelligens Jeſum eſſe Judæum, mirata eſt eum potum à ſe petiiſſe; quæſivitque, quî, Judæus cùm eſſet, à Samaritide aquam petere ſuſtineret; neque enim beneficium ullum Judæi à Samaritis petere ſolebant, quòd eorum conſortione minimè uterentur. Neſciebat mulier inſtare tempus, quo futurum erat ut Samaritæ, Ethnici & Judæi, nullo diſcrimine, ſi modò Evangelio crederent, in regnum cœleſte Meſſiæ admitterentur; nec Jeſus ipſe rem diſcipulis ſuis eo tempore aperuerat, ſed

6 *Annon is fortè Meſſias eſſet.*] Quod à Jeſu audiverat oſtendebat quidem eum eſſe Prophetam, ſeù rerum arcanarum revelationem à Deo accepiſſe; ſed non ſequebatur ex ea revelatione eſſe Meſſiam. Addidit quidem Chriſtus ſe Meſſiam eſſe, at nullum ejus rei indicium dederat, niſi quod de occulta conſuetudine mulieris, cum

ſed factis quid futurum eſſet interim oſtendebat. Occaſione verò adreptâ, cœpit eam nonnulla de doctrina ſua, quam ſub imagine aquæ deſcribebat, docere; juſſitque mulierem ex oppido virum ſuum accerſere. At illa negare ſibi eſſe virum; quo audito, Jeſus verè ait eam negaſſe ſibi eſſe virum, nam ei quidem quinque viros fuiſſe; ſed eum, cum quo conſuetudinem tunc haberet, non fuiſſe virum, cui legitimis nuptiis conjuncta eſſet. Ibi mulier mirata eſt Jeſum, qui peregrinus erat, id arcanum noſſe; ſéque hinc intelligere reſpondit eum eſſe Prophetam. Tum ab eo quæſivit, cur Judæi Deum Jeroſolimæ colendum eſſe contenderent, cùm antiquiſſimi Patriarchæ eum etiam in Garizitano monte coluiſſent; quæ potiſſima erat Judæorum & Samaritarum controverſia. Jeſus verò reſpondit, mox adfuturum tempus, quo nec in hoc monte, nec Jeroſolimæ ſacra facienda eſſe homines intelligerent; & ad diſſidium quidem Judæorum & Samaritarum, quod adtinebat, à Samaritis coli Deum, cujus præcepta omnia non noſſent: Judæis verò Leges omnes divinas notas eſſe, atque ab hiſce primùm profluxiſſe ſalutarem doctrinam, de ratione quâ Deus erat colendus, unde aliqua pars cognitionis Dei ad Samaritas eſſet derivata. Brevi acceptos Deo cultores, non corporeis victimis, uno in loco mactandis, ſed animi cultu & religione minimè fucatâ, eum culturos. Deum enim ejuſmodi cultores amare, non eos, qui externo tantùm cultu defunguntur; eſſe quippe Deum Mentem puram, & quæ proinde animo potiſſimùm coli velit & religione omnis fuci experta. Hæc cùm dixiſſet Jeſus remotiſſima ab iis, quæ vulgò Judæi & Samaritæ docebant; qui cultum illum ſuum, ritibus & locis veluti adfixum, æternum fore putabant; nec mulier quidquam, quod ad rem faceret, reſpondendum haberet, dixit venturum aliquando Meſſiam, à quo omnia Judæorum & Samaritarum diſſidia eſſent componenda, & quidquid obſcurum etiamnum, in Religionis negotio, ſupererat illuſtrandum. Jeſus verò, quod nondum ſolebat, apud Judæos, facere, ſe Meſſiam eſſe ei privatim profeſſus; quòd, ut videtur, ab eo loco turbarum nihil metuendum eſſet, quarum occaſiones omnes diligentiſſimè antevertere ſolebat. Eadem etiam de cauſa, mulieri Samaritidi, nec ſatis caſtæ vitæ, Religionis Moſaïcæ, ad ritus quod adtinet, finem mox futurum aperire non eſt veritus, ſimúlque indicare præſtantiùs & religioſiùs poſſe Deum coli, quàm ut præceperat Moſes; quod vix ad aures admiſiſſent Judæi.

ANN. XXVI.

XX. Interim Chriſti Diſcipuli ex oppido redierunt, quò mulier reverſa erat, ut oppidanos moneret ſe incidiſſe in virum, à quo arcana ſuæ ipſius vitæ audiverat, quæ à nemine accipere vir ille potuerat; diſpicerent [6] annon is fortè Meſſias eſſet, quem iis temporibus exſpectabant. Chriſtus

cum viro, cui non nupſerat, dixerat. Verùm hiſce temporibus & Judæi & Samaritæ Meſſiam exſpectabant, & ſi quid ſingulare in quopiam animadvertebant, Meſſiam eſſe ſuſpicabantur. Sic Joannem Baptiſtam quidam, ut vidimus, Meſſiam opinabantur, quamvis ad pœnitentiam tantùm homines hortaretur, & Regnum Cœleſte inſtare

ANN. XXVI. tus verò, ex occaſione cibi à Diſcipulis adlati, alium ſibi eſſe cibum dixit, hoc eſt, alia curanda; nimirum, prædicationem & propagationem Evangelii; ad quam, quaſi ad meſſem brevi maturam & mox paratam, eos eſſet miſſurus; ut Propheticæ doctrinæ, quæ in piorum animis radices egerat, veluti fructus colligerent, dum homines ad fidem Evangelio habendam adducerent. Paullò pòſt adfuerunt oppidani, qui, auditâ popularis mulieris oratione, Jeſum aut Meſſiam, aut Prophetam eſſe crediderant. Itaque cum orarunt, ut aliquantiſper apud ſe commorari vellet, eorúmque precibus adductus eſt ut, contra morem Judæorum, qui à Samaritis abhorrebant, cum iis familiariter verſaretur. Quod erat caritatis Evangelicæ, inter omnes homines, etiam aliter ſentientes, futuræ veluti proludium, & exemplum diſcipulis Jeſu propoſitum, ne acerbitatem popularium ſuorum umquam imitarentur. Sicharenſes verò Jeſu, majore otio, audito, multò plures ejus ſermonibus crediderunt, quàm qui crediderant, propter ea, quæ à muliere audiverant. Negabant verò ſe credere Jeſum eſſe Meſſiam, propter id quod narrarat mulier; fidem ſe ei habere aiebant, propter ea, quæ ipſi ex ore ejus pendentes auribus quique ſuis hauſerant. Hæc eximia, inter ea quæ primo anno prædicationis Evangelicæ contigerunt, debemus Joanni Cap. IV, 1. ad 44.

XXI. Deinde Jeſus in Galilæam, quò ire inſtituerat, contendere perrexit, & brevi ingentem ſui famam, per omnia finitima loca, excitavit; dum per Synagogas oppidorum, in quibus morabatur, Judæos docet adventare tempus, quo Meſſiæ regnum cœleſte patefaciendum eſſet; itaque par eſſe, ut, emendatis moribus, ad caſtigatiorem vitam ſe ſe converterent, crederéntque bono nuncio; quod à ſe ad eos adferretur, ſi cuperent bonorum ejus regni participes fieri. Dum autem urbes Galilææ obiret, ivit etiam Nazaretham, &, pro conſuetudine ſua, die Sabbathi ingreſſus eſt Synagogam, ſurrexitque lecturus quidpiam in Prophetis; prout, apud Judæos, fieri ſolebat. Itaque Synagogæ miniſter ei porrexit volumen Eſaiæ Prophetæ, quo revoluto, incidit in locum, in quo hæc verba [7] exſtant: *Spiritus Dei eſt ſuper me, nam unxit me ut evangelizem pauperibus; miſit me, ut medear contritis corde; ut nunciem captivis dimiſſionem, & cæcis viſûs recuperationem; ut confractos emittam in libertatem; ut nunciem annum Domini acceptum.* Quibus verbis lectis, convolvit volumen, reſtituitque Miniſtro, & adſedit, omnium, qui in Synagoga erant, oculis in ſe converſis. Tum cœpit eos docere hoc Eſaiæ vaticinium, ipſis inſpectantibus, eſſe impletum; omnes verò ejus orationem, ſingulari gratiâ condîtam, mirabantur & quærebant à ſe invicem, annon eſſet is filius Joſephi? unde autem homini à pauperculis parentibus educato, & in quorum ædibus adoleverat, tanta parta eſſet eruditio-

inſtare nunciaret. Re verâ è Daniele Judæi diſcere potuerant hæc eſſe tempora Meſſiæ, & res ad Samaritas etiam manaſſe.

7 Cap. LXI, 1.

eruditio? At miraculis, quæ alibi ab eo edita audiverant, fidem detrahebant; quòd ſimilia, apud ſe, patrari ab eo non vidiſſent. Jeſus verò indignos eſſe populares ſuos, qui talia viderent, pronunciavit; nec inſolitum hoc eſſe ſat liquere ex proverbio, quo *nemo in patria ſua Propheta eſſe* ferretur. Iis verbis in rabiem acti Nazareni conſurgentes manus injecerunt in Jeſum, duxerúntque eum in crepidinem montis, cui impoſita erat Nazaretha, ut præcipitem illinc darent. Verùm, divinâ potentiâ, inconſpicuus illis factus eorum manibus elapſus eſt, nec ſciverunt quid eo factum eſſet. Ille verò in alios Galilææ tractus ſe contulit, in quibus meliùs exceptus eſt, quòd iis in locis multi eſſent qui miracula ab eo Jeroſolimæ edita, præterito Paſchate, viderant. ANN. XXVI.

XXII. Cum autem eſſet Canæ ubi, hoc ipſo anno, aquam in vinum mutarat, convenit eum quidam Herodis Tetrarchæ adminiſter, oravitque ut Capernaümum veniret, filiúmque ſuum decumbentem curaret. At Jeſus repoſuit à Judæis miracula, quæ ipſi videant, poſtulari, nec aliis fidem haberi; cùm interea nec doctrinæ ſuæ, nec teſtimonii Joannis, quæ maximi apud eos eſſe ponderis debuerant, rationem ullam haberent. Nihilo ſeciùs inſtabat Herodis miniſter, ut filio ſuo valetudinem reſtituere vellet. Quare Jeſus juſſit eum Capernaümum redire, curatum enim eſſe ejus filium; quod ille rediens factum eſſe, ab occurrentibus ſervis, eo momento, comperit, quo dixerat Jeſus, Jeſúmque à Deo miſſum, cum tota familia, credidit. Hoc autem alterum fuit miraculum, quod eo anno, poſtquàm è Judæa redierat, in Galilæa edidit; nam prius fecerat Nazarethæ, cùm è manibus popularium furentium elapſus erat, ut diximus. Hæc habent Marcus C. I. 14, 15. Lucas IV, 14. ad 30. Joan. IV, 41, 54.

XXIII. Jesus, relictâ denuo Nazarethâ, nuſquam diutiùs commoratus eſt, quàm Capernaümi, quæ in finibus Tribuum Zabulonis & Nephthalis ſita erat, ad ripam, ut diximus, lacûs Geneſaretici. Quâ commoratione factum eſt, ut ejus inſtitutione diutiùs Capernaümenſes, quàm ulli alii, uterentur. Singulis enim Sabbathis, Synagogam ingreſſus, palam populum docebat atque in admirationem ſui rapiebat. Nec loquebatur, quemadmodum vulgò Legis Periti, qui ex Majorum traditione habere ſe quæ dicebant profitebantur, & eorum auctoritare pondus dictis ſuis addebant; ſed quaſi divinâ poteſtate à Patre ſuo inſtructus omnia proferebat, ut à Deo ipſo accepta; atque ab hoc demum tempore, cùm Joannes carcere clauſus eſſet, neque ampliùs poſſet munere ſuo defungi, cœpit Jeſus acriùs exigere morum emendationem, apud Judæos, & adcuratiùs nunciare inſtare regnum cœleſte Meſſiæ.

XXIV. Aliquando autem cùm eſſet in Synagoga Capernaümenſi, vir à Cacodæmone obſeſſus ei oblatus eſt, ut eo liberaretur. Cacodæmon autem, ore miſeri hominis uſus, exclamabat ſe probè ſcire Jeſum eſſe *Sanctum Dei*, quo loquendi genere non obſcurum erat Meſ-

ANN. XXVI. ſiam ſignificari. At Jeſus [8] nec eo ſuffragio indigens, nec cupiens rem per Galilæam eo tempore promulgari, juſſit Cacodæmonem tacere & corpore, quod inſederat, egredi; quod è veſtigio facere coactus eſt. Ibi verò populus demirari quæ tandem eſſet Jeſu doctrina, quam tanta miracula comitarentur, & fama ejus quaquaversùm ſpargi; quâ fiebat ut magni concurſus ad eum fierent, & ægri curandi undequaque eò veherentur.

XXV. Habitabant Capernaümi, unis in ædibus, Petrus, Andreas, Jacobus & Joannes piſcatores, ſocietate inter ſe initâ, & Petri quidem ſocrus illic decumbebat febre graviſſimâ laborans. Igitur cùm Petrus & Andreas Jeſu jam eſſent noti, eum ex Synagoga rectà duxerunt domum ſuam, ut mulierem curaret; ad quam accedens febrem ceſſare & mulierem manu adprehenſam ſurgere juſſit. Ea verò ſe curatam ſentiens, recuperatis illico viribus, ſurrexit, Jeſúque & aliis miniſtrare, prout ſolebat, denuo cœpit.

XXVI. Per vicina quoque loca Evangelium nunciabat Jeſus, interdúmque plebem etiam extra urbes & pagos eum ſequutam docebat. Aliquando è ſcapha Petri & Andreæ ad populum, in ripa ſtantem, verba fecit. Cùm verò docere deſiiſſet, Petrum altum petere & retia in aquam demittere piſcium capiendorum causâ juſſit. Reſpondit verò Petrus ſe quidem per totam noctem fruſtrà piſcatos, ſed, eo jubente, iterum rem experturos. Demiſſum ergo illico rete tantâ copiâ piſcium eſt refertum, ut nonnullis locis frangeretur; qua de cauſa, ſocios alterius naviculæ ad ſe vocarunt, ut properè auxilio ſibi venirent. Qui brevi adfuerunt, extractóque rete ambo navigiola tanto piſcium numero impleta ſunt, ut propemodum demergerentur. Tum verò Petrus, tam inſigni miraculo perculſus, ad pedes Jeſu accidit, nec ſe dignum ratus qui adeſſet in eadem ſcapha tanto viro, ac veritus ne fortè quid faceret, aut diceret, quod ejus iram moveret, orabat eum ut à ſe abiret, quippe homine non uno vitio contaminato. Summo enim timore correptus fuerat, ut & omnes, qui in eadem navicula erant, cùm viderant ſe juſſui Jeſu obtemperantes tantam ſubitò piſcium copiam cepiſſe, quamvis antea per totam noctem fruſtra piſcati eſſent. At Jeſus Andreæ & Petro, *bono animo*, inquit, *eſtote*, *& mei diſcipuli facti*, *non piſcium*, *ſed hominum piſcatores evadite.* Illi verò ad terram adpulſi, & navicula egreſſi, omiſſis retibus, Jeſum continuò ſequuti ſunt, acceſſerúntque unà cum illo ad naviculam Jacobi & Joannis; qui miraculum non animadverterant, quia Jeſu juſſu rete in lacum demiſſum ignorabant. Itaque piſcibus in vaſa conditis, reti, quod, ut diximus, pondere piſcium nonnihil fractum fuerat, reficiendo operam dabant. Verùm

8 *Nec eo ſuffragio indigens*] Potuiſſent enim Judæi Magiæ eum inſimulare, atque eum, quaſi ex compacto cum Cacodæmone loqueretur, infamare, quod & aliàs fecerunt. Vide An. XXVII. §. 12.

rùm hos quoque juſſit Jeſus, diſcipulorum nomine, ſe ſe adſectari; qui extemplò relictâ ſcaphâ ac in ea Zebedæo patre, cum hominibus nonnullis, quos mercede conduxerant, ut ſe in piſcando adjuvarent, Jeſum utraque naviculâ ripæ adplicitâ, ſunt ſequuti. ANN. XXVII.

XXVII. Cum hiſce diſcipulis, Jeſus Galilæam peragrare perrexit, ſermonéſque ad populum de rebus divinis habere, in Synagogis oppidorum, quæ ingrediebatur, & curare omnes ægros qui ad ſe adferebantur, iis tantùm bene valere juſſis. Itaque ejus fama, non per Galilæam dumtaxat, ſed & per totam Cœlen Syriam volitabat; quâ factum eſt ut omnes ægri ad eum ferrentur, aut veherentur; ne iis quidem exceptis, qui morbis Medicorum artem ſuperantibus laborabant; quales erant à Cacodæmonibus inſeſſi, qui ſemel ſingulis menſibus furebant, paralytici, aliique; quos non difficiliùs, quàm levioribus morbis adfectos, curabat. Quæ miracula ingentem numerum diſcipulorum ei conciliabant, è Galilæa, Decapolitano tractu, Judæa, Jeroſolimaque ipſa, & Peræa; qui ei frequentes aderant, docentémque diligenter audiebant.

M. Licinio Craſſo, L. Calpurnio Piſone COSS. Tiberii XIV. Herodis Antipæ & Philippi XXX, ætatis Chriſti XXXI. Æræ Vulgaris XXVII.

I. Secundi anni, ex quo Chriſtus Evangelium prædicare cœperat, initio, leproſum in urbe quadam Galilææ, enixis precibus priſtinam valetudinem ſibi reddi orantem curavit, juſſitque à ſe abſcedere, & Jeroſolimam ire; ut ſe ſe Sacerdotibus oſtenderet, quorum judicio, ex Lege Moſaïca lato, leprâ purgatus declararetur; ſed vetuit eum cuiquam aperire à quo fuiſſet curatus. At ille ſive præ lætitia, ſeu ut gratum animum erga Jeſum oſtenderet, rem ubique promulgavit. Quare ab eo tempore majores concurſus ad eum facti ſunt, cupientium tam inſignem virum audire, qui morbos artem Medicorum ſuperantes verbo curaret; nec ullam urbem ingredi poterat, quin ingens multitudo ad eum conflueret. Adducebantur ad eum ægri, omni genere morborum laborantes, quos confeſtim, potentiâ à Deo acceptâ, curabat. Memoratur inter alia curatio Paralytici, per tegulas ante pedes ejus in lectulo demiſſi; cùm, præ nimia turba, aliter ei ſiſti non potuiſſet. Jeſus animadversâ fide eorum, qui ea arte uſi erant, ut ægrum ei offerrent, certâ ſpe curationis ejus pleni, hominem ſanavit, hiſce verbis prolatis: *remittuntur tibi peccata tua.* Tum verò fremere apud ſe Phariſæi, Legiſque Doctores, qui aderant, quaſi parum religioſa verba protuliſſet; cùm nemo, ut putabant, præter Deum, peccatorum pœnas remittere poſſet. Quod iniquum fuit judicium, quia perinde erat curare ægrum divinâ potentiâ, ac ei pœnas peccatorum, quibus ſibi morbum contraxerat, remittere. De quo eos monuit Jeſus, qui, ſpiritu à

Deo

ANN. XXVII. Deo accepto, eorum cogitationes intellexit. Itaque continuò Paralyticus curatus, lectulo ſuo in humeros ſublato, domum abiit, Deúmque laudare cœpit; quod & à tota multitudine factum, gratias Deo agente, quòd in uſum populi ſui tantâ poteſtate hominem inſtruxiſſet. Narrant hæc Matthæus C. IX, 1. & ſeqq. Marcus C. II, 1. & ſeqq. & Lucas C. V, 17. & ſeqq.

II. Non multò pòſt, cùm ad lacûs Geneſaretici ripam ſe contuliſſet, animadvertiſsétque in Telonio ſedentem Levin quemdam, qui & Matthæus vocabatur, operámque ſuam Romanis Publicanis locaverat; hominem ad ſe vocavit, ſéque diſcipulum ſuum in poſterum futurum adſectari juſſit. Is Matthæus paullò pòſt Jeſum, cum Diſcipulis, ad convivium vocavit, ſimúlque alios Publicanorum miniſtros, & vitæ parum caſtigatæ homines. Phariſæi autem & Legis Periti, qui facta & dicta Jeſu obſervabant, ut ejus calumniandi anſam adriperent, quæſiverunt à Diſcipulis, cur eorum Magiſter, qui tantam ſanctitatem præ ſe ferebat, cum ejuſmodi malis ac impuris hominibus convivaretur. At eorum quæſtioni ipſe reſpondit Jeſus, ut medicis non indigent qui firma valetudine utuntur, ſed tantùm ægri: ſic homines demum vitiis inquinatos omnium maximè indigere conſortio & ſermonibus ſuis, ſéque ad hos à vitiis liberandos, veniſſe, non eos qui iis carerent. Quin & diſcipuli Joannis, unà cum Phariſæis, eum adierunt, cúmque precum causâ utrique frequenter jejunarent, quæſiverunt à Jeſu, cur ſuis Diſcipulis nullum ejuſmodi jejunium imponeret? Reſpondit verò Jeſus ſe nolle, dum cum iis verſabatur, jejunium ullum imponere, ſed adfore tempus, quo cum iis futurus non eſſet, & quo ſponte ſuâ jejunaturi eſſent. Adjecit etiam infirmiores eos etiamnum eſſe, quàm ut auſterioribus præceptis eſſent premendi. Quæ, pro more ſuo, ſimilitudinibus ſat perſpicuis expreſſit, quæ leguntur apud Matthæum C. IX, 9. & ſeqq. Marcum C. II, 13. & ſeqq. & Lucam V, 27. & ſeqq.

III. Postea cùm adveniſſet tempus Paſchatis, quod eo anno, ex Judaïco Cyclo, incidebat in a. d. XVI. Cal. Maias, Jeſus ivit pro ſuo more, Jeroſolimam, ut feſtum ex Legis inſtituto celebraret. Erat autem, in ea urbe, Piſcina, quæ Probatica dicebatur, circa quam quinque erant porticus, in quibus jacebant omnis generis ægri, quos à Medicis curari poſſe nulla ſpes erat; ut ſe ſe in eam conjicerent, quò valetudinem, uſúmve membrorum recuperarent; certo tempore, quo turbari quotannis ſolebat. [1] Conſtans enim erat fama, eâ tempeſtate anni,

1 *Conſtans enim erat fama* &c.] Probè novi plures antiquiſſimos Codices, & Interpretem Copticum omittere verſum 4. Cap. V. Joannis, ubi de deſcenſu Angeli, turbatione aquæ & curatione ejus, qui primus inſiliiſſet in aquam; unde *Joan. Millius* conjecit, in Prolegomenis N. T. §. 433. inſertum eum fuiſſe, ex Evangelio, ſecundùm Hebræos. Sed præter quàm quòd mera hæc eſt conjectura, oportuiſſet etiam deleri è verſu 3. ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν, quæ ſunt cum ſequente verſu connexa & tamen in nonnullis Codicibus, è quibus abeſt verſus 4. ut in Codice Græco-Latino *Bezæ*, leguntur. Fateor duos Bibliothecæ Regiæ, in Gallia, Codices

anni, Angelum è cœlo in piſcinam delapſum, ejus aquam turbare, &c, qui primus in turbatam immitteretur, eum curari, quocumque tandem morbo laboraret. Eò ergo cùm Jeſus veniſſet, vidit inter ceteros ægros Paralyticum, in lectulo jacentem, qui à triginta octo annis cum morbo conflictabatur, atque ab eo an curari vellet petiit. Repoſuit æger ſe quidem vehementer cupere, ſed neminem ſibi eſſe, à quo conjiceretur in piſcinam, ſtatim ac turbata fuerat aqua; in quam dum repere conabatur, à vegetioribus aliis, aut quibus aderant adjutores, occupabatur. Quo audito, *ſurge*, inquit Jeſus, *in humeros lectulum tuum tolle & abito*. Quod videtur juſſiſſe Jeſus, cùm ne quiſquam dubitare poſſet, quin planè curatus eſſet Paralyticus; tum ut res à pluribus animadverteretur, cùm bajulantem lectulum viſuri eſſent; quæ utiliora multò erant Judæis, quàm adcurata Sabbathi obſervatio. Ille autem, cùm redditum ſibi ſubitò artuum vigorem ſentiret, illico paruit. Qua de cauſa, nonnulli Judæi, qui abeuntem lectulúmque bajulantem videbant, hominem monuerunt diem eſſe Sabbathi, quo id onus bajulare atque aliò transferre non liceret. Ille verò reſpondit à ſe id fieri, eo auctore, à quo verbo curatus fuerat; cùm ſine dubio Propheta eſſet, nec rem illicitam ſuadere is poſſet, in cujus gratiam tam inſigne miraculum Deus edidiſſet. At illi indignabundi quærere, quis tandem eſſet, qui Sabbathum violari juſſiſſet? Verùm homini curato ignotum erat nomen Jeſu, quem per mediam turbam elapſum oſtendere iis non poterat. Poſtea cùm in Templo in eum incidiſſet Jeſus, tempus eſſe monuit, quandoquidem à Deo membrorum firmitatem receperat, de moribus emendandis ſeriò cogitandi; ne ſi tantum beneficium ingrato animo accepiſſet, graviores, quàm antea, pœnas Deo daret. Quibus verbis auditis, Jeſum ille agnovit & nomen ejus ſciſcitatus ad eos ivit, qui quæſiverant quis eſſet à quo, die Sabbathi, lectulum in humeros ſublatum aliò transferre juſſus fuerat, & ſe à Jeſu Nazareno curatum eſſe dixit. Illi verò, quaſi violatori Sabbathi, irati, dignum eſſe qui capite pœnas lueret cenſebant; quærebántque rationem, quâ ſupplicium de eo ſumere poſſent; quia à Romanis capitalia ſupplicia Judaïcis Synedriis demta fuerant. ANN. XXVII.

IV. SED Jeſus, ſpretâ eorum irâ, *Pater meus cœleſtis*, inquit, *quovis die, nullâ ratione habitâ Sabbathi, innumera in hominum gratiam facit; quem ego ſi imitatus fuero, nihil eſt cur indignè feratis.* Quo dicto, magis exacerbati ſunt in illum Judæi; non tantùm quòd Sabbathi ferias, ut

dices laudari, è quibus omnia abſunt. Sed quòd ultima verba verſûs 3. ſint relicta in nonnullis, credibile facit, primùm 4. tantùm verſum fuiſſe deletum, deinde & proximè ſuperiora verba; à Criticis, à quibus miraculum hoc concoqui non poterat. Præſtare videtur intelligere hæc dicta à Joanne, ex vulgata fama; cùm præſertim nihil faciant ad Chriſti miraculum, quod minùs inſigne non eſt, ſi minùs vera hæc habeatur fama. Rem in medio relinquo, nec quidquam interea hîc delendum judico. Vide & *Hammondum*.

ANN. XXVII. ut putabant, ſibi obſervandas negaret; ſed etiam quòd parum religioſè loquutus videretur, qui Deum, non *Patrem noſtrum*, communi adpellatione, ut ſolebant Judæi, ſed *Patrem ſuum*, vocarat, cui ſe, eo loquendi genere, æquare quodam modo videbatur; cùm præſertim ſe eum, Sabbatho multa agentem, imitari diceret.

V. Jesus verò, *profectò*, inquit, *Filio ſuâ ipſius ſponte nihil agere licet, ſed imitatur Patrem; cujus exemplo diei Sabbathi, in conferendis beneficiis, nullam rationem habet. Pater enim Filium uſque adeò amat, ut ei poteſtatem faciendi quæcumque agit conceſſerit; útque majora hiſce poſthac ſit largiturus, quæ vos miremini; nam quemadmodum Pater non modò ægros ſanavit, ſed & quos voluit è mortuis excitavit: ita & Filius iis, quibus videbitur, vitam reſtituet. Nec poteſtatem tantùm bene faciendi hominibus fecit Filio, ſed etiam judicandi de Humano Genere; nam Pater ipſe de nemine per ſe judicabit, ſed hoc munus in Filium tranſtulit. Itaque quicumque colunt Patrem, ab iis etiam Filium, quippe Humani Generis judicem futurum, coli par eſt. Quiſquis verò non colet Filium, ne Patrem quidem coluiſſe cenſebitur; à quo Filius, ut coleretur ab hominibus, miſſus eſt.*

VI. Quæ Chriſti oratio, licèt nobis minimè obſcura, ſine dubio à Judæis non ſatis intellecta eſt; quippe qui nec Jeſum Meſſiam eſſe putabant, nec Meſſiæ dignitatem ac munus ſat perſpicuè norant. Regi illi ſuo nec miracula ulla vulgò tribuebant, nec poteſtatem ei eſſe judicii de toto Humano Genere ferendi, hominéſque è morte propterea excitandi ſuſpicabantur. Verùm hinc colligere poterant Jeſum non eſſe ejuſmodi Prophetam, quales antè fuerant, qui de ſe ea diceret, quæ Prophetarum nullus de ſe ipſe prædicarat, & miraculis tantis confirmaret, ne fortè mendax haberetur, nemo ut ſimilia umquam feciſſet.

VII. Nec minùs mira erant, quæ, prioribus dictis addidit Jeſus, in hanc ſententiam: *Certò ſcitote eum, qui mihi paruerit, & crediderit Deo, qui me miſit, per me homines adloquenti, ſine dubio vitam æternam conſequuturum; nec ullas pœnas laturum, ſed à morte revocatum continuò in beatæ immortalitatis ſedes tranſiturum. Quod ne in dubium revocare poſſitis, brevi mortuos compellabit Filius Dei, iique, voce ejus auditâ, excitabuntur. Quemadmodum enim Pater, quibuſcumque vult, vitam largitur: ita & Filio poteſtatem fecit quemcumque velit è mortuis excitandi. Dedit etiam ei facultatem damnandi eos, qui ſibi minimè crediderint; quia tantâ dignitate à Deo auctus, tamen ſe ſe quaſi hominem è vulgo gerit, ut ejus mandata exſequatur. Ne hæc vobis incredibilia videantur, nam aderit aliquando tempus, quamquam ſeriùs; quo non aliquot tantùm, ſed omnes omnino mortui è ſepulcris ab eo excitabuntur & vocem ejus audient. Quicumque verò Virtutem coluerint atque in ea animi adfectione mortui fuerint; illi, poſt reſurectionem, beata immortalitate fruentur; at quoſcumque vitiis mancipatos mors oppreſſerit, ii ea tantùm de cauſa reſurgent, ut ad merita ſupplicia damnentur. Sponte meâ, hac in re, nihil faciam; ſed ex Legibus, à Patre acceptis, judicium de hominibus feram, ac proinde neminem injuſtè*

damna-

damnabo; neque enim, hoc in negotio, vel minimùm diſcedam ab iis, quæ in ANN.
mandatis mihi dederit Deus, qui me ad vos miſit. Clariùs in hiſce verbis XXVII.
ſe judicem totius Humani Generis, poſt reſurrectionem, profeſſus eſt, ſéque ex Evangelica doctrina jus dicturum pronunciavit; quæ in ſtuporem Judæos, ſi ſatis fuiſſent intellecta, conjicere debuerant. Sed quia nova erant & inaudita, ac præter exſpectationem proferebantur, vix quæ diceret videntur adſequuti.

VIII. Ne verò ſibi, ſine ratione, fidem haberi poſtulare videretur, quod iniquum fuiſſet; protulit duplex teſtimonium, utrumque ejus ponderis, ut nihil eſſet, quod objicerent Judæi. Alterum fuit Joannis Baptiſtæ de eo judicium, alterum miracula quæ ipſe edebat, & quibus teſtimonium ejus doctrinæ perhibebat ipſe Deus, teſtis omni exceptione major. Addidit etiam fore ut Judæi, qui ſibi iis teſtimoniis freto fidem pertinaciter negabant, aliis eſſent ſine ulla ratione credituri; unde pravum eorum ingenium intelligere erat, fidémque ſibi ab iis derogari, quia judicii hominum, famæque, apud eos, ſibi parandæ, non Veritatis inveniendæ ſtudioſi erant. Quâ oratione, contumaciam Judæorum acriter in Templo Jeroſolimitano, omnibus audientibus, caſtigavit, nec tamen pervicaces ad ſaniorem mentem adduxit. Quæ omnia habentur Joannis Cap. V. qui ſolus hujus orationis, aliarúmque ſimilium, meminit; quas, ſupplementi inſtar, ceteris Evangeliſtis meritò adjiciendas exiſtimavit.

IX. Exactis diebus feſtis, Jeſus in Galilæam reverſus eſt, & cùm ambularet primo die Sabbathi, qui Azymorum dies ſequebatur, (ſecundo verò in numero ſeptem Sabbathorum, ad Pentecoſten numerandorum) per ſegetes fermè maturas; Diſcipuli ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, iiſque manu fricatis veſci. Quod cùm animadvertiſſent Phariſæi nonnulli, monuerunt Jeſum id ab ejus Diſcipulis fieri, quod nefas erat; die Sabbathi, nimirum, cibum parari, quem comederent. Jeſus verò Diſcipulorum ſuorum factum excuſavit, exemplo Davidis; qui unà cum iis, quos ducebat, eſuriens, & cibariis deſtitutus, ingreſſus eſt domum Abiatharis, qui Pontifex Maximus poſtea fuit, eóque volente comedit ipſe, & aliis diviſit panes, qui Deo fuerant adpoſiti, quos ex Lege à ſolis Sacerdotibus comedi fas erat. Præterea addidit à Sacerdotibus ipſis ferias Sabbathi, dum ſacra faciunt, quodam modo violari. Nimirum, neceſſitate, cùm nulli alii victus ſuppeterent, Davidem excuſatum fuiſſe; quemadmodum, neceſſario uſu Templi, innocentes fiebant Sacerdotes. Se autem quem Apoſtoli, nondum paratis cibis, ſequi neceſſe habuerant, multò Templo eſſe præſtantiorem. Ac ſanè Sabbathum in uſum hominum fuiſſe inſtitutum, ut eo à laboribus quieſcerent & creationem omnium rerum celebrarent, quam numquam oblivioni mandari ſummopere eorum intereſt; non verò Sabbathi causâ homines creatos. Deum apud Prophetam Hoſeam (Cap. VI, 6.) dixiſſe *ſe malle beneficentiam, quàm ſacrificium*

ANN. XXVII. *cium*; hoc autem perinde eſſe ac ſi dixiſſet Virtutem eſſe omnibus ritibus, etiam qui ſanctiſſimi habentur, præferendam; unde ſequebatur Diſcipulos ejus inſontes fuiſſe judicandos, quòd Sabbathi ferias, neceſſitatis causâ, neglexiſſent, nec violandam erga eos æquitatem. Qua oratione, aliiſque ejuſmodi, ſatis oſtendit non tanti eſſe faciendas cærimonias, quanti à Judæis fiebant, foréque ut brevi antiquarentur.

X. Alio die Sabbathi, cùm eſſet in Synagoga, virum dextrâ manu paralyticum curavit, frendentibus licèt Phariſæis & Sadducæis; quòd cùm illicitum non haberetur ovem in foveam delapſam, die Sabbathi, extrahere, hominem eo die curari nefas haberi non poſſet; & quòd liceret homini benefacere, cùm hoſtem etiam vitam eripere conantem occidere fas haberetur. Quæ cùm negare non poſſent Judæi, tamen ab eo tempore de Jeſu è medio tollendo conſilia inter ſe agitare cœperunt. Niſi iniquiſſimi fuiſſent, inter opera, quæ die Sabbathi illicita erant, non fuiſſe habenda divinæ potentiæ miracula, quæ ſine ullo labore humano fiebant, intellexiſſent; ſed videbantur ſibi ex Chriſti ſermonibus, cærimonias Legis non uſque adeò ei cordi fuiſſe, ut animi Virtutem eis non longè præponeret, contra quàm ſolebant, colligere poſſe. Ac ſanè hæc omnia erant proludia quædam abrogationis rituum; quæ, initio parum intellecta, paullatim tamen poſtea facta eſt.

XI. Hinc ſe contulit Chriſtus ad loca Geneſaretico lacui vicina, in quibus plurimùm commorabatur, atque ad eum illuc ingens hominum non è vicinis tantùm, ſed è remotioribus etiam Judææ tractibus confluxit multitudo. Ægros curabat omnis generis, nec tantùm eos quos adloquebatur, aut quibus manus imponebat, ſed eos etiam, qui veſtes ejus à tergo tangebant; quamobrem turba in eum ruebat, cogebátque in ſcapham, quam Diſcipuli paratam habebant, confugere.

XII. Quin & Cacodæmonibus obſeſſi, ſtatim ac eum videbant, procumbebant in genua & clamabant, à Dæmonibus acti, eum eſſe Filium Dei, ſeu Meſſiam. At illico Jeſus ſilentium iis imponebat, quòd eo tempore ubique ſpargi ſe eſſe Meſſiam nollet, aut videri eam famam captare; ne homines regni terreſtris Meſſiæ, quod ſibi finxerant, cupidi, undique ad ſe confluerent, ſeditionémque moliri inciperent, cujus ne ſpeciem quidem ullam ſibi exprobrari ab inimicis poſſe cupiebat. Atque hinc eluceſcebat [2] mitiſſima illa & à tumultu omni alieniſſima indoles Meſſiæ, deſcripta ab Eſaia Propheta Cap. XLII, 1. & ſeqq. Hæc narrarunt Matthæus C. XII, 1. & ſeqq. Marcus II, 13. & ſeqq. III, 1. & ſeqq. Luc. VI, 1. & ſeqq.

XIII. Paullo pòſt Jeſus abiit in montanum tractum Geneſareti-co

2 *Mitiſſima illa & à tumultu omni* &c.] Oſtendebant hæc ſat manifeſtò Meſſiæ regnum ejuſmodi non futurum, cujuſmodi fingebant Judæi; ſi enim regnum terreſtre futurum fuiſſet, quo Judæi liberandi erant à tyrannide Romana, ceterique omnes populi, inſignibus victoriis, iis ſubjiciendi, res ſine magno tumultu confici non potuiſſet. Locum hunc tamen Eſaïæ de Meſſia intelligebant Judæi, ut è Paraphraſta

co lacui vicinum, & in montem quidem adſcendit ſolus, ut ſine interpellatione Deum oraret, ac totam noctem ea in re abſumſit. Cùm verò illuxiſſet, rediit ad Diſcipulos, nonnullóſque eorum ad ſe nominatim vocavit, è quibus duodecim elegit, qui ſibi ſemper adeſſent, & quorum perpetua opera uteretur. Hos Chaldaïco nomine שליחין *ſchlihhin* adpellavit, quos Græcè dixeris Ἀποςόλȣς, hoc eſt, *nuncios*; quòd eos regnum ſuum inſtare nunciaturos eſſet miſſurus. Quamobrem, ne Doctoris, qui conjecturas ſuas pro veritate venditaret, diſcipuli haberentur, & humanæ doctrinæ præcones, quales erant Legis Doctorum diſcipuli; iis curandi morbos & ejiciendi Dæmonas poteſtatem conceſſit, unde Divinæ Revelationis nuncios eſſe liqueret. Hæc autem nomina ſunt duodecim Apoſtolorum. Primus erat Simon cui, ut diximus, Jeſus indiderat nomen כיפא, *chepha*, quæ vox Chaldaïcâ Linguâ, *petram* ſignificat, quo factum ut Græcè diceretur πέτρος; tum Andreas, ejus frater; Jacobus & Joannes Zebedæi filii, quos vocavit בני רעם *Bne-rehem*, hoc eſt, *filios tonitru*; qui quatuor erant Betſaïdenſes piſcatores; Philippus; Bartholomæus; Matthæus, qui & *Levi* vocabatur, publicanorum miniſter; Thomas, cui cognomen Græcum erat *Didymo*; Jacobus, Alphæi filius; Judas, Jacobi filius, dictus & *Thaddæus*; Simon, cui cognomen erat *Cananitæ*, ſeu Zelotæ; & Judas *Iſcariothes*, qui tandem Jeſum prodidit.

XIV. Ex arte, quam quatuor primi profitebantur, totáque Hiſtoria Evangelica, ſatis intelligimus plebeios omnes, & parum eruditos homines Apoſtolos fuiſſe. Quamobrem quæri poſſit cur Jeſus non potiùs nobiles & eruditos viros, è Gente Judæa, elegerit; qui nonnullis fortè magis idonei futuri fuiſſe videantur, ad nunciandum feliciter Evangelium, quàm Apoſtoli à nobis memorati. Sed ut ab eruditione incipiam, experientiâ conſtat minùs doctos ſæpe eſſe minùs præjudiciis præpeditos, nec uſque adeò pertinaces; quia ſibi ſuæ imperitiæ conſcii, nec opinionibus falſis, quas ignorant, addicti nudam Veritatem faciliùs animadvertunt; quàm qui, eruditione ſuâ tumidi, errorem & inſcitiam ſuam agnoſcere nolunt. Præterea viri docti, judicio ſuo aliquid etiam tribuentes, doctrinæ Jeſu ne quid de ſuo adtexerent, quod ei conſentaneum eſſe putaſſent, ægrè impediri potuiſſent. Iidem etiam ſolent eſſe imperitis curioſiores, volúntque ſcire, quæ indocti prætermittunt; & ſæpe ſatius eſt nondum ſciri, aut ſemper ignorari, quàm irrequietæ eruditorum curioſitati diſcutienda tradi; unde innumeræ naſcuntur controverſiæ & opinionum varietates, dum inſatiabili ſciendi cupiditati nihil ſatisfacere poteſt, aut libidini contendendi nullus eſt finis. Nolebat etiam Jeſus homines acutos circa ſe habere, qui conjecturis indulgentes conati eſſent divinare

ta Chaldæo patet. Itaque ſecum ipſi pugnabant, nec conſentanea loquebantur. E ſequente autem Hiſtoria, magis ac magis liquebit quibus de cauſis Jeſus tam ſtudioſè tumultus omnes, qui ejus causâ facilè excitari potuiſſent, anteverterit. Vide quæ dicemus infra §. XIV. qualia non ſemel, quippe maximi momenti, monuimus.

ANN. XXVII. divinare quò omnia dicta & facta ejus ſpectarent, antequàm ex ipſa re quid conſilii ei eſſet intelligerent, & à ſcopo aberrantes ea ſæpe facerent ac dicerent, quæ Evangelio fuiſſent noxia. Denique antevertere voluit omnem poſteritatis ſuſpicionem, quâ potuiſſet ſibi fingere Apoſtolos Jeſu inventores fuiſſe eorum, quæ Magiſtro tribuerent, & veros conditores ſectæ, quæ inter Ethniciſmum & Judaïſmum media incecedens, quidquid uterque laudabile habuit ſibi decerpſit, quod reprehendi in iis potuit devitavit, & præſtantiora longè tradidit. Sed res captum hominum, è plebe Judaïca, multum ſuperabat; habétque ſingularem quamdam & eximiam præſtantiam, quæ nuſquam alibi inveniri queat, & divinitus ad homines demiſſa facilè intelligitur. Unde egregius poſtea Apoſtolus ſe & collegas hujuſmodi Theſaurum in [3] *vaſibus figlinis habere* profeſſus eſt. Sic videmus *Platonem*, virum eruditum & eloquentem Socrati ſuo multa tribuiſſe creditum, quæ ejus non erant. Indidem etiam factum eſt, ut fides non [4] eloquentiæ Apoſtolorum, quæ nulla erat, ſed rebus ipſis & miraculis haberetur, [5] quod idem Apoſtolus diſertè teſtatur.

XV. Quod ſi nobiles Diſcipulos Chriſtus ſibi præterea adlegiſſet, periculum fuiſſet ne homines gratioſi, opibus florentes, rerúmque gerendarum periti, adgrederentur regnum Meſſiæ, quod terrenum fore omnes putabant Judæi, convocato populo, eóque ad vim & arma converſo, promovere. Hoc autem omni ratione fugit Chriſtus, ne factionis ullius caput & auctor haberi umquam poſſet; unde colligerent Judæi

3 2. Cor. IV, 7.

4 *Eloquentiæ Apoſtolorum, quæ nulla erat* &c.] Vide dicta, hac de re, à nobis in additamentis ad Hammondianas Adnotationes in N. T. 2. Cor. XI, 6. & doctiſſimorum totius Chriſtianæ Antiquitatis virorum, hac de re, teſtimonia, in notis *Patricii Junii* ad 1. Ep. *Clementis* C. XXIV. Quibus hîc nonnulla addemus, ut homines, qui re ipsâ permoveri nequeunt, auctoritatibus vincantur, ſi modò eas audire velint. Sic ergo *Origenes*, vir ſine dubio eruditiſſimus, in Opere quo defendit Religionem Chriſtianam contra Ethnicos, à quibus ideò ſpernebatur, quòd ejus conditores minùs eleganter ſcripſiſſent, loquitur contra Celſum Lib. I. p. 48. Δοκεῖ δέ μοι (εἰ) σοφούς μέν τινας ὡς πρὸς τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν, καὶ ἱκανοὺς πρὸς τὸ νοεῖν ἀρεσκόντως πλήθεσι καὶ λέγειν ἐπιλεξάμενος καὶ χρησάμενος αὐτοῖς διακόνοις τῆς διδασκαλίας ὁ Ἰησοῦς· εὐλογώτατ᾽ ἂν ὑπενοήθη ὁμοίᾳ φιλοσόφοις κεχηρύχθαι (f. κεχρῆσθαι) ἀγωγῇ αἱρέσεώς τινος προϊσαμένοις, καὶ οὐκέτι ἂν ἡ περὶ τοῦ θεῖον εἶναι τὸν λόγον ἐπαγγελία ἀνεφαίνετο, ἅτε τοῦ λόγου ὄντος καὶ τοῦ κηρύγματος ἐν πειθοῖ τῆς ἐν φράσει καὶ συνθέσει τῶν λέξεων σοφίας· καὶ ἦν ἂν ἡ πίστις ὁμοίως τῇ τῶν τοῦ κόσμου φιλοσόφων περὶ τῶν δογμάτων πίστει, ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων καὶ οὐκ ἐν δυνάμει Θεοῦ: *Mihi videtur, ſi quos, ex opinione vulgi, ſapientes & idoneos ad cogitandum & loquendum prout multitudini placere poteſt, elegiſſet Jeſus, quorum opera in docendo uteretur, non evaſurus juſtam ſuſpicionem, quaſi uſus eſſet arte ſimili Philoſophorum arti, ſectæ cujuſdam principum; neque ampliùs promiſſio de divinitate verbi repræſentata fuiſſet, verbum quippe fuiſſet, & prædicatio in perſuaſione orta è dictione & compoſitione erudita vocum. Fides etiam, ſimilis ei quæ habetur decretis Philoſophorum in mundo, niteretur ſapientiâ hominum, non potentiâ Dei.* Poſtea hæc ſubjicit: Νυνὶ δέ τις βλέπων ἁλιεῖς καὶ τελώνας, μηδὲ τὰ πρῶτα γράμματα μεμαθηκότας (ὡς τὸ εὐαγγέλιον ἀναγράφει περὶ αὐτῶν, καὶ ὁ Κέλσος κατὰ ταῦτα πεπίστευκεν αὐτοῖς ἀληθεύουσι περὶ τῆς ἰδιωτείας αὐτῶν) τεθαῤῥηκότως οὐ μόνον Ἰουδαίοις ὁμιλοῦντας περὶ τῆς εἰς τὸν Ἰησοῦν πίστεως, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι κηρύσσοντας αὐτὸν καὶ ἀνύοντας, οὐκ ἂν ζητήσαι, πόθεν ἦν αὐτοῖς δύναμις πιστική; οὐ γὰρ ἡ νενο-

Judæi & Romani eum viam ad regnum hujus mundi adfectare, atque inde aut bellum civile, aut Religionis Chriſtianæ ſubita in incunabulis oppreſſio oriretur. Utrumque, prudenti electione Apoſtolorum, ad hæc minimè idoneorum, vitavit. ANN. XXVII.

XVI. At poſtquàm Chriſtiana Religio publicè admiſſa eſt, cùm nullum ejuſmodi periculum ampliùs impenderet; jus, fáſque fuit omnem eruditionem adhibere, ad exponendam, tuendam & illuſtrandam doctrinam Chriſtianam; ne ab imperitis, ac malis hominibus corrumperetur; útque corrupta reſtitueretur, priſtinúmque & nativum ſplendorem reciperet. Tum etiam viri Principes ac Nobiles, qui Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, auctoritatem ſuam interponere ne opprimeretur, & bonis artibus eam defendere par fuit. Quem in rem, nullâ vi, nullis ſuppliciis opus eſt; cùm ſatis ſit operam dare, ut omnes Chriſtiani id quod profitentur modeſtè & placidè, ac ſine periculo, exponere poſſint; quod ſi fieret, brevi Veritas Evangelica ubique agnoſceretur & vigeret, quippe quæ nullo alio auxilio indiget, niſi ut ſuis ſe armis, hoc eſt, rationibus, poſſit tutò tueri.

XVII. Ut ad Jeſum revertamur, diſcipulis, Apoſtolorum nomine, electis, perrexit Evangelium nunciare, ægróſque & à Cacodæmonibus vexatos curare; quod hominum multitudinem, ad eum concurrentem in dies majorem reddebat, ut vix ei ſatis temporis ad cibum, cum ſuis, ſumendum ſupereſſet. Quæ hauſimus ex Marco Cap. III, 13. & ſeqq, & Luca Cap. VI, 12. & ſeqq.

XVIII.

ἡ νενομισμένη τοῖς πολλοῖς: *nunc verò qui videns piſcatores & publicanos, qui ne primas quidem litteras didicerant (ut Evangelium de iis ſcribit, utque Celſus pariter iis credidit de ſua ipſorum imperitia vera dicentibus) confidenter non ſolùm apud Judæos diſſerentes de fide in Jeſum, ſed & apud ceteras gentes prædicantes eum, nec ſine ſucceſſu, non quærat unde illis eſſet perſuadendi facultas? Non enim erat quæ adſolet multitudini probari.* Tum profert verba Pauli è 1. Cor. II, 4. Antea etiam nonnulla eam in rem dixerat, quibus adde quæ habentur in Philocaliæ Cap. IV. Idem ſenſit ac *Origenes* vir item litteratiſſimus *Euſebius*, Hiſt. Eccleſ. Lib. III. c. 24. cujus hæc ſunt verba: οἱ θεσπέσιοι, καὶ ὡς ἀληθῶς θεοπρεπεῖς, φημὶ δὲ τοῦ Χριστοῦ τοὺς Ἀποστόλους, τὸν βίον ἄκρως κεκαθαρμένοι, καὶ ἀρετῇ πάσῃ τὰς ψυχὰς κεκοσμημένοι, τὴν δὲ γλῶτταν ἰδιωτεύοντες, τῇ γε μὴν πρὸς τοῦ σωτῆρος αὐτοῖς δεδωρημένῃ θείᾳ καὶ παραδοξοποιῷ δυνάμει θαρσοῦντες, τὸ μὲν ἐν περινοίᾳ καὶ τέχνῃ λόγων τὰ τοῦ διδασκάλου μαθήματα πρεσβεύειν οὔτε ᾔδεισαν, οὔτε ἐνεχείρουν. *Admirabiles illi & prorſus divini homines, Apoſtolos Chriſti dico, cùm eſſent puriſſimâ quidem vitâ, & omnis Virtutis genere ornato animo, ad linguam verò quod adtinet, rudi ſermone uterentur, freti divinâ & mirificâ potentiâ à Servatore iis datâ, inventione & arte oratoriâ dogmata Magiſtri ſui expolire neque noverant, neque item conabantur.* Teſtis eſt *Arnobius* Lib. I. p. 43. Ed. Heraldi, hoc objectum fuiſſe Chriſtianis, de Apoſtolorum monumentis: *Ab indoctis hominibus & rudibus ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda.* Cui objectioni ſic reſpondet: *Vide ne magis hæc fortior cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis, mente ſimplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Trivialis & ſordidus ſermo eſt. Numquam enim Veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, Enthymemata, definitiones, omniáque illa ornamenta, quibus fides quæritur adſertationis, ſuſpicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonſtrant* &c. Sed ſat multa hujuſmodi, harum rerum ſtudioſis, inter legendum occurrent.

5 1. Cor. II, 4, 5.

ANN. XXVII.

XVIII. Cum verò jam cogitaret de mittendis quaquaversùm Apoſtolis, ut Evangelium per totam Judæam prædicarent; conſilium cepit, de iis edocendis, ut Chriſtianam doctrinam, quatenus eſt à Judaïca diſtincta, probè intelligerent & aliis poſtea exponere poſſent. Itaque cùm eſſet Capernaümo egreſſus, ad montes vicinos, ſequerentúrque eum permulti; in collem adſcendit, atque in eo, circumſtantibus Diſcipulis, ſedit, eóſque, quæ à Magiſtris Judæis accipere non potuerant docuit, eximiâ oratione, quæ apud Matthæum potiſſimùm exſtat, Cap. V, *& ſeqq.* Eam, quia prolixior eſt, hîc non exſcribemus; cùm præſertim eam perpetuâ Paraphraſi in Hiſtoria [6] Evangelica, *Harmoniæ* noſtræ ſubjectâ, illuſtraverimus, pluréſque ejus partes in Prolegomenis Sect. III. copioſiùs interpretati ſimus.

XIX. E monte, in quo ſermones illos habuerat, digreſſus Capernaümum denuò profectus eſt. Cùm verò urbem ingrederetur, contigit Centurionis cujuſdam Romani, Judaïcæ Religionis Proſelyti, ſervum ex Paralyſi decumbentem, hero ſuo gratum & acceptum, graviùs ægrotare; adeò ut ei mors inſtare exiſtimaretur. Itaque Jeſum reducem eſſe audiens Centurio ad eum adlegavit honeſtiſſimos quoſque Judæorum, qui in oppido degebant, oraturos ut veniret ad ſervum ægrum, eique vitam & valetudinem reſtitueret. Hi Jeſum è veſtigio convenerunt & vehementer obſecrati ſunt, ut hoc homini gratificaretur; dignum enim eſſe aiebant, cui Jeſus, omnéſque adeò Judæi gratiam referrent, quippe qui Judææ Gentis amans erat & Capernaümi Synagogam ſuis ſumtibus ædificarat. Quibus rationibus adductus Jeſus, domum Centurionis versùs ire cœpit; nec multùm ab ea aberat, cùm ecce alii hominis amici Jeſu occurrunt, ut ejus nomine dicerent, minimè neceſſarium eſſe, ut Jeſus laborem ſuſciperet veniendi ad ejus ædes, neque enim eſſe dignum, cujus tectum tantus Propheta ſubiret. Qua de cauſa, ipſum minimè auſum eſſe Jeſum convenire, ſed uſum opera Judæorum. Satis eum ſcire Jeſum, ſi vellet, vel uno verbulo, quocumque in loco eſſet, ſanare poſſe ſervum ſuum procul licèt jacentem, omnia enim illi parêre. Hæc, juſſu & nomine Centurionis prolata, cùm audiſſet Jeſus, eximiam opinionem, quam de potentia divina ſibi collata conceperat, miratus eſt; negavítque ſe, apud Judæos ipſos, tantam fidem inveniſſe, & adjecit fore ut multi Gentiles, ad id exemplum, participes fierent regni cœleſtis, æquè ac Judææ Gentis conditores, útque multi Judæi eo excluderentur. Quibus dictis, juſſit Chriſtus amicos Centurionis domum redire; nam ſe rationem habere hominis fidei & velle ſervum ſanari. Illi ergo domum redierunt, & ſervum curatum fuiſſe compererunt, eodem tempore, quo curatum iri dixerat Jeſus.

XX. Postero die Naïmis, quæ urbs erat etiam Galilææ, filium unicum

6 *Capp. XXI & XXII.*

unicum viduæ, qui mortuus erat & portâ urbis ad ſepulcrum efferebatur, ad loculum conſiſtens, & adoleſcentem clarâ voce ſurgere jubens, è mortuis excitavit, & matri incolumem reddidit. Quo miraculo conſpecto, omnes, qui aderant, religioſo metu correpti ſunt, Deóque, quòd tantum ad ſe Prophetam miſiſſet, gratias egerunt. Miraculi verò, quo implebatur quod Jeſus Jeroſolimæ, hoc anno, promiſerat, vocem ſuam brevi à mortuis auditum iri, fama per vicinos omnes tractus ſparſa eſt. Atque hæc quidem habemus, apud Matthæum Cap. VIII, 1, 5. & ſeqq. ad 13. Luc. VII, 1. ad 17. ANN. XXVII.

XXI. Inter hæc Joanni Baptiſtæ, qui, ut diximus, Machærunte carcere detinebatur, narrata ſunt quæ fierent & quæ dicerentur à Jeſu; quem cùm ille divinitus Meſſiam eſſe accepiſſet, mirabatur nullam in Republica populi Hebræi mutationem fieri, cùm jam ante annum munus ſuum ingreſſus eſſet. Itaque vocatos ad ſe duos Diſcipulos miſit ad Jeſum, eum nomine ſuo conventuros & quæſituros, annon eſſet venturus ille (*Regem* non addebat, ne fortè nimis apertè loquutus Romanos, aut etiam Judæos incredulos in eum concitaret) an verò alius etiamnum exſpectandus? Qui cùm ad Jeſum venerunt, & accepta à Magiſtro mandata expoſuerunt, deprehenderunt plebi Evangelium nunciantem, varios ægros ſanantem, Cacodæmonas ex hominum corporibus ejicientem, & cæcis multis viſum reſtituentem. Nec aliud reſpondit Joannis diſcipulis, niſi optare ſe ut Magiſtro ſuo quæ viderant, atque audiverant renunciarent. Adjecit dumtaxat, beatos fore omnes, qui minimè à ſe alienarentur, quæcumque ejus eſſet externa ſpecies, & quidquid ei adverſum contingeret. Quibus verbis, innuebat, malè facturum Joannem, ſi minùs bene de ipſo ſentire inciperet, quòd ea non præſtaret, quæ vulgò Judæi à Meſſia exſpectabant. Clarius nihil reſpondit, quia ſatius erat ex iis, quæ faciebat, colligi eum reverâ eſſe Meſſiam, quàm ex aperta ejus profeſſione; quæ nullam quidem vim addidiſſet argumento ex ejus doctrina & miraculis ducto, ſed Judæorum res novas expetentium concurſum excitare potuiſſet; quippe qui Romanorum jugum iniquiſſimo animo ferebant & Meſſiam ſperabant futurum terreſtrem Regem, qui ſe ab eorum tyrannide liberaturus eſſet.

XXII. Cum verò abiiſſent Joannis Diſcipuli, Jeſus multitudini dixit rectè eam feciſſe, quæ cupidè Joannem in deſerto inviſiſſet, quamvis nullo ſplendore veſtium inſignem, licèt regni cœleſtis anteambulo eſſet; quibus verbis innuebat regnum, quod Joannes prænunciabat, ſimile terreſtribus regnis nequaquam futurum. Verùm Prophetam eos inviſiſſe, imò virum Propheta majorem, de quo Deus [7] per Malachiam dixiſſet *ſe mittere Angelum ſuum, qui viam ſibi eſſet paraturus.* Scirent autem majorem quidem Prophetam, apud homines, non fuiſſe Joanne Baptiſta; cùm clariùs, quàm ceteri omnes, Meſſiam noviſſet, legéſque

7 Mal. III, 1.

ANN. XXVII. que ejus regni inſtantis promulgare cœpiſſet, antea fermè ignotas; at minimum eorum, qui in Eccleſiam Chriſti ingreſſurus poſthac eſſet, ea in re ſuperiorem illo futurum. Legem & Prophetas ad tempora uſque Joannis viguiſſe, nec quidquam melius antea, quàm eorum præcepta & vaticinia, aut eis par notum fuiſſe; ſed ex quo Joannes cœpiſſet miniſterio ſuo fungi, Regni Cœleſtis meliores Leges & majora præmia non ſatis nota vulgò innoteſcere cœpiſſe. Eum fuiſſe Eliam, qui, ex vaticinio [8] Malachiæ, *ante magnum ac terrificum diem Domini*, venturus fuerat. His dictis exprobravit Judaïcæ Genti pertinaciam, quâ ſibi & Joanni fidem derogabat, ſi humiles ac pauperes quidam è plebe homines exciperentur; nam eruditos Regni Cœleſtis doctrinam, ab utroque traditam, etiamnum aſpernari. Caſtigavit etiam nominatim Chorazinenſes, Bethſaïdenſes, & Capernaümenſes, apud quos diutiſſimè verſatus fuerat, & tot ediderat miracula; quòd tamen ſibi fidem, ut par erat, nondum haberent. Tum etiam addidit nemini notum penitus eſſe Filium, hoc eſt, Meſſiam, niſi Patri, hoc eſt, Deo; neque quemquam ſat noviſſe Patrem, præter Filium, eóſque quibus Filius rem aperire voluiſſet. Quibus verbis, ſi intellecta fuiſſent, ſat clarè, ut & ſuperioribus, ſignificabat Judæos, qui veri Dei cognitione gloriabantur, & Meſſiam exſpectabant, in magna etiamnum ignoratione rerum divinarum & Regni Meſſiæ verſatos. Denique hortatus eſt ad excipiendam ſuam diſciplinam, eos qui feſſi erant, ob tot itinera, ex Legis præceptis, Jeroſolimam facienda, & qui moleſtiſſimarum cærimoniarum jugo preſſi gemebant, ſéque onus eorum levaturum promiſit; nec niſi ſuave jugum & onus leve veræ Virtutis impoſiturum. Quæ omnia copioſiùs habentur, apud Matthæum Cap. XI, 2, 3, ad 30. & Luc. VII, 18, & ſeqq. ad 35.

XXIII. Cum Jeſum ad convivium vocaſſet quidam Simon Phariſæus, contigit mulierem parum caſtæ vitæ, ſed quam ſermones Chriſti ad ſanctiores mores adduxerant, à tergo adcumbentis ſtantem, uberibus lacrimis abluere pedes ejus nudos (nam moris erat adcumbentibus calceos abjicere) tum capillis, humilitatis causâ, abſtergere, oſculari & unguento poſtremùm inungere. Quod cùm animadvertiſſet Simon, ſeciùs de Jeſu ſentire cœpit, quippe qui, ut putabat, ſi Propheta eſſet, ſcire debuiſſet hanc mulierem vitæ parum caſtigatæ fuiſſe, & contactum

8 Mal. IV, 5.

9 *Invocato Dei nomine* &c.] Cùm Chriſtus hic minimè neget expulſos à Judæis Cacodæmonas, nec nos negare velimus aliquando factum; quamquam multa fraus intercedere potuit, nec videntur verè potuiſſe rem confectam dare Exorciſtæ illi Judæi, de quibus Act. XIX. Hinc ſanè conſtat iis temporibus Judæos ejuſmodi artem jactaſſe, quod & ſequentibus ætatibus factitarunt. *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. VIII. c. 2. poſtquàm dixit Salomonem eam artem à Deo accepiſſe, addit: ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορῆσαι τὰ νοσήματα, καὶ τρόπȣς ἐξορκώσεων κατέλειπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκȣσι, μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖϛον ἰσχύει. *Incantationes cùm compoſuiſſet, quibus curantur morbi, & modos Exorciſmorum reliquit, quibus coacta Dæmonia, ita ut non ampliùs redeant, expellunt* (Exorciſtæ) *& hæc curatio nunc plurimum apud nos valet.* Poſtea narrat quæ ait ſe ἱϛορῆσαι, aut *vidiſſe*, aut audiviſſe de quodam Eleazaro, qui

tactum ejus fugere. At Jeſus cogitationes hominis videns, ſe hoc paſ- ANN. ſum ſignificavit, quòd ejuſmodi mulierem fas eſſet majora & pœniten- XXVII. tis & grati animi ſigna erga ſe edere, quàm qui caſtigatiùs vixiſſent, nec uſque adeò ei devincti eſſent. Adjecit etiam Jeſus idcirco præterita ei peccata, quorum tantam pœnitentiam oſtendebat, remitti; quod ſummopere mirati ſunt convivæ, cùm peccatorum remiſſionem ad ſolum Deum pertinere exiſtimarent. Quæ quidem eorum cogitationes Chriſtum non fugiebant, ſed minimè obſtiterunt quominùs mulierem, pacem ei adprecatus, hoc eſt, incolumitatem, dimitteret. Hæc habet Lucas Cap. VII, 36. ad 50. Sunt qui velint hanc Mariam, cui cognomen fuit Magdalenæ, fuiſſe. Sed cùm nomen non addat Lucas, qui tamen mulieris paullò pòſt nominatim meminit, Cap. VIII, 2. alia fuiſſe videtur.

XXIV. Jesus perrexit, ut ſolebat, vicatim & oppidatim per Judæam Evangelium nunciare, cum duodecim Apoſtolis, quos perpetuos comites ſibi futuros elegerat. Quin & mulieres religioſæ, cùm aliæ, tum etiam nonnullæ è quibus Cacodæmonia ejecerat, vel quarum morbos curaverat, eum quocumque iret comitabantur. Inter quas, eminebant Maria Magdalena, quam ſeptem Dæmoniis liberaverat Jeſus; tum etiam Joanna, uxor Chuzæ Miniſtri Herodis Antipæ, Tetrarchæ Galilææ, Suſannáque & aliæ. Hæ Jeſu & ejus Diſcipulis, nunciando Evangelio occupatis, neceſſaria è ſuis facultatibus ſuppeditabant.

XXV. Cum ergo Judæam peragraret, oblatus ei eſt vir à Cacodæmone ita inſeſſus, ut miſero uſum linguæ & oculorum eriperet. Quem Jeſus illico curavit, ut ille, quemadmodum antea, videret & loqueretur. Miraculum verò tantum cùm miraretur multitudo, propteréaque ſuſpicaretur Jeſum eſſe Regem illum, ex proſapia Davidis oriundum, quem Judæi exſpectarent; Phariſæi nonnulli & Legis Periti, qui Jeroſolimâ venerant, cœperunt dicere Jeſum, non poteſtate à Deo accepta, ſed à Beelzebule Cacodæmonum principe, Spiritus impuros ejicere. Eam calumniam confutavit Jeſus eò quòd, ſi Cacodæmones inter ſe diſſentirent, brevi concideret eorum regnum, quod tamen futurum non ſperabant Judæi; tum etiam quia nulla erat ratio cur crederent à ſuorum nonnullis, [9] invocato Dei nomine, expelli Dæmonas, potiùs

qui ope neſcio cujus radicis naribus Energumenorum admotæ, ex præſcripto Salomonis, eliciebat illâ Dæmonia & Salomonicis carminibus adjurabat ne redirent. Herbam etiam neſcio quam *Baaram* vocat Lib. VII. c. 23. de Bell. Jud. cujus ope pellerentur Dæmones. Quæ omnia mendacia meritò ridet *Ant. van Dale*, Operis de Idololatricis Divinationibus ſub Vet. Teſtamento P. III, c. V, & VII. nec abſurdè ſuſpicatur à *Joſepho* ficta, ut elevaret Chriſti & Apoſtolorum miracula. Expulſio Dæmonum donum fuit Dei, non effectus artis, verborúmque quorumdam, aut formularum; quamquam *Origenes* etiam ſe vulgi opinionibus, hac in re, abripi paſſus eſt, cujus verba protulit & expendit Scriptor memoratus. Mirum eſt *Origenem* non vidiſſe, ſi talia fierent verbis & formulis, à Judæis & ab Ægyptiis, Chriſtianos ex ejectione Dæmonum à ſuis colligere nihil, in gratiam Religionis Chriſtianæ, potuiſſe. Sed Veterum multi non ſibi ſatis ab inconſulta credulitate caverunt.

ANN. XXVII. potiùs quàm ab ipſo; cùm ceteroqui nihil eſſet, quod doctrinæ ſuæ, veriſſimæ quippe & ſanctiſſimæ, objicere poſſent. Unde colligebat non difficile eſſe intellectu Regnum Dei verè à ſe prædicari; nec Cacodæmonum potentiam, niſi à potiore, cui obſiſtere non poſſent, & qui eis adverſaretur, vinci.

Cùm igitur liqueat, inquiebat, *à me Regni Dei fines, non Cacodæmonum, ampliari, ſcitote vos ſcelere omnium maximo capita veſtra obſtrinxiſſe; cùm miracula mea, quaſi à Cacodæmone profecta, calumniati eſtis. Quodvis enim peccatum, & quævis impia dicta hominibus pœnitentibus à Deo remittuntur; ſed calumniæ contra miracula à me, ope Spiritûs Divini, facta numquam venia concedetur iis, qui ea ſpectaverint; quòd ejuſmodi homines ad eam devenerint nequitiam, ut vix ac ne vix quidem ad ſaniorem mentem redeant. Qui mihi ignoto detraxerit, quòd ignoret rationes, ex quibus conſtat me à Deo miſſum; is, ſi iis cognitis, reſipiſcat, veniam conſequi poterit. At ſi quis, conſpectis miraculis Spiritûs Divini potentiâ peractis, ea ſpreverit; nullâ aliâ re ad pœnitentiam adduci poterit, nec proinde ullam erga ſe umquam miſericordiam Dei experietur.* Quæ à Jeſu dicta ſunt, quia Phariſæi & Legis Periti ejus miracula, quaſi, poteſtate à Cacodæmone acceptâ, peracta calumniati fuerant. Eos etiam graviter caſtigavit, quòd ex factis & dictis ejus, quæ omnia ad Virtutem tendebant, non colligerent ſe à Deo miſſum. Negavit quoque iis miraculum, quod ab eo poſcebant, amandavítque homines ad miraculum, Jonæ Prophetæ miraculo ſimile; quo, ut Jonas poſt triduum, per quod in ventriculo Ceti commoratus fuerat, ex eo incolumis evaſerat: ita & ipſe è ſinu terræ, poſt triduum, reſurrecturus eſſet. Tum eos deteriores eſſe dixit Ninivitis, qui minis Jonæ ad pœnitentiam adducti fuiſſent, & Sabæorum Reginâ, quæ ſapientiæ famâ adlecta Salomonem inviſiſſet; cùm ejus ſermonibus, qui Salomone & Jona multò præſtantior eſſet, minimè adficerentur. Quæ omnia pluribus expoſita leguntur apud Matthæum. Cap. XII, 22. ad finem. Marc. III, 22. ad finem. & Luc. VIII, 1. ad 21.

XXVI. Eodem die, Jeſus domo egreſſus ſe contulit ad lacum Geneſareticum, in cujus ripa cœpit populum docere; cúmque ingens multitudo eò confluxiſſet, ne ab ea nimiùm premeretur, néve à nimis paucis audiretur, conſcendit ſcapham, atque in ea paullulùm ſubmota à ripa ſedit, dum populus in ripa ſtaret, & docentem audiret. Tum ſimilitudinibus, quinam eſſent Evangelii effectus, pro varietate hominum, quibus nunciabatur, aptiſſimè oſtendit. Primùm dixit hominem quemdam, qui in agro ſuo ſementem fecerat, partem ſeminis jeciſſe ſecundùm viam publicam, frequenter calcatam, nec ullâ ſepe, nec foſsâ ab agro ſejunctam; quo factum ut ea pars ſeminis à commeantibus partim conculcaretur, partim etiam ab avibus abſumeretur, cùm nullâ terrâ contecta eſſet. Aliam verò partem, in loca petroſa conjectam, paullò pòſt ortam eſſe, cùm non altè in ſolum demiſſa eſſet, quòd illic multa non eſſet terra; verùm ardore

ardore ſolis brevi exſiccatam, quia ea loca humore deſtituta erant, nec radices ullas egerat ſementis. Aliam in loca ſpinis obſita delapſam eſſe, quæ ſpinæ creſcentes eam ſuffocarant, impedierántque ne ſeges ulla ex iis locis demeteretur. Aliam denique partem in terram pinguem & fertilem decidiſſe, ſegetémque illinc natam, poſtquàm ad maturitatem perveniſſet, magnam tritici copiam tuliſſe; adeò ut nonnullis in locis, pro uno tricena, ſexagena, & centena grana collecta fuiſſent. Quod cùm dixiſſet Jeſus, magnâ voce clamavit adtendenda hæc eſſe omnibus, qui ingenio ſuo ad ſalubria monita intelligenda, ſibi, ut par erat, utendum eſſe cenſerent. ANN. XXVII.

XXVII. Cum verò diffluxiſſet turba, quæſiverunt Apoſtoli à Magiſtro, cur obſcurioribus ſimilitudinibus, apud plebem, ſubinde uteretur & quiſnam eſſet modò prolatæ ſenſus? Tum Jeſus Deum Apoſtolis voluiſſe revelare apertè reſpondit, quæ de Regno Cœleſti Meſſiæ ad ea tempora, occulta fuerant; at ceteris obſcuriùs patefeciſſe, quia quiſquis præteritis cœleſtibus beneficiis rectè uſus eſſet, quemadmodum adhuc fecerant, is alia, iiſque ampliora à Deo accepturus erat: quiſquis verò iis abuſus eſſet, futurum erat ut prioribus etiam excideret, quod multi Judæi paſſuri erant; beatos verò eſſe Apoſtolos, qui facultatibus à Deo acceptis rectè uſi, majora à Deo in dies exſpectare poſſent. Deinde ſimilitudinem, quamquam minimè, ut monuit, obſcuram, de ſemine Evangelico interpretatus eſt; cujus, pro varietate hominum in quos incidebat, non una ſors eſſet.

XXVIII. Hæc aliáque eò pertinentia dixit Jeſus; quæ, brevitatis causâ, prætermitto. Similes etiam Apologos adjecit, quibus, audiente populo, Evangelii eventum deſcripſit, & in quibus, ſi quid fuit obſcurum, Apoſtolis ſeorſim expoſuit; unde intelligere potuerunt Regnum Meſſiæ non fore ejuſmodi, ut à Judæis omnibus, contrà quàm vulgò credebatur, exciperetur. Multitudini rem clariùs explicare, eo tempore, conſultum non fuiſſet; quippe quæ vix tuliſſet dicentem Regnum Meſſiæ, in terris, totum eò ſpectare, ut homines ad ſanctiorem vitam adduceret; aut Judaïcam Religionem mox eſſe antiquandam, ut nova, cujus tunc temporis exigua admodum erant initia, ei ſuccederet, aliáque ſimilia; quæ faciebant quidem ad laudem Evangelii, ſed erant parum conſentanea iis, quæ de Meſſia & æternitate Legum Moſis vulgò docebantur. Quæ omnia invenientur Matth. XIII, 1. ad finem. Marc. IV, 1. ad 34. & Luc. VIII, 4. ad 18.

XXIX. Vergente ad veſperam die, cùm eſſet in occidentali ripa lacûs Geneſaretici, unà cum Apoſtolis, juſſit eos navem ſecum conſcendere, & ad orientalem ripam, Gadara versùs, navigare. Quod cùm facturi mox eſſent, acceſſit ad eum Juris Peritus, qui profeſſus eſt ſe Jeſum, quocumque iret, ſequi velle; ratus illum ſe fortè eum in locum ſequuturum, in quo non ſine emolumento eſſet. At Jeſus vetuit eum ſperare locum ullum fore, in quo ſecum beatiore ſorte frui-

 poſſet,

ANN. XXVII. poſſet, quàm illic ubi erat. Vulpes enim aiebat cava ſua habere, in quæ ſe abderent; aves arborum ramos, in quos confugerent; hominésque, etiam abjectæ ſortis, domos quas habitarent; ſibi verò locum in terris nullum eſſe, in quem ſe reciperet, aut quo amicos ſuos exciperet. Quibus verbis, docebat diſcipulos fruſtra eos eſſe, qui à Meſſia terreſtris regni commoda conſequuturos ſe ſperarent, evellebátque ex animis eorum ejuſmodi ſpem, qui, cùm ipſum Meſſiam putarent, talia ſibi fingerent; & omnes, qui Regem eum hujus vitæ præſtolabantur, à ſe amovebat.

XXX. Alius ab eo petiit ut ſibi liceret abire ad patrem ſenem capularem; quo mortuo, ac ſepulto, ad Jeſum ſe rediturum ſpondebat, atque perpetuum ejus comitem futurum. At Jeſus, ut hominem doceret cœleſtia terreſtribus eſſe anteponenda, & occaſione diſcendi utendum, ne poſtea eam in caſſum requireret; juſſit eum ſe confeſtim ſequi, curâ ſepeliendi patris aliis relictâ. Ac ſanè ſi vel biennium patri ſeni diſcipulus ille adfuiſſet, ab ipſo Chriſto arcana regni cœlorum accipere non potuiſſet.

XXXI. Postea dimiſsâ multitudine, naviculam conſcendit Chriſtus, dúmque navigaret, in puppi ſedens, reclinato in cervical capite, in ſomnum prolapſus eſt. Paullò pòſt, ortâ licèt vehementi tempeſtate, ita ut fluctibus ſcapha oppleretur, arcto ſomno oppreſſus etiamnum dormiebat. Quare Apoſtoli eum excitârunt, periculique admonitum, ne ſe perire ſineret, orarunt. Ibi verò Jeſus, increpitâ tempeſtate, malaciam lacui reddidit, dein leniter caſtigavit Apoſtolos, quòd, ſe præſente, timuiſſent; cùm jam tot miracula vidiſſent, ex quibus quantopere cùm ipſe, tum illi Deo curæ eſſent intelligere debuerant. Illi verò admiratione timore miſtâ perculſi, à ſe invicem quærebant, quæ tandem eſſet ea Jeſu potentia, cui imperanti ventus & aqua paruerant; neque enim ſimile quidquam fando umquam audiverant.

XXXII. Adpulerunt paullò pòſt ad ripam orientalem lacûs, non procul à Gadaris, quæ erat urbs Ethnica, ea in ripa, ut diximus, ſita, è regione Galilææ. Cùm verò naviculâ exſcendiſſet Jeſus, occurrêre ei duo viri à Cacodæmonibus obſeſſi, qui ſibi & aliis furore ſuo moleſti atque infeſti erant, nec catenis ullis coërceri potuerant. Procul autem Jeſum conſpicati, impellentibus Cacodæmonibus, ad eum adcurrerunt, & ad pedes ejus provoluti vociferabantur: *quid tibi eſt nobiſcum negotii, ô Jeſu ſummi Dei fili! te per Patrem tuum obteſtamur, ne nos malè habeas; nondum enim adeſt tempus, quo nos ei pœnas dare oporteat. Noli antequàm venerit, nos vexare.* Hæc autem ore obſeſſorum loquebantur Cacodæmones, quòd eos juberet Jeſus egredi ex infelicibus hominibus, quorum calamitatem miſerabatur. Ut verò intelligerent Apoſtoli magnitudinem beneficii, quo homines adficere ſtatuerat, quæſivit à Cacodæmonibus quænam eſſent eorum nomina. Reſponderunt continuò illi ſibi nomen eſſe Legioni, quòd plures ſimul utrumque illum virum

rum inſediſſent, & vehementer orarunt Jeſum, ne ſe ab eo tractu abire juberet, neu in locum ſuppliciorum mitteret. Erat autem, eodem in loco ſat procul, in radicibus montium, grex ingens porcorum paſcentium; in quos obſecrarunt Jeſum Cacodæmones ſibi ire liceret, ſi ſe ex hominibus exire cogeret; eo fortè animo ut, pernicie ſuum, Gadarenſes, quorum erant, ab eo alienarent; ne curatione duorum hominum, quos liberaverat Cacodæmonibus, eorum animos ſibi conciliaret, atque ad credendum Evangelio adliceret. Jeſus verò, ut experimentum virtutis Gadarenſium ſumeret, Spiritus impuros corpora ſuum ſubire paſſus eſt. At illi in pecudes impetu facto, è præruptis rupibus omnes in lacum Geneſareticum præcipites egerunt atque in aquis ſuffocarunt. Subulci, ſubito eorum caſu conſpecto, in urbem & vicinas villas confeſtim ſe proripuerunt tractúsque incolis curationem hominum à Cacodæmonibus obſeſſorum & cladem ſuum narrarunt. ANN. XXVII.

XXXIV. Quibus auditis, ex oppido atque ex pagis concurſus ad Jeſum factus eſt, cupientium videre, an ita res haberet, ut narraverant ſubulci. Viderunt itaque, non ſine ſtupore ac timore quodam, viros à Cacodæmonibus antea inſeſſos & in furorem actos, jam ſedentes, veſtitos, ac ſui compotes; quos à Jeſu curatos fuiſſe adſtantes iis confirmarunt, addito & caſu ſuum, quemadmodum à ſubulcis fuerat narratus. Igitur cùm res omnibus innotuiſſet, tota urbs obviam Jeſu effuſa eſt; oravitque eum, cui tantum beneficium debebat, ut finibus ſuis excederet; timebant enim Gadarenſes ne fortè homo Judæus, ſuibúsque, ut putabant, infenſus, ſimilem ſibi in alia re jacturam crearet. Ille verò intellecto metu hominum, opes ſuas pluris quàm ejus doctrinam facientium, naviculam iterum conſcendit, ut Capernaümum rediret, cúmque jam altum petiturus eſſet, à Cacodæmonibus liberati orabant è ripa, ut ſibi eum ſequi, atque eſſe unà liceret. At Jeſus eos, juſſos narrare ſuis quanta à Deo accepiſſent beneficia, domum remiſit. Illi itaque illico profecti, per totum Decapolitanum tractum, miraculi famam diffuderunt, atque omnes, quibus innotuit, in admirationem rapuerunt. Quæ omnia debemus Matthæo Cap. VIII, 18. ad finem, Marco IV, 35. ad finem & V, 1. ad eo & Lucæ VIII, 22. ad 39.

XXXV. Vix adpulerat Jeſus ad occidentalem ripam lacûs, cùm ingens hominum multitudo, quæ eum audire conſuerat, eò confluxit; reditum enim ejus exſpectabat, atque moræ impatiens in ripa ſtabat, antequàm adpelleret. Itaque Jeſus ſcaphâ egreſſus jam docere confluentes cœperat, ſermonéſque habebat de ratione, quâ infirmiores diſcipulorum animi eſſent tractandi, quales eum eodem in loco habuiſſe narravimus, anni hujus initio; cùm rogatus eſt à Jaïro, è Præfectis Capernaümenſis Synagogæ, ut impoſitione manuum vitam & valetudinem filiæ ſuæ moribundæ reſtituere vellet, proptereáque domum ejus ſecum veniret. Eò dum iret Jeſus, &, & confertâ turbâ premeretur, à tergo ſubrepſit mulier, quæ per duodecim annos profluvio ſanguinis labora-

ANN. XXVII. laboraverat, nec à Medicis curari potuerat, ut veſtimentum ejus adtingeret; rata, id quod contigit, fore ut eo tactu cum fiducia in Deo conjuncto, curaretur. Jeſus, re animadversâ, mulieris fidem collaudavit & curatam dimiſit; dúmque etiamnum loqueretur, venerunt ad Jaïrum ex ejus ædibus, qui puellam mortem obiiſſe nunciarent, ac proinde non eſſe cur Jeſu ampliùs moleſtiam ad eam veniendi exhiberet. Verùm Jeſus ire perrexit, ingreſſúsque ædes, è cubiculo, in quo puella jacebat, tibicines, aliósque eam, more Judæorum, complorantes ejecit, & mortuam verbo excitavit. Tum vivam parentibus reſtituit, juſſitque, ne magicas has eſſe præſtigias putarent, cibum ei dari, quò magis eam vivere & valere conſtaret. Rem videre non potuerunt parentes, ſine maxima admiratione & lætitia; ac ita erant erga Jeſum animati, ut tanti miraculi famam, grati animi causâ, è veſtigio ſparſuri fuiſſent; niſi evulgari disertè vetuiſſet, ne majores, quàm neceſſe erat, concurſus ad ſe fierent. Attamen res totum illum tractum pervagata eſt, atque inde multi Meſſiam illum eſſe colligebant. Cùm illinc abiret, duo cæci, *Davidis prolem* eum ſalutantes, orarunt ut ſibi viſum reſtitueret; quibus magnam in divina potentia fiduciam teſtificantibus, hoc gratificatus eſt, ſed in mandatis dedit, fortè quod ipſum Meſſiæ nomine adpellaſſent, ne rem promulgarent. At illi, è conſpectu ejus egreſſi, linguæ minimè temperarunt; cùm officii ſui eſſe putarent, quod adeò benefactori ſuo honorificum erat, minimè tacere.

XXXVI. Paullo pòſt etiam virum à Cacodæmone vexatum & mutum propterea factum, curavit & linguæ uſu iterum donavit. Quod Dæmonii genus cùm difficillimè ex humano corpore ejiceretur; ſummam ea curatio admirationem omnibus movit, qui umquam quidquam ſimile, apud Judæos, conſpectum eſſe negabant. At Phariſæi, hominum genus quod ſemper Jeſu infenſiſſimum fuit, Cacodæmonas ejici ab eo, poteſtate ab impurorum Spirituum principe acceptâ, populo perſuadere conabantur; ac proinde eum eſſe Magum, non Prophetam. Hæc habemus pluribus apud Matthæum IX, 8, ad 34. Marcum V, 11. ad finem, & Lucam VIII, 40. ad finem.

XXXVII. Jesus verò, cùm jam ante annum Nazarethæ, per breve dumtaxat tempus fuiſſet, quòd eum populares è rupe præcipitem dare conati eſſent; ſedatâ, ſpatio temporis, hominum irâ, & comparatâ tot miraculis poſtea editis majore famâ, in patriam redire ſtatuit, ut eos ad meliorem frugem iterum vocaret. Sed quamvis illic ſummâ ſapientiâ loqueretur, mirarentúrque vulgò unde eam comparare potuiſſet, nec caperent quî ei tot miraculorum faciendorum poteſtas conceſſa eſſet; attamen, quia Joſephi fabri filius habebatur, notique erant ejus conſanguinei, pauperes omnes, tenuiſque ſortis homines; nemo ei fidem habere, ob ejuſmodi plebeium præjudicium, ſuſtinuit; quamvis à Deo ſpiritum Prophetiæ, eruditis tantùm, aut lautioris ſortis hominibus, concedi poſſe dicere fortè nemo auſus fuiſſet. Itaque Jeſus contu-

contumaciam hominum deteſtatus perpauca illic miracula fecit, & ad alia Galilææ loca ſe contulit, ubi adventantis Regni Cœleſtis fauſtum nuncium ſparſit, eadémque operâ omnis generis ægros ſibi oblatos benignè curavit. Interea ingens hominum multitudo, quacumque iret, ſequebatur; cujus eum miſerebatur, quòd gregem ovium paſtore deſtitutum, ac proinde palantem & vagum, neque caulam petentem referre videretur. Ac ſanè plebs Judæa, à Sadducæis illinc, hinc à Phariſæis diſtracta, quid fugeret, aut quid ſequeretur non ſatis expediebat; & dubia huc illuc agebatur, quòd vocem paſtoris à Deo miſſi nondum noſſet. ANN. XXVII.

XXXVIII. Quod cùm animo agitaret Jeſus, dixit diſcipulis, ſegetes quidem eſſe maturas, ſed perpaucos meſſores inveniri. Erant enim non pauci cœleſtem doctrinam excipere parati; ſi modò iis ſuppeterent, loco & tempore opportuno, idonei magiſtri. At ubique ſimul adeſſe non poterat Jeſus, ideóque conſilium cepit mittendi Apoſtolos quoquoverſùm, dum ipſe alia loca obiret. Convocatos ergo mandatis & poteſtate inſtruxit. Juſſit eos, hoc primo itinere, in ſolas Judæorum urbes ire, & Judæos ſolos adpellare, ac monere Regnum Dei inſtare; cujus beneficiorum ſi participes fieri vellent, oportere ut ſanctiùs poſthac vivant. Donavit eos etiam poteſtate edendi quævis miracula, ex quibus non temerè hoc ab iis nunciari liqueret. Tum multa alia monuit, nec mala diſſimulavit, quæ eos poſtea à Judæis manerent, at illos bono animo eſſe juſſit; fore enim ut ipſos & omnes, qui iis crederent, Divina Providentia tegeret; & ampliſſimis tandem præmiis cumularet.

XXXIX. Postquam verò Jeſus abſolviſſet Apoſtolos mandatis inſtruere, binóſque Evangelium nunciaturos in diverſa loca miſiſſet; ipſe quoque in alium tractum diſceſſit, ut oppidatim nunciaret inſtare regnum Dei, ejúſque leges ac præmia populo aperiret. Apoſtoli pariter, vicatim euntes & quaquaversùm idem nunciantes, ad morum emendationem Judæos ſtudiosè hortabantur, ſimúlque, pro facultate à Deo accepta, Cacodæmonas è corporibus humanis ejiciebant, & multos ægros oleo dumtaxat unctos curabant. Vide Matth. XIII, 54. ad 58. IX, 35. ad finem. X, 1. ad finem. XI, 1. Marc. VI, 1. ad 13. Luc. IX, 1. ad 6.

XL. Hoc eodem anno, Herodes Agrippa, Ariſtobuli F. ex Cypro Phaſaëlis filia, ſuſcepit Agrippam juniorem ultimum Judæorum Regum, cujus in Apoſtolica Hiſtoria fit mentio. Quod docet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. 7. & Lib XIX. c. ultimo.

ANN. XXVIII.

Ap. Junio Silano, P. Silio Nerva C O S S. Tiberii XV. Herodis Antipæ & Philippi XXXI. Ætatis Chriſti XXXII. Æræ Vulgaris XXVIII.

I. Berenice ſoror ejus Agrippæ, cujus mulieris Acta quoque Apoſtolica meminere, & quæ poſtea Herodi Chalcidis Regi nupſit, hoc anno nata eſt; quod colligimus ex eodem *Joſepho*, neque hîc, niſi propter tempora, notamus.

II. Circa initium tertii anni, ex quo Jeſus Evangelium Judæis nunciare cœperat, cùm Herodes Tetrarcha Galilææ, natalem ſuum celebraret & ad convivium vocaſſet purpuratos omnes ſuos, ducéſque copiarum, quas alebat, & totius Galilææ proceres, ac illi epulati eſſent; Triclinium ingreſſa eſt Salome, Herodiadis filia, quam ex priore viro Philippo pepererat, atque ita ſaltavit, itáque placuit, cùm ceteris convivis, tum etiam ipſi Herodi, ut puellam juberet à ſe petere quidquid vellet, ſecuram impetrandi. Confirmavit etiam jurejurando, vino madidus, ſi vel dimidiam partem regni ſui poſtularet, repulſam non paſſuram. Illa verò ex tempore quidem nihil petiit; ſed è triclinio egreſſa ad matrem ivit, ut ex ejus conſilio quidpiam ab Herode poſceret. Herodias autem dudum Joanni, ut diximus, infenſa occaſionem, avidè adripuit, juſſitque filiam petere à patruo caput Joannis Baptiſtæ in lance confeſtim ſibi dari. Cui conſilio obſequuta puella in Triclinium rediit, & caput Joannis ſibi in lance illico dari popoſcit. Doluit quidem Herodi rem à ſe peti, optaſſétque temerario promiſſo captus aliud quiddam à puella petitum fuiſſe; attamen jurisjurandi pravâ religione & adcumbentium intempeſtivâ reverentiâ permotus non auſus eſt negare, ne leviter juraſſe, aut perjurus eſſe videretur; quaſi inconſulti & temerarii jurisjurandi pœnitere eum indecorum, aut minùs religioſum fuiſſet! Igitur è veſtigio juſſus ſpiculator caput Joannis enſe reciſum, in lance adtulit & puellæ dedit, quod acceptum ad matrem tulit; quæ oculos, crudeli ſpectaculo ſanctiſſimi atque innocentiſſimi viri capitis, pavit. At Joannis diſcipuli, morte Magiſtri auditâ, Machæruntem iverunt; cadavérque ejus, ab Herode impetratum, ſepulcro condiderunt; quo facto, rem Jeſu renunciarunt, quem pro Meſſia à Magiſtro habitum fuiſſe norant.

III. Cum autem eo tempore celebrior facta fuiſſet Jeſu fama, ad aures Herodis tandem pervenit; cúmque nonnulli ſuſpicarentur Jeſum eſſe Joannem ipſum, qui à Deo excitatus erat è mortuis; Herodes hanc ſuſpicionem probavit, dixitque aulicis, exiſtimare ſe re verâ Joannem excitatum, nomine Jeſu, Palæſtinam peragrare, ideóque tot ab eo miracula fieri. Aliis verò videbatur eſſe potiùs Elias Thisbites, quem ante adventum Meſſiæ ſperabant Judæi venturum, ex pravè intellecto Malachiæ vaticinio; fortè quod inſtare Regnum Cœleſte diceret, unde non

non Meſſiam eſſe, ſed anteambulonem Meſſiæ colligebant. Alii eſſe Prophetam, & nonnulli quidem unum è veteribus, qui reſurrexerat, cenſebant. Herodes verò, cùm rem apud animum ſuum reputaret, in eam, quam diximus, ſuſpicionem propendebat, quâ exiſtimabat Joannem eſſe; qua de cauſa, vehementer eum videre cupiebat, ut ex ejus conſpectu rem dijudicaret; ſed Jeſus ſe ei conſpiciendum, antequàm à Pilato ad eum, paullò ante mortem, mitteretur, minimè præbuit. Quæ omnia habentur Matthæi XIV, 1, 2, 6. & ſeqq. ad 12. Marci VI, 24. ad 16. 26. ad 29. Lucæ IX, 7, 8, 9. ANN. XXVIII.

IV. Non multò pòſt, duodecim Apoſtoli, quos Jeſus Evangelium quaquaverſùm nunciaturos miſerat, ad eum redierunt, ad lacum Geneſareticum, omniáque facta & dicta ſua narrarunt, tum etiam quis fuiſſet primæ illius ſuæ prædicationis ſucceſſus. Quibus auditis, juſſit eos Jeſus ſecum proficiſci, ſeorſim ab omnibus aliis, in ſolitudinem quamdam; ut illic aliquantùm quieſcerent. Dum enim in frequentioribus locis verſabantur, tantus fiebat hominum concurſus, tantúſque ægrorum numerus curandus ei offerebatur, vix ut capiendo cibo tempus ſuppeteret. Itaque naviculâ conſcensâ, ad orientalem ripam lacûs Geneſaretici, in deſertum agri Bethſaidenſis tractum, navigarunt. At magna hominum multitudo è vicinis urbibus, quæ quò irent animadvertit, pedeſtri itinere properè lacum circumivit, ac trajecto Jordane, ad eum locum ſe contulit & obviam ivit Jeſu; multi enim, conſpectis ejus miraculis, ab eo vix poterant evelli. Quos cùm videret Jeſus, quamquam turbam vitare voluerat, homines benignè excepit, & inſtituere, ut ſolebat, perrexit. Interea adventante veſperâ, nec dilabante multitudine, ingenti miraculo quinque virorum millia, præter mulieres & pueros, quinque panibus & duobus piſcibus, in fruſta ſectis & viritim diviſis, ita ut omnibus adfatim cibus ſuppeteret, pavit. E quibus, cùm omnes comediſſent ad ſatietatem, juſſit fragmenta colligi, quibus duodecim cophini impleti ſunt. E tanto miraculo collegit multitudo eum verè eſſe inſignem illum Prophetam, quem Deus ſe miſſurum ad Judæos promiſerat; hoc eſt, Meſſiam; quo regnante, beatam vitam acturum populum Hebræum ſperabant. Quare nonnulli eorum conſilium ceperunt ejus rapiendi & Regem ſalutandi; eo animo, ut eum ad regnum è veſtigio ineundum adducerent.

V. Quod ubi intellexit Jeſus, quem nihil fallebat, cœpta eorum ſic irrita fecit. Coëgit Apoſtolos ſolos naviculam conſcendere & navigare ad ripam occidentalem lacûs, oppoſitam ripæ Bethſaïdenſi, in qua tunc temporis erat; dimiſſiſque iis, qui ad eum confluxerant, ſe ſe in ſolum montem ſubduxit. Navigantibus interea Apoſtolis, cùm in medio lacu verſarentur, & ægrè, contrario vento, viginti quinque, aut triginta ſtadia remigio confeciſſent; venit ad eos Jeſus, in ſumma aqua ambulans, haud aliter ac in via ſicca & firma ſolemus, & velle ſe eos præterire ſimulavit. Ibi verò Apoſtoli, ſpectrum eſſe rati, exclamarunt,

ANN. XXVIII.

marunt, nec exiguo metu omnes perciti fuerunt. At eos Jeſus, clarâ voce, bono animo eſſe juſſit; ſe enim eſſe, quem aquæ inambulantem viderent. Petrus verò dubitans an eſſet Jeſus, petiit ut, ſi is eſſet, ſibi quoque in ſumma aqua ambulandi poteſtatem faceret. Quod Jeſu concedente, inſiſtere aquæ cœpit, atque in ea ambulare. Sed vento vehementiùs flante, timore correptus eſt; ac deficiente hominem fiduciâ, quâ primùm, Magiſtro fretus, mirificam ejus potentiam expertus erat, veſtigiis ejus ceſſit aqua, & cùm ſe ſentiret mergi, Jeſum, ut ſibi auxilio eſſet, magnâ voce vocavit. Continuò adfuit Jeſus & porrectâ manu eum ad ſummam aquæ ſuperficiem retraxit, caſtigavitque quòd propter ventum, dubitaſſet; quâ dubitatione, factum fuerat ut mergeretur. Dein cùm unà naviculam conſcendiſſent, brevi ad ripam, ad quam contendebant, pervenerunt. Eâ autem actione Chriſti, aquæ inambulantis, magis perculſi fuere Apoſtoli; quàm ſuperiore miraculo, quo quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia paverat; neque enim rem, quæ erat eorum negligentia, ſatis animadverterant. At quia eum in aqua incedentem viderant, ad pedes ejus accidentes, *verè*, inquiebant, *es Filius Dei*; hoc eſt, Meſſias. Igitur adpulſi ad tractum Capernaümo vicinum è navicula exſcenderunt, ubi ſtatim agnitus Jeſus magnum hominum concurſum excitavit; qui enim primi viderant è veſtigio vicinis nunciarant, quo audito, undequaque ægri ad eum adducti, aut in ipſis lectulis adlati ſunt. Quacumque tranſiret, per urbes, agros, aut villas, in plateis, viiſque publicis, exponebantur ægri; qui orabant Jeſum, ut ſibi liceret vel fimbriam ejus veſtium tangere, quam vix adtigerant, cùm ſe curatos ſentiebant. Quæ omnia pluribus narrarunt Matthæus Cap. XIV, 13. ad 36. Marcus VI, 30. ad 56. Lucas IX, 10. ad 14. & Joannes VI, 1. ad 21.

VI. Postero die, qui in Bethſaïdenſi agro remanſerant, cùm pridie vidiſſent nullam illic fuiſſe naviculam, præter eam, quam relicto Jeſu in ripa, conſcenderant Apoſtoli; eum quæſiverunt per loca vicina, quippe quem lacum trajeciſſe non putabant. Cœna, quâ ab eo excepti fuerant, hominum animos ſtimulabat; eáque liberalitate adducti & inani ſpe majorum præmiorum permoti regium nomen ei deferre, ut diximus, cupiebant. Interea verò dum Jeſum fruſtra quærerent, venerunt Tiberiade multa navigiola in ea loca; quâ occaſione oblatâ uſi ſunt, ut Capernaümum reverterentur, Jeſum illic etiam quæſituri. Inventum interrogarunt, à quo tempore in occidentali ripa lacûs eſſet; ſe enim ratos trans lacum eſſe fruſtra illic inveſtigaſſe. At Jeſus, qui noverat ſe à pleriſque eorum, non tam animo doctrinæ cupido, aut propter miracula, quæſitum, quàm præſentis emolumenti causâ; *profectò*, inquit, *me quæritis, non tam ducti magnitudine miraculorum, quæ à me fieri vidiſtis, & unde me à Deo miſſum eſſe intelligere poteſtis, quàm quia ad ſatietatem uſque panes vobis præbui. Atqui vos par erat ſtudiosè quærere, non ejuſmodi cibum, qui brevis eſt usûs, ſed eum qui æternum*

nùm animos veſtros alere queat; quem vobis ego, qui externâ ſpecie à vobis non differo, præbebo, ſi modò excipere, ut decet, velitis. De qua poteſtate mea, dubitare vobis non licet; cùm omnia mea verba inſignibus miraculis, quaſi totidem ſigillis, confirmarit Deus. ANN. XXVIII.

VII. Illi verò hoc Jeſu reſponſo perculſi, ab eo quæſiverunt, quid ergo à ſe oporteret fieri, ut Deo accepti eſſent. Repoſuit Jeſus, credendum ei eſſe, quem Deus ad eos miſerat; ſeu, poſtquàm conſtitiſſet verè à Deo miſſum eſſe, præceptis ejus parendum. At homines ſubirati, quòd ſe minimè iis, veluti terreſtrem Regem, venditaret, prout ſperaverant, paratum omnia ſuppeditare, ſi modò ſe ſe Regem ſalutare vellent & ad eam dignitatem tuendam operam polliceri; quaſi omnium ejus miraculorum obliti, quæſiverunt an miraculum quodpiam facere poſſet, quo demum conſpecto, fidem ei eſſent habituri? Tum Jeſus, perſpectâ eorum pravâ indole, longam orationem habuit, quâ oſtendit ſe eſſe panem cœleſtem, ſed ſibi fidem detrahi à pravis hominibus, qui ne Deo quidem antea credidiſſent; ab iis verò, qui revelationi divinæ ex animo adſenſiſſent, ſe facilè admitti. Quæ audiri ab iis, ſine fremitu, non potuerunt. Attamen Jeſus, ſpretâ eorum indignatione, duriora ejuſmodi auribus dicere perrexit; cùm ſalutis conſequendæ causâ, carnem ſuam comedendam, & ſanguinem bibendum doceret; quaſi ejuſmodi auditores rudes & ſimul nequam, alieniores à ſe reddere voluiſſet. Habiti hi ſermones, in Synagoga Capernaümenſi; quibus ita plerique eorum hominum, qui eum adſectari ſolebant, offenſi ſunt, ut non ampliùs in ejus comitatu conſpecti fuerint; nec erant ita adfecti, ut regni cœleſtis Meſſiæ participes fieri poſſent, quippe qui nihil niſi terreſtria adpeterent.

VIII. Quod cùm animadverteret Jeſus, duodecim Apoſtolos interrogavit, an etiam ſeſe ipſius diſciplinæ ſubducere vellent? Ibi verò Petrus, omnium nomine, reſpondit, & *ad quem*, inquit, *alium magiſtrum nos conferre, diſcendi causâ, poſſemus, te relicto; qui ſolus nos docere potes, quî vitæ ſempiternæ participes fieri queamus? Dudum credidimus & certis argumentis comperimus te eſſe Meſſiam, ſeu Filium ſolius veri ac viventis Dei.* Reſpondit Jeſus ſe è magna Diſcipulorum turba duodecim tantùm Apoſtolos elegiſſe, & tamen ab uno ex iis ſe inimici inſtar habitum iri. Intelligebat autem Judam, cui Iſcariothæ cognomen fuit, quíque erat Magiſtrum proditurus, ut eventus poſtea oſtendit. Quæ narrat ſolus Joannes Cap. VI, 22. ad finem.

IX. Non multò pòſt Jeſus, pro more ſuo, profectus eſſe videtur Jeroſolimam, ad celebrandum Paſcha, quod eo anno in nonas Apriles, è Calendario Judaïco, incidebat; quamvis ejus itineris non meminerint Evangeliſtæ. Cùm verò è Judæa in Galilæam rediiſſet, eò venerunt Jeroſolimâ Phariſæi nonnulli ac Juris Periti, ut ejus dicta ac facta obſervarent. Hi cùm vidiſſent nonnullos Apoſtolorum, minimè ablutis antea manibus, menſæ adcumbere, & cibum ita, contra morem Phariſæorum, capere; à Jeſu quæſiverunt cur ejus Diſcipuli, neglectis Majorum

ANN. XXVIII. jorum inſtitutis, illotis manibus cibum caperent. Jeſus verò ſic reſpondit, ut neglectis ejuſmodi ritibus externis, animum nequaquam pollui apertè ſignificaret, ſed tantùm vitiis, quibus mens verè inquinatur; ſimulatoréſque illos virtutis graviter arguit. Quâ oratione, ſatis oſtendit Deum ſolius Virtutis, non ejuſmodi rituum obſervationis, rationem habiturum, nec offenſionem Phariſæorum ea propter flocci fecit.

X. Hinc profectus in tractum Galilææ Tyriorum & Sidoniorum agris finitimum, cùm eò perveniſſet, domum, in qua diverſaturus erat, ingreſſus, ſuum adventum cuiquam indicari vetuit; ne Ethnici, ad eum concurrentes, invidiam ſibi, apud Judæos, crearent; nec tamen potuit latere, quia famâ ubique innotuerat. Phœniſſa ergo quædam mulier, de ejus adventu monita, cùm filiam haberet, quæ à Cacodæmone miſeris modis vexabatur, enixis precibus, & eximiâ fide ut curaretur impetravit.

XI. Postea reverſus è tractu illo, Ethnicis urbibus vicino, in oram Geneſaretici lacûs, in qua ut plurimum verſabatur; in Decapolitana regione, ad ejus ortum ſita, aliquamdiu moratus eſt; atque illic mutum natum, multóſque alios ægros curavit, nec, quamvis interminaretur curatis ne dicerent à quo ſanati eſſent; rem ab iis impetrare potuit. Quare increbeſcente ejus famâ, plures in dies ad eum confluebant. Hæc aliáque pluribus narrarunt Matthæus C. XV, 1. ad 36. & Marc. VII, 1. ad finem.

XII. Circa idem tempus, cùm ingens multitudo, in ſolis Decapoleos locis, verſaretur cum Jeſu & Apoſtolis, nec in iis cibos, quibus indigebat, poſſet ſibi comparare; Jeſus miſereri ſe ejus Apoſtolis dixit, vereríque, ſi jejuna dimitteretur, ne in via deficeret. Apoſtoli verò negarunt ſe ſcire, unde poſſent tantæ multitudini cibaria comparari; neque enim ſatis animadverterant, ut diximus, miraculum, quo quinque millibus hominum cibum præbuerat, cùm ad manum eſſent dumtaxat quinque panes & duo piſces. Iis erant tunc temporis dumtaxat ſeptem panes & aliquot piſciculi. Quo audito, juſſit Jeſus multitudinem diſcumbere, eique dividi panes & piſces; qui non defuerunt dividentibus, donec omnes, qui diſcubuerant, quod ſatis erat accepiſſent & ſatiati eſſent; ſuperfuerúntque fruſta, quibus ſeptem corbes implerunt Apoſtoli. Diſcubuerant autem, præter mulieres & pueros, virorum quatuor millia; qui ne ipſum invitum, ſpe ſimilium epularum adlecti, potiùs quàm diſcendi ſtudio, adſectarentur, extemplo cum Apoſtolis navigiolum conſcendit; quo delatus eſt in tractum Dalmanuthenſem, non procul à Magdala. Sic & ſæpiùs frequentiores & diuturniores concurſus vitavit, ne ullius ſeditionis vel minimâ ſuſpicione umquam adſpergi poſſet.

XIII. In

1 *Nec ſine cauſa Simoni Petro* &c.] Si cui paradoxa videantur, quæ hîc habemus, adeat quæ dudum notavimus, in Additamentis ad *Hammondum* in N. T. Matth. XVI,

XIII. In Dalmanuthenſem agrum adpulſus à Phariſæis & Sadducæis quibuſdam conventus eſt, qui de ejus poteſtate diſceptare cum eo cœperunt, miraculúmque cœleſte, ex quo intelligere poſſent divinitus miſſum fuiſſe, popoſcerunt. Quod negavit eis Jeſus, eò quòd adventûs Meſſiæ ſigna minimè obſervarent; amandatis hominibus ad ſuæ reſurrectionis miraculum, quod *ſignum Jonæ Prophetæ* obſcuriùs vocavit. ANN. XXVIII.

XIV. Quod cùm dixiſſet, ex eo tractu abiit &, conſcenſo quidem navigio, ad occidentalem lacûs ripam navigavit. Inter navigandum, Apoſtolos monuit ut ſibi à doctrinâ Sadducæorum & Phariſæorum caverent, quam nomine *fermenti* ſignificavit; quod cùm non intelligerent Apoſtoli, clariùs expoſuit. Putabant enim ſibi exprobrari, quòd panes emere obliti eſſent, non ſatis memores miraculorum Chriſti, quibus panes auxerat, poterátque ſi neceſſe eſſet, ſimiliter panis penuriæ ſubvenire.

XV. Postea verò Bethſaïdam ſe, cum Apoſtolis, contulit, ubi cæcum natum ſibi oblatum & ex urbe eductum curavit. Tum hominem domum remiſit, vetuítque ne Bethſaïdam rediret; ſeu propter Bethſaïdenſium contumaciam, ſeu ne nimis multi illinc ad ſe confluerent. Quod diligenter vitabat, & faciliùs circa Geneſareticum lacum vitare poterat, ope navigii quo eum ſubinde trajiciebat, quàm ſi alibi vixiſſet. Nec abſurdè liceat conjicere, nunc in Herodis, nunc in Philippi agris verſatum; ne in eorum conſpectum veniret, aut ut inſidias declinaret.

XVI. Hoc quidem tempore, paullùm ab eo lacu conceſſit; ſéque in agros Cæſareæ, ad fontes Jordanis, contulit; quam, ut antè diximus, inſtauraral Philippus. Inter eundum, cùm in locum ſolum, orationis causâ, unà cum Apoſtolis, ſeceſſiſſet; quæſivit ab iis quinam eſſe vulgò diceretur; cùm externâ ſpecie potioris ſortis eſſe non videretur, quàm quivis è vulgo? Reſponderunt illi, ab aliis Joannem Baptiſtam redivivum, ab aliis Jeremiam è mortuis excitatum, aut alium quempiam è veteribus Prophetis credi. Iterum quæſivit, quemnam ipſi ſe cenſerent? Tum verò Petrus, minimè exſpectato ceterorum reſponſo, *tu es*, inquit, *Meſſias, veri ac viventis Dei filius*. At Jeſus, hoc audito reſponſo, repoſuit, beatum eſſe Petrum, cui tanta res nota eſſet, quam à ſolo Patre Cœleſti accipere potuerat; quippe qui miraculis, quorum edendorum poteſtatem ipſi fecerat, clarè oſtendiſſet quiſnam eſſet. [1] Nec ſine causâ Simoni, Petro, quæ vox *lapidem* ſignificat, nomen à ſe impoſitum fuiſſe; futurum enim eum, prædicatione & conſtantiâ ſuâ, veluti lapidem, cui Jeſus Eccleſiam ſuam ſuperſtructurus eſſet; neque ullo mortis terrore labefactatum, aut Eccleſiam illam extinctum iri. Magnam ſe ei conceſſurum auctoritatem, in Regno Cœleſti, adeò ut,

XVI, 18. ubi, niſi fallimur, non abſurdas rationes ita ſentiendi nos habuiſſe videbit. Non eſt hîc ſpectandum quàm nova, aut antiqua ſit interpretatio, aut à quo proferatur, ſed quibus rationibus nitatur.

ANN. XXVIII. ut, ſi quem cuperet, in terris, impietatis ſupplicium Deo dare, continuò pœnas luiturus eſſet; ſi cui optaret eas pœnas, in terris, remitti, illico remiſſionem eſſet à Deo impetraturus.

XVII. Postquam judicium Petri de ſe ita collaudaſſet atque eximiis pollicitationibus remuneratus eſſet, omnes Apoſtolos vetuit dicere cuiquam eum eſſe Meſſiam; ne homines æquè malos, ac bonos, qui terreſtre regnum Meſſiæ fore exiſtimabant, ad ſe adlicerent; ſeditionem eo nomine, in Judæa, non difficulter concitaturos, & doctrinæ ſuæ, ſe invito, rebellionis infamiam apud eos, quibus non ſatis notus erat, inuſturos. Ab hoc tempore, cœpit Jeſus apertè prædicere Apoſtolis ſibi brevi eundum eſſe Jeroſolimam, omniſque generis indignitates illic ferendas & tandem, nequitiâ Synedrorum, Sacerdotum & Legis Peritorum, moriendum, ſed ſe tertio die reſurrecturum. Tam triſtia abominatus Petrus Jeſum oravit, ne talia ſibi ominaretur; ſed eum increpuit optimus Magiſter, monuitque fore ut qui in diſciplinam ſuam admiſſus eſſet, & quod à ſe audiviſſet impavidè nunciaret, in maximas vexationes incideret; ſed eumdem æternâ vitâ donatum iri, à qua excideret qui quod didiciſſet non auderet profiteri. Quæ omnia copioſiùs expoſuerunt Matthæus C. XV, 38. ad finem, XVI, 1. ad finem, Marcus VIII, 10. ad finem, ac Lucas IX, 18. ad 27.

XVIII. Octavo die, poſt hoſce habitos ſermones, Jeſus juſſit Petrum, Jacobúmque & Joannem, Zebedæi filios, ſecum adſcendere in excelſum montem; in quo erat, ſine interpellatione multitudinis, Deum oraturus. Dum autem illic eo Religionis officio fungeretur, non procul à tribus, quos dixi, Apoſtolis; ecce verò vultus ejus mutatus eſt & divinâ majeſtate fulgere cœpit, ita ut oculi ejus non magis à mortalibus oculis ferri poſſent, quàm ſol ſine nubibus lucens. Veſtes etiam ejus tanto candore coruſcarunt, ut nullus in terris fullo, ullâ arte, eum æquare poſſit. Præterea ei adfuerunt duo viri, ſimili ſplendore vultûs & veſtium ornati; quos ex ſermonibus Moſem & Eliam, vatum omnium priſcorum maximos, eſſe conſtitit. Ii colloquebantur cum Jeſu, de pœnis, quas de contumacibus Jeroſolimitanis ſumturus erat. Paullò antequàm hæc fierent, Petrus & ambo fratres, qui cum eo erant, arcto oppreſſi ſomno dormiebant; ſed excitati ſplendidiſſimum hunc conventum magno cum ſtupore viderunt, & partem ſermonum audierunt. At non multò pòſt Moſes & Elias Jeſu valedixerunt, Petrúsque eos retinere diutiùs cupiens Magiſtro dixit expedire aliquantùm illic commorari, eámque in rem è frondibus arborum tria tabernacula fieri poſſe; quorum unum ipſius, alterum Moſis, tertium Eliæ futurum eſſet. Uſque adeò, tam miro ſpectaculo, turbatus erat, ſicut & duo alii Apoſtoli, ut non ſatis ſciret quid diceret; cùm facile eſſet intellectu Moſem & Eliam è cœlo non deſcendiſſe, ut diu in terris cum mortalibus verſarentur. Eo verò etiamnum loquente, nubes ſplendidiſſima in omnes, qui aderant, deſcendit; quâ non parum territi ſunt Apoſto-

Apoſtoli, cùm eâ ſe ambiri animadverterent. Tum è media nube, audita eſt Dei vox dicentis: *Hic eſt carus filius meus, quem ſingulari amore proſequor; ejus doctrinæ & mandatis auſcultate.* Quâ voce tantopere perculſi ſunt Apoſtoli, ut proni in vultus conciderint. At Jeſus accedens eos ſurgere & bono animo eſſe juſſit. Tum verò erectis capitibus circumſpicientes, neque nubem, neque homines, qui cum Jeſu colloquuti fuerant, ampliùs viderunt; ſed ſolum Magiſtrum ea facie, eóque habitu, quibus ante transformationem fuerat. ANN. XXVIII.

XIX. Descenderunt deinde unà è monte, atque inter deſcendendum, vetuit Jeſus eos cuiquam narrare ea, quæ illic viderant, antequàm ipſe è mortuis excitatus fuiſſet. Nec ſanè cuiquam, per omne illud tempus, rem aperuerunt; verùm illico non adſequebantur quid ſibi vellet reſurrectio, de qua loquutus fuerat Magiſter, ante quam nefas ſibi eſſet ea, quæ viderant, evulgare; quòd, ut videtur, ultima hominum omnium reſurrectio eorum animis obverſaretur, ad quam cur premendum eſſet illud arcanum non intelligebant. Potuit & frequens conſuetudo Chriſti figurato ſermone, veterum Prophetarum more, utendi rudibus hominibus tenebras offundere; ita ut figuras etiam quærerent in verbis, quibus nullæ inerant.

XX. Cum verò Elias, brevi tempore cum Jeſu verſatus, in beatitatis ſedes rediiſſet, quæſiverunt à Magiſtro, quare Legis Periti docerent Eliam eſſe venturum, antequàm Meſſias regnum iniret & omnia eam in rem, prout par erat, compoſiturum atque inſtauraturum. Non falli quidam eos reſpondit Jeſus, in exſpectatione Eliæ; ſed jam veniſſe, nec à Judæis auditum, imò etiam ab Herode occiſum fuiſſe, unde Joannem Baptiſtam ſignificari intellexerunt.

XXI. Postridie ejus diei, quo Chriſtus & tres memorati Apoſtoli è monte deſcenderunt, occurrit Jeſu ingens hominum multitudo; nec minorem circa reliquos Apoſtolos animadvertit, quos diſceptantes cum Legis Peritis offendit. Omnes autem, ſtatim ac conſpectus eſt, ei obviam venerunt, cúmque quæreret, qua de re diſceptaſſent, è media turba prodiit vir quidam, qui filium unicum, fœdum in modum, à Cacodæmone vexatum curandum obtulerat Apoſtolis, ſed fruſtra. Rogabat autem Jeſum ut eum curare vellet, quod promiſit facturum ſe, ſi modò vir ille ſibi crederet. Se verò credere ille reſpondit, ſed fidei ſuæ ſi quid deeſſet, ſibi tamen ſubveniret oravit; quod ei conceſſit Jeſus, adoleſcente è veſtigio à Cacodæmone liberato. Privatim deinde quæſiverunt Apoſtoli, cur eum curare non potuiſſent. Repoſuit Jeſus aliud nihil obſtitiſſe ejectioni Cacodæmonis, niſi quòd cùm ipſi, tum propinqui ægri etiamnum de Dei potentia & bonitate nonnihil dubitaſſent; monuitque, ſi prorſus Deo confiderent, nullum non miraculum ab iis poſſe edi.

XXII. Cum poſtea iter per Galilæam faceret, unà cum Apoſtolis, ſtudioſiùs, quàm antea, inculcabat fore ut traderetur in manus Ju-

ANN. XXVIII. dæorum, atque eorum furori permiſſus interficeretur, ſed tertio die è mortuis excitaretur. Verùm ab Apoſtolis minimè intellectus eſt, qui nullam norant, præter ultimam reſurrectionem, nec umquam audiverant, niſi à Jeſu, fore ut Meſſias, ſcelere Judæorum, occideretur, & tertio die reſurgeret. Nihil profectò ſimile de Meſſia ſuſpicari poterant, qui eum cupidiſſimè à Judæa Gente, quaſi liberatorem ſuum, & novi regni in omnes populos conditorem, exceptum iri non dubitabant. Quæ, ut & ſuperiora, debemus Matthæo Cap. XVII, 1. ad 23. Marco IX, ad 31. & Lucæ IX, 28. ad 45.

XXIII. Deinde Jeſus, unà cum Apoſtolis, Capernaümum ingreſſus eſt; quo tempore ad Petrum venerunt homines, à præfectis Templi Jeroſolimitani miſſi, ut Didrachmum, in uſum Templi viritim pendi ſolitum, exigerent, & petierunt annon Magiſter ejus ſolvere ſoleret; nam id tributum, ultro ab iis, quibus Templi ſplendor cordi erat, ſolvebatur. Reſpondit Petrus ſolere, & cùm domum ingrederetur, ut rem Jeſu nunciaret, Jeſus eum occupavit, dixítque quamvis eò quòd eſſet Dei Filius, tributi immunis eſſe jure ſuo deberet, pendere tamen ſe velle, ne homines offenderet; iret itaque piſcatum, & primo piſci, quem hamo cepiſſet, os aperiret, in quo inventurus erat Tetradrachmum, quod Magiſtri & ſuo nomine tributum exigentibus ſoluturus eſſet.

XXIV. Dum venirent Apoſtoli, cum Jeſu, Capernaümum, contenderant inter ſe; cujus diſceptationis argumentum cùm ab iis Chriſtus peteret, reſpondere primùm veriti ſunt, quia de primo dignitatis loco, in regno Magiſtri ſui, colloquuti fuerant. Sed cùm Jeſus rem probè ſciret, dixit eum qui primas obtinere in Regno Cœleſti cuperet, oportere ſe gerere erga alios, quaſi eſſet omnium infimus, eorúmque commodis diligenter inſervire. Quæ verba ubi audierunt Apoſtoli, quod illico aperire auſi non fuerant faſſi ſunt, quæſiverúntque à Magiſtro quis ipſorum, in Regno Cœleſti, maximam adepturus eſſet dignitatem? At Jeſus, arrepto puerulo, iiſque oſtenſo, negavit eos Regni Cœleſtis beneficiorum participes futuros, niſi omnem animis ambitionem, ejicerent; adeò ut non magis dignitates terreſtres adpeterent, quàm puerulus. Tum multa alia addidit de calamitatibus, quæ diſcipulis ſuis ferendæ erant; quæ contraria præconceptis judiciis, de felicitate terreſtri regni Meſſiæ, prorſus erant & quæ apud Matthæum, Marcum & Lucam leguntur; unde intelligere facilè potuiſſent, mera eſſe ſomnia, quæ vulgò à Judæis de terreſtri regno Meſſiæ jactabantur, ut & ex aliis multis, quæ à Jeſu audiverant; niſi altiſſimas id præjudicium in eorum animos radices egiſſet, quo fiebat ut contrariam doctrinam ne adſequerentur quidem, nedum ut admitterent.

XXV. Vetuit Jeſus, in eadem oratione, ab iis contemni humilis ſortis, aut animi demiſſioris homines; vel eos faſtidiri, qui minùs caſtigatis moribus fuerant, ſi modò ad bonam frugem redirent.

Docuit

Docuit etiam quî ſe injuriâ adfectos erga eos, à quibus læſi fuiſſent, gerere oportebat. Juſſit enim læſum primùm ſolum cum ſolo, qui eum læſiſſet, agere, & privatim de injuria ſibi illata expoſtulare; ſi qui læſiſſet auſcultaret, fateretúrque ſe deliquiſſe & poſthac facturum negaret, hominem ad ſaniorem mentem adductum iri, quamobrem fore etiam cur ſibi læſus gratularetur. Quòd ſi rationem nullam haberet ejus ſolius dictorum, conveniri iterum eum oportere, cum uno, aut altero teſte; ut conſtaret, ſi neceſſe eſſet, omnia priùs tentata, ut emendaretur, antequàm læſus ſe eum minimè bonum virum habere diceret. Si verò iteratæ admonitionis, præſentiúmque teſtium majorem rationem non haberet, tum denique palam & apud omnes eam injuriam narrandam; ut cùm factum illud ſuum toti cœtui improbari videret & malam famam ſibi parere, conſenſu bonorum & pudore victus ad officium rediret. Si ne his quidem moveretur, hominem pro conclamato habendum, quales erant pervicaces Idololatræ ac Publicani plerique; qui nullo æquitatis amore, nec pudore ullo ſe duci profitebantur. *Quicumque*, inquiebat, *ejuſmodi flagitio, neglectis admonitionibus veſtris, in terris, caput ſuum obſtrinxerit, is apud ipſum Deum, in cœlo, ſcelere obſtrictus judicabitur, neque piaculo ullo reſolvetur. Contrà verò quicumque pœnitentiâ ductus, admonitionibus veſtris obtemperaverit & à vobis abſolutus fuerit; eum etiam Deus, ſine alio ullo piaculo, peccati abſolvet. Hoc enim præterea à me accipite, cùm duo veſtrûm, in terris, conſentient ad veniam delicti cujuſcumque petendam, hanc ab illis à Patre meo Cœleſti impetratum iri; ſi modò is qui deliquit ex animo reſipiſcat. Nam ubicumque duo, vel tres convenerint, ad orandum Deum, ut mei diſcipuli, non ut Judæi, aut Ethnici, ipſe inter eos eſſe, & Deum conjunctim cum iis orare cenſebor.* His auditis, Petrus petiit à Jeſu, quot quidem vicibus oporteret læſum ignoſcere ei, qui in ſe deliquiſſet, an ſepties quidem injuriam inferenti venia eſſet danda? Reſpondit verò Jeſus non ſepties tantùm, ſed & ſepties ſeptuageſies peccanti condonandam injuriam; hoc eſt, apud homines ignoſcendi finem nullum eſſe oportere. Cujus rei æquitatem egregiâ Parabolâ oſtendit, ex qua intelligere potuerunt, Deum hominibus ignoſcere, eâ tantùm lege, ut ipſi inter ſe ſibi viciſſim injurias condonent. Alia etiam nonnulla addidit, quæ brevitatis causâ prætermitto; quæ, ut & ſuperiora, exſtant apud Mathæum XVII, 24. ad finem, XVIII, 1. ad finem, Marcum IX, 32. ad 49. Luc. IX, 46. ad 50. ANN. XXVIII.

XXVI. Ab hiſce temporibus, Jeſus ſe finibus Galilææ plurimùm continebat, nec diu commorabatur in Judæa, quemadmodum initio Miniſterii ſui fecerat; quia ſibi à Judæorum primoribus, quaſi Pſeudo-prophetæ inſidias ſtrui; ſéque ab iis, quam primùm commodam occaſionem nacti eſſent, occiſum iri norat. Cùm autem inſtaret feſtum Judæorum, quod Tabernaculorum frondeorum vocabatur, incidebátque, eo anno, in a. d. pridie Calendas Octobres, Galilæi nonnulli Mariæ matris ejus cognati, Jeſum convenerunt, eique perſuadere adgreſſi ſunt,

 ut

ANN. XXVIII. ut in Judæa, adeóque Jeroſolimæ verſaretur potiùs, quàm in angulo Galilææ; quò diſcipuli ejus, qui illic vivebant, miracula, quæ ab eo edebantur, etiam viderent. Quâ ratione, famam Prophetæ, quam conſequi volebat, ſibi certiùs paraturus eſſet. Hæc loquebantur nonnulli ejus cognati, quia nondum ei fidem prorſus habebant, cupiebántque rem Jeroſolimæ ad examen vocari, ut Judææ Gentis procerum judicium ſequerentur. Verùm reſpondit Jeſus poſſe quidem eos, ſine periculo, quovis tempore, Jeroſolimam ire, ut ab initio feſti illic adeſſent; ſed ſe eò nondum iturum, quòd opportunum ſibi tempus illuc eundi nondum adveniſſet. Hiſce dictis, manſit per aliquot dies in Galilæa, dum ejus cognati Jeroſolimam eſſent profecti; quo tempore, initio Octobris, ipſe quoque ſubitò idem iter ingreſſus eſt, cùm nemo antea ſciret an eſſet Jeroſolimam iturus. Norat tempus, quo eum terris eripi oportebat, nondum adveniſſe, quamvis remotum non eſſet; ideóque per totum octidui tempus Jeroſolimæ nolebat morari, ne Judæi ſatis temporis haberent, ad eum opprimendum.

XXVII. Iter ergo cùm faceret, per Samariam, præmiſiſſétque nuncios in pagum quemdam, per quem tranſiturus erat, ut ſibi & ſuis hoſpitium pararent; noluerunt Samaritæ eum excipere, quia eâ tempeſtate anni videbatur Jeroſolimam ire, feſtum Tabernaculorum celebraturus. Quod cùm renunciaſſent homines præmiſſi, Joannes & Jacobus, Zebedæi FF. petierunt à Jeſu, annon vellet pœnas de Samaritis ſumi, atque à ſe Deum orari, at ignem de cœlo eos abſumturum demitteret: quemadmodum olim fecerat Elias, erga milites, qui ejus capiendi causâ venerant. At Jeſus, ad eos converſus, negavit homines ſcire, quâ adfectione animi Miniſtros Evangelii eſſe oporteret; qui eos perdere vellent, quos ut ſervarent omnia tentare debebant; neque enim ſe veniſſe in terras, eum in finem, ut cuiquam exitium crearet, ſed ut omnibus ſalutem adferret. Itaque in alium vicum iverunt.

XXVIII. In hoc eodem itinere, Jeſus ſelectos Septuaginta Diſcipulos, præter duodecim Apoſtolos, binos miſit in omnia oppida, & omnes vicos, quà ipſe erat tranſiturus, & ſimilibus mandatis inſtruxit, quæ dederat Apoſtolis; cùm eos, anno ſuperiore, Regnum Cœleſte Meſſiæ prænunciaturos mitteret.

XXIX. Ab initio feſti Tabernaculorum, Judæi Jeſum Jeroſolimæ quæſiverunt, quem ad ſollemnia feſta ſe conferre ſolitum norant. Itaque ſciſcitabantur à Galilæis, ubi eſſet; nec exiguus rumor de eo ferebatur, inter eos, qui feſti causâ Jeroſolimam venerant; dum alii ſanctum virum, ac verum Prophetam, alii impoſtorem eſſe contenderent. Attamen nemo audebat palam Jeroſolimæ ejus exiſtimationem tueri; quòd timerentur proceres Judæorum, quos ei infenſiſſimos eſſe omnes norant.

XXX. Tandem Jeſus adfuit circa quartum diem, atque in Templo plebem docere cœpit. Quod mirabantur Judæi, à ſe invicem quærentes,

rentes, quî is homo eruditos de Religione ſermones habere poſſet, cùm eum nullam, apud Legis Peritos, Litteris Sacris operam dediſſe conſtaret? Quæ verba cùm audiſſet Jeſus, reſpondit, quæ populum doceret, ea non à ſe inventa; ſed accepta ab eo, qui ſe miſerat. Cujus præceptis ſi quis ex animo obſequeretur, is demum facilè intellecturus eſſet, an id, quod ipſe doceret, à Deo accepiſſet, an verò inveniſſet; ſolos enim Dei reverentes rectè judicare poſſe de doctrina, quæ ad Dei gloriam ſpectat. Pſeudoprophetam, qui ea profert, quæ ipſe commentus eſt, ſuam ipſius gloriam quærere, & famam adipiſci, omni arte, conari; at Prophetam, qui ſolius Dei gloriam ſequitur, à quo ſe miſſum eſſe ait, veracem eſſe & dignum, cui fides habeatur; cùm nulla ei ſit mentiendi ratio, quippe qui ex iis, quæ dicit, emolumentum nullum, apud homines, ſperat. Moſem quidem Judæis Leges tuliſſe, ſed neminem eſſe, qui ſeriò ad eas mores ſuos componeret; alioqui cauſæ nihil futurum, cur de ipſo occidendo conſilia agitarent. ANN. XXVIII.

XXXI. Negarunt quidem Judæi ſe de eo interficiendo cogitaſſe, ſed non fruſtra ſe hoc eis ſcelus exprobrare oſtendit, memoratâ hiſtoriâ Paralytici, antecedentis Paſchatis tempore, & die quidem Sabbathi curati, quamobrem eum è medio tollendum cenſuerant. Alia etiam, quibus cùm ſe tuebatur, tum doctrinam quoque ſuam meritò extollebat, quibus non immorabimur, dixit.

XXXII. Multi è populo, qui hos, alióſque ſermones Jeſu audiverant, contendebant eum eſſe Prophetam, qui Meſſiæ adventum anteceſſurus vulgò credebatur; fortè quòd ejus Diſcipuli imminere regnum Meſſiæ, non adeſſe, dictitarent, nec ſe Meſſiam ipſe palam profiteretur. Alii tamen, ob inſignia quæ ediderat miracula, Meſſiam eſſe credebant, aut ſuſpicabantur. Alii rurſus poſſe hoc fieri non putabant, quòd inſignis ille Judæorum liberator è Galilæa oriturus non eſſet; cùm conſtaret è Scriptura Meſſiam fore è Davidis proſapia, & Bethlehemi, quæ patria Davidis fuerat, naſciturum. Quamobrem de eo diſſentientes Judæi in diverſa ſtudia diſtrahebantur, nonnulli enim comprehendi eum volebant atque in jus trahi, ad Synedrii Magni tribunal, quod aliis æquum non videbatur. Judæorum quidem Proceres miſerunt Cuſtodes Templi, qui ei manus injicerent; ſed, re infectâ, redierunt, & rogati cur hominem non comprehendiſſent, numquam ſe inveniſſe quemquam eâ auctoritate & ſapientiâ loquentem reſponderunt. Quos Phariſæi acriter caſtigarunt, quaſi imperitæ plebis, potiùs quàm ſapientium virorum, quorum nemo ei adſentiebatur, judicium ſequutos. Intererat conſiliis Nicodemus, à quo diximus ante biennium Jeſum noctu eſſe conventum. Is homines ad ſaniorem mentem revocaturus, ab iis quærebat, an per Legem liceret indictâ cauſâ quemquam damnare. At illi ab eo viciſſim ſciſcitari, an ipſe quoque Galilæus eſſet, qui Jeſu, ut Galilæorum vulgus, faveret. Si putaret eſſe Prophetam, inquireret in patrias Prophetarum, intellecturúmque eorum neminem è Galilæa

 ortum.

ANN. XXVIII.

ortum duxiſſe. His aliiſque ſermonibus habitis, Synedrio dimiſſo, domum quiſque rediit. Quæ pluribus expoſita legi poterunt apud Lucam Cap. IX, 51. ad finem, X, 1. ad 18. Joan. VII, 1. ad finem.

XXXIII. Jeſus verò in urbe non pernoctavit, ad vitandas Synedrii inſidias; ſed in montem Olivarum urbi vicinum ſe contulit. At matutino tempore reverſus, poſtridie, in Templum, à magna populi multitudine illico cinctus eſt, jámque ſedens eam cœperat leges & promiſſa Regni Cœlorum docere; cùm nonnulli Legis Periti & Phariſæi mulierem adulteram, adduxerunt; ut judicium ejus, de pœnis ei infligendis, audirent; eo animo ut ei invidiam crearent, ſi dimittendam diceret, quod Legi contrarium erat; aut ſi reſponderet ex Lege puniendam, apud Pilatum accuſarent, quòd judicia capitalia Judæis ademiſſent Romani. Itaque Jeſus prudenter judicium declinavit, [2] ut narrat Joannes Cap. VIII. initio. Non diſſimulandum tamen ſuſpectam hanc eſſe doctis viris hiſtoriam, & Evangeliſtæ adſutam videri. Sed nihil, quod ſit doctrinæ Evangelicæ adverſum, complectitur. Poſtea inſignem orationem, de ſe ſuiſque miraculis, è quibus miſſum à Deo liqueret, déque improbitate Judæorum ſui ævi, habuit Chriſtus; quæ legi, memorato Joannis Capite, poterit. In extrema oratione, dixit Abrahamum Judææ gentis conditorem vehementer cupiiſſe *videre diem ſuum*; hoc eſt, ea tempora, quibus Deus ſe ſe apertè hominibus patefaceret, & re verâ ea ſummo cum gaudio *vidiſſe*. Quod cùm Jeſus intelligeret de revelatione, quâ Deus Abrahamo oſtenderat fore aliquando tempus, quo homines ad rerum divinarum cognitionem pleniorem vocarentur; ita ceperunt, quaſi Abrahamo ſe æqualem fuiſſe dixiſſet, adeóque exclamarunt, quî fieri poſſet, ut Jeſus nondum quinquaginta annos natus, ut è vultu ejus conjiciebant, Abrahamum vidiſſet! Negavit ergo Jeſus mirum eſſe ſe dixiſſe Abrahamum ſua hæc tempora vidiſſe, [3] jam enim, antequàm Abrahamus in rerum natura eſſet, ſtatuiſſe Deum ipſum mittere, ut præcepta ſua ac promiſſa hominibus patefaceret. Quibus verbis, cùm ſe Abrahamo præferre videretur, ſummopere incenſi Judæi lapides ſuſtulerunt, quibus eum illico obruerent; at Jeſus, obfusâ eorum oculis caligine, ſe per mediam turbam è Templo ſubduxit, atque eorum furori eripuit.

XXXIV. PRÆTEREUNTI autem in via objectus eſt, die Sabbathi,

2 *Ut narrat Joannes*] Si modò Joannis ſit ea narratio, de qua diximus ad Joan. VII & VIII. in Additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnotat. in N. T.

3 *Jam enim antequàm Abrahamus*] Vide ibidem notata ad Joannis Cap. VIII, 58. Hîc producam nonneminis conjecturam in eum locum, quam non probo; nihil enim in antiquis Scriptoribus certum eſſet, ſi talia admitterentur audaciorum Criticorum ſomnia. Sic habet Evangeliſta: *Abraham pater veſter exſultavit, ut* VIDERET *diem meum*; VIDIT *& gaviſus eſt. Dixerunt verò Judæi ad eum; Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham* VIDISTI, ἑώρακας. Attamen Chriſtus non dixerat: *vidi Abrahamum*; ſed, *Abrahamus vidit diem meum*; quare malè verba Jeſu capiebant. *Dixit* ergo *iis Jeſus: amen, amen dico vobis: antequàm Abraham fieret*

(eſſet,

thi, cæcus quidam vir, à natalibus; quem cùm animadvertiſſent Apoſtoli, quæſiverunt à Magiſtro, quare immiſſa eſſet homini cæcitas; an eſſet hæc pœna delictorum, ab ejus mente, [4] in antecedente vita admiſſorum (nam hæc fuit Judæorum eo tempore opinio, ut alibi diximus) an verò delicti cujuſpiam parentum. Utrumque negavit Jeſus, addiditque Deum non obſtitiſſe ne cæcus naſceretur; ut olim ſua potentia, in eo homine, eluceſceret; ſe autem, cùm non diu in terris commoraturus eſſet, ſine ulla temporis jactura, cæco viſum redditurum. Quæ cùm dixiſſet, deſpuit in humum, lutúmque è pulvere ſalivâ diluto fecit, quo cæci oculos illevit. Tum eum juſſit abire ad piſcinam Siloæ, atque oculos illic abluere; non quaſi quidquam hæc per ſe prodeſſent, ad reſtituendum ei oculorum uſum; ſed ut oſtenderet potentiâ divinâ fieri poſſe, ut proſint, quæ ſuâ alioqui naturâ inutilia eſſent. Hoc cæcus cùm feciſſet, ab ea piſcina, oculorum uſu recepto, ad ſuos rediit. Qui eum antea norant vix poterant ſibi perſuadere eumdem hominem eſſe, quem tamdiu cæcum & ſtipem petentem viderant. Qui non norant alium eſſe contendebant, ſed quis eſſet ipſe oſtendit; cúmque quærerent à quo eſſet curatus, reſpondit à Jeſu ſe ſanatum. Iterum rogatus ubi eſſet Jeſus, ſe ſcire negavit; quòd poſtquàm oculis uti cœpiſſet, nuſquam ſe ſe ei obtuliſſet Jeſus.

XXXV. Tum verò hominem rapiunt ad Synedrium, ut ex ejus teſtimonio Jeſum violati Sabbathi accuſarent, quia lutum confecerat, & oculis cæci impoſuerat; quaſi eſſent illa opera, quæ Lege vetita erant! Cæcus autem Synedrio rem, ut erat, ingenuè faſſus eſt. Ibi verò Phariſæi nonnulli negare hominem à Deo miſſum eſſe, qui Sabbathi ferias violaret; alii autem poſſe virum malum eſſe, & Legis ſpretorem, in cujus gratiam tanta miracula Deus ederet. Tum quidam quæſivere à cæco curato, quemnam Jeſum eſſe crederet? Reſpondit verò ille ſe putare eſſe Prophetam.

XXXVI. Fuerunt qui eò adduci non poterant, ut crederent hominem cæcum fuiſſe. Quamobrem vocati ad Synedrium ejus parentes, qui rem adfirmarunt; ſed interrogati quî viſum adeptus eſſet, ſe ſcire negarunt, amandarúntque Synedros ad filium, qui, adultus cùm eſſet, de ſe ipſe reſpondere poterat. Quod ab iis præ metu dictum, quia norant jam conſtitutum eſſe, ſi quis Jeſum Meſſiam eſſe diceret, [5] è familiari con-

(eſſet, aut naſceretur; πρὶν γενέσθαι) *ego ſum*, ΕΓΩ ΕΙΜΙ. Suſpicabatur ergo is, quem dixi, Jeſum ut conſentanea loquatur iis quæ dixit: *Abrahamus vidit*, nempe, *diem meum*, útque confutet Judæos, qui repoſuerant, *Abraham vidiſti*: ΕΩΡΑΚΑΣ, Jeſum, inquam, regeſſiſſe: *antequàm Abrahamus eſſet* ΕΩΡΑΜΑΙ, *viſus ſum*; ab aliis, nimirum, quibus ejus adventum revelaverat Deus. Sed argutias illas omittimus.

4 *In antecedente vita* &c.] Vide dicta in Prolegomenis Sect. I. C. II, 8. & ad Joan. IX, 2. in Addit. ad *Hammondi* Adnotationes in N. T. unde animorum προΰπαρξιν à Judæis nonnullis creditam liquet.

5 *E familiari hominum conſortio* &c.] Vide H. *Hammondum* ad Joan. IX, 22. & quæ illic è *Joan. Seldeno* notavimus.

ANN. XXVIII. conſortio hominum ejici. Revocatus in Synedrium cæcus, rémque iterum profeſſus, graviter à Synedris eſt caſtigatus, quaſi Jeſum, ſpretorem Legis, ſequi mallet, quàm Moſem, atque è Synedrio ejectus; & familiari hominum conſortio privatus. Quibus peractis, Jeſus paullò pòſt in hominem incidit, eúmque ſciſcitatus, an Filio Dei, hoc eſt, Meſſiæ crederet; reſponſum accepit, quo ſe paratum ei credere ſignificabat, ſi modò eum noſſet. Tum Jeſus, qui intelligebat ex animo loquutum, ſéque poſſe ei tutò rem tantam credere, *vidiſti*, inquit, *jam Filium illum Dei & nunc te adloquentem audis.* Ille verò ad pedes Jeſu accidens, *tibi*, inquit, *Domine*, *fidem habeo.*

XXXVII. Hac occaſione adreptâ, gravem orationem habuit Jeſus, in qua palam profeſſus eſt ſe verum eſſe Paſtorem, qui pro ovibus ſuis moriturus erat, & ab iis agnoſcendus; [6] alios verò, qui pro populi Hebræi paſtoribus antea ſe geſſiſſent, mercenariorum, aut etiam furum loco habendos. Quibus verbis, Doctores omnes, qui emolumentorum, aut honorum causâ, Hebræos docere adgreſſi fuerant, ſuáque commenta pro revelationibus divinis venditarant, notavit. Eâ oratione auditâ, Judæi iterum, in diverſas de eo opiniones, contrariáque ſtudia abierunt. Nonnulli à Cacodæmone obſeſſum, & atrâ bile percitum impiè contendebant. Alii meritò hæc eſſe hominis furentis verba negabant, quærebántque an Spiritus impuri cæcorum oculos aperire poſſent. Quæ omnia ſolus habet Joannes, Cap. IX. integro & Cap. X, 1. ad 21.

XXXVIII. Exacto Tabernaculorum feſto, Jeſus Jeroſolimâ exivit; quo tempore, ad eum redierunt Septuaginta Diſcipuli, quos diximus paullò antea in varia loca dimiſſos, ut Regnum Cœleſte Meſſiæ inſtare nunciarent. Illi verò gaudio efferebantur, quòd invocatus Deus ſibi, ut Diſcipulis Jeſu, uſque adeò propitius fuiſſet, ut Cacodæmonas, ſe orantibus, corporibus hominum ejeciſſet. Quæ cùm narraſſent, dixit Jeſus, dum Evangelium nunciarent, ſe cogitaſſe de everſione regni Cacodæmonum, & jam animo eam prævidiſſe, adeóque eos è cœlo, in quod, hominum impietate, veluti ſublati fuiſſent, fulguris inſtar, ſibi viſos cadere. Tum pollicitus iis majora dona, ſe eos ab omnibus molitionibus adverſariorum tutos præſtiturum præterea promiſit; gratiáſque egit Deo, quòd non hominibus eruditionis opinione tumidis, ſed modeſtis, licèt nullâ doctrinâ priùs ornatis, patefeciſſet; & auditorum ſuorum extulit felicitatem; quòd ea audiſſent & vidiſſent, quæ multi Prophetæ & Reges pii fruſtra olim audire & videre cupiiſſent; tempora, nempe, quibus vulgò homines ad vitæ æternæ ſpem, bonóſque mores, tantâ perſpicuitate doctrinæ cœleſtis, eáque tot miraculis fultâ, vocarentur.

XXXIX.

6 *Alios verò qui* &c.] Intelligi quidem videntur omnes Pſeudoprophetæ, qui ante Chriſtum fuerant, ſed præſertim ii, qui ab aliquot ætatibus, Judæos inanibus traditionibus

XXXIX. Legis etiam Peritum, quî vitam ætérnam conſequi poſſet, docuit; non adcuratâ rituum ad corpus pertinentium obſervatione, non ſuperſtitiosâ Phariſaïcarum traditionum reverentiâ; ſed amore tantùm Dei & Proximi, eam conſequuturum. Dein quærenti quis *Proximus* vocandus eſſet, eximiâ de Samarita, humaniſſimè ſe ſe erga Judæum gerente, Parabolâ docuit pro Proximis habendos & omnibus humanitatis officiis devinciendos omnes, qui nobis ejuſdem humanæ naturæ vinculo ſunt conjuncti, quamcumque tandem in Religione ſententiam ſequantur, & cujuſcumque Gentis ſint; non verò ſolos Judæos, ut cenſebant vulgò Legis Periti. Nec erat cur offenderetur is, qui Jeſum interrogaverat; quia non poterat negare Judæos debere ea facere erga Samaritas, quæ faſſus erat à Samarita erga Judæum, ſumma cum laude, facta eſſe. ANN. XXVIII.

XL. Cum verò Jeroſolimâ Galilæam iret, Bethaniâ, qui vicus erat duobus paſſuum millibus eâ urbe remotus, tranſiit, ubi Lazarus, cum ſororibus Martha & Maria degebat; à quibus cupidè exceptus eſt, & ubi obiter Martham docuit omnibus curis eſſe eam prævertendam, quâ cognoſcendæ viæ ad vitam æternam perveniendi opera dabatur.

XLI. Cum in alio loco verſaretur, ubi ſeorſim Deum precatus erat, & à nonnemine interrogaretur de optima precandi formula; quam ab eo audire cupiebat, ſperabátque ſe impetraturum, quemadmodum à Joanne Baptiſta orandi exemplar acceperant ejus Diſcipuli; repetiit Chriſtus formulam, quam anno ſuperiore Apoſtolis tradiderat, & multa, eáque ſummi momenti, de neceſſitate & efficacia precum, addidit.

XLII. Paullo pòſt, virum à muto Dæmonio obſeſſum curavit, miraculum hoc ſuum, contra calumnias Phariſæorum egregiè defendit, & contumaciam Judæorum miracula poſcentium, nec tamen conſpectis fidem habentium, gravi oratione retudit. Tum etiam in prandio, ad quod vocatus à Phariſæo fuerat, illotiſque manibus acceſſerat, inanium rituum obſervantes, ſimúlque veræ Virtutis minimè amantes, ad ejus amorem revocavit. Quæ, aliáque, brevitatis causâ, à nobis prætermiſſa, pluribus expoſuit Lucas Cap. X, 17. ad finem & toto Cap. XI.

XLIII. Inter hæc, tanta ad eum confluxit undique multitudo, ut alios alii propemodùm conculcarent; nec eo ſeciùs docebat Diſcipulos ſuos quid ab iis Deus poſtularet, & præſertim quidem vitandum eſſe *fermentum Phariſæorum*, hoc eſt, ſimulationem Virtutis; ſine metu & palam prædicandum Evangelium, Deum enim eos Providentiâ ſuâ tecturum, in hac vita, & felicitate æternâ donaturum fuiſſe in altera; nec paſſurum iis aquam hærere, quotieſcumque ad judicum tribunalia defen-

nibus paverant, & qui ſua commoda, non Veritatem, quærebant, ac præſertim Phariſæi, qui plebis credulitate & imperitia maximè omnium abuſi erant. Vide Interpretes ad Joannem.

ANN. XXVIII. defendendum eſſet Evangelium; & qui conſpectis miraculis ad ejus confirmationem editis detraherent, tanti ſceleris veniam numquam impetraturos.

XLIV. Hæc dicentem interpellavit quidam, ex eorum multitudine, qui Jeſum ſequi ſolebant, ut eum oraret fratrem ſuum juberet ſecum hereditatem, æquis conditionibus, herciſcere. At Jeſus negavit ſe eum in finem miſſum, ut judicem ageret de rebus hujus vitæ, invitóſque bona communia dividere cogeret. Attamen occaſione oblatâ, in avaritiam invectus eſt & Parabolâ oſtendit quàm fallantur, qui divitiis freti ſecunda omnia ſibimet ipſi pollicentur, vetuitque Diſcipulos de victu & veſtibus anxios eſſe in futurum, dum munere ſuo defungerentur, Deúmque de neceſſariis omnibus iis proſpecturum promiſit. Tum multa alia dixit de liberalitate in egenos; de vigilantia, in omnibus officii partibus, præſtanda; de vera eruditione, ſive Divinorum præceptorum cognitioni conſentanea; de diſcordia inter homines, ob eorum nequitiam, oritura; de ſignis adventûs Meſſiæ; déque adverſario ſibi quàm primùm, dum quod ſuum eſt cuique tribuitur, reconciliando. Quæ habentur apud Lucam, Cap. XII. integro.

XLV. Cum hæc dixiſſet Jeſus, nunciatum ei eſt [7] Galilæos quosdam ſacra facientes, fuiſſe à Pilato, ad altare ipſum contrucidatos; ita ut eorum ſanguis cum ſanguine victimarum, quas obtulerant, miſtus fuiſſet. Quo nuncio audito, dixit Deum paſſum non eſſe eos ita trucidari, quòd ceteris Galilæis deteriores judicaret; ſed exemplum tantùm in iis ſtatuiſſe, ut omnes intelligerent ſibi etiam perniciem imminere, niſi, mutatis moribus, Divinam Juſtitiam vitæ ſanctitate flecterent. [8] Addidit & alterum exemplum octodecim hominum, quos turris ad Siloënſem piſcinam collapſa oppreſſerat; eum tantùm in finem, ut doceret Jeroſolimitanis omnibus inſtare ſimile exitium, niſi cladem maturâ reſipiſcentiâ, averruncarent. Quod ne oblivioni mandaretur, expreſſit etiam Parabolâ de ficu ſterili, in horto non diutiùs ferenda, quàm ſpes aliqua fructuum ejus ſupereſſet.

XLVI. Cum verò in Synagoga quadam Galilææ, die Sabbathi, doceret; mulier aderat à Cacodæmone, per annos octodecim, morbo vexata; ita ut incurvum corpus, nullo modo, erigere poſſet. Eam conſpicatus Jeſus ad ſe vocavit, & *mulier*, inquit, *morbo tuo liberator*, ſimúlque manus ei impoſuit. Quibus verbis prolatis, illico curata eſt, atque erecto corpore Deo gratias egit. Præfectus verò quidam ejus Synagogæ caſtigare cœpit populum, quaſi Jeſu violandi Sabbathi, oblatis intempeſtivè ægris, occaſionem præberet. At hominem increpuit

7 *Galilæos quoſdam* &c.] Hæc Hiſtoria, non ſecus ac Infanticidium Bethlehemiticum, eſt à *Joſepho* prætermiſſa; datáne operâ, ne quid cum Luca commune habere videretur, an quòd rem ignoraret, difficile eſt dictu.

8 *Addidit & alterum exemplum* &c.] Hoc quoque à *Joſepho* omiſſum; quæ tamen omiſſio tanti momenti non eſt, quanti ſuperior. Facilè potuit omitti lapſus turris, quæ

puit Jeſus, eò quòd, cùm bovem ac aſinum è præſepi ſolvere & adaquatum ducere, die Sabbathi, fas eſſe probè ſciret; ſolvere morbi vinculum, quo Cacodæmon mulierem Iſraëlitidem, per octodecim annos vinctam, malè habuerat, nefas eſſe putaret. Quæ verba iis, qui illic Jeſu adverſabantur ac detrahebant, pudorem incuſſerunt. Multitudo verò cetera ſummopere gaudebat, ob inſignia miracula, quæ à Jeſu edi videbat. ANN. XXVIII.

XLVII. Cum verò animo reputaret, quàm exigua eſſent nunciationis Evangelii initia, & quàm pauci ei crederent, ſi conferrentur cum maximo eorum numero, qui fidem aliquando erant habituri; Evangelium contulit cum grano ſeminis Sinapis, quod exiguum licèt in magnam arborem adoleſcit; cúmque exigua mole fermenti, quod farinam ſubactam multò majore copiâ, ſi ei miſceatur, tumefacit.

XLVIII. Hæc & alia docens urbes & pagos Galilææ peragrabat, lentis itineribus, ſe ſe Jeroſolimam, ad feſtum Dedicationis Templi, conferens. Tunc temporis cuipiam quærenti, multine, an pauci ſalutem eſſent conſequuturi? reſpondit januam ſalutis arctam eſſe, nec ſine magna animi contentione ullum eam poſſe ingredi; adeóque multos, qui eam ſubire alioqui cuperent, falſis doctrinis praviſque moribus ab ea aberraturos. Quamobrem diligentiſſimam omnibus operam eſſe dandam, ut eam invenirent, inventámque ingrederentur. Multos etiam Judæos, contumaciâ ſuâ, Regno Cœleſti excluſum iri; dum ex omnibus gentibus Evangelio credentibus, homines ab eo remotiſſimi exciperentur.

XLIX. Eo ipſo die, quo hæc dixit Jeſus, convenerunt eum nonnulli è Phariſæorum ſecta, monuerúntque ut quàm primùm è Galilæa egrederetur; nam Herodem, in cujus ditione erat, occaſionem ejus interficiendi, quemadmodum antea Joannem Baptiſtam, captare. Reſpondit verò Jeſus, ſe optare, ut, ſuo nomine, renunciarent illi vulpi (ſic enim Herodem, ob aſtutiam, vocavit) ſe ejecturum Dæmonia & curaturum ægros per breviſſimum tempus, ac paullò pòſt victimæ inſtar mactatum iri. Tum prædixit futurum hoc Jeroſolimæ, cui urbi ſuam contumaciam exprobravit & pœnas denunciavit. Quæ omnia è Lucæ Cap. XIV, petita in pauciora verba contraximus.

L. Die quodam Sabbathi, contigit Jeſum ad convivium vocari, ad quod cùm iret, Hydropicum, qui ſibi in via oblatus eſt, ſpretâ Phariſæorum perversâ ſuperſtitione, curavit, factúmque hoc ſuum eorum conſuetudine, quâ pecudem in foſſam delapſam, ipſo die Sabbathi extrahere non dubitabant, defendit. Ingreſſus deinde cœnaculum, hominés-

quæ homines aliquot plebeios oppreſſerat, in Hiſtoria, qualis eſt quæ à *Joſepho* ſcripta eſt; ſed vix poteſt ei ignoſci omiſſio cædis à Pilato, in ipſo Sacerdotum Atrio factæ, qui locus Ethnicis inacceſſus eſſe debebat; nam Galilæi, hoc tempore, nuſquam alibi, quàm in Templo Jeroſolimitano, ſacra faciebant. Hæc, à Sacerdote præſertim, qui & alia multò minoris momenti narrat, prætermitti non oportuiſſet.

ANN. XXVIII. minésque ſumma loca avidè occupantes conſpicatus, ſuos ad modeſtiam hortatus, occupanda potiùs infima loca monuit; ut à convivatore in ſuperiora loca promoverentur potiùs, quàm ad inferiora detruderentur, cùm prius honorificum, poſterius contumelioſum eſſet. Tum occaſione datâ, pauperes potiùs eſſe vocandos ad convivium, quàm divites, docuit; eò quod pauperes viciſſim non eſſent vocaturi, majórque multò ea futura eſſet liberalitas. Dein, cùm quidam Præfectus Synagogæ, ei demum bene futurum exclamaſſet, qui in regno Dei, ſeu Meſſiæ, convivaretur; Jeſus contulit Evangelium cum convivio, ad quod, cùm vocati venire ſe poſſe negaſſent, pauperes è viis publicis collecti venerant. Qui Apologus ſat clarè deſignabat contumaciam Judææ gentis, cui primæ nunciabatur Evangelium, & cujus pervicaciâ futurum erat, ut, eâ omiſsâ, Ethnici ad Chriſti cognitionem vocarentur & beneficiis, Judæis fruſtra oblatis, fruerentur.

LI. Cum verò Jeſus Jeroſolimam ire pergeret, intereáque oppidatim & vicatim doceret, ingens hominum multitudo eum ſequebatur; quam intuitus, ne quis ſibi diutiùs regnum terreſtre fingeret, quod mox eſſet initurus, prædixit diſcipulos ſuos oportere ſummâ conſtantiâ eſſe præditos, omnis enim generis mala iis imminere, ne imparatis animis in tantas calamitates inciderent. Quæ, ut & antecedentia, ex Cap. XIV. Lucæ depromta ſunt.

LII. Ad Jeſum audiendum, magno numero concurrebant Publicani, aliíque profligatæ antea vitæ homines, qui ad mores caſtigatiores adducti, ejus ſermonibus & miraculis, eo familiariùs utebantur. Quare fremebant vulgò Phariſæi ac Legis Interpretes, & Jeſu vitio vertebant, quòd ejuſmodi homines benignè exciperet & cum iis convivaretur. Itaque Jeſus tres egregios Apologos protulit, quibus oſtendit, quâ curâ Deus maximos peccatores ad ſaniorem mentem revocet & quàm miſericorditer ad ſe redeuntes excipiat; qui Apologi legentur Lucæ Cap. XV.

LIII. Postea Jeſus de vero uſu divitiarum, in ſublevanda pauperum egeſtate, multis egit; rémque audientium oculis ſubjecit Apologis duobus, quorum alter eſt de Diſpenſatore infido, qui Heri divitiis ad ſibi comparandos amicos abuſus, prudentiæ tamen causâ, ab Hero laudatus fuerat: alter de paupere Lazaro & Divite Epulone, qui in altera vita graviſſimas pœnas Deo daret; quòd ægrum & pauperem Lazarum, ad oſtium ædium ejus quotidie jacentem, divitiis ſuis non juviſſet; & qui vice versâ, in beatitatis ſedibus, ſummâ felicitate frueretur.

LIV. Hæc cùm audirent Phariſæi, genus hominum avarum & lucri cupidum, quamvis larvâ Religionis vitia ſua tegere conarentur, eum tamen irridebant; quaſi ab hominibus exigeret, quod nonniſi ſtultè fieri poſſet. Quorum ſuperbiam caſtigavit Jeſus, oratione quâ ſimulationes eorum aperuit, oſtenditque rituales Leges, ad Joannem dumtaxat

Bap-

Baptiſtam, debuiſſe ratas eſſe; à quo tempore proinde liceret cum quibuſvis familiariter verſari, ut ad Virtutem adducerentur, & à ſe quidem majorem ſanctitatem à diſcipulis ſuis poſtulari, quam illi à ſuis exigerent. Quæ narravit copioſiùs Lucas Cap. XVI. ANN. XXVIII.

LV. Post hæc varia cœpit repetere, quæ jam, audientibus aliis, dixerat; cùm ut audirentur à nonnullis, qui dicenti non adfuerant, tum etiam ut altiùs memoriæ eorum, qui audiverant, infigerentur. Docuit diſcipulos cavendum eſſe ne quem temerè offenderent, atque à fide Evangelio habenda alienarent, ſervos heris ac proinde homines quoſvis Deo omnia debere, nec quidquam imputare poſſe; aliáque, quæ apud Lucam legentur.

LVI. Interea progrediebatur Jeroſolimam versùs, nec per mediam tamen Samariam, quâ brevior erat via, ſed per Samariæ & Galilææ confinia tranſibat. Cùm verò pagum quemdam, in eo tractu ſitum, ingreſſus eſſet, occurrerunt decem viri leproſi, procul ſtantes; neque enim fas erat eos ad homines mundos propiùs accedere; & magnâ voce eum orantes, ut ipſorum infelicem ſortem miſeraretur. Quos Jeſus conſpicatus ita miſeros adloquutus eſt; *abite è veſtigio, & vos Sacerdoti cuipiam inſpiciendos præbete, ſic enim curabimini.* Illi verò profecti ſunt, atque inter eundum ſe curatos animadverterunt. Verùm omnes eò, quò inſtituerant, ire perrexerunt; excepto dumtaxat uno, qui ſe curatum videns, in laudes Dei, cui magnâ voce gratias agebat, erupit; rediítque ad Jeſum, ut ei gratum animum ſuum teſtatum faceret. Quem ubi convenire datum eſt, in vultum ad pedes ejus procidit & gratias egit. Is autem erat Samarita, ceteri verò novem Judæi. Eo conſpecto, *decem*, inquit Jeſus, *à me curati ſunt, ubi ſunt ergo ceteri novem? Non redierunt, neque hîc comparent; ut profiteantur ſe, Dei beneficio, per me eſſe curatos. Unus ex iis è Jacobi proſapia minimè oriundus venit, ut gratum animum teſtaretur.* Quibus verbis, ingratam Judæorum indolem notavit, deinde ad Samaritam converſus, *ſurge*, inquit, *& lætus abito, nam fides tua, ut te curatum vellem, effecit.* Unde colligere licebat homines quoſvis, quos delictorum pœniteret, Deo gratos atque acceptos futuros.

LVII. Cum autem Jeſus ſæpiſſimè Regnum Cœleſte inſtare diceret, & per diſcipulos etiam ſuos quaquaversùm nunciaret; convenerunt eum nonnulli Phariſæi, & quando tandem adfuturum eſſet ab eo quæſiverunt. Reſpondit Jeſus Regnum Dei, cum magno adparatu, quique hominum oculos percelleret, minimè inchoatum iri; & jam, nemine fermè advertente, patefieri cœpiſſe. Quod intelligebat de Evangelii prædicatione, qua in re Meſſiæ Regnum partim ſitum fore ignorabant vulgò Judæi. Addidit diſcipulos ſuos cavere ſibi oportere à Pſeudochriſtis, qui magno tumultu gentem Judæam ad libertatem erant vocaturi, verúmque Meſſiam ſe regnare ſubitò, alio etiam modo, pœnas de pertinacibus Judæis repetentem oſtenſurum. Quibus verbis, Jeroſolimæ exſcidium

ANN. XXVIII. dium deſignabat; quo maximè ſe in cœlo regnare, iis temporibus, demonſtravit; quandoquidem rem prædixerat, & de impia gente manifeſtò ſupplicium prædictum ſumſit. Sed auditores hæc non ſunt, niſi poſt eventum, adſequuti. Quorum dictorum & factorum hiſtoriam Lucæ, Cap. XVII. debemus.

LVII. Postea Jeſus protulit Apologum Viduæ jus ſibi dici ab improbo judice, aſſiduis precibus, extorquentis; ut oſtenderet animum ideò non eſſe deſpondendum, quòd illico à Deo, quæ petuntur, non impetrentur; nec moram juſtitiæ divinæ improbos ac contumaces malè mulctaturæ & probos liberaturæ iniquo animo ferendam, certò enim rem tandem futuram, quamvis morari videretur. Subjecit & alium Apologum Phariſæi & Publicani, de iis, qui virtutes quidem ſuas magni faciunt; alios verò deſpectui habent, quaſi homines malos, nec ſecum ullo modo conferendos; dum ii ipſi qui flagitioſam vitam egerunt, ſi reſipiſcant, humilitérque peccata fateantur, & ſibi immeritis ignoſci ſupplices petant, ſunt re verâ Deo gratiores, & ab eo bonorum numero habentur; non verò ſuperbi homines, qui Deo, quaſi debitori, bene facta ſua imputare ſuſtinent. Qui Apologi quærentur, apud Lucam Cap. XVIII. ab initio ad verſ. 14.

LVIII. Tandem Jeſus Jeroſolimam pervenit, ad celebrandum Dedicationis feſtum, quod in Nonas Decembres incidebat. Cùm ergo hiems eſſet, ſub dio non ambulabat, ſed in Porticu, quæ Salomonis dicebatur atque Atrium exterius ab Oriente claudebat. Quo in loco cinctus Judæorum coronâ, ab iis interrogatus eſt, quare hominum animos tamdiu ſuſpenderet? Si Meſſias enim eſſet, rem eum apertè & audacter profiteri oportere. Jeſus verò, *quinam ſim*, inquit, *non obſcurè vobis indicavi, ſed nondum mihi fidem habuiſtis; quamvis miracula, quæ, poteſtate à Patre meo acceptâ, feci, teſtimonia ſint omni exceptione majora, ex quibus intelligere licet me nequaquam mentitum. Verùm vos iis minimè commovemini, mihíque fidem detrahitis; quia, ut vobis nuper, Tabernaculorum feſto proximè præterito, dicebam, è numero ovium mearum non eſtis. Oves enim meæ, ſeu qui ita adfecti ſunt, ut veritatem, undecumque adveniat, amplecti ſint parati, vocem meam illico, ab impoſtorum voce, ſecernunt & doctrinam meam divinitus ſibi revelari facilè intelligunt. Iis, quæ in ovili meo conſtanter manebunt, vitam æternam dabo, neque umquam penitùs interibunt; nemo enim invitas invito mihi eripiet. Pater meus, à quo eas accepi, omnibus eſt potentior; nec proinde invito eripi poſſunt. Ego autem & Pater unum ſumus, unóque animo eas cuſtodimus; ita ut perinde ſit, ſi dixeritis mihi eas, aut Patri poſſe eripi.*

LIX. Tum verò Judæi, quemadmodum ſuperiore feſto fecerant, iterum ſuſtulerunt lapides, quibus eum obruerent. At Jeſus interritus, *beneficiis*, inquit, *multis, pro poteſtate à Patre accepta, vos adfeci, propter quodnam tandem eorum me lapidibus obruere vultis? nam me nullius injuriæ, aut ſceleris inſimulare poteſtis.* Judæi verò ſe beneficio ulli

hanc

ANN. XXVIII.

hanc gratiam referre negarunt; ſed quòd impia verba potuliſſet, qui, cùm eſſet homo, Deum *patrem ſuum*, ſingulari numero, vocitaret, adeóque Deum ſe vocaret: ut qui hominem *patrem ſuum* adpellat, eadem operâ hominem ſe dicit. Cui criminationi ſic reſpondit Jeſus: *annon ſcriptum eſt in Sacris veſtris Libris, quos pro norma factorum & dictorum habetis, nomine Dei, Judices adloquentis:* dixi Deos vos eſſe, (Pſalmo LXXXII, 6.) *Si autem Libri Sacri, in quibus perperam nihil dictum eſſe poteſt, Deos vocant quoſvis, qui faciendi quidpiam nomine Dei mandata acceperunt, ut Judæos, qui poteſtate à Deo acceptâ jus dicunt; quo jure me impiorum verborum inſimulare poteſtis, quia me* Filium Dei *dixi, quem ſingulari prorſus ratione conſecravit, atque ad homines mandatis inſtructum miſit? Quod non mihi adfirmanti, ſed miraculis, quorum edendorum poteſtatem à Patre accepi, credi volo. Quæ ſi reverâ edo, ut probè noſtis, ſi me fide dignum non putatis, at certè ipſis miraculis fidem habetote. Ex iis intelligere licet me Patri conjunctiſſimum eſſe, ita ut in eo me eſſe, atque illum in me meritò dicere poſſim.* Quæ cùm dixiſſet, conati ſunt Judæi ei manus injicere, ut Synedrio illum ſiſterent; ſed æquè facilè, ac antea, elapſus eſt. Vide Joan. C. X. à verſ. 22. ad 39.

LX. Hoc eodem anno, quo hæc dicta & geſta ſunt, aut initio ſequentis, exortus eſt Theudas quidam Galilæus, qui collectæ ingenti hominum multitudini perſuaſit ut, aſportatis opibus, ducem ſe, recuperandæ libertatis causâ, ad Jordanem ſequerentur. Se enim Prophetam eſſe dictitabat, diviſiſque, imperio ſuo, fluvii aquis, facilem ſe tranſitum præbiturum ſpondebat. Quibus pollicitationibus, non paucos Judæorum decepit. Sed eam miſerorum veſaniam impunè iis abire non paſſus eſt Pilatus; immiſſis enim aliquot equitum turmis, quæ incautos adgreſſæ ſunt, partem occidit, partem vivam comprehendit. Ipſe etiam Theudas vivus captus eſt, capútque ejus præciſum Jeroſolimam miſſum. Scio hæc à *Joſepho*, Antiquit. Jud. Lib. XX. c. 2. referri ad tempora, quibus Cuſpius Fadus, imperante Claudio, Judææ præerat; ſed fidem potiùs habuerim Gamalieli adfirmanti Act. V, 36. *ante eos dies* (qui proximè reſurrectionem Chriſti ſequuti ſunt) *exortum Theudam*, quem perperam *Joſephus* ſeriùs multò res novas molitum exiſtimarit. Duos enim Theudas fuiſſe, ut nonnulli conjecerunt, quò Joſephum cum Gamaliele in concordiam redigerent, qui ſe Prophetas eſſe ambo, non uno tempore, mentiti Judæos ad ſpem rerum novarum concitaverint, non magis adduci poſſim ut credam; quam [9] vir doctiſſimus, qui optimè omnium *Euſebii* Hiſtoriam Eccleſiaſticam interpretatus eſt.

C. *Fuſio*

9 *Vir doctiſſimus* &c.] *Henr. Valeſius* ad Euſebii H. E. Lib. II. c. 11. ubi *Joſ. Scaligerum* & *Iſ. Caſaubonum* confutat & multis oſtendit unum fuiſſe Theudam, qui non multò ante Chriſti mortem res novas molitus ſit.

ANN. XXIX.

C. Fuſio Gemino, L. Rubellio Gemino COSS. Tiberii XVI. Herodis Antipæ & Philippi XXXII. Æræ Vulgaris Chriſti XXIX. *ætatis ejus XXXIII.*

I. Post Dedicationis feſtos dies, Jeſus è Judæa in Galilæam redierat, in qua tamen diu moratus non eſt; nam paullò pòſt relictis agris, in quibus antea plurimùm circa lacum Geneſareticum verſatus erat, profectus eſt fines Judææ versùs, & per tractus ad ortum Jordanis ſitos iter fecit. Tum initio quarti anni miniſterii ſui, in eo loco, in quo Joannes primùm pœnitentes abluere cœperat, conſtitit. Quem in locum multi ad eum confluxere, cùm ejus audiendi gratiâ, tum ut ægri ab eo curarentur; nam & accedentes ad ſe, pro more ſuo, leges Regni Cœleſtis docebat, & ægros ſibi oblatos curabat. Quamobrem qui in iis locis, Joannem abluentem viderant & docentem audiverant, à Joanne quidem miraculum ullum editum negabant; ſed quæ ab eo prædicta de Jeſu fuerant, ea eventu jam comprobata eſſe dictitabant. Quibus rebus, factum eſt ut multi Jeſu fidem haberent.

II. Dum in hiſce locis verſaretur, convenerunt eum Phariſæi nonnulli, qui damnari divortium ab eo audiverant, ut, ſententiâ ejus exploratâ, invidiam ei crearent; cùm ob ſpretam Legem, per quam licitum erat; tum etiam quòd permultos, qui uxores pro conſuetudine receptâ repudiarant, adulterii damnaret, quos in eum concitaturos ſe ſperabant. Igitur à Jeſu quæſiverunt licerétne viro, prout vulgò ſolebat fieri, quavis de cauſa, uxorem repudiare. Negavit verò Jeſus eſſe licitum, quod ex prima inſtitutione matrimonii demonſtravit; quærentibúsque iterum cur ergo Moſes libellum repudii à viro uxori dari juſſiſſet; reſpondit, propter Judæorum contumaciam, rem alioqui primævæ conjugii inſtitutioni contrariam à Moſe permiſſam fuiſſe; ſe verò iis confirmare, quiſquis uxorem dimitteret, niſi adulterii rea eſſet, aliámve, eâ repudiatâ, duceret, eum & qui repudiatam duxiſſet ejuſdem flagitii reos eſſe. Quod iterum domi Apoſtolos, qui, propter inolitam apud Judæos contrariam conſuetudinem, rem non ſatis ceperant, docuit. At illi repoſuerunt ſi eâ conditione eſſent viri, qui uxorem ducerent, præſtare vitam cœlibem agere. Verùm Jeſus, *non omnes*, inquit, *cœlibem vitam caſtè agere poſſunt; ſed illi demum, qui ut poſſint à Deo acceperunt; ideóque plerique omnes viri, ne in libidines prolabantur, uxores ducere neceſſe habent. At ſunt qui, nativâ temperatione corporis, mulierum uſu carere facilè poſſunt; alii ab hominibus Eunuchi facti ſunt; alii denique, certo animi propoſito, ab omni mulierum uſu ſe ſe abſtinuerunt, ut ampliandis Regni Cœleſtis finibus jugem operam darent. Quiſquis ſibi conſcius eſt ſe poſſe, ſine periculo, cœlibem vivere, ſic vitam, ſi ita videatur, inſtituat; quiſquis non poteſt, uxorem ducat, moleſtiiſque conjugii numquam dirimendi, ſi qua ſunt, ſe ſe æquo animo ſubjiciat.* Quâ oratione, oſtendit

dit multùm abeſſe, ut ſolutiores à Diſcipulis mores exigeret; qui ne id quidem, quod per Moſaïcam Legem licebat, fas iis eſſe vellet. ANN. XXIX.

III. Tum oblatis ei puerulis, quibus manus imponeret, ac bene precaretur, cùm eos amotos vellent Apoſtoli, ſibi admoveri juſſit; occaſionéque ea uſus eſt, ut Diſcipulos moneret, ſi quis Regni Cœlorum particeps eſſe cuperet, oportere eum inſtar pueruli, ſine præjudiciis, ſine ſuperbia, praviſque aliis adfectibus, quibus adultiores laborant, ad ſe accedere.

IV. Alio cùm diſceſſiſſet, occurrit ei in via juvenis, è Judæorum primoribus, qui ab eo quæſivit quid ſibi faciendum cenſeret, ut vitam æternam conſequeretur. Reſpondit verò Jeſus præcepta à Moſe data, quorum aliquot è potiſſimis protulit, eſſe obſervanda. At juvenis, ab ineunte ætate obſervata ſibi teſtatus, iterum ſciſcitatus eſt numquid præterea ſibi faciendum ſupereſſet? Jeſus, qui norat vera eſſe quæ dicebat, unum reſtaſſe ait; ut, nempe, omnibus bonis venditis, & pauperibus diviſis, ſe perpetuus comes futurus adſectaretur; ſeu ut ejus voluntatem exploraret, ſeu ut in Regno Cœleſti divitias nullius uſûs futuras oſtenderet. Eo verò accepto reſponſo, mœrens abiit juvenis, quòd bonis omnibus ſe exuere juberetur, quæ maxima habebat. Factum hoc adoleſcentis, alioqui minimè improbi, occaſionem Jeſu præbuit dicendi facile non eſſe homini diviti Regnum Cœleſte conſequi. Judaïcis hæc erant præconceptis opinionibus prorſus contraria, cùm ea gens divitias favoris Numinis ſignum eſſe, & majores ſibi, regnante Meſſiâ, futuras crederet, vehementérque adpeteret. Quare Diſcipuli, dictum hoc ejus mirati, quæſiverunt, quis ergo poſſet ſalutem adipiſci, cùm omnes propemodum divites eſſe optarent? At Jeſus docuit eos, quod homines nullâ ratione, ex hujus vitæ rebus petitâ, ab hominibus impetrare poſſent, ut, relictis divitiis abjectóque earum amore, de rebus ad Regnum Cœleſte pertinentibus, dumtaxat cogitent; id Deum poſſe ab iis impetrare, propoſitis æternis præmiis ac pœnis, præ quibus divitiæ ac paupertas nullius eſſent momenti & quibus divitiarum cupiditas, paupertatiſque metus prorſus exſtinguerentur.

V. Tum præmia Diſcipulis pollicitus, ſimilitudine Operariorum ad colendam vineam variis horis miſſorum, eamdémque mercedem accipientium, Dei beneficentiam, pro ejus arbitrio, variam eſſe oſtendit. Quæ fuſiùs habentur Matth. XIX, 1. ad 30. XX, 1. ad 16. Marc. X, 1. ad 31. Luc. XVIII, 15. ad 30. & Joan. X, 40. ad 42.

VI. Cum Jeſus è Judææ finibus iterum in Galilæam iviſſet, contigit graviter ægrotare Bethanienſem Lazarum, quem ſingulari amore proſequebatur. Sorores ergo ejus, fratrem periclitari intelligentes, ad Jeſum miſerunt, qui nunciarent ei morbum Lazari, cui eum bene velle norant; ut, ſi ita ei videretur, priſtinam valetudinem ægro reſtitueret. At Jeſus, cui abſenti abſentem curare facile erat, aut qui è veſtigio Bethaniam ſe conferre potuiſſet, per biduum eodem in loco moratus

ANN. XXIX. eſt; eo animo, ut, inſigni miraculo, fidem credentium confirmaret. Nec rediit in Judæam, niſi poſt mortuum & conditum ſepulcro Lazarum, in quo cùm quatuor dies jacuiſſet, & jam fœteret, amoto ex oſtio lapide, non ſine ingenti admiratione multorum qui aderant, in vitam, ſolo Chriſti imperio, revocatus eſt. Quo conſpecto, Jeroſolimitani aliquot, qui ſorores, fratrem lugentes, ſolaturi venerant, Jeſum à Deo verè miſſum eſſe non dubitarunt. Alii verò adierunt primores Phariſæorum, rémque iis narrarunt, ut viderent ne quid detrimenti, ex tanti miraculi fama, eorum auctoritas caperet.

VII. Quamobrem Principes Sacerdotum & Phariſæorum rem ad Synedrium Magnum, propterea coactum, retulere. Conſilia in eo agitata ſunt de eo quod fieri poſſet, hoc in negotio; ne quid funeſti Judæorum genti propterea accideret; cùm conſtaret multa à Jeſu miracula fieri, quæ pertinaciter illi Cacodæmonibus tribuebant. Verebantur enim, ne, ſi rem negligerent, Judæi plerique Meſſiam eum crederent; miſſum à Deo, ut Judæam gentem Romanorum tyrannidi eriperet, ſeditióque propterea in univerſa Judæa cooriretur. Quod ſi contingeret, timendum erat ne Romani Jeroſolimam, Templúmque ſolo æquarent, & totam gentem ad internecionem delerent; in quas tamen calamitates, nulla alia de cauſa, poſtea inciderunt, niſi quia Jeſu fidem non habuerant. Si enim ei credidiſſent, nihil eos Romanis parêre, omniáque ſimul Regni Cœleſtis Meſſiæ beneficia conſequi vetuiſſet. Verùm cæca eſt humana prudentia, ubi rebus divinis parum intellectis, ſibi proſpicere, ſuis ipſa conſiliis, nititur.

VIII. Erat eo anno Caïaphas Pontifex Maximus, qui poſtquàm multa ultrò citróque eſſent prolata, negavit eos, qui etiamnum hac de re deliberarent, quòd Jeſus innocens eſſe videretur, ſcire quid ſuâ intereſſet; aut animadvertere multò ſatius eſſe, ut vir unus, quamvis innocuus, pro aliis, interiret, quàm ſi tota gens deleretur. Quæ verba veriora erant, quàm putabat; neque, cùm eſſet Pontifex Maximus, ſine divino adflatu loquutus eſt, quamvis rem ignoraret. Ut Pontifex Maximus olim veſtibus ſacris indutus, & collari ſollemni ornatus, interrogato Deo oracula, ex ejus adflatu, edebat: ſic hoc in negotio, licèt ornamentis illis deſtitutus, quibus minimè indiget Deus, inſcius id quod, divino conſilio, futurum erat protulit. Interiturus enim erat, Deo volente, Jeſus, pro Judæorum populo; quaſi victima, nimirum, quâ ejus peccata expiarentur, & quâ futurum erat ut omnes, qui ad Dei populum pertinere vellent, in unum corpus tandem convenirent. Igitur verbis Caïaphæ permotum Synedrium, ab eo tempore, interficiendi Jeſum occaſionem captavit. Quare Jeſus non ampliùs palam, nec in frequentioribus Judææ locis, verſabatur; ſed in tractu Jerichuntinæ ſolitudini vicino, in agro oppiduli, quod Ephraim vocabatur; ubi unà cum Apoſtolis commoratus eſt, ad tempus uſque vicini Paſchatis. Quæ omnia pluribus expoſuit Joannes Cap. XI, 1. ad verſum 54.

IX.

IX. Paullo ante Paſcha, Jeſus profectus eſt, ut Jeroſolimam ultimùm inviſeret & ad pœnitentiam vocaret; ac præibat quidem Diſcipulis, quibus id iter diſplicebat, quia Judæorum inſidias in Magiſtrum metuebant. At ille vocatos ad ſe ſeorſim duodecim Apoſtolos apertè docuit ſe eò contendere, ubi mortem ſe ſe manere probè ſciebat; ſed non obſtituros contumaces Judæos, quo minùs tertio die è morte excitaretur. Quæ cùm antea jam, nec ſemel, à Jeſu prædicta fuiſſent & clarè nunc repeterentur; attamen magna ex parte rudes Apoſtolorum animos & præjudiciis Judaïcis, de quibus aliquoties dixi, occupatos fugiebant. ANN. XXIX.

X. Ex iis præconceptis opinionibus, de regno terreſtri Meſſiæ, profluxit quod à Joanne & Jacobo, Zebedæi filiis, eodem tempore tentatum eſt. Cùm enim iter facerent, cum Jeſu, ad eum adlegarunt matrem ſuam; quæ, iis præſentibus, pedibus ejus advoluta ſe aliquid habere ſignificavit, quod ab eo peteret. Dicere juſſa quid vellet, reſpondit optare ſe hoc ſibi concedi, ut ſui ambo filii, poſtquàm Jeſus regnum iniviſſet, ei latera clauderent, proximámque proinde ab eo dignitatem obtinerent. Jeſus verò ad homines converſus negavit eos ſcire quid peterent, qui regnum terreſtre Meſſiæ animo conciperent; quæſivitque an auſuri eſſent idem poculum bibere, quod ſibi exhauriendum brevi parabatur, eodémque baptiſmo ablui, quo futurum erat ut ablueretur. Quibus verbis, perpeſſiones ſuas deſignabat. Reſponderunt quidem illi, ſe nullum periculum, ut conſequerentur quod petebant, recuſaturos. Sed Jeſus, ſimilia conſtanter adituros eos pericula faſſus, ſe honores ſuis proximos ullis aliis, quàm iis ad quos Patris ſui conſilio pertinerent, conceſſurum negavit.

XI. Hæc cùm animadvertiſſent ceteri decem Apoſtoli, fratrum ambitionem graviter tulerunt; eósque caſtigavit etiam Jeſus, & docuit, qui inter Diſcipulos ſuos eminere præ ceteris cuperent, eos aliorum commodis, ſuis ipſorum neglectis, quemadmodum faciebat, inſervire oportere.

XII. Non procul erat Jerichunte, cùm duo cæci ab eo curare ut ſe vellet, magnâ voce, petierunt; qui, oculorum uſu è veſtigio recepto, Jeſum ſequuti ſunt, & Deo, ob tantum acceptum beneficium, gratias egerunt; universâ quoque multitudine eorum, qui Jeſum Jeroſolimam ſequebantur, in Dei laudes effusâ. Jerichunte, apud Zachæum, in illo tractu magiſtrum Publicanorum, hominem divitem diverſatus eſt; quem ad ſanctiorem vitam, cum univerſa familia, traduxit, & omnibus audientibus collaudavit. Cùm verò hæc audiſſet multitudo, putarétque Jeſum, quia non procul aberat Jeroſolimâ, urbe olim regiâ, tandem ſe profeſſurum Meſſiam, regnique Judæorum habenas capeſſiturum; Jeſus Apologum inſignem proloquutus eſt, deſumtum ex conſuetudine Regum, [1] qui majeſtatem Cæſaris obſervare neceſſe habebant, nec

1 *Qui Majeſtatem Cæſaris* &c.] Vide quæ de hac Parabola diximus ad Luc. XIX, 12. in Additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnotationes in N. T. quæ nonnemo ſibi propria fecit.

ANN. XXIX. nec audebant, niſi eo volente, regium nomen adſumere; quod in Archelao, Herodis Magni filio, non ita pridem viderant Judæi. Eo Apologo, qui apud Lucam legitur, deſcribebatur ſors futura Judæorum, qui Jeſu fidem habituri non erant; quamobrem graviſſimum ſupplicium ei, in cœlo regnanti, ac rationem factorum repoſcenti, erant daturi. Verùm, eo tempore mens Jeſu à nemine intellecta eſt. Interim tam frequentibus, de regno minimè terreſtri futuro, ſermonibus, clarè oſtendit ſe numquam hujus vitæ Regnum adfectaſſe; indidémque ſequentibus ætatibus Apoſtolos, qui contraria omnia, cum tota Judæorum gente, ſenſerant, ejus doctrinæ inventores non fuiſſe, conſtare potuit. Superiora omnia hauſimus è Matthæi Cap. XX, 17. ad 34. Marci Cap. X, 12. ad 15. & Lucæ Cap. XVIII, 31. ad finem, ac XIX, 1. ad 27.

XIII. Interea inſtante Paſchate, quod eo anno incidebat in VIII. Calendas Apriles, atque in Hebdomadis quidem feriam quintam; multi ex eo tractu, in quo poſtremùm commoratus erat Jeſus, jam ſeſe Jeroſolimam contulerant; ut qui purificatione indigebant poſſent Paſcha celebrare. Itaque Jeſum Jeroſolimæ quærebant & ab aliis alii ſciſcitabantur, annon ad feſtum celebrandum venturus eſſet? Synedrium verò edictum propoſuerat, quo jubebantur omnes indicare locum, in quo verſaretur, quam primùm innotuiſſet; ut comprehendi, atque in jus trahi poſſet. Verùm Jeſus, obfirmato animo, Jeroſolimam ire perrexit & a. d. XIV. Cal. Apriles Bethaniam pervenit; ubi cœnâ exceptus à Martha & Maria, atque à poſteriore unguento pretioſo, quod pedibus adcumbentis adfudit, eſt inunctus; cujus etiam factum, contra reprehendentem Judam Iſcariothem defendit.

XIV. Rumore per viciniam ſparſo, Jeſum in Ædibus Marthæ & Mariæ Bethaniæ eſſe; multi eò concurrerunt, non tantùm ut eum, ſed etiam ut Lazarum, quem mortuum excitaverat, viderent. Quod cùm renunciatum eſſet Synedrio, conſilia agitavit de Lazaro etiam è medio tollendo; quia multi, urbe relictâ, propterea Jeſum adſectabantur; quem crediderant à Deo ad Judæam gentem miſſum, poſtquàm Lazarum ab eo excitatum viderant.

XV. Cum verò Jeſus Bethaniæ, per diem Sabbathi, cujus veſperâ ineunte cœnaverat apud Martham, quieviſſet; ſequente die ſolis, aſino vectus Jeroſolimam progreſſus eſt; ut impleretur vaticinium Zachariæ Cap. IX, 9. *dicite filiæ Sionis; ecce Rex tuus venit clemens, & inſidens aſino.* Quod ubi auditum eſt, ingens multitudo portis urbis effuſa ei occurrit, ramos palmæ gerens, & lætis adclamationibus adventum ei gratulans, quaſi Meſſiæ, his ac ſimilibus verbis: *Quod felix, fauſtúmque ſit, advenit à Deo miſſus Rex Iſraëlitarum, à Davide oriundus. Adventum hunc illi ſuum ſecundet ex alto Numen, cui in cœlo quoque, ab Angelis, laudes & grates propterea rependantur!* Quæ voces, cùm increbreſcerent, ſummopere diſplicebant Phariſæis nonnullis, qui aderant. Jeſum ergo adierunt, monuerúntque, ut eas, quaſi falſas ac ſeditioſas,

com-

compeſceret. At Jeſus, *ſi hiſce*, inquit, *ſilentium impoſuero*, *lapides ipſi*, *tacentibus hominibus*, *clamores tollent*. Phariſæi verò Synedrium monuerunt, cunctando nihil profici, nam in dies Jeſum plures adſectari, ideóque quamprimùm eſſe comprehendendum. Cùm verò è propinquo urbem intueretur, atque animo contumaciam ejus reputaret, ei illacrimatus, in hæc verba erupit. *O utinam vel tu*, *ex omnibus Judæorum oppidis*, *hoc tempore*, *quo ad pœnitentiam vocaris*, *& quo etiamnum licet reſipiſcentiâ pœnas fugere*, *ad animum revocares ea*, *quæ ad incolumitatem tuam faciunt! Verùm ea animi tui aciem*, *pravis adfectibus retuſam*, *fugiunt*. *Aderit enim*, *aderit*, *te aures omnibus divinis admonitionibus obturante*, *tempus*, *quo hoſtes tui te arctâ obſidione cingent*, *atque undequaque acriter oppugnabunt*; *deinde captam ſolo æquabunt*, *incolásque tuos occident & uſque adeò in viſcera tua ſævient*, *ut ne ullum quidem murum ſtantem*, *intra ambitum mœnium tuorum*, *ſint relicturi*. *Quæ omnia mala tibi contingent*, *quia tempus*, *quo ad ſaniorem mentem revocata fueris*, *à Dei Miniſtris*, *fruſtra præterlabi ſiveris*. ANN. XXIX.

XVI. Tum urbem ingreſſus rectà in Templum ivit, ubi, [2] quod ſemel antea jam fecerat, numulariorum menſas, & eorum, qui victimas vendebant, ſellas evertit; nec patiebatur quemquam illic emere aut vendere, aut vas ullum per Templum ferre, quod ad illorum hominum quæſtum pertineret. Cùm verò auditum eſſet Jeſum in Templo eſſe, cæci & claudi eò confluxerunt, ut ab eo curarentur, quod non difficulter impetrarunt. Quamobrem pueri in ipſo Templo clamabant: *felix*, *fauſtúsque ſit adventus Jeſu*, *à Davide oriundi!* Quæ cùm viderent atque audirent principes Sacerdotum & Legis Periti, vehementer cùm Jeſu, tum pueris indignabantur. Itaque Jeſum monuerunt ut puerorum adclamationes coërceret; ſed repoſuit non eſſe cur puerorum laudes ab iis contemnerentur, cùm Pſaltes (Pſ. VIII, 3.) *ex ore puerorum & lactentium* Deum *ſibi parare laudes* dicat. Reverâ ab ipſis improvidæ ætatis pueris quid de Jeſu ſentiendum eſſet, non ſine Divina Providentia, audiebant, qui ſapientiæ & prudentiæ causâ perperam ſuperbiebant. Nec eorum molitiones veritus Jeſus quotidie, uſque ad Paſcha, populum ad ſe confluentem docere perrexit; quamvis non ignoraret à Synedrio rationem quæri, quâ è medio tolli poſſet. Sed cùm Synedri tumultum plebis, quæ ab ore Jeſu pendebat, Prophetámque eſſe cenſebat, metuerent; quâ arte eum adgreſſuri eſſent, non ſatis expedire poterant. Hæc pluribus narrarunt Joannes Cap. XI, 55. ad finem, Cap. XII, 1. ad 18. Matth. XXI, 1. ad 16. Marc. XI, 1. ad 17. Luc. XIX, 28. ad 48.

XVII. Erant tunc temporis Jeroſolimæ Græci quidam, qui Judaïcam quidem circumciſionem non ſuſceperant, ſed veri tamen Dei timentes

2 *Quod ſemel antea jam fecerat.*] Vide annum XXVI, 14. ubi rem è Joanne narravimus, cùm hîc è Luca ſit deſumta. Circumſtantiarum varietas rem bis à Chriſto factam oſtendit.

ANN. XXIX. mentes erant. Quare, tempore Paſchalis feſti, Jeroſolimam venerant; ut in Templo Deum adorarent. Hi cùm multa audirent de Jeſu, Philippum Bethſaïdenſem convenerunt, orarúntque ut, ejus operâ, Jeſum ſibi videre liceret. Ille verò cùm neſciret an Jeſus à Græcis conveniri vellet, rem ad Andream retulit, atque ambo Magiſtrum adierunt, eique quod Græci cupiebant expoſuerunt. Quibus ea reſpondit Jeſus, ex quibus intelligere poterant, licere Græcis ad ſe accedere; ſed eos graviter falli ſi ſe, quaſi hominem terreſtre regnum adfectantem, viſuri veniſſent. Addidit fore ut brevi probra & cruciatus ſummos pateretur, & ſubitò ad Patrem oratione conversâ, eum precatus ut hiſce hominibus ſe non falsò nomine Dei ad eos veniſſe oſtenderet, reſponſum accepit, voce ingenti, ac tonitru ſimili, è nubibus emiſsâ, in hanc ſententiam: HOC JAM MULTIS MIRACULIS OSTENDI ET ITERUM OSTENDAM. E multitudine verò, quæ aderat, qui non adſequuti ſunt verba tonitru eſſe crediderunt; alii verò contenderunt vocem fuiſſe Angeli Jeſum adloquentis.

XVIII. At Jeſus docuit, non ſui causâ, ſed eorum, qui aderant, vocem emiſſam fuiſſe; addiditque, poſt mortem ſuam, alias quoque Gentes ad Evangelii cognitionem vocatum iri. Ibi verò nonnulli, è circumſtante multitudine, reſponderunt ſibi conſtare è Scriptura Meſſiam in æternum victurum; quod conſiſtere non poterat cum iis, quæ de ſe dixerat, ſi Meſſias eſſet; quæſiverúntque ab eo, an alius Meſſias, qui etiamnum ignotus ſibi eſſet, exſpectari deberet. Jeſus inani quæſtioni nihil repoſuit, ſed quod dixerat confirmavit & homines monuit, feſtinanter iis utendum occaſione doctrinam cœleſtem ab eo accipiendi, neque enim ſe diu in terris futurum.

XIX. Hæc cùm dixiſſet, exiit è Templo, ac ſe ſe iis hominibus, ad breve tempus, urbe egreſſus, ſubduxit; nec Judæi, tot miraculis conſpectis, ſanctiſſimiſque dogmatibus toties ab eo auditis, ad fidem ei habendam, quâ tota gens eum Meſſiam agnoſceret, adduci potuerunt; uti nec eorum Majores Prophetis olim omnes crediderant. Nonnulli tamen è Synedrio ut crederent à Deo miſſum eſſe permoti ſunt; quamvis propter ſectam Phariſæorum, ei infenſiſſimam, id quod ſentiebant profiteri non auderent; ne ex hominum conſortio, more Judaïco, ab iis ejicerentur.

XX. Sub veſperam verò Jeſus iterum Jeroſolimam eſt ingreſſus, atque in Templum quidem denuo ivit; ubi, cùm omnia circumſpexiſſet, nec eoſdem homines vidiſſet, cœpit magnâ voce Judæos hortari, ut, exutâ contumaciâ, tandem ipſius ſermonibus crederent; quæ cùm dixiſſet Jeſus, poſt ſolis occaſum, egreſſus eſt Jeroſolima, ut Bethaniam ſe reciperet; nondum enim aderat tempus, quo crudelitati Synedrii permittere ſe ſtatuerat. Quod pluribus expoſitum legere licebit Joannis Cap. XII, 20. ad 50. Matth. XXI, 17. & Marci C. XI, 11.

XXI. Postridie, ſeu a. d. XI. Cal. Apriles, Jeſus ſummo mane, unà

unà cum Apoſtolis, Bethaniâ Jeroſolimam rediit, cúmque eſuriret, ANN. conſpicatus procul ficum foliis inſtructam, ex quibus intelligere licebat XXIX. eam eſſe ex eo ficuum genere, quæ præcoces fructus edunt, ad eam ivit, ut ficus in ea quæreret; ſed nullos invenit, nam tempeſtas illa ficuum ferax non fuerat. Quod non ignoraverat Jeſus, quem nihil fugiebat; ſed quæſiverat, de induſtria, occaſionem effingendæ atque oculis, conſpicuo aliquo facto, veluti ſubjiciendæ ſortis Judæorum, à quibus Virtutis fructus fruſtra eo ævo exſpectaverat; itaque clarâ voce, ita ut exaudirent Apoſtoli, *nemo*, inquit, *ô ficus*, *umquam ex te fructus comedat*. Quibus verbis à Jeſu prolatis, illico exſiccari cœpit ficus.

XXII. Cum verò audiſſent Synedrii Adſeſſores varios Jeſu ſermones, quibus eorum contumaciam ac impietatem caſtigabat, frequentiora de eo tollendo conſilia habebant; quæ exſequuti citiùs fuiſſent, niſi tumultum feſto tempore eſſent veriti. Nec Jeſus ſe ſe iis committebat, niſi interdiu; noctibus enim ſingulis, ut diximus, Jeroſolimâ exibat, ne clam opprimi poſſet; neque in urbem, niſi luce exortâ, redibat. Igitur cùm poſtridie mane eò reverteretur, tranſirétque per eamdem viam, per quam pridie tranſierat, viderunt Apoſtoli ficum, de qua modò diximus, prorſus exaruiſſe; quod ſummopere mirati ſunt. Rem etiam Jeſu narrarunt, qui iis ſimilia, ab iis, miracula factum iri dixit, ſi modò Deo confiderent.

XXIII. Ut verò eò redeamus, unde digreſſi ſumus ut miraculum in ficu editum narraremus, cùm pridie ejus diei in Templo verſaretur Jeſus, ad eum venerunt Judææ Gentis Proceres, interrogarúntque quâ poteſtate & à quo acceptâ, Mercatores è Templo exegiſſet, atque in eo doceret. Reſpondit verò Jeſus ſe viciſſim eos interrogaturum, quid ſentirent de facto Joannis Baptiſtæ, qui Judæos ad pœnitentiam vocarat & quaſi Proſelytos abluerat, utrum crederent ita eum ſe geſſiſſe humano conſilio, an verò mandatis à Deo acceptis? Hac auditâ quæſtione, Proceres Judæi apud animum ſuum reputabant, ſi reſponderent Joannem à Deo mandata accepiſſe, quæſiturum continuò Jeſum cur ergo fidem ei non habuiſſent: ſin verò dicerent Joannem ſuo ipſius conſilio, rem adgreſſum, univerſam multitudinem graviter offenſum iri, cùm Joannem verum Prophetam fuiſſe perſuaſum haberet. Igitur tutius exiſtimarunt reſpondere, ſe neſcire. At verò Jeſus illico regeſſit, quandoquidem, illis neſcientibus, quo jure Joannes ad ſe venientes ablueret, hoc tamen illi licuerat, nec quiſquam eum ad facti rationem reddendam vocarat; ſe non videre cur neceſſe haberet iis dicere, quâ poteſtate feciſſet ea, quæ in Templo agentem viderant. Deinde Apologis tribus indolem contumacium Judæorum, ut ex iis intelligerent quid peccaſſent, & quid ſui officii eſſet, deſcripſit. Quos apud Evangeliſtas potiùs legendos, prætermittemus, ne longiores æquo ſimus. Vid Matthæum Cap. XXI, 18. ad finem. XXII, 1. ad 14. Marcum XI, 12. ad finem. XII, 1. ad 12. & Lucam XX, 1. ad 19.

XXIV.

ANN. XXIX.

XXIV. Pharisæi verò & alii, qui audiverant hoſce ſermones, quibus apertè Jeſus Judæorum Proceribus pervicaciam exprobrabat, pœnáſque à Deo intentabat, ab eo nonnihil ſecedentes, conſilium ceperunt de homine verbis irretiendo; ita ut ex ejus ore quidpiam exſculperent, ex quo aut ei invidiam apud plebem moverent, aut apud Romanum Præſidem litem intenderent. Itaque homines ſubornarunt, qui ſe bonos ac diſcendi cupidos fingerent; quorum pars Phariſæorum placitis, pars Sadducæorum ſectæ addicta erat. Hi ſe ſe ad Jeſum contulerunt, ut ab illo exprimerent, quæ poſſent ad Cæſaris Procuratorem deferre; cui erant eum è veſtigio tradituri, ſi quid imprudentiùs de Romanorum poteſtate dixiſſet. Cùm ergo ad Jeſum veniſſent, blandiſque verbis animum ejus ſibi conciliare conati eſſent, quæſiverunt *an, Deo propitio, fas eſſet Iſraëlitis peregrino Regi, qualis erat Cæſar, tributum pendere; cùm Lege ſancitum eſſet neminem Hebræis eſſe eligendum Regem, qui popularis eorum non eſſet?* At Jeſus callidâ eorum ſimulatione & nequitiâ probè intellectâ, *quid mihi*, inquit, *ô ſimulatores Virtutis, inſidias ſtruitis? Oſtendite mihi denarios, quibus tributum Romanis pendere ſoletis.* Protulerunt illico denarium Romanum, Imperatoris imagine & nomine ſignatum. Quo conſpecto, quæſivit Jeſus, *cujus eſſet imago, & quodnam nomen adſcriptum?* Reſponderunt *imaginem, noménque eſſe Cæſaris. Itaque*, inquit, *ſolvite Cæſari, quæ ad Cæſarem pertinent; nec quæ Dei ſunt, Deo negate.* Quibus verbis, miſſis abſtruſioribus & invidioſioribus, de ſummæ Poteſtatis jure, quæſtionibus, non obſcurè ſignificabat Judæos bonos & religioſos viros eſſe poſſe, nec eo ſeciùs tributa Poteſtati, cui dudum parebant, pendere. Sic inſidiatores illi nullum ab eo extundere potuerunt verbum, coram populo, qui hæc audiebat; ex quo eum, apud Cæſaris Procuratorem, calumniarentur. Imò etiam ejus reſponſum admirati abierunt.

XXV. Tum Sadducæorum objectionem in reſurrectionem egregiè retudit. Phariſæis etiam, quærentibus quodnam potiſſimum eſſet Legis præceptum, ſatisfecit; dum reſpondit id eſſe omnium potiſſimum, quo jubentur Iſraëlitæ meminiſſe ſibi Deum eſſe unicum, eúmque toto animo & totâ mente amare; ita ut eorum adfectum cum nullo alio Numine dividat, ſed totum ſibi habeat. Adjecit eſſe & alterum ei ſimile, quo Proximum, inſtar ſui ipſorum, amare jubentur. Priore univerſus Dei cultus, poſteriore omnia hominum, erga homines, officia continentur; unde collegit, ſi modò duo hæc præcepta obſerventur, incolumem eſſe Legis & Propheticorum monitorum omnium obſervationem; ſi negligantur, reliqua univerſæ Legis & Prophetarum præcepta corruere.

XXVI. Quamobrem eſt ab auditoribus laudatus, nec poſtea Phariſæi, aut Sadducæi quidquam ab eo quærere auſi ſunt. Sed cùm videret multos Phariſæos ſibi adſtantes, ab iis ipſe quæſivit, quî fieret ut Periti Scripturæ docerent Meſſiam à Davide ortum ducturum, cùm David à Spiritu Sancto adflatus, ſic de eo, in libro Pſalmorum, loquatur:

tur: (Pſ. CX, 1.) *Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dextram meam, donec poſuero inimicos ſcabellum pedum tuorum.* *Cùm David*, inquiebat, *in iis verbis, eum vocet Dominum ſuum, qui poteſt cenſeri oriundus à Davide?* Quibus verbis, innuebat ingens diſcrimen eſſe inter Davidem & Meſſiam, adeóque dignitatem Meſſiæ cœleſtem eſſe; cùm apud homines nulla ſit regiâ major, neque ullam in terris poteſtatem, cui ſe dicto audientem eſſe oporteret, futuram exiſtimaret David. Hæc & ſuperiora leguntur Matth. XXII, 16. ad finem, Marci XII, 13. ad 37. Lucæ XX, 44. ANN. XXIX.

XXVII. Cum Jeſus Judææ gentis Procerum inſidias, quemadmodum diximus, vitaſſet, cœpit cùm ſuos diſcipulos, tum etiam ceteram multitudinem ſalubribus monitis inſtruere; ne pravo eorum exemplo, corrumpi ſe ſinerent; gravémque habuit in eorum vitia orationem, quæ exſtat Matth. Cap. XXIII. per totum, Marci XII, 38. ad 40. & Lucæ XX, 45. ad finem. Nec certè opus erat Chriſtum eorum probra ampliùs tacere, aut leniùs reprehendere; cùm ad extremam nequitiam, ſub Religionis ſpecie, deveniſſent; nec mortem, quæ ſibi ab iis imminebat, fugere diutiùs vellet. Eodem tempore, pauperculæ viduæ liberalitatem, quæ parum quidem, ſed ex ſua inopia, dabat, longè prætulit liberalitati divitum; qui ex iis, quibus abundabant, ſtipem in ſacrum Templi ærarium conferebant, ut habent Marcus Cap. XII, 41. ad finem, & Lucas Cap. XXI, 1. ad 4.

XXVIII. Templo egreſſus ad montem Oliveti cùm iret, nonnemo ex Diſcipulis ei magnificam Templi ſtructuram, ingentésque lapides, quibus id inſtaurarat Herodes, oſtendit. At Jeſus reſpondit totum illud ædificium, quod cum tanta admiratione ſpectabat, ita everſum iri, ut ex eo ne lapis quidem lapidi impoſitus ſuperfuturus eſſet. Deinde in monte eodem, è regione Templi, ſedentem interrogarunt ea de re ſeorſim Petrus, Andreas, Joannes & Jacobus; orarúntque ſe doceret quando futurum eſſet, ut Templum ſolo æquaretur, & quibusnam ſignis poſſent intelligere brevi hoc fore. Putabant enim conjunctum hoc iri cum Jeſu ultimo adventu, quo judicium laturus erat de bonis ac malis, ſuppliciúmque de his, poſtquàm eſſet exactum tempus, quod eam in rem præſtitutum erat, ſumturus.

XXIX. Respondit Jeſus duobus illis quæſitis, & priùs quidem de ſignis Jeroſolimitani exſcidii, dixitque ante id tempus, exorituros multos impoſtores, qui ſe Meſſias jactarent; fore rumores belli, tum diſcordias, ſeditionésque & acria certamina inter Ethnicos & Judæos incolas Palæſtinæ; deinde fames & morbos peſtilentes; tandem etiam ſigna cœleſtia; ſed hæc initia tantùm fore dolorum, qui Judæis imminerent.

XXX. Addidit graviſſimis vexationibus obnoxios fore Chriſtianos, ingentia diſſidia inter conjunctiſſimos, Religionis causâ, futura; ſed interea Evangelium per totum orbem terrarum, invitis pertinacibus

ANN. XXIX. Judæis, ſparſum iri. Quod cùm factum fuiſſet, tum demum Judaïcæ Reipublicæ finem adfuturum. Cùm verò viderent in Jeroſolimitano agro legiones Romanas, infeſtis ſignis Judæos adgreſſuras, quamprimùm è Judæa fugerent, ne communi exitio cum contumacibus involverentur; nam tantâ calamitate oppreſſum iri Judæos, vix ut ulla ſimilis, ab initio rerum, fuiſſet, nec poſthac eſſet futura. Caverent interim ne à Pſeudochriſtis, aut Pſeudoprophetis, qui multi exſtituri eſſent, deciperentur, atque in certum exitium raperentur; ſed poſtquàm initium ſignorum memoratorum vidiſſent, meliora tempora, everſâ Jeroſolimâ, exſpectarent; nec diu exſpectaturos, nam, multis ejus ætatis hominibus ſuperſtitibus, rem confectum iri. Ne dubitarent an, quæ tunc prædiceret, futura eſſent; citiùs enim cœlum & terram peritura, quàm quidquam eorum, quæ prædixerat, non impleretur. Sed articulum temporis, quo contingere ea oportebat, à Deo nemini prorſus eſſe revelatum; quare oportere eos ſemper eſſe paratos, ne nec-opini opprimerentur. Quæ omnia, maximi quippe momenti, & perſpicuam prophetiam de ultimo Judæorum exſcidio complexa, legenda ſunt adtentè apud Matthæum Cap. XXIV, 1. ad 41. Marcum Cap. XIII, 1. ad 33. & Lucam Cap. XXI, 5. ad 37.

XXXI. Cum hæc dixiſſet Jeſus, ad Jeroſolimitanam cladem ſpectantia, egit de vigilantia atque ſollicitudine animi, quâ boni quivis, imminentibus malis, qualia prædixerat, aut etiam quòd incertum ſit quo tempore futurum ſit Ultimum Judicium, debent ſibi cavere ab omnibus vitiis, ne iis irretiti ab ultione divina improvisò opprimantur; quod rationibus & Parabolis præ oculis Apoſtolis ſuis ſubjecit Matthæi Cap. XXIV, 43. ad finem & toto Capite XXV. & quod à Marco Cap. XIV, 34. ad 37. perpaucis verbis expreſſum videmus. Jeſus autem non docuit Apoſtolos, futurúmne eſſet, inter cladem Judæorum, & Ultimum Judicium ullum intervallum; ut cùm ipſi, tum eorum diſcipuli, utrique parati ſemper eſſent. Sanè cùm unicuique tempus mortis incertum ſit, cúmque ex habitibus, eo tempore invaleſcentibus, pendeat æterna hominum ſors; omnes ſibi cavere par eſt, per totam vitam, ne vitiis dediti, extremo illo tempore, deprehendantur; ſive Ultimum Judicium inſtet, ſive etiamnum ſit remotum.

XXXII. Solebat autem Jeſus interdiu, in Templo, leges Regni Cœleſtis populum docere, nocte verò in monte Oliveti, aut in vicinia agebat; ne mœnibus Jeroſolimæ clauſus, citiùs quàm volebat, à Synedrio opprimeretur. At populus ſummo mane in Templo, ad quod ſolebat ſe conferre, operiebatur eum auditurus. Cùm verò eos ſermones, quos antea memoravimus, habuiſſet, Apoſtolis ſuis dixit a. d. X. Calendas Apriles, fore, ut norant, Paſcha perendie, ipſóque die Paſchali ſe traditum iri Romanis, ut ipſum in crucem tollerent. Ac ſanè, illo tempore, Synedri multi in ædes Caïaphæ Pont. Max. convenerunt, & arte quapiam ei manus injicere, ut eum è medio tollerent, decre-

decreverunt. Verùm non audebant id facinus adgredi, Paſchatis feſtis diebus, ne qua fortè ſeditio à multitudine, quæ Jeroſolimam convenerat, exoriretur, cujus pœnas Romano Præſidi darent & invidiam apud populum ſuſtinerent; timebant enim ne plebs, à qua Jeſus habebatur Propheta, tumultuaretur. ANN. XXIX.

XXXIII. Cum verò Bethaniæ cœnaret Jeſus, apud Simonem, cui cognomen erat Leproſo, ingreſſa eſt triclinium mulier quædam & alabaſtrum pretioſi unguenti capiti ejus adfudit; quod cùm à nonnullis reprehenderetur, quaſi rectius fuiſſet id unguentum vendere & ſummam inde redactam pauperibus dividere; mulieris factum defendit Jeſus, additque eo unguento corpus ſuum ſepulturæ parari, ut ſibi mortem inſtare ſignificaret.

XXXIV. Paullo pòſt, avarum Judæ Iſcariothæ, qui unus è duodecim Apoſtolis erat, animum adduxit, ſpe lucri, Cacodæmon, ad prodendum Judæis Magiſtrum. Itaque nonnullos Principum Sacerdotum, & Præfectorum cuſtodiæ Templi convenit; ut eis operam ſuam, ad comprehendendum Jeſum, offerret. Cúmque facinoris mercedem peteret, triginta argenteos ſiclos homini obtulerunt; quâ pollicitatione auditâ, ſe iis Jeſum traditurum, eâ lege promiſit. Nec quidquam exſpectabat, præter opportunum tempus, quo, ſine tumultu, rem effectam dare poſſet.

XXXV. Cum verò illuxiſſet primus Azymorum dies ſeu VIII. Calendas Apriles, qui in quintam Hebdomadis feriam incidebat, & quo ex Lege, ante veſperam mactari oportebat Paſchales agnos; quæſiverunt Apoſtoli à Jeſu, ubi vellet ſibi Paſchalem Cœnam parari. Quod mirabili quadam ratione ſignificavit, cui paruerunt Apoſtoli. Itaque cùm ſol occidiſſet, eſſétque hora, quâ Paſchali Cœnæ adcumbere ſolebant Judæi; ivit Jeroſolimam, cum duodecim Apoſtolis, atque unà cum illis adcubuit; mos enim ille Græcorum & Romanorum dudum per Orientem invaluerat, ut cibum ſumentes adcumberent; & deſueverant Judæi ſtantes ac ſcipionem manu gerentes, quaſi mox peregrè ituri, ut Lex præſcripſerat, Paſchalem agnum comedere. In ipſa cœna, monuit Jeſus Apoſtolos, fore ut unus eorum ipſum proderet; nec Judæ quærenti, an ſe deſignaret, rem diſſimulavit, quamvis hominem nec ulla graviore caſtigatione adfecerit, nec abire juſſerit; unde liquebat imprudenti ei & imparato mortem non imminere, ſed omnia præviſa atque animo fuiſſe præcepta.

XXXVI. Non multò poſt, inter cœnandum, Jeſus, more Judæorum, quem tamen in alium finem converſurus erat, placentam panis Azymi cepit, gratiiſque ſolitis Deo, propter fruges hominibus conceſſas, actis; eam rupit, diviſitque fruſta Apoſtolis, his additis verbis: *accipite & comedite; hoc eſt corpus meum, pro vobis laceratum. Idem in poſterum, quod nunc facio, non ampliùs in memoriam liberationis ex Ægyptiaca tyrannide, ſed in memoriam mei facitote.* Similiter, poſtquàm jam

 cœnaſ-

ANN. XXIX. cœnaſſent, cepit calicem vino plenum, gratiiſque pariter Deo actis, ob vitem quâ homines donavit, porrexit ebibendum Apoſtolis, juſſitque ab omnibus ex eo bibi; hoc enim vinum dixit *eſſe ſuum ſanguinem*, *quo effuſo novum Dei fœdus cum hominibus ſanciendum erat*, *Apoſtolorúmque & multorum aliorum peccata expianda.* Subjecit etiam velle ſe, *quotieſcumque memoriam ſui celebrarent*, *eumdem ritum*, *quem à ſe adhibitum viderant*, *obſervari.* Quibus præceptis id inſtituit, quod eſt poſtea *Cœna Dominica*, & *Euchariſtia* à Chriſtianis dictum, aliiſque etiam obſcurioribus nominibus adpellatum. Sed quicumque religioni ducunt, quod par eſſet ab omnibus fieri, quidquam Chriſti inſtitutis addere, aut detrahere, ejus veſtigiis ita inhærere debent; ut de hiſce ritibus loquantur, quemadmodum Chriſtus fecit, eóſque ſine mutatione ulla celebrent. Quod ſi ſemper feciſſent Chriſtiani, nec Magiſtro ſapientiores eſſe voluiſſent; ſimpliciſſimi ritus, quorum uſus ac finis facillimi erant intellectu & convenientiſſimi ceteris dogmatibus Chriſtianis, numquam mutati fuiſſent in myſterium, quod nec cum recta Ratione, nec cum indole Chriſtianæ Religionis conſentit. Verùm irrequies & faſtidioſum hominis ingenium primævam ſimplicitatem paullatim incruſtavit, ac reſpuit; ut figmentis ſuis Religioni reverentiam, ſcilicet, conciliaret; quaſi Chriſtus rem eorum arbitrio permiſiſſet! Sed hæc legenda ſunt, apud Matthæum Cap. XXVI, 1. ad 29. Marcum Cap. XIV, 1. ad 25. Luc. Cap. XXII, 1. ad 18. & Paulum 1. ad Cor. XI, 24, 25.

XXXVII. Cum Jeſus ſemper ſingulari amore proſequutus eſſet Apoſtolos, iiſque, ante Paſcha, prædixiſſet mortem ſibi inſtare; poſt quam reſurrecturus eſſet, & hominibus relictis, ad Patrem Cœleſtem brevi rediturus; ad ultimum uſque tempus, quo cum ſuis verſatus eſt, perpetuæ ſuæ erga eos voluntatis luculenta teſtimonia, factis & dictis, quæ narrabimus, edidit.

XXXVIII. Jam Cacodæmoni avarum ſuum animum manciparat Judas, ut antea diximus, Jeſúmque Judæis tradere ſtatuerat; nec tamen, quæ erant hominis impudentia & audacia, ei adeſſe deſtiterat. Quod cùm probè noſſet Jeſus, poſſétque quidvis effectum dare, poteſtate à Patre Cœleſti acceptâ; attamen nec ejus cœptis obſtitit, nec ceteros Apoſtolos minùs amanter adloquutus eſt. Credebant, quamquam ſæpiùs, & quidem ſine ulla ambiguitate verborum, meliora edocti, tandem inſtare tempus, quo Jeſus in terris regnaturus eſſet, atque inter ſe cœperunt, ut antea fecerant, diſceptare de prima ſede honoris, in regno Magiſtri, quam non unus ſibi vindicabat; uſque adeò difficile eſt hominibus imperitis ſe ſe conceptis à pueritia opinionibus exuere! Jeſus verò leniter, ut antea, cùm ea de re contenderent, homines caſtigavit, omnéſque promiſſis ſedavit; & ablutis eis pedibus, ſervilem in modum, docuit eum, qui ceteris præeſſe vellet, modeſtiſſimum eſſe & aliorum commoda ſuis anteponere oportere; cujus rei exemplum iis præbuerat. Alia etiam dixit, quibus Apoſtolos ſolaretur, mortem

enim imminere ſibi monuit; Judam proditorem ſuum futurum non obſcurè Joanni, qui juxta eum adcumbebat, deſignavit, impiúmque hominem dimiſit, ut quod facere cœperat properè abſolveret; tum iterum de morte ſua loquutus Apoſtolos ut inter ſe amarent vehementer hortatus eſt; deinde prædixit, Petrum ſe ejus Diſcipulum eſſe negaturum; quamvis Petrus ſummam conſtantiam polliceretur; Apoſtolóſque iterum ſolari cœpit, & eorum animos, ne ſuo diſceſſu nimiùm turbarentur, confirmare adgreſſus eſt. Quæ omnia copioſiùs expoſuit Joannes Cap. XIII, & XIV. integris, & partim etiam Lucas Cap. XXII, 24. ad 38. ANN. XXIX.

XXXIX. Hisce ſermonibus, in cœnaculo, in quo Paſchalem Agnum comederant, habitis, cœnam clauſit Jeſus hymno, qui poſt Convivium Paſchale cani ſolebat; cúmque Diſcipulis undecim in montem Oliveti ſe contulit, ubi iterum eos amantiſſimè adloquutus, & ad conſtantem præceptorum ſuorum obſervationem, & præſertim ad mutuum amorem hortatus eſt. Tum diſceſſum ſuum eis prænunciat & mala oſtendit, quæ à Judæis imminebant, ſed præmonet fore ut ab iis liberarentur, ſi modò ſuorum monitorum ſemper obſervantes eſſent; pollicetur etiam à Deo omnium, quæ eorum ſcire intererat, cognitionem; quam, ut cetera omnia, iis largiturus eſſet, eò quòd ſe ejus Magiſtri, à quo fuerant electi, Diſcipuli eſſent & vellent haberi.

XL. Hæc, aliáque eodem pertinentia cùm dixiſſet Jeſus, ad confirmandos, ſolandóſque Apoſtolorum ſuorum animos; tum verò, exquiſitis precibus, eos Deo Patri, ſublatis in cœlum oculis, & clarâ voce commendavit; quæ preces exſtant Cap. XVII. Joannis, ut ſuperiora duobus proximè antecedentibus Capitibus.

XLI. Jesus, hiſce dictis, unà cum Apoſtolis, trajecit torrentem Cedronem; in hortum, trans eum ſitum, iturus. Quò dum contenderet, ab Apoſtolis omnibus ſe eâ nocte deſertum iri prædixit. Quibus verbis auditis, Petrus, etiamſi omnes alii Magiſtrum deſererent, ſe minimè deſerturum promiſit. Reſpondit verò Jeſus jam à ſe monitum eſſe, & fore ut, eâ nocte, antequàm Gallus bis ceciniſſet, ter negaret ſe Diſcipulum ſuum fuiſſe. At Petrus, ſi ſe mori cum Magiſtro oporteret, negaturum ſe non eſſe confirmavit; quod & à ceteris Apoſtolis factum.

XLII. Interea perveniunt ad hortum Gethſemanes, quò ire conſtituerat; ubi jubet Chriſtus Apoſtolos certo in loco conſiſtere, ſe verò ait ſeceſſurum aliquantùm, ut preces fundat, monétque eos etiam Deum orare oportere, ne nimis difficile ipſorum conſtantiæ experimentum ſumatur, quod ferre nequeant. Attamen Petro & duobus Zebedæi filiis præcipit, ut ſecum veniant, & nonnihil progreſſus incipit metu ac triſtitiâ vehementiſſimè commoveri, ob mala ſibi paucas poſt horas ſubeunda. Quod & faſſus Apoſtolis, homines ſecum manere & vigilare jubet. Deinde ab iis digreſſus eo intervallo, quo lapis manu jaci poteſt, in genua concidit, atque in vultum pronus, magnâ voce, Deum

 orat,

ANN. XXIX.

orat, ſi ſapientiſſima ejus conſilia paterentur, à ſe impendentia mala ut averruncet; ſin minùs, ſe in iis adquieturum confirmat. Dum verò tantis animi angoribus teneretur Jeſus, delapſus è cœlo Angelus, ei ſubitò conſpicuus factus, æſtuantem ſolatus eſt; quamquam interea, præ anxietate, ſudor tantâ copiâ ex ejus corpore defluebat, ut guttæ ſanguinis in humum cadere viderentur.

XLIII. DEINDE ſurrexit atque ad Apoſtolos reverſus deprehendit eos ſomno ſe dediſſe; [3] qui ſolet, poſt gravem mœſtitiam interdum obrepere. Caſtigatâ verò, in tam acerbo caſu, eorum ſomnolentiâ, juſſit eos vigilare & Deum orare, ne in experimento fidei ac conſtantiæ ipſorum mox ſumendo, ſe ſuccumbere pateretur; nam quamvis facilè intelligerent ſui officii eſſe, ut conſtantes eſſent, attamen homines nimio metu, aut dolore perturbatos perfacilè labi & animum deſpondere. Iterum & tertiùm etiam ſimilia oravit Jeſus atque ad Apoſtolos rediens dormientes offendit, & caſtigavit, ſed animo tandem obfirmato, per ſe iis licere dormire dixit, ſéque eorum vigilia ampliùs indigere negavit; jam enim adeſſe temporis articulum, quo futurum erat, ut in manus improborum hominum traderetur. Cui tamen rei ſi adeſſe vellent, ſe ſequerentur, obviam proditori, qui jam adpropinquabat, proceſſuri. Omnia autem hæc ſingulari Providentiâ Divinâ facta videntur, cui facile alioqui fuiſſet Jeſu ſenſum omnem futuri doloris eripere, vel minuere, aut ne Romani, vel Judæi eum lædere ita poſſent, ut fecerunt, impedire. Verùm ſi ita res habuiſſet, non ſic enituiſſet virtus Chriſti, ut Deo pareret, mala, quorum acerrimum ſenſum habebat, patientis; nec ejus ſacrificii, quod ſine dolore obtuliſſet, tantum fuiſſet pretium; nec tanta vis exempli, ut homines ad ferendam, Evangelii causâ, mortem, cum quibuſvis tormentis ac cruciatibus conjunctam, adduceret. [4] Nihil enim mirum fuiſſet æquo animo tuliſſe eum ſupplicium, cujus dolorem non ſenſiſſet; nec exemplum acutiſſimos dolores ſentientibus proponi potuiſſet.

XLIV. VERUM ut ad proditorem ejus redeamus, noverat Judas in locum illum noctu ire ſolitum fuiſſe Jeſum; quia ſæpe, cum ceteris Diſcipulis & Magiſtro, illic fuerat. Itaque eò ire contendit, unà cum cohorte Romana & Synedrii adparitoribus armatis, atque inſtructis facibus & laternis; ut, ſi neceſſe eſſet, Jeſum in horti receſſibus, quos Lunæ, plenæ licèt, ſplendor minimè illuſtrabat, latentem inveſtigarent. Etiamnum loquente Jeſu, conſpectus eſt armatorum numerus, quem ducebat Judas; qui monuerat milites ſe Jeſum oſculo ſalutaturum, eúmque comprehendendum, quem ſic ſalutaſſet, & arctâ cuſtodiâ cinctum, ne elaberetur ex eorum manibus, ad Synedrium ducendum. Itaque accedens

3 *Qui ſolet, poſt gravem mœſtitiam* &c.] Multa ejus rei exempla congeſſit *Joannes Pricæus* ad *Apuleii* Lib. XI. notarum p. 660. quem adibunt ii, quibus hic Apoſtolorum ſopor mirus eſſe videbitur.

4 *Nihil enim mirum* &c.] Hæc contra *Docetas*, quomodo adpellantur, qui δοκῆσει tantùm paſſum eſſe Jeſum abſurdè contende-

cedens ad Jeſum. *Salve*, inquit, *Magiſter*; ſimúlque eum oſculatus eſt. Jeſus verò, *cur*, inquit, *amice*, *cum tanto ſatellitio venis? Siccine me blandâ ſalutatione prodis?* Tum converſus ad milites, quem quærerent eos interrogavit. Illi verò reſponderunt à ſe Jeſum Nazarenum quæri; quem ſe eſſe illico profeſſus eſt, cùm jam Judas, ſalutato Magiſtro, in eorum agmen retroceſſiſſet. At vix audiverant verba Jeſu, cùm, ſubito pavore divinitus eis immiſſo, regreſſi in humum adtoniti conciderunt. Quo tempore, tantùm abfuit ut Jeſus fugam capeſſeret, quod facilè poterat, ut contrà ad homines accederet, cósque denuo interrogaret quem quærerent. Ii cùm idem ac antea reſpondiſſent, repoſuit ſe Jeſum illum eſſe, quem inveſtigarent, cósque, qui aderant, dimittendos.

ANN. XXIX.

XLV. Igitur Tribunus, qui hoc tantùm in mandatis acceperat, Jeſum comprehenſum vinxit; quod cùm Apoſtoli viderent, duo ex iis, qui gladios habebant, quæſiverunt à Magiſtro an ſtrictis gladiis injuriam eſſent propulſaturi, & alter quidem eorum Petrus, minimè exſpectato reſponſo, enſe, Pontificis Maximi ſervo, cui nomen Malcho erat, dextram aurem amputavit. At Jeſus rem conſpicatus Petrum continuò juſſit gladium in vaginam recondere; nam ſine ejus opera futurum ut omnes, qui arma in ſe innocentem ceperant, hoſtilibus telis caderent. Quòd ſi vellet ſe vi, contra molitiones Judæorum & Romanorum, tueri, poſſe ſe accipere à Patre Cœleſti, non exercitum hominum, ſed vel duodecim legiones Angelorum, ac plures, ſi neceſſe eſſet; verùm ſe ſimile nihil tentaturum, quia conſtituerat implere vaticinia Prophetarum de ſua morte, atque ebibere calicem, quamvis amarum, qui ſibi à Patre porrigebatur. Tum tactam aurem Malchi è veſtigio curavit. E quibus dictis & factis, ſummam ejus manſuetudinem, divinámque ſimul poteſtatem intelligere potuiſſent Judæi qui aderant; niſi mens illis pravâ religione, quâ nihil exitialius, occæcata fuiſſet. Caſtigavit etiam leniſſimis verbis Principes aliquot Sacerdotum, Præfectos Templo & Synedros, qui unà cum militibus eò venerant, quòd armatam manum ad ſe capiendum adduxiſſent, quem poterant in Templo, in quo quotidie populum docebat, ſine armatorum auxilio, inermem comprehendere; ſubjecitque, ne facilem ejus comprehenſionem prudentiæ ſuæ adſignarent, capi ſe potuiſſe eo tempore, quia aderat hora, quâ Deus illis & Angelis tenebrarum id quod cupiebant exſequendi poteſtatem facere voluerat, ut priſcæ de ſua morte prophetiæ implerentur.

XLVI. Tum Jeſum illi vinctum duxerunt ad ædes Annæ, ſoceri Caïaphæ, Pontificis Maximi ejus anni; qui Annas Jeſum domum Caïaphæ amandavit, in quam Synedri multi convenerunt. Interea è longinquo

tendebant. Quod & nonnulli, in ceteris rectè ſentientes, imprudenter ſequuti ſunt, ut videre eſt ex *Clemente* Alexandrino, Stromateo VI. cujus verba adtulimus *Artis Criticæ* Tom. III. Ep. I. p. 18.

ANN. XXIX. ginquo Jeſum ſequuti erant Petrus & Joannes, Zebedæi F. qui cùm Pontifici Max. ejúſque familiæ notus eſſet, poſt Jeſum, in atrium domûs, facilè admiſſus eſt, & ut Petrus etiam admitteretur à janitrice impetravit. Eo in loco, cùm ad ignem, propter nocturnum frigus accenſum, ſe calefacerent, ab ancilla quadam agnitus Petrus, annon eſſet è Diſcipulis Jeſu Nazareni interrogatus eſt. Petrus verò territus, ſive ob indolem timidiorem, ſive quòd ſibi ob auriculam ſervi Pontificis Max. abſciſſam privatim timeret, ſe eſſe negavit; cúmque ex atrio in Domûs veſtibulum egreſſus eſſet, galli cantum primùm audivit. Tum ad ignem regreſſus, ab alia ancilla, quæ ad veſtibulum euntem viderat, & fortè anxium hominem eſſe è vultu intellexerat, ejuſdem rei inſimulatus eſt. Ille verò iterum ſe Jeſu Diſcipulum, addito etiam jurejurando, inficiatus eſt, ignotúmque ſibi hominem eſſe confirmavit. Deinde poſt elapſam circiter horam, unus è Pontificis Max. ſervis, ejus cui auris abſciſſa fuerat, cognatus, eum ſe, cum Jeſu, in horto Gethſemanes, vidiſſe dixit. Quo demum audito, Petrus, metu perturbatus, ſe, ſi Jeſum noſſet, diris devovere cœpit. Vix hæc dicere abſolverat, cùm gallus ſecundùm cecinit, Jeſúſque, qui tunc in aula erat, ad hominem converſus tacito adſpectu ſcelus, quod admiſerat, exprobravit. Quare Petrus, prædictionis Jeſu recordatus, doloréque & pœnitentiâ percitus, ſe ex atrio ejecit, atque amaris lacrimis delictum ſuum eluit. Debemus hæc candidæ ingenuitati Evangeliſtarum, qui ne Apoſtolorum quidem delicta diſſimularunt; ut ſibi ab iis alii etiam caverent, aut ſi ſuccubuiſſent, ſanctorum virorum reſipiſcentiam imitarentur. Numquam illi Religionem Chriſtianam diſſimulatione indigere putarunt, ut ſarta tecta maneret; uti nec Prophetæ olim umquam Judæorum, quicumque eſſent, paribus de cauſis, graviora peccata prætererant. Diſſimulationes ejuſmodi depravatarum ætatum & hominum artes fuere, magnanimitate Chriſtiana & fiducia Veri prorſus indignæ.

XLVII. Postea Jeſus vocatus in conclave, in quo Judæorum Proceres ſedebant, à Pontifice Max. de doctrina ſua, diſcipuliſque interrogatus eſt; cui reſpondit Jeſus, ſe omnes, qui ipſum audire cupierant, palam eſſe adloquutum, in Synagogis, & in Templo; nec quidquam, in occultis cœtibus, præterea dixiſſe; nec proinde cauſam ullam eſſe, cur ſe de doctrina interrogaret, quam ab auditoribus reſcire poterat. Ibi verò quidam ex adparitoribus colaphum ei impegit, non ſatis reverenter eum Pontifici reſpondiſſe cauſatus. At Jeſus, *ſi quid mali*, inquit, *dixi*, *oſtende quid ſit*; *ſin verò bene reſpondi*, *cur immerentem cædis?*

XLVIII. Principes autem Sacerdotum teſtes quærebant, ex quorum teſtimonio eum capitis accuſare, apud Procuratorem Cæſaris, poſſent,

5 *Paſchata vocari*] Oſtendit hoc *Sam. Bochartus* Hierozoici P. I. Lib. 2. C. L. quod ſi verum eſt, ut omnino videtur, Chriſtus comedit Paſcha eodem die ac Judæi,

poſſent, nec ullum inveniebant; nam multi quidem aderant falſi teſtes, ſed nulla ſat gravis erat criminatio, ut capitis reus fieret. Ergo non ſatis expediebant qui in Caïaphæ ædes convenerant, quâ criminatione reum agere poſſent. Poſtquàm verò illuxiſſet, integrum Synedrium Magnum in locum ſolitum convocatum eſt, atque in illum intromiſſo Jeſu, auditiſque teſtibus, nec Jeſu quidquam reponente; ſurrexit Pont. Maximus, & cur nihil reſponderet quæſivit. Jeſus verò non minùs ac antea tacuit. Tum plures alii Synedri interrogarunt an eſſet Meſſias, nec quidquam ab eo reſponſi tulerunt; niſi, ſi ſe Meſſiam profiteretur, ſibi propterea non credituros; neque, ſi quid viciſſim ab iis quæreret, reſponſuros; quamobrem à ſe quidquam illic dici operæ pretium non eſſe. At Pontifex Max. ut reſponſum exſculperet, interpoſito jurejurando, juſſit eum dicere an eſſet Meſſias, Dei Filius; iterúmque alii Synedri ut reſponderet urſerunt. Hîc verò Jeſus, jurisjurandi religione obſtrictus, *ſum*, inquit, *Meſſias*, *quem dicitis*, *& poſthac ſedens ad dextram inacceſſæ lucis*, *quâ Deus ſe præſentem in cœlo oſtendit*, *& deſcendens in terras*, *nubibus cinctus*, *conſpiciar*; *ita ut an ſim Meſſias obſcurum nemini futurum ſit.* Quibus auditis, Pontifex Maximus, quaſi minùs religioſa verba audiſſet, veſtem lacerat, Jeſúmque in Deum contumelioſè loquutum exclamat. Exin ad Synedrium converſus, teſtibus opus eſſe negat, & Synedrorum ſententiam rogat. Omnes impia verba proloquutum reſpondent, dignúmque eſſe, qui propterea capite pœnas luat. Adparitores verò, qui vinctum tenebant, ei tunc temporis ſputis & colaphis illuſerunt, capitéque veſtibus involuto, percuſſum jubebant divinare quis ſe feriiſſet, quandoquidem Meſſias, ac proinde Propheta erat; tum alia contumelioſa homines nequiſſimi oggerebant. Quæ leguntur apud Matthæum Cap. XXVI, 31. ad finem, XXVII, 1. Marc. XIV, 27. ad finem XV, 1. Lucam XXII, 40. ad finem, & Joann. XVIII, 1. ad 27. ANN. XXIX.

XLIX. Jesu damnato, è veſtigio conſurrexit Synedrium, rectáque ad Pilatum contendit, ut capitis ſupplicium reo infligi à Procuratore impetraret; nec tamen Prætorium ingreſſi ſunt Synedri, ne polluti excluderentur comeſtione ſalutarium victimarum, eo die mactandarum; quæ ſolebant, ut ceteræ, quæ per octo feſtos dies immolabantur, [5] *Paſchata* vocari. Monitus verò Pilatus Proceres Judæorum adeſſe, cum homine vincto, nec Prætorium tamen velle ingredi, Judaïcæ ſuperſtitioni, hac in re, indulgens, ad homines egreſſus eſt; à quibus, cujus ſceleris vinctum inſimularent, petivit. At illi ſubirati, quòd Pilatus videretur ſuſpicari innocentem eos perdere velle, reſponderunt niſi, eſſet homo facinoroſus, ſe ſupplicio adficiendum nequaquam tradi-

dæi, ac proinde non ſunt torquenda tria priora Evangelia, ut in concordiam cum hoc Joannis loco redigantur; cùm præſertim quidquid poteſt huic ſententiæ objici idem vir ſummus egregiè ſolverit.

ANN. XXIX. tradituros. Tum ille damnatum è Lege Judaïca plectere eos juſſit. Verùm illi jam à ſe reum capitis judicatum repoſuerunt, de quo ſupplicium à ſe capi leges Romanæ non ſinebant. Quâ ratione, contigit id quod Jeſus de genere mortis, quo è medio tollendus erat, prædixerat; Romani enim ſolebant vulgò peregrinos, vilioris ſortis, capitis reos in crucem tollere; non verò Judæi, quibus præterea demta erant capitalia judicia, quique in neminem gladio animadvertere tunc temporis poterant. Deinde cœperunt dicere ſibi compertum eſſe hominem Judæam Gentem ad res novas moliendas concitare, atque impedire ne tributa Cæſari ſolverentur, conatum; dum ſe Meſſiam, hoc eſt, Regem Judæorum dictitaret; ſive Jeſum putarent de regno terreſtri Meſſiæ idem ac ipſos ſenſiſſe, ſive merâ calumniâ eum, apud Procuratorem Cæſaris, perditum irent.

L. Jesus, qui coram Pilato ſtabat, tunc ab eo interrogatus an eſſet Rex Judæorum, ſe eſſe impavidè reſpondit. Interea Synedri multa crimina ei ingerebant, nec tamen ad eorum criminationes quidquam reſpondebat, quippe indignas, quæ ullo reſponſo diluerentur; præter quàm quòd nihil dicere, aut facere ſtatuerat Jeſus, quo morti ſubtrahere velle ſe videri poſſet. Pilatus verò, qui conſilii ejus rationem prorſus ignorabat, rogavit cur nihil reponeret, annon audiret crimina, quæ à Judæorum Proceribus ei objiciebantur? Verùm Jeſus ne hiſce quidem permoveri potuit, ut quidquam reſponderet; quod ejus ſilentium vehementer mirabatur Pilatus.

LI. Igitur ut reum, ſine tumultu, interrogare & ſilentii cauſam cognoſcere poſſet, in Prætorium regreſſus, dum foris Judaïcum Synedrium conſtiterat, ad ſe vocavit Jeſum, iterúmque ab eo quæſivit an re verâ eſſet Rex ille, quem Judæi exſpectabant? Jeſus verò viciſſim hominem interrogavit, utrum ſponte ſuâ & ſtudio veri cognoſcendi hoc ſciſcitaretur, an verò ab aliis monitus? At Pilatus commotior Judæum ſe eſſe negavit, Judaïcorúmque placitorum cognoſcendorum ullâ cupidine ſe tangi; addidítque, ſe interrogare Jeſum, eò quòd apud ſe accuſatus eſſet, ab ipſius popularibus & quidem Sacerdotum Principibus. Tum verò Jeſus, quandoquidem ſatis oſtendebat Pilatus nullius tumultûs ab eo excitati famam ad aures ſuas perveniſſe, verè dixit ſe Regem Judæorum vocari; ſed ejus regiæ ſuæ dignitatis eam non eſſe naturam, quæ vel minimam anxietatem Romanis creare poſſet; regnum enim ſuum, ut Romanum Imperium, terreſtre non eſſe. Si enim terreſtre eſſet, copias ſe contracturum fuiſſe, quæ acerrimè pro ſe pugnaſſent, ne in adverſariorum manus veniret. Quibus auditis, Pilatus, *es ergo*, inquit, *Rex*; quo nomine intellexiſſe videtur commenticiam neſcio quam dignitatem regiam, qualem Stoïci Sapienti ſuo, quem *Regem* dictitabant, tribuere ſoliti erant. Jeſus verò non falsò ſe ab eo Regem dici confirmavit; ſe enim propterea natum ut regnaret, atque ad homines veniſſe, ut eos Veritatem doceret, quam qui amaret, ſibi facilè ad-

adſenſurus eſſet. Extemplo interrogavit Pilatus, quamnam Jeſus veritatem doceret; nec tamen exſpectato reſponſo, & ſatis intelligens Jeſum, ad concitandam multitudinem minimè aptum eſſe, cùm præſertim nullam ejus operâ coortam vel minimam ſeditionem probè ſciret; egreſſus eſt ad Judæos, negavitque ſe ullius ſceleris reum Jeſum deprehendiſſe. ANN. XXIX.

LII. At illi vehementiùs inſtare, hominem doctrinâ ſua ad ſeditionem concitare Judæos dictitantes, eámque per totam Judæam, ne exceptâ quidem Jeroſolimâ, initio à Galilæa facto, ſparſiſſe. Pilatus, audito Galilææ nomine, an Galilæus eſſet percunctatus eſt. Quod cùm accepiſſet, ad Herodem Antipam, qui tunc temporis Jeroſolimæ erat, eum miſit; & accuſatores etiam ad Herodem earum rerum, quippe Galilææ Tetrarcham, peritiorem ire juſſit. Herodes verò, Jeſu conſpecto, valde lætatus eſt; à longo enim tempore, propter ea quæ de eo audiverat, cupierat eum videre, & ſe præſente, ab eo miraculum quodpiam editum iri ſperabat. Itaque multa ab eo quæſivit, ſed Jeſus hominem, curioſitatis tantùm causâ, non veri amore, ſe interrogantem nullo reſponſo dignatus eſt; cùm præſertim, nullâ ratione, mortem deprecari vellet. Interea nonnulli è Synedris, qui unà ad Herodem iverant, eum accuſare non deſinebant. At Herodes, cùm nullum verbum ab eo expromere potuiſſet, nec tamen quidquam animadvertiſſet, vel audiſſet, ex quo formidari poſſe eum intelligeret, contemtim habitum & à ſatellitio illuſum, indui albâ veſte juſſit, quaſi innocuum, atque ad Pilatum reduci. Antea ſimultas, Herodem inter & Procuratorem Cæſaris fuerat; ſed illo die, atque ex ea occaſione, amicitia inter eos reconciliata eſt.

LIII. Cum verò Pilatus reverſum ab Herode Jeſum, & quidem albâ veſte indutum vidiſſet, nec Tetrarchæ damnatum intelligeret, Synedrium & Populum Judæum ad Prætorium revocari jubet; quò cùm confluxiſſent, ſic eos eſt adloquutus: *Ad me adduxiſtis hominem vinctum, quaſi res novas molientem, attamen coram vobis & ſeorſim etiam interrogatum, criminis, quod ei impingitis, reum non comperi. Herodes quoque, Tetrarcha Galilææ, ex qua ortum hunc dicitis, hominem abſolvit. Itaque virgis cæſum, cùm graviora non ſit meritus, dimittam.*

LIV. Solebant autem Judææ Procuratores, Paſchatis tempore, ut Judæis gratificarentur, è ſceleris causâ vinctis dimittere quemcumque popoſciſſent. Cúmque tunc in vinculis eſſet inſignis latro, cui nomen erat Barrabæ, & qui captus erat cum aliis ſeditioſis, à quibus cædes admiſſa fuerat; plebs cœpit clamoribus à Pilato poſtulare, ut, pro more, captivum quempiam vinculis ſolveret. Ibi Pilatus utrum vellent dimitti, Barrabámne, an Jeſum, qui Rex Judæorum dicebatur, petiit. Noverat enim Jeſu mortem à Proceribus Judæorum expeti, non quòd ullius noxæ reus eſſet, ſed quòd ei exiſtimationem, quam ſibi miraculis & doctrinâ, apud plebem, pepererat inviderent; nam & antea fama Jeſu ad ejus aures perveniſſe videtur; cùm in Provinciis

ANN. XXIX. Romanis nihil memorabile contingeret, de quo Præſides non monerentur; ut viderent ne quid inde Reſpublica detrimenti caperet.

LV. Dum autem hæc gererentur, ad Pilatum, pro tribunali ſedentem, miſit uxor; qui oraret, ne quidquam contra innocentem illum virum, quem iniquiſſimâ accuſatione premebant Judæi, decernere vellet; aiebat enim ſe eâ nocte, hominis causâ, gravia paſſam, quòd videretur vir ſuus innocentem damnaſſe. Divinitus miſſum ad mulierem, fortè non improbam, ſomnium erat; quod ſi Pilatus adtendiſſet, importunis clamoribus Judæorum numquam ſe permoveri paſſus eſſet, ut nullius flagitii, &c. ne minimi quidem delicti reum, ad ſupplicium duci juberet. At Synedrium concitabat populum ut Jeſum occidi, Barrabam verò cædis & latrocinii, ut diximus, reum, dimitti poſceret. Verùm Pilatus, cùm innocentiâ Jeſu, tum uxoris ſomnio perculſus, & cupiens eum dimittere, iterum exclamavit, utrum liberari vellent, Jeſúmne ac Barrabam; quòd ſperaret multitudinem innocentiæ potiùs fauturam. Illa verò, ſubornata ac incenſa à Synedrio, Barrabam reſpondit. Tum Pilatus rogavit, quid ergo facturus eſſet Jeſu, qui Rex Judæorum dicebatur. Repoſuit iterum plebs Jeroſolimitana, nolle ſe Jeſum dimitti, ſed in crucem tolli. Pilatus verò ejus iram mollire conatus, ſe ullius ſceleris reum deprehendiſſe negabat; quod ex Romanis legibus pœnas capite luere oporteret. Addebat ſatis ſupplicii daturum, ſi quid delicti admiſiſſet, virgis cæſum; quo facto, ſibi dimittendum videri. Sed Judæi cùm Proceres, tum etiam plebs magnis clamoribus, ut in crucem tolleretur, flagitare pergebant.

LVI. Attamen ſe iis vociferationibus vinci paſſus non eſt Pilatus, ſed aliquamdiu in ſententia perſtitit, juſſitque Jeſum virgis cædi, ſperans fore ut Judæi ſibi eâ pœnâ ſatisfieri paterentur. Videtur exiſtimaſſe eam plebis partem, quæ Jeſu favebat, contrariis clamoribus vitam ejus à ſe flagitaturam; ſed auctoritate Sacerdotum deterrita, ſibique ab iis timens, Magiſtro à cujus ore pependerat, cujúsque tot miracula viderat, adeſſe, apud Procuratoris Cæſaris tribunal, non ſuſtinuit. Nec res contigit, ſine Providentia Divina, quæ id tempus delegerat, quo Jeſus ſemet ipſe, quaſi victimam, quâ humani generis peccata expiarentur, offerret; quò morte ſuâ, quam priorem eſſe reſurrectione oportebat, reſurrectionéque, veritatem Evangelii in clara luce poneret; & quò denique conſtantiæ ſingulare exemplum ſuis, ſimilia fortiter paſſuris, ad tuendam Veritatem, præberet.

LVII. Milites Romani non id modò, quod juſſi erant, exſequuti ſunt, ſed & præterea, inhumanitate militari, flagris ludibrium addiderunt; coronam enim ſpinis contextam capiti Jeſu impoſuerunt, eúmque ſagulo purpureo induerunt. Tum illudentes ſalutabant Regem Judæorum, & colaphis cædebant. Quo tempore, è Prætorio egreſſus iterum Pilatus, juſſo Jeſu ſe ſequi, dixit Judæis ſe ad eos exire, ut palam teſtaretur Jeſum ſibi innocentem videri, &, ſuo quidem judicio,

ſatis

ſatis ſupérque nunc eſſe ſupplicii de eo ſumtum, ſi qua in re Judæos offendiſſet, cùm virgis eſſet cæſus. Simul egreſſus eſt Jeſus, coronam ſpineam geſtans, & purpureo ſagulo indutus; quem Judæis oſtendit Pilatus, ut eorum miſericordiam moveret; ſi fortè tangi poſſent, pœnis & ludibriis, quibus ſine cauſa eorum popularis adfectus fuerat. At cùm Jeſum viderunt Sacerdotes, eorúmque miniſtri, qui eò concurrerant, ut mortem ejus importunâ vociferatione Procuratori Cæſaris extorquerent, iterum cœperunt crucem ei expoſcere. Igitur Pilatus juſſit ipſos Jeſum in crucem tollere; nam ad ſe quidem quod adtinebat, nullius flagitii reum eſſe cenſere. Verùm Judæi, qui non audebant jura Procuratoris invadere, ad quem ſolum capitalia judicia pertinebant, repoſuerunt ſibi eſſe leges patrias, quibus per edicta Cæſarum, inter ſe atque in ſuos uti licebat; ex iis autem legibus, Jeſum mortis reum eſſe, cùm ſe Filium Dei, ſeu Meſſiam eſſe finxiſſet. Quod cùm audiviſſet Pilatus, ad quem ut diximus, miraculorum Jeſu fama pervenerat, magis ac magis timuit, ne virum, à Deo genitum, quales multi fuiſſe credebantur ab Ethnicis, eúmque innocentem, damnare à Judæis cogeretur. ANN. XXIX.

LVIII. Igitur ingreſſus Prætorium, Jeſum ad ſe denuò vocavit, interrogavitque unde ortum duceret, ut cognoſceret quis tandem ille vir eſſet, de quo tam mira prædicabantur, & quem Proceres Judæorum, quamvis nullius criminis convictum, uſque adeò è medio ſublatum cupiebant. Ad hæc Jeſus nihil quidquam, ne mortem vitare velle videretur, reſpondere voluit. Ibi verò Pilatus, *nihil*, inquit, *quæſitis meis reſpondes? An neſcis me eâ poteſtate eſſe inſtructum, ut poſſim jubere te in crucem tolli, aut dimitti, quidquid tumultuentur Judæi?* Tum verò reſpondit Jeſus, Pilato nullam futuram fuiſſe in ſe poteſtatem, niſi Deo ſe illi permittere viſum eſſet. *Verùm hæc*, ait, *aliáque ejuſmodi, quæ Judæos non fugiunt, ignoras, ideóque magis illi in juſtitiam delinquunt, quàm tu; qui tamen gratiæ Judæorum, quàm legum, majorem rationem habuiſti, cùm me innocentem, ut fateris, virgis cædi juſſeris.* Quæ cùm animo expenderet Pilatus, Jeſum quidem graviori pœnæ eximere voluiſſet; ſed Judæi non poſſe hominem dimitti clamitabant, niſi ab inimico Cæſaris; cùm quicumque ſe Regem Provinciæ Romanæ diceret, non conſentiente Cæſare, Cæſaris hoſtis habendus eſſet. Hiſce tamen clamoribus, non uſque adeò territus fuit Pilatus, ut propterea deſierit prorſus tentare Judæis Jeſum eripere. Iterum produxit eum ad populum, & pro Tribunali ipſe ſedit, in platea lapidibus conſtrata, quæ Gabbatha dicebatur. (Erat autem dies Veneris VII. Cal. Apriles idémque dies Paſchatis, qui, more Judaïco, à præcedente veſpera cœperat) Tum Judæis, *en*, inquit, *Regem veſtrum!* Divinâ Providentiâ, ore hominis Ethnici, eos docente quid de Jeſu eſſet credendum, & ad juſtitiam atque humanitatem revocante. At illi, irâ & ſuperſtitione occæcati, pervicaciùs clamabant in crucem eſſe tollendum. Rurſus

ANN. XXIX. verò Pilatus, ut, ſi quis fortè contrarius clamor à plebe oriretur, Jeſum incolumem ſervaret, *an ego*, inquit, *Regem veſtrum cruci figam?* quaſi Deus Judæis nefarium ſcelus, quo capita ſua obſtringebant, exprobraſſet. Sed Sacerdotum principes repoſuerunt, nullum ſibi Regem eſſe, præter Cæſarem.

LIX. Tandem igitur intelligens ſe nullâ ratione Judæorum iram poſſe mitigare, ſed eos magis ac magis incendi; ut palam eſſet ipſo invito Jeſum ad mortem damnari, juſſit ad ſe in Tribunal, aquam adferri; quâ adlatâ, abluit manus, additis hiſce verbis: *auctor non ſum necis innocentis hujuſce viri*; *vos verò videritis*, *ut pervicaciæ & iniquitatis veſtræ rationem reddere poſſitis.* Ibi univerſa multitudo: *ſi eſt innocens*, *pœna hujus ſupplicii à nobis*, *liberiſque noſtris repetantur.* Quâ nefariâ voce, Divinæ Juſtitiæ ſua ac ſuorum capita obligarunt.

LX. Itaque Pilatus, cùm cuperet, pro more, Judæis die feſto gratificari, ſolvi Barrabam, cædis ac ſeditionis reum, quem ſibi concedi poſtulaverant, & cùm jam Jeſum virgis cecîdiſſet, in crucem tollendum à militibus duci juſſit. Illi verò, coactâ integrâ cohorte, iterum ei illudere cœperunt, nudatóque veſtibus, quas in Prætorium ingreſſus denuo induerat, ſagulum purpureum, ut antea, injecerunt, coronámque ſpineam capiti impoſuerunt & calamum dextrâ, quaſi ſceptrum, gerendum dederunt. Tum tamquam Regem adoraturi genua coram eo flectebant, Regémque Judæorum ſalutabant. Deinde, erepto ei calamo, caput ejus tundebant atque inſpuebant. Poſtquàm verò, immanitate militari, damnato illuſiſſent, ſagulo purpureo exutum priſtinis veſtibus induerunt, atque in locum ſupplicii duxerunt.

LXI. Cum verò Judas Magiſtrum vidiſſet à Pilato ad crucem damnatum, quem fortè ſperaverat, ut antea fecerat, elapſurum, conſcientiâ ſceleris agitatum turpiſſimæ & crudeliſſimæ proditionis pœnituit. Quod ut teſtatum faceret, ſe ad Synedrium contulit, ut triginta ſiclos, quos ab eo proditionis præmium acceperat, reſtitueret, *& peccavi*, inquit, *cùm vobis innocentem Magiſtrum prodidi.* Homines verò flagitioſi, quaſi ejuſdem ſceleris minimè participes fuiſſent, *hoc*, inquiunt, *ad nos nihil pertinet*, *tu quid tibi faciendum ſit videris.* Itaque Judas, projectis in medium Templum nummis, abiit, ac ſe ſe deſperatione adactus ex edito loco ſuſpendit; unde, rupto laqueo delapſi, lacerato ventre, viſcera omnia ſunt effuſa. Interim Sacerdotes projectos ab eo nummos ſuſtulerant, cúmque pollutam hanc eſſe pecuniam cenſerent, quòd emendæ proditioni, hominis occidendi cauſâ, numerata fuiſſet, ſacro Ærario inferre religioni duxerunt. Igitur eâ emerunt agrum Figuli, in quo poſtea ſepelirentur peregrini, qui Jeroſolimæ mortem obirent. Quod omnibus urbis incolis ita innotuit, ut, ab eo tempore, ager ille dictus fuerit, Jeroſolimitanâ Linguâ, *Hakeldama*, hoc eſt, *prædium ſanguinis.* Quæ ſcriptis mandata ſunt à Matthæo C. XXVII, 2. ad 32. Marco XV, 1. ad 23. Luca XXIII, 1. ad 25. & Joanne XVIII, 28. ad XIX, 27.

LXII.

LXII. Cum duceretur Jeſus à militibus, in locum qui Calvariæ, ſeu Jeroſolimitarum linguâ *Golgotha* vocabatur, bajulanda ei impoſita eſt crux, in quam tollendus erat. Sed propter defatigationem noctis & diei, quâ vires ejus exhauſtæ fuerant, ei oneri par non fuit. Quare milites Simonem quemdam, Judæum Cyrenenſem, fortè rure tunc temporis redeuntem, humeros oneri ſubjicere coëgerunt. Pater is fuit Alexandri & Rufi, hominum, eo tempore, ſat notorum. Interea ingens turba omnis generis hominum, ut ſolet, Jeſum ſequebatur, & mulieres quidem multæ Jeroſolimitides doctrinæ, miraculorúmque ejus minimè ignaræ, graviſſimo planctu eum lugebant. Ad quas converſus Jeſus, monuit non eſſe cur ejus causâ lugerent, ſed ſuas ipſarum & liberorum ſuorum deflendas calamitates, quæ jam inſtabant. ANN. XXIX.

LXIII. Simul cum Jeſu ducebantur facinoroſi duo viri, unà cruci figendi; qui cùm veniſſent ad locum Calvariæ, cruces ſunt tres terræ depactæ & omnia ad ſupplicium parata. Tum obtulerunt milites Jeſu acetum, myrrhâ miſtum, quo potu animi reorum exſternabantur, ne dolores uſque adeò ſentirent. Sed cùm deguſtaſſet oblatum, noluit ampliùs bibere. Itaque eum veſtibus exuerunt, atque in crucem ſuſtulerunt. Tum veſtimenta ei detracta in quatuor partes diviſerunt, ita ut quatuor milites, qui carnificum munere fungebantur, ſinguli partem ſibi vindicarent. Sed ſupererat tunica, à ſuperiore ora ad inferiorem ita contexta, ut nulla in ea eſſet ſutura, quam milites noluerunt dividere, ſed de qua ſortes jecerunt; ut tota ejus unius eſſet, cui ſors faviſſet. Quatuor autem illi milites, poſtquàm damnatos cruci fixiſſent, non procul ſedebant à crucibus; quas ſervare juſſi erant, ne fortè homines iis adfixi ab amicis raperentur.

LXIV. Pilatus autem curaverat ſummæ cruci Jeſu, ſupra pendentis caput, addi inſcriptionem, Romanâ, Græcâ & Jeroſolimitanâ Linguâ, cujus hæc verba erant: HIC EST JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; quæ permulti legerunt, cùm intelligi poſſent à quovis, qui vel unius trium harum Linguarum peritus eſſet. Quare Sacerdotum principes Pilatum orarunt, ut inſcriptionem mutari juberet, ſcriberétque: *hic eſt Jeſus Nazarenus, qui ſe Judæorum Regem dixit.* At Pilatus ſe quidquam mutaturum negavit; ita ut Divinâ Providentiâ factum ſit, ut ab Ethnico quiſnam reverâ Jeſus eſſet habendus, hoc etiam titulo, acciperent Judæi, ac furoris ſui exprobrationem legerent.

LXV. Erat autem, ut numerabant Veteres, hora ab ortu ſolis circiter tertia, quando Jeſus in crucem eſt ſublatus. Latrones verò duo, hinc atque inde ſingulis crucibus adfixi fuerant. At Jeſus pro diris imprecationibus, quibus digni erant crudeles ac contumaces Judæi, Deum orabat, ut ne meritas pœnas à Gente ſumeret, eò quòd multi ignorantiâ peccarent; quamvis à non paucis immani petulantiâ irrideretur, quaſi ſatis liqueret eum non eſſe Meſſiam, quòd à Deo inimicorum manibus ereptus non eſſet. Quin & alter latronum contumelioſè ab eo petebat, ut, ſi Meſ-

ſias

ANN. XXIX. ſias eſſet, ſe & ipſos liberaret. Verùm alter ſceleratum hominem objurgabat, quòd, cùm reus eſſet, innocenti illuderet; unde intelligere eſt Jeſum alteri latronum non fuiſſe ignotum, à quo fortaſſe ad meliorem mentem adductus fuerat, quamvis latrocinii antea commiſſi pœnas fugere non potuiſſet. Sequentia ejus certè verba oſtendunt hominem de regno Jeſu rectè fuiſſe inſtitutum, cùm ita pendentem adloquutus ſit: *ô Domine*, inquit, *cùm regni tibi à Deo promiſſi poſſeſſionem adiveris, memor eſto mei.* Quibus reſpondit illico Jeſus, propter inſignem hanc ſuam fidem, illo ipſo die, ſecum in beatis ſedibus, in quas piorum animi, poſt corporis mortem, transferuntur, futurum.

LXVI. Eo tempore, ad crucem Jeſu ſtabant Maria ejus mater, ſoror matris Maria Cleopæ, & Maria Magdalena, cum Joanne Zebedæi F. Quos conſpicatus Jeſus, hiſce verbis matrem ſolatus eſt: *Mulier, hic* (Joannem deſignans) *tibi erit filii inſtar, qui ſenectutis tuæ curam geret.* Diſcipulum verò illum juſſit eam matris loco habere & colere; ac ſanè, ab eo tempore, Joannes Mariam ſecum habitare voluit, & haud ſecus ac matrem ſuam reveritus eſt.

LXVII. Cum verò Jeſus pependiſſet è cruce, per tres horas, circa horam ſextam, denſa ac tenebricoſa nebula toti terræ Judææ ſubitò incubuit, ita ut Sol per tres horas conſpici non poſſet; neque enim ex Naturæ legibus Eclipſis eſſe potuit, cùm Luna in oppoſitione verſaretur. Præſtantiſſimi quidem Chronologi ad hunc annum poſſe referri maximam Eclipſin, [6] cujus meminerat *Phlegon* Trallianus, Hadriani Imp. libertus, in Chronologicorum libro, oſtenderunt. Sed diei ac menſis, quo contigerat, nulla mentio; nec, ut dixi, interpoſitu Lunæ Eclipſis Solis fieri tempore Paſchatis; nec ſi Luna in conjunctione fuiſſet, per tres horas Eclipſis eſſe potuit, cujus initium & finis duabus horis continetur. Sed non facta eſt, inquiunt, ſine inſigni Divinæ Potentiæ miraculo, quod facilè, de obtenebratione Solis, concedimus; quæ inuſitatâ denſatione nebularum, aut nubium contingere faciliùs potuit, & toti, non terrarum orbi, ſed Judææ ſoli caliginem offudit.

LXVIII. Hora verò nonâ, magnâ voce exclamavit Jeſus linguâ Hebraïcâ, præ dolorum magnitudine: *ô Deus mi, ô Deus mi, cur me dereliquiſti?* non quòd animum deſponderet, aut de Patris amore, cui per omnia ſemper paruerat, vel minimùm dubitaret. Hoc tantùm voluit, non minores fuiſſe cruciatus, quos ſentiebat, quàm eorum qui à Deo hominum ſævitiæ prorſus permittuntur. Quo dolorum acerrimo ſenſu, qui Chriſto hæc verba expreſſit, dum augeretur pretium ſacrificii, quod Patri offerebat, non parum confirmabatur doctrinæ ejus veritas quam tantâ conſtantiâ tuebatur; nec exigua vis exemplo, quod ſuis ad ſimilia

6 *Cujus meminerat Phlegon Trallianus* &c.] Vide *Antonium Pagium* ad Annum Chriſti XXXII, 11. Optandum eſſet exſtare eum librum *Phlegontis*, ut videremus an ſatis providè ſint ejus verba à Chriſtianis adducta. Certè Eclipſis Solis, ex interpoſitio-

milia æquo animo ferenda præbere voluit, addebatur. Quidam verò ex iis, qui aderant, nec ſatis ſubitum hunc ejus clamorem adtenderant, non Deum, quem *Elohi*, hoc eſt, *Deus mi*, Jeroſolimitanâ dialecto, adpellaverat, ſed *Eliam* Prophetam ab eo vocatum putarunt. Unus igitur ex iis ſpongiam aceto madefecit, calamóque extremo adligatam ori Jeſu admovit, ut nonnihil reficeretur; donec veniret Elias, quem vocatum temerè crediderat, ut videret an Propheta, quem norant anteambulonem, atque adjutorem Meſſiæ futurum fuiſſe, eum liberaturus eſſet. ANN. XXIX.

LXIX. Jesus verò, perpeſſionum ſuarum finem inſtare intelligens, animum recollegit & ſe ſitire dixit. Poſitum autem illic fuit vas, in quo erat acetum myrrhâ miſtum, de quo diximus & quo ſpongiam adſtantium quiſpiam imbuit, deinde vinctam extremo hyſſopi ſcapo ejus ori admovit. Jeſus ſpongiam ſuxit, dixitque ſe omnibus eſſe defunctum, & paullò pòſt, cùm clarâ voce hæc pronunciaſſet: *ô Pater animum meum apud te depono*; capite inclinato, animam efflavit.

LXX. Eodem tempore, mira prodigia contigerunt, nam velum illud, quod Adytum à Sacrario, in Templo, ſecernebat, à ſumma ora ad infimam, in duas partes ſciſſum eſt; factus eſt terræ motus tantus, ut rupes concuſſæ diſſilierint; monumenta non pauca reſerata ſunt, atque ſanctorum virorum cadavera, quæ in iis jacuerant, excitata, poſt ejus reſurrectionem, & Jeroſolimam ingreſſa, multis conſpicua facta ſunt. At Centurio & tres milites, quibus in crucem ſublatorum ſervandorum cura mandata fuerat, cùm ſenſiſſent terræ motum, qui extremam vocem, & mortem Jeſu ſequutus fuerat, poſt trium horarum denſiſſimas tenebras, ſummopere territi ſunt & verum palam profeſſi, exclamarunt ſine dubio innocentem fuiſſe Jeſum ac verè Dei filium, quem ſe ipſe dixerat; nec minùs perculſa eſt aliorum, qui aderant, multitudo, quæ pectus tundens Jeroſolimam rediit. Erant etiam illic è longinquo ſpectantes religioſæ mulieres, inter quas Maria Magdalena, Maria Jacobi & Joſæ mater, Maria uxor Zebedæi & Salome; quæ Jeſum ſolebant per Galilæam adſectari, eique & Apoſtolis neceſſaria miniſteria exhibere, & quæ Jeroſolimam, ad feſtum, unà cum illis, venerant; ut & aliæ multæ, quæ Jeſu fidem habuerant.

LXXI. Cum autem eſſet, ut diximus, dies Veneris, quem præparationem Sabbathi vocare ſolebant Judæi, Sabbathúmque ſequens ſollemniùs celebraretur, quod in unum ex octo diebus Paſchalibus incideret; Proceres Judæorum Pilatum adiere, ut antequàm Sabbathum inchoaretur, crucifixis, pro more, crura frangerentur; ne, cadaveribus noctu è cruce pendentibus, pollueretur Jeroſolimitanus ager. Conceſſit Pilatus quod petebant & miſſi quidem milites utriuſque latronis etiam-

ſitione Lunæ, propriè dicta, hoc tempore, non contigit. Si verò inſolitam Solis obſcurationem dicere voluiſſet, rem vix omiſiſſent Scriptores Chriſtiani, quorum maximè intererat hoc notari.

ANN. XXIX. etiamnum viventis crura, ut mortem miſerorum accelerarent, fregerunt; ſed cùm ad Jeſum veniſſent, mortuúmque jam eſſe animadverterent, frangi illi crura neceſſe non eſſe exiſtimarunt; verùm unus militum lanceâ latus ejus confodit, atque ex eo vulnere ſanguis & ſerum erupere; quæ, ut quidem Anatomici cenſent, è Pericardio, lanceæ acumine perforato, defluxere. Quod vidit Joannes, Zebedæi Filius, qui rem ſcriptis mandavit, unde Jeſum verè mortuum eſſe liqueret.

LXXII. Sub veſperam verò, jam inſtante Sabbatho, Joſephus Arimathæenſis, vir probus & religioſus, idémque Magni Synedrii adſeſſor; qui exſpectabat regnum Meſſiæ, neque cum Synedrio, de opprimendo Jeſu, ſenſerat, quamquam metu Collegarum diſſimulabat; is, inquam, Joſephus, majore paullò conceptâ fiduciâ, ad Pilatum ſe contulit, atque ab eo ut ſibi cadaver Jeſu ſepelire liceret petiit. Aderat illi etiam Nicodemus, à quo aliquando noctu conventum Jeſum narravimus; qui ſibi comparaverat centum circiter libras unguenti, myrrhâ & aloë confecti, quo cadaver condîret. Cùm hoc peteretur à Pilato, dicebatur Jeſus dudum animam efflaſſe; quod miratus ille tam citò factum, an ita res haberet quæſivit à Centurione, qui cuſtodiæ reorum præfectus fuerat; à quo cùm verum eſſe accepiſſet, Joſepho auferendi, ac ſepeliendi cadaveris poteſtatem fecit. Joſephus, ſine mora, ad Calvariam properavit, idque è cruce detraxit, ac mundâ ſindone involutum, &, more Judaïco, aromatibus à Nicodemo perfuſum ad ſepulcrum ſuum tranſtulit. Hoc autem erat in horto Calvariæ vicino, nec certè poterat cadaver in locum remotiorem ferri; quòd, extremâ fermè luce diei Veneris, Sabbathum inſtaret. Illic igitur depoſitus Jeſus, in monumento, quod nuper ſibi in rupe excavari Joſephus curaverat, & cui nullum adhuc cadaver illatum fuerat; quod non ſine Divina Providentia factum, ne fortè Jeſus, contactu oſſium Prophetæ cujuſpiam, excitatus putaretur. Oſtio verò monumenti curavit Joſephus ingentem lapidem advolvi; quo peracto, in urbem rediit. Quæ Hiſtoria exſtat apud Matthæum Cap. XXVII, 32. ad finem, Marcum XV, 21. ad finem, Lucam XXIII, 26. ad finem & Joan. XIX, 17. ad finem.

LXXIII. Dum Joſephus cadaver Jeſu ſepulcro conderet, aderant Maria Magdalena & Joſæ mater, aliæque mulieres Jeſum è Galilæa ſequutæ; quæ interea è regione ſepulcri ſederant, ut quo loco, & quomodo ſepeliretur viderent. Tum Jeroſolimam properè reverſæ aromata, ante ſolis occaſum, atque unguenta emerunt, quibus iterum cadaver Jeſu condirent, poſtquàm Sabbathi feriæ præteriiſſent. Qua in re, earum cura, ut ex amico quidem animo profecta, vituperari non poterat; ſed religioſas mulieres oſtendebat, quod tam ſæpe de reſurrectione ſua prædixerat Jeſus, minimè adſequutas fuiſſe. Alioqui ſoli Deo, qui Filium excitaturus erat, conſervandi & à putrefactione defendendi cadaveris ejus rationem permiſiſſent.

LXXIV.

LXXIV. At die Sabbathi, Proceres Judæorum Pilatum convenere, cui dixerunt ſe meminiſſe impoſtorem illum (ſic conſcelerati homines Jeſum vocabant) qui in crucem pridie ejus diei ſublatus fuerat, jactaſſe, cùm in vivis eſſet, ſe intra triduum excitatum iri. Quare orare ſe Pilatum, ut ſepulcrum diligenter ſervari juberet, donec dies tertius elapſus eſſet; ne fortè diſcipuli ejus, ablato Magiſtri cadavere, excitatum è mortuis fuiſſe in vulgus ſpargerent; qui poſterior error gravior ac curatu difficilior futurus eſſet priore, quo multi Jeſum divinitus ad homines miſſum exiſtimaverant. Tum Pilatus, *habetis*, inquit, *cohortem, quæ in Porticibus Templi excubat; ex ea, prout videbitur, milites evocate, qui ſepulcrum Jeſu ſervent.* Quâ poteſtate acceptâ, Proceres Judæorum iverunt ad monumentum, cum aliquot militibus, qui lapidem oſtio advolutum ſigillo munierunt; idque, ad tertium uſque diem, prout cupiebant Judæi, ſervare adgreſſi ſunt. ANN. XXIX.

LXXV. Die verò Solis V Cal. Apriles, ſummo mane, antequàm Sol ortus eſſet, circiter triginta ſex horis, aut paullò pluribus, poſtquàm cadaver Jeſu ſepulcro illatum fuerat, Maria Magdalena, Maria Jacobi mater & Salome, aliæque mulieres, ſumtis aromatibus, quæ, ut diximus, ſibi die Veneris, comparaverant, ad monumentum ſe contulerunt; ad quod, orto demum ſole, pervenerunt. Inter eundum quæſiverant, inter ſe, cujus opera uti poſſent, ad revolvendum ingentem lapidem, quem monumenti oſtio objici viderant. Verùm interea orta eſt magna venti procella, deſcendítque Angelus è cœlo; qui lapidem revolvit, & poſtquàm Jeſus, relictâ illic ſindone, quâ involutus fuerat, vivus egreſſus eſſet, in monumento formâ humanâ indutus ſedit. Cùm ergo acceſſiſſent mulieres, viderunt ſepulcrum, revoluto lapide, cui vir inſidebat, apertum fuiſſe. Itaque monumentum ingreſſæ nullum invenerunt cadaver, ſed tantùm adoleſcentem candidis veſtibus indutum, ad dextram ſepulcri ſedentem. Cùm verò conſilii inopiâ egreſſæ laborarent, neſciæ quò cadaver tranſlatum eſſet, adſtiterunt iis duo viri, candidiſſimis veſtibus induti; qui Angeli erant, quorum alterum diximus revoluto lapidi inſediſſe, alterum intra monumentum fuiſſe, & quorum adſpectu milites, qui cuſtodiæ ſepulcri præfecti fuerant, uſque adeò territi erant, ut mortuis, quàm vivis hominibus, ſimiliores eſſent. Nec mulieres, iis propiùs conſpectis, exiguo timore perculſæ ſunt; verùm pavidas atque oculos contrà tollere non audentes adloquutus eſt alter Angelorum, *& bono*, inquit, *animo eſtote; ſcio enim à vobis quæri Jeſum Nazarenum, in crucem antea ſublatum, deinde hîc ſepultum. Sed in hoc monumento ampliùs non eſt; ſicuti enim ipſe prædixerat, reſurrexit. Inſpicite diligentiùs, ſi vultis locum, in quo repoſitus fuerat, ſed cavete ne viventem inter mortuos quæratis. Hoc loco relicto, ad vitam rediit, quod ab ipſo prænunciatum, dum etiamnum eſſet in Galilæa, poteſtis meminiſſe. Aperte enim dixit, fore ut traderetur in poteſtatem Ethnicorum, tolleretur in crucem, moreretur, ac tertio die reſurgeret. At*

ANN. XXIX. *nunc ad ejus Apoſtolos properate, ut iis Magiſtrum è mortuis excitatum nuncietis, præiturúmque mox in Galilæam, atque illic iterum iis conſpicuum fore, quemadmodum ante mortem præmonuit. Quæ à me vobis dicta fuiſſe facite ut memineritis.*

LXXVI. Hic mulieres recordatæ ſunt Jeſum re verâ prædixiſſe ſe tertio die excitatum iri, ac properè è loco, in quo ſitum erat ſepulcrum, egreſſæ, animo metum inter & gaudium diſtracto, abierunt, nec obvio ulli, iram Synedrii veritæ, quod ſibi contigerat narrarunt. Convenerunt quàm primùm Apoſtolos, ceteróſque Diſcipulos Jeſu, quibus nunciarunt quid ab Angelis accepiſſent. Verùm, ad hoc tempus, uſque adeò hebetes fuerant Apoſtoli, ut ſæpiùs repetitæ prædictionis Chriſti immemores, aut ſenſum minimè adſequuti, à mulieribus ſomnia ſibi narrari exiſtimarent; quamvis à Magiſtro non unum mortuum ad vitam revocatum vidiſſent, quaſi facilius fuiſſet mortuum alium à vivo Propheta excitari, quàm mortuum Prophetam à Deo! At Maria Magdalena ſeorſim Petro ac Joanni confirmavit ſe vacuum monumentum vidiſſe; ac Jeſu cadaver, niſi reſurrexiſſet, ablatum illinc fuiſſe, nec ſe poſſe ſuſpicari ubi reponi potuiſſet. Quibus auditis, Petrus & Joannes feſtinanter ad ſepulcrum ſe contulerunt, ut an vera narraret mulier viderent. Joannes, qui junior erat, prior ad locum pervenit, capitéque inclinato, ut per humilius monumenti oſtium introſpiceret, vidit quidem linteum, quo cadaver Jeſu involutum fuerat, ſed præterea nihil, neque enim monumentum ingreſſus eſt. At Petrus, eum proximè ſequutus, ingredi voluit, viditque linteum idem jacens & præterea ſudarium, quo caput Jeſu tectum fuerat, ſeorſim poſitum & convolutum. Tum verò Joannes, omnibus luſtratis, non dubitavit ampliùs quin verè dixiſſet Maria Magdalena, Jeſu corpus ablatum aliò fuiſſe; nam, ut ipſe Joannes prodidit, nondum adſequuti erant Apoſtoli vaticinia, ex quibus Jeſum reſurrecturum fuiſſe intelligere potuiſſent. Itaque à monumento domum redierunt Petrus & Joannes, nec poterant quid factum eſſet cadavere Magiſtri conjiciendo exputare.

LXXVII. Maria verò, quæ cum iis venerat, luctui indulgens, conſtitit ad monumentum, jámque duobus Apoſtolis digreſſis, ſola, incurvato corpore, per oſtium ſepulcri, quaſi dolorem ſolatura, introſpexit. Ecce verò iterum duos Angelos, candidis veſtibus indutos, quos intra monumentum ſedentes vidit, & qui mulieri, *cur*, inquiunt, *lacrimaris? Quia*, inquit illa luctu perturbata, nec eos agnoſcens, verborúmque ab iis auditorum immemor, *ablatum eſt hinc Domini mei cadaver, nec ſcire poſſum ubi repoſitum fuerit.* Quibus dictis, converſa ipſum Jeſum adſtantem vidit, ſed præ mœrore minimè agnovit. Tum illi Jeſus, *mulier*, inquit, *quare fles, quémve hîc quæris?* Maria verò hortulanum eſſe rata, *Domine*, ait, *ſi id hinc abſtuliſti, dic mihi, quæſo, ubi depoſueris; ut in commodiorem locum transferam, nec ampliùs moveatur*; quæ verba oſtendunt eam, quia videbat Apoſtolos verbis Angelo-

gelorum fidem detrahentes, quòd homines eſſe putarent, in priſtinam opinionem, de Chriſto etiamnum mortuo, recidiſſe. At Jeſus mulierem nomine adpellavit, quâ compellatione perculſa, & eum, qui ſe adloquebatur & cui ſe ignotam putabat, adtentiùs intuita, Jeſum eſſe vidit; Magiſtróque, ut ſolebat, ſalutato, pedes ejus, ad eos accedens, complecti voluit. At Jeſus, *ne me tangas*, inquit, *néve hîc morêris, dum mihi reverentiæ atque amicitiæ ſigna exhibes; nam me poſthac tangere poteris, nondum enim ad Patrem adſcendam; ſed properè ito ad Diſcipulos, quos fratrum loco habeo, iiſque me tibi conſpicuum factum eſſe nuncia, ac dixiſſe me brevi, ex hiſce terris, ad beatas ſedes, in quibus Pater ac Deus communis omnium noſtrûm, ſingulari ratione præſentem ſe præbet, adſcenſurum.* Quod mandatum properè exſequuta eſt Maria, cui omnium primæ, poſt reſurrectionem, videndum ſe præbuit Jeſus. Quæ omnia habentur apud Matthæum C. XXVIII, 1. ad 8. Marcum XVI, 1. ad 8. Lucam XXIV, 1. ad 12. & Joannem XX, 1. ad 17. ANN. XXIX.

LXXVIII. VERUM Mariæ, quæ viderat & audiverat narranti, nulla fides habita eſt, uſque adeò difficile erat rem iis perſuaderi; unde, quamvis pervicacia minimè laudari poſſit, colligere tamen eſt eos nihil, hoc in negotio, temerè credidiſſe; quo fit ut ſint rei teſtes fide digniores, quàm ſi faciliùs fidem habuiſſent. Jeſus verò, ut breviùs cetera perſequar, eodem die, ſecundùm à pluribus mulieribus, tertiùm Petro, quartùm duobus diſcipulis Emmauntem euntibus, quintùm decem Apoſtolis (aberat enim Thomas) unà congregatis conſpiciendum ſe ſtitit; ad quos cùm ſubitò adveniſſet, & quodam modo homines, necopinâ præſentiâ, dubitantes ſpectrúmne, an Jeſum ipſum viderent, terruiſſet, *quare verò*, inquit, *meo adventu perturbati eſtis? Cùr inania figmenta, animis veſtris, agitatis? Inſpicite manus & pedes meos, in quibus crucifixionis veſtigia videbitis, nec me Magiſtrum illum veſtrum eſſe ampliùs dubitabitis. Angeli ſpeciem quidem corpoream interdum induunt, ſed non habent carnem & oſſa, qualia mihi eſſe cernitis.* Simul illis oſtendit manus & pedes, & latus lanceâ vulneratum, ut fidem dictis ſuis faceret. Itaque plerique ſummopere lætari cœperunt, cùm Jeſum, ut prædixerat, excitatum viderunt. Nonnullis verò, præ nimio gaudio, magnitudinéque miraculi obſtupefactis & hæſitantibus; ut omnem eorum animis dubitationem eximeret, an cibi aliquid ſupereſſet, quod ſibi adponerent, petiit. Adpoſuerunt verò illi particulam piſcis toſti, & favi mellis, quæ ad manum erant. Tum ille, iis inſpectantibus, prout ſolebat, comedit. Deinde, *videtis*, inquit, *non fruſtra me vobis dixiſſe; cùm etiamnum vobiſcum viverem, hæc omnia fieri oportuiſſe & implenda fuiſſe quæcumque de me in Scriptura prædicta.* Ea poſtea loca explicuit, ita ut clara iis fierent, quæ obſcura anteà fuerant, mandatiſque inſtruxit, de prædicando, per totum terrarum orbem, Evangelio, initióque à Jeroſolima faciendo. Quam in rem, Spiritum Sanctum eis pollicitus eſt, quem Jeroſolimæ eſſent accepturi, poſtquàm è Galilæa ante Pen-

ANN. XXIX. teçoſten rediiſſent. Quare juſſit eos in ea urbe exſpectare, donec divinæ illæ facultates in eos è cœlo delaberentur. Promiſit ſe iis etiam miracula omnia faciendi, quibus Evangelii veritatem confirmarent, poteſtatem collaturum.

LXXIX. Cum hi ſermones à Chriſto habiti ſunt, aberat, ut dixi, Thomas, qui, ubi rediit, à ceteris Apoſtolis accepit Jeſum ſibi conſpicuum factum eſſe. At ille hoc demum crediturum ſe reſpondit, cùm manus ejus clavis pertuſas vidiſſet, & latus lanceâ confoſſum, digitóſque in vulnera immiſiſſet. Jeſu autem nuſquam ampliùs comparente, Thomas, cum aliis decem Apoſtolis, in Galilæam profectus eſt, quò ſe eos iterum conventurum promiſerat Jeſus. Octavo verò die, poſtquàm reſurrexerat, dum eſſet Thomas cum illis, & januis clauſis colloquerentur, ne quis ſermonum arbiter eos ad Synedrium deferret; ecce verò, nemine januas aperiente, ſubitò patuerunt, adſtititque Apoſtolis Jeſus; quibus ſalutatis, ad Thomam converſus, *vide*, inquit, *manus haſce meas & latus meum*; *utraque tange*, *ne poſtea fidem reſurrectioni meæ detrahas*, *ſed certò credas quod videris*, *quandoquidem aliis adcredere noluiſti.* Thomas verò cùm oculis & tactu verè excitatum fuiſſe Jeſum intellexiſſet, exclamavit verè Dominum ſuum eſſe, quem antea adſectatus erat, imò & Deum, qui mortem reſurrectione ſuâ viciſſet. At Jeſus, *tu quidem*, *Thoma*, inquit, *credidiſti*, *quia oculis tuis fidem derogare non potuiſti*, *ſed multò præſtantior erit eorum fides & majore præmio digna*, *qui reſurrectionem meam*, *quam non viderint*, *tamen credent.* Hæc tunc temporis Jeſus, qui Apoſtolorum cœtui dein ſe ſubduxit. Quæ omnia deſumta ſunt ex Matthæi Cap. XXVIII; 9. ad 15. Marci XVI, 12. ad 18. Lucæ XXIV, 13. ad 49. & Joannis XX, 19. ad finem, ad quos accedit Paulus 1. Cor. XV, 5.

LXXX. Postea & quidem ſeptimâ vice ex iis, quæ ab Evangeliſtis memorantur, ſed tertiâ quâ pluribus Apoſtolis adfuit, conſpiciendum ſe iis obtulit, ad Tiberiadenſem lacum; ubi primùm ignoratus juſſit homines, qui per totam noctem piſcati fuerant, nec quidquam ceperant, ad dextram naviculæ rete jacere, quod illico piſcibus refertum eſt; unde agnitus Jeſus cum iis epulatus eſt, & Joanni quidem longam vitam, Petro verò breviorem & mortem violentam prædixit.

LXXXI. Octavum deinde conſpectus eſt, in monte quodam Galilææ, undecim Apoſtolis, quibus iterum de nunciando omnibus hominibus Evangelio mandata dedit. Nonùm viderunt eum quinquenti Diſcipuli ſimul, quorum multi diu poſtea ſuperſtites fuerunt, vivebántque cùm Paulus priorem ad Corinthios ſcriberet. Decimùm adfuit & Jacobo, qui frater Domini vocabatur, & Jeroſolimitanæ Eccleſiæ primus præfuit. Undecimùm & omnibus Apoſtolis ſe ſtitit, qui per quadraginta dies, poſt ejus reſurrectionem, ſæpiùs eum viderunt, & repetita aliquoties mandata ab eo, de Evangelii prædicatione, acceperunt.

LXXXII.

LXXXII. Aliquot verò diebus ante Pentecoſten, Apoſtoli, prout Jeſus juſſerat, Jeroſolimam redierunt; ubi cùm unà eſſent, quadrageſimo die, ex quo è mortuis excitatus fuerat, pridie Nonas Maias, Jeſum viderunt, qui eos iterum vetuit eâ urbe exire; antequàm id quod iis à Patre ſibi, in eorum gratiam, promiſſum pollicitus illis erat accepiſſent; nam cùm Joannes Baptiſta olim aquâ dumtaxat, eos, qui ſe pœnitere peccatorum profitebantur, abluiſſet; illos, paucis pòſt diebus, Spiritu Sancto è cœlo delapſo veluti ablutum iri. ANN. XXIX.

LXXXIII. Cum verò omnes Apoſtoli adeſſent, & Jeſum ſummam poteſtatem faciendi quod liberet, in cœlo & in terra, à Patre accepiſſe viderent; quæſiverunt annon tandem, eo tempore, Judæam gentem ab alienigenarum jugo liberaturus eſſet. Quæ interrogatio, quamvis oſtendebat Apoſtolos nondum quæ natura eſſet regni Meſſiæ intellexiſſe, attamen à Jeſu minimè caſtigata eſt. Satis enim habuit reſpondere eorum non eſſe noſſe ejuſmodi rerum tempora, quorum cognitionem Deus hominibus impertiri noluiſſet; ſed dotes neceſſarias accepturos à Spiritu Sancto, ut rectè defungi poſſent munere, quod jam iis erat impoſiturus; teſtium, nimirum, ac præconum eorum, quæ audiverant ac viderant, ex quo ſecum verſabantur, & quæ Jeroſolimæ ac per univerſam Judæam & Samariam, imò & totum terrarum orbem ſpargi quàm latiſſimè ab iis volebat.

LXXXIV. His dictis, eos ſe ad montem Oliveti Bethaniam verſùs, ſequi juſſit; quo cùm perveniſſent, ſublatis manibus, eis bene precatus eſt. Tum verò ſubitò ab iis raptus, omnibus ſpectantibus, nube in eum rerum Univerſitatis locum, cui Deus præſentiſſimum ſe præbet, ſubvectus eſt, atque ad dextram inacceſſæ mortalibus lucis, quæ divinæ præſentiæ conſpicuum illic eſt ſignum, conſedit. Cùm autem Apoſtoli, oculis in cœlum ſublatis, fugientem nubem, dum eam videre licuit, ſequerentur; duo Angeli, candore eximio ſplendentibus veſtibus induti, hominibus adſtiterunt, quos hiſce verbis adloquuti ſunt: *O viri Galilæi, quid, ſublatis in cœlum oculis, diutiùs hìc ſtatis? Jeſus ille veſter in æternæ felicitatis ſedes ſubvehitur, & quemadmodum cœlum petentem vidiſtis: ita & redeuntem in terras olim conſpicietis.*

LXXXV. His auditis, Apoſtoli, adorato Jeſu, Jeroſolimam læti redierunt; quòd eum, ut pollicitus erat, ad Patrem evehi vidiſſent. Quæ omnia pluribus habentur apud Matthæum C. XXVIII, 16. ad finem, Lucam XXIV, 30. & ſeqq. & in Actis C. I, 7. ad 12. ac tandem Joannem XXI, 12. ad finem.

LXXXVI. Hanc vitam in terris egit Jesus Nazarenus, quem è toto Humano Genere unum Deus Opt. Max. elegit; ut, inauditâ prioribus ſæculis ratione, ejus Filius unigenitus eſſet & diceretur; idémque Propheta, Sacerdos & Rex, in ſalutem hominum, conſecraretur. Hic nos in ignorantiæ tenebris ac vitiorum cœno jacentes, & ſpei bonæ egenos, ad Dei cognitionem, Virtutem, ſpémque beatæ

immor-

ANN. XXIX. immortalitatis vocavit. Sanctiſſimâ & labis omnis immuni vitâ, divinâ prorſus doctrinâ, innumeris miraculis, quibus ſimilia numquam conſpecta fuerant, morte ignominioſâ & crudeli conſtantiſſimè obitâ, & Deo, ſacrificii inſtar, oblatâ, ut veniam hominibus impetraret, conſummatiſſimæ virtutis Prophetam & Sacerdotem ſe præſtitit. Reſurrectione & adſcenſione in cœlum, regnum adiit totius Humani Generis; indéque omnes homines, & eos præſertim, qui ſe diſcipulos ejus profitentur, à ſeptemdecim ſæculis regit & tuetur; tempore à Deo præſtituto, ut hominibus ad vitam revocatis jus dicat, rediturus.

LXXXVII. Si moralia tantùm præcepta Jeſu-Chriſti exſtarent, nemo intercederet, apud Ethnicos, imò ne fortè quidem apud Judæos, quominùs eximius planè vir, & Philoſophis etiam omnibus longè præferendus videretur. Sed quia miracula ejus, item reſurrectio & adſcenſio in cœlum, cum regno in homines, ſpéſque facta reditûs, ut de vivis, & mortuis omnibus, Divinâ potentiâ excitatis, judicet, unà traduntur; non Ethnici & Judæi tantùm, ſed etiam, qui nomine Chriſtianorum latent, increduli ei detraxerunt, fidémque ejus hiſtoriæ & doctrinæ derogarunt. Qui quantopere fallantur, ad hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ pertinet paucis oſtendere, antequàm ad ſequentia tempora tranſeamus.

LXXXVIII. Ad miracula quod adtinet, ea neque ab Ethnicis, neque à Judæis rejici potuere, quaſi ficta, eò quòd fieri non poſſent; cùm utrique multa agnoſcerent, atque olim facta & fieri contenderent. Ac ſanè cùm miraculum dicatur, quod & hominum & merorum corporum vires ſuperat; nulla ratio erat, cur fieri poſſe negaretur, niſi quaſi certum ſumeretur, nullas eſſe Intelligentes Naturas, præter homines, aut ab iis effici nihil poſſe, quod vires noſtras ſuperaret. Utrumque autem non tantùm nullâ ratione veriſimili nititur, ſed etiam longè eſt abſurdiſſimum. Univerſitatem rerum initium habuiſſe conſtat, & animalia creata, cùm antea nulla fuiſſent; omnium enim, quæcumque tandem ſint, eſt initium vitæ, fuitque, ac proinde ex omnium duratione, cui principium fuit, confici non poteſt ſine principio ullo æternitas; unde ſequitur fuiſſe tempus, quo primùm nata ſunt. Quæcumque autem nata ſunt ea cauſam habuere, nihil enim ſui ipſius cauſa eſſe poteſt. Caſui verò & fortuito elementorum aut atomorum concurſui, unde tam elegantes & tam ordinatæ machinæ natæ ſint, hæc tribuere velle inſanientis re verâ eſt ſapientiæ, jam ab omnibus meritò exploſæ. Itaque ea poſſunt fieri, fiúntque quotidie, quæ hominum omnium, ſi capita conferant, vires & ſapientiam longè ſuperant; éſtque proinde Deus, æterna omnium rerum cauſa. Sunt & Intelligentes Naturæ, nobis multò præſtantiores, quæ talia curarunt & curant. Quod non Judæi tantùm, ſed & ſapientiſſimi quique Philoſophorum non ægrè admiſere, nec eſt cur hodie pervicacia ingenia irrideant. Fiunt ergo quotidie in rerum Natura, miracula; ideóque & olim fieri potuerunt. Nec eſt diffi-

difficilius mortuum excitare, ægros verbo curare, & quidquid ejus generis proferri poteſt; quàm efficere ut animalia, qualia non erant, incipiant eſſe, aut etiam generatim propagentur. ANN. XXIX.

LXXXIX. Hæc verò ſi concedentur, quæ negari nullo modo poſſunt; hoc unum ſupereſt quærendum, an tanti fuerit Religio Chriſtiana, ut à ſummo Numine ad eam condendam, miracula fieri debuiſſe intelligamus. Nos verò, in noſtris Prolegomenis, oſtendimus graviſſimas rationes Deo fuiſſe, quare denuò ad humanum genus Doctorem & Legiſlatorem mitteret, qualis fuit Jeſus Chriſtus. Eo planè indigebant homines denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſi, & omni vitiorum genere inquinati; quibus, ſine divino ejuſmodi auxilio, numquam ſe ſe expedire potuiſſent. Iis ergo lux cœleſtis Religionis Chriſtianæ, Dei miſericordiâ nullis rectè factis provocatâ, imò contraria omnia promeritis exorta eſt; unde ingentem utilitatem homines ceperunt & porrò capient. Quam, ubi ſemel nos eâ illuſtravit beneficum Numen, numquam exſtingui, aut prorſus peſſumdari paſſum eſt, vel poſthac patietur. Sunt ſeptemdecim ſæcula, & aliquot anni, ex quo terris illuxit, & ſplenduit invitis improbis, qui ad eam ſponte connivebant, eadémque rerum in Imperio Romano potita eſt, & ad noſtra uſque tempora conſervata; quamvis numquam defuerint, qui eam inquinare, etiam apud Chriſtianos, conati ſint.

XC. Nemo ſanus, quamvis tot ſæcula à Chriſto ad nos effluxerint, negare ſuſtineat fuiſſe Jeſum Nazarenum, qui diſcipulos habuerit; qui doctrinam, quam ab eo ſe accepiſſe adfirmabant, ſuis quoque & ipſi diſcipulis, ore & Scriptis, tradiderint; à quibus ad nos tandem, de manu in manum, propagata eſt. *Suëtonius* & *Tacitus*, graves, Ethnici licèt, Scriptores, & Chriſtianorum inimici, jam à tempore Claudii, deincépsque Neronis, Chriſtianos fuiſſe, & quidem Romæ, teſtati ſunt; quamvis quæ eorum ſententia eſſet ignorarent. *Suetonius* [7] enim à Claudio narrat *Judæos* (quos imperitè confundit cum Chriſtianis) *impulſore Chriſto* (hoc eſt, ex occaſione Chriſti & Chriſtianorum) *aſſiduè tumultuantes*, *Româ expulſos*. Idem [8] à Nerone *adfectos ſuppliciis Chriſtianos* memorat. *Tacitus* [9] verò prodidit *exquiſitiſſimis pœnis adfectos*, *quos vulgus Chriſtianos adpellabat*; *auctorémque nominis ejus Chriſtum*, *qui*, *Tiberio imperitante*, *per Procuratorem Pontium Pilatum*, *ſupplicio adfectus erat.* Ac ſanè ab iis temporibus numquam defuere, qui Chriſtianorum nomine gloriarentur, quod in ſequentium annorum Hiſtoria oſtendemus.

XCI. Fuit ergo Chriſtus ab eo ævo, quo fuiſſe aiunt Chriſtiani, fuere & ejus Diſcipuli, qui ei Religionem ſuam acceptam referebant. Inventam profectò ab iis fuiſſe nemo dixerit, qui quàm imperiti eſſent, prout ipſi fatentur, réſque etiam oſtendit, noverit; quod & antea à nobis

7 *In Claudio*, c. XXV. 8 *In Nerone*, c. XVI. 9 *Annal. Lib.* XV. c. 44.

ANN. XXIX. nobis dictum eſt. Præter teſtimonium *Taciti*, de Chriſto ſupplicio à Pilato adfecto, ipſi illi libri, quibus ejus vita & doctrina continentur, & qui *Evangelia* dici ſolent, teſtimonium, omni exceptione majus, ſibimet exhibent. Doctrinam enim complectuntur, quæ neque Ethnico ulli Philoſopho, neque Judæo adſignari ullâ ratione queat. Nulla illic ratiocinatio philoſophica, nulla ſapientium virorum auctoritas, nulla denique ad eorum decreta vel minima adluſio. Omnia ex ſola voluntate, revelationéque Dei deducuntur. Si adſumatur in iis Divina revelatio Hebræis olim prodita, quaſi vera, quod paſſim facit Jeſus; planè alio modo id ab eo fit, quàm apud Judæos fieri ſolebat; nulla enim Magiſtrorum placita miſcentur, & multa adduntur ſublimiora & præſtantiora, quaſi à Deo accepta, eáque auctoritate proponuntur, ut adpareat eos, qui minimè eis auſcultant, pœnis divinitus ſancitis, pervicaciam ſuam luituros; quippe qui fidem à Deo miſſo, & ſe ab eo miſſum innumeris miraculis oſtendenti negare ſuſtinuerint. Ea eſt ubique doctrinæ excellentia & perſpicuitas, ea præmia parentibus propoſita; nec conjecturis aut ratiocinationibus probata, & timidè prolata; ſed adſeveranter tradita & ingentibus ubique portentis, iiſque palam factis, confirmata, nihil ut ſimile umquam, apud ullum populum, prodierit; niſi quod à primis Chriſti Diſcipulis dictum & factum, ſed qui & doctrinam omnem ſuam & poteſtatem faciendi miracula à Magiſtro accepiſſe ſe profitebantur, nec umquam ſe ei, ullâ ratione, æquarunt. Singularia profectò hæc ſunt ac planè propria Evangelio, quibus jure ſuo ab omnibus aliis ſapientium Ethnicorum & Judæorum ſecernitur decretis. Proximè quidem ad Evangelia accedunt Apoſtolorum alia Scripta, quibus conſtat Novum Teſtamentum; ſed tamen Chriſti ſermonibus nec æquiparari poſſunt, nec ſunt umquam ab Apoſtolis æquiparata; quamvis ſi Apoſtolica Scripta conferamus, cum proximè ſequentis ſæculi libris, majus multò ſit diſcrimen inter Apoſtolorum & Patrum ſecundi ſæculi fœtus; quàm inter libros Apoſtolicos & orationes Chriſti, quas in Evangeliis habemus. Ut nemo poſteriorum ætatum Scriptor ad ſimplicitatem, ſapientiam, præſtantiámque Apoſtolicam adſurgere umquam potuit: ſic nec ipſi Apoſtoli ad ejus, qui ſine menſura ſpiritum à Patre acceperat, divinam excellentiam adſpirarunt. [10] Nec quiſquam poſterorum Apoſtolicum ſpiritum, ut ita dicam, imitando effingere potuit: nec Apoſtoli ipſi Magiſtri ſui perſonam ſuſtinere. Quare in iis divinus omnino adflatus, major multò in Chriſto, minor in Apoſtolis agnoſcendus; ceteris verò ſequentium ætatum Scriptoribus pietas quidem & ſapientia, ſed humanæ, & arctioribus multò limitibus cir-

10 *Nec quiſquam* &c.] Non defuerunt quidem, qui Pſeudo-Evangelia fecerint & Scripta Apoſtolis ſuppoſuerint, quorum tituli & fragmenta diligenter ſunt à viris doctis *Erneſt. Grabio*, & *Alb. Fabricio* collecta, & de quorum nonnullis etiam poſtea agemus; ſed dudum ſuppoſitio Chriſtianis paullò prudentioribus ſuboluit, qua de cauſa jam olim interciderunt. Fragmenta, quæ ſuperſunt, nemini nunc fucum facere

circumſcripta, ſi quæ in iis reperiantur, tribuendæ ſunt. ANN. XXIX.

XCII. Si quis nunc quærat unde nobis conſtet Evangelia eſſe ab Apoſtolis, Apoſtolorúmve Diſcipulis, qui cum iis vixerunt, ſcripta; reſponſum accipiat liquere hoc nobis, ex conſenſu perpetuo Chriſtianorum, qui eos libros genuinos illorum eſſe fœtus, ab eorum ævo, ſemper exiſtimarunt; quod pluribus à viris doctis oſtenſum & nos etiam [11] demonſtravimus. Nec aliter conſtat, de librorum ullorum auctoribus, de quibus minimè dubitatur, & quorum auctoritati nemo ſanus detrahit; ut an *Cicero* ſcripſerit ea, quæ ab omnibus ejus eſſe putantur, ánve *Virgilii* ſit ea Æneïs, quæ ad nos pervenit. De iis inſanum haberetur dubitare, quòd neque in re, neque in eloquutione quidquam ſit, quod non conveniat iis, quibus tribuuntur, & conſtans habeamus, eam in rem, ſæculorum omnium ſequentium teſtimonium, quorum non interfuit nomen auctorum mentiri. Idem de Evangeliorum Scriptoribus dicas licet, quibus præter rem ipſam, plures etiam teſtimonium proximè ſequentibus temporibus, exhibuerunt, vitámque propter fidem, quam iis libris habebant, in acerbiſſimis cruciatibus, profuderunt; quod alîus Hiſtoriæ causâ numquam contigit.

XCIII. Si autem Apoſtoli re verâ auctores fuerint eorum librorum, qui ſunt ipſorum nominibus præſcripti; quæcumque in iis narrant & præſertim quidem reſurrectionem Chriſti, quæ eſt totius doctrinæ & Hiſtoriæ ejus pars poſtrema & potiſſima, veram eſſe neceſſe eſt. Res enim illic agitur (reſurrectionem, nempe, volo) in qua primùm falli non potuerunt, ſi adtendamus totius negotii circumſtantias, quas ipſi narrarunt, & quas in ſuperiore Hiſtoria prodidimus. Itaque ſi falſa eſſet reſurrectio Chriſti, ab iis confictam oporteret, animo fallendi, quod tamen de iis nemo ſuſpicari poſſit; non tantùm quia omnem fraudem damnant, ſed & quia hujus fraudis, ſi fraus fuiſſet, nullus poterat eſſe fructus. Neque honores, neque divitias, neque voluptates, quibus maximè moventur impoſtores, ſperare eâ ratione potuerunt. Apud Judæos & Ethnicos, qui rerum potiebantur, nihil niſi dedecus, paupertatem & ærumnoſam vitam conſequi, imò verò mortem ipſam exſpectare poterant. Utrique enim infenſiſſimi erant opinionibus, quæcumque eſſent, quæ eorum Religionibus adverſabantur; quod de Judæis norant & experti erant Apoſtoli, dum Jeſus etiamnum in terris verſaretur; nec erat cur Ethnicos æquiores ac faciliores ſibi pollicerentur, qui plerumque aut prorſus impii, aut ſuis ſuperſtitionibus addictiſſimi erant, & ab hominibus Judæis alieniſſimi. Quòd ſi quid initio ejuſmodi ſperaſſent fraudis auctores, brevi è rebus ipſis, quantopere erraſſent intellecturi fuiſſent,

re poſſunt. Quare certum eſt nihil Sacris Libris, quos habemus, par aut ſecundum umquam prodiiſſe.

11 In 3. Diſſert. Harmoniæ Evang. ſubjecta. *Euſebius*, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, diligenter adnotavit, quæ anterioribus Scriptoribus Apoſtolica Scripta, ut genuina, citata fuiſſent, quæ dubia ac incerta; unde liquet rem Veteribus nequaquam neglectam fuiſſe.

ANN. XXIX. fuiſſent, ac proinde omnia conſilia ſpargendi commenti abjeciſſent. Senſiſſent enim, magno ſuo malo, nec Judæos, nec Ethnicos ejuſmodi Religioni, qualis erat Chriſtiana, aures vacuas præbere, imò infenſiſſimos eſſe. Nullos etiam Diſcipulos reliquiſſent, cùm nemo, ſine periculo, eorum veſtigia premere poſſet. Quidquid ergo fecerunt Apoſtoli, ex animi ſententia fecerunt; & cùm non potuerint, in hoc negotio, falli, nec alios deceperunt. Nunc ad Hiſtoriam redeamus.

XCIV. Hæc cùm geſta eſſent, ut diximus, fertur Pilatus, datis ad Tiberium litteris, omnia perſcripſiſſe, egregiúmque teſtimonium Chriſti miraculis, innocentiæ & reſurrectioni exhibuiſſe. *Juſtinus* Martyr, qui ſecundo ſæculo vixit, in Apologia I. pro Chriſtianis, ad Antoninum Pium & filios, eos amandat [12] ad *Acta Pilati*, ut cognoſcerent miracula, quæ de Chriſto narrabantur, reverâ edita fuiſſe. Circumſtantias etiam mortis ejus indidem peti poſſe [13] antea fidenter adſeverat. *Tertullianus* quoque, in Apologetico [14], eadem fiduciâ, ait *ea omnia, ſuper Chriſto Pilatum & ipſum jam, pro ſua conſcientia, Chriſtianum, Cæſari tunc Tiberio nunciaſſe.* Nec falſum eſt conſuetudinem hanc fuiſſe veterem Provinciarum Rectoribus, ut [15] quidquid novi apud ſe contigiſſet, Senatui primùm, dum Reſpublica populi Romani fuit, deinde Imperatoribus, poſtquàm rerum potiti ſunt, nunciarent. Sed cùm poſſent multa, quaſi minoris momenti diſſimulare, aut aliter etiam narrare, quàm geſta erant; nemo ſatis certò dixerit an Pilatus quæ de Chriſto ferebantur, in Acta referri juſſerit, & Romam miſerit. Nec *Juſtinus*, nec *Tertullianus* ea Acta legiſſe videntur, ſed pro certo ſumſiſſe, ſi etiam tum exſtarent, quæ ad Chriſtum pertinebant complexa ea eſſe. Certè ut fidem facerent Evangelicæ Hiſtoriæ, nihil opportunius, quàm ipſa Pilati Acta proferre potuiſſent; & ſupinæ negligentiæ inſimulati meritò eſſent, ſi rem tantam prætermiſiſſent, dum omnia ſtudiosè corraderent, quæ ad ſtabiliendam fidem Chriſtianam facere videbantur. *Euſebius* etiam, qui [16] rei meminit, ſi Acta ejuſmodi vidiſſet, quæ fide digna judicaſſet, numqum ea prætermiſiſſet.

XCV. Itaque recentiores, qui quod deerat Hiſtoriæ antiquæ ex ingenio ſæpiùs ſupplere conati ſunt, Acta & Epiſtolas Pilati conſarcinarunt. Scriptor Anacephalæoſeos, quæ Libris V. *Hegeſippi*, qui quarto, aut quinto ſæculo ſcripſit, ſubjecta eſt, priorem Pilati Epiſtolam refert, [17] cui & alii alteram addiderunt. Sed utraque tam manifeſtò ſuppoſiticia eſt, ut rei nihil opus ſit nos immorari. Fuerunt & alia Acta commenticia, quæ à Quartadecimanis proferebantur, & quorum

12 Cap. LXIII. Ed. Oxon. p. 84. Ed. Paris.

13 Cap. XLV. p. 76. Ed. Paris.

14 Cap. XXI.

15 *Quidquid novi contigiſſet*] Sic, his temporibus, mittebantur Alexandriâ ad C. Caligulam commentarii rerum quotidianarum, de quibus *Philo* in legatione ad Caium p. 1016. ubi eos vocat ὑπομνηματικὰς ἐφημερίδας, & Caligulam ex iis adulationes Ægyptiorum erga ſe accepiſſe ait. Nec dubium quin ex Judæa talia ad Tiberium, tem-

ſum meminit *Epiphanius*, Hæreſi L. Quartadecimani illi in eo tantùm à ceteris Chriſtianis differebant, quòd quartâ decimâ Lunâ, more Judaïco, Paſcha celebrarent; quo die Paſcha celebraſſe & mortuus eſſe in iis Actis dicebatur Chriſtus. Nec fingendi hîc conſtitit licentia, nam cùm Ethnici viderent Acta Pilati à Chriſtianis, quæ non viderant, laudari, libellum eo nomine conſcribi curarunt & ediderunt, eúmque Chriſto contumelioſum; quem librum falſitatis meritò arguit [18] *Euſebius*. ANN. XXIX.

XCVI. Attamen cùm *Tertullianus* Acta vera Pilati fuiſſe crederet, ſeu ex conſuetudine Præſidum memorata rem colligeret, ſive à quopiam audiſſet; fidem habuit narrationi parum veriſimili, & cujus nulla, apud Ethnicos, qui Tiberii geſta ſcripſerunt, mentio. [19] *Tiberius ergo*, ſi illi credimus, *cujus tempore nomen Chriſtianum in ſæculum intravit, adnunciata ſibi ex Syria Palæſtina, quæ illic divinitatem iſtius revelarant, detulit ad Senatum, cum prærogativa ſuffragii ſui.* Miracula, nempe, Chriſti intelligit, ex quibus Divinitas ejus colligebatur, & quorum causâ in Deorum numerum recipiendum cenſebat; quod retulit ad Senatum, addito, eam in rem, ſuffragio ſuo. Difficile prorſus eſt intellectu, à Tiberio, non tantùm alienarum, ſed & religionum [20] patriarum ſpretore, rem ejuſmodi ad Senatum relatam. Noverat Jeſum fuiſſe hominem Judæum, uniúsque Dei cultorem, & qui omnes alios Deos, quaſi hominum figmenta, rejiceret; ac proinde Religionem, quâ cum iis conjungeretur, ſummopere improbaturum, ſi in cœlo viveret; & tamen eum unà cum Romanis Diis coli voluiſſet, quo nihil abſurdius fingi poterat. Huc accedit quòd, apud Romanos, Judaïca Religio inviſa admodum erat, quippe quæ cum Majorum Religione ſtare non poterat; quam tamen probaverat Jeſus & per totam in terris vitam obſervarat. Poterant Romani non difficulter alios Deos admittere, quos ſociorum patientes eſſe putabant, eorúmque cultores ſibi adjungere, qui nec Romanos Deos colere Religioni ducebant; ſed Judæos, aut Chriſtianos, quaſi ejuſdem cultûs participes, adgregare ſibi nequibant, quòd ab omni cultu Romanorum utrique abhorrerent.

XCVII. Senatus, ut habet *Tertullianus*, [21] *quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Video [22] viros doctos proferre hunc locum, quaſi *Tertullianus* ſcripſiſſet *non in ſe probaverat*, hoc eſt, *in ſe*, vel *erga ſe* fieri noluerat; quia vetuerat Tiberius ſe ipſum Deorum numero haberi; nec emendatio diſpliceret, niſi vulgatæ lectioni faveret etiam *Euſebius*, ut cùm ex Græcis ejus verbis, tum ex *Rufini* verſione liquet. Sed

tempore Pilati, mitterentur.
16 Hiſt. Eccl. Lib. I. c. 2.
17 Vide utramque in Apocryphis N. T. *Joan. Alb. Fabricii* p. 298. & ſeqq.
18 Lib. I. c. 9. & Lib. IX. c. 5.
19 Apologetici c. V.
20 *Sueton.* in Tib. c. 69.
21 Sic legunt *B. Rhenanus*, *D. Heraldus*, & *Nic. Rigaltius*.
22 *Joan. Pearſonus* in Lect. in Acta, Sect. IV. ubi hànc Hiſtoriam defendit.

ANN. XXIX. Sed ſi feriò cupiiſſet Tiberius Chriſtum Deorum numero haberi, numquam reſpuiſſet Senatus. Præterea eo tempore, hoc eſt, paullò pòſt acceptas à Pilato litteras, nulli erant Chriſtiani Romæ; nec proinde accuſari illic poterant, aut periculum eorum accuſatoribus, qui nulli erant, intentari. Notum eſt, ex Actis Apoſtolicis, nec è Judæa quidem exiiſſe tunc temporis Chriſtianos, nec accuſatos fuiſſe, niſi apud Judæos, certè Religionis violatæ.

XCVIII. Eusebius [23] tamen hanc hiſtoriam pro vera venditavit, & figmentis adauxit; quale hoc eſt quòd Chriſtus, *à multis, jam Deus haberetur*; cùm eſſet hæc Chriſtianorum tantùm, qui pauci, præ Judæis incredulis ac Ethnicis, ſine dubio erant, ſententia. [24] Alibi etiam à Tiberio mortem Chriſtianorum accuſatoribus decretam ait, & quidem ex *Tertulliano*. *Hieronymus* quoque rem habet, ſed *Tertulliani* nomen delevit; addiditque Senatûs Conſultum, ceteris minùs veriſimile. *Pilato*, inquit, *de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cetera ſacra reciperetur. Verùm cùm ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminari urbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.* Verùm quid eſt *dogma Chriſtianorum recipi inter cetera ſacra?* Certè recipi non poterat, reliquis ſacris incolumibus, quæ apertè damnat, & cum quibus conſiſtere nequit. Deinde quis credat, ſi in relatione anteceſſiſſet, ut ait *Tertullianus*, *prærogativa ſuffragii* Cæſaris, auſum eſſe Senatum Româ Chriſtianos eliminare? Jure Tribunitiæ Poteſtatis interceſſiſſet potiùs Tiberius, pro more recepto, quàm edicto contradixiſſet. Denique quis Chriſtianos Romæ tunc fuiſſe ſibi perſuaſerit? Fateor *Euſebium* & *Hieronymum* hæc ad annum ultimum, ſeu XXII Tiberii retuliſſe. Sed ne hoc quidem tempore, Chriſtiani Romæ erant, triennio poſt adſcenſionem Chriſti, & præterea cur tam ſerò Acta Pilati ad Tiberium perveniſſent? Cur etiam, poſt exactum è procuratione Pilatum, hæc contigiſſent; quo tempore, nulla homini fides haberi poterat, nulla apud Cæſarem gratia erat?

XCIX. Hæc omnia uſque adeò commentum redolent, ut mirum ſit inventos fuiſſe, qui vera credere, aut quaſi vera tueri ſuſtinerent. Sed quamvis nemo Veritatis amans figmentorum auctoribus, qui Chriſtianam Religionem dehoneſtarunt, ignoſcat; iis tamen, qui bonâ fide ab iis decepti ſunt, quòd non ſatis indicia falſitatis adtenderint, facilè eſt venia concedenda; cùm propter bonum animum, tum etiam propter alia in rem Chriſtianam merita; quibus minùs prudenter dicta par eſt à nobis condonari.

C. Quæ

23 H. E. Lib. II. c. 2

24 Chron. Græco Lib. I. p. 78. Ed. Scal. & Lib. Lat. II. ad an. MMLII.

1 *Jacobus*] Maria fuit inter mulieres quæ Jeſum ſequebantur, quæque morienti adfuit ut liquet ex Joan. XIX, 25. ubi dicitur *Matris* Chriſti *ſoror Maria Cleopæ*, hoc eſt, conjux, & Marci XV, 40. *Maria Jacobi parvi & Joſæ mater*, cum quo confer verſ. 47. & C. XVI, 1. Hinc collegerunt Jacobum fuiſſe Cleopæ Filium, ex Maria, & Chriſti fratrem patruelem, qua in

C. Quæ dicenda hîc cenſuimus, cùm primùm occurreret, in hac Hiſtoria, confutandum commentum, qualia multa poſtea notanda nobis erunt; ne quis putet nos egregiis viris, qui interdum fucum ſibi fieri paſſi ſunt, quidquam de vera, quam meriti ſunt, laude detrahere, aut Scripta ceteroquin utiliſſima contemtui exponere velle. Non eſt hoc morum noſtrorum, nec umquam, Deo juvante, erit. Veritatem ſectamur, prout par eſt, ſed ſine ulla cujuſquam contumelia; quamvis eam longè omnium hominum exiſtimationi anteponamus, nec cujusquam causâ, aut diſſimulare, aut figmentis tueri velimus.

III. HISTORIA ECCLESIASTICA,

ab Adſcenſione CHRISTI, *ad Synodum Jeroſolimitanam.*

I. APOSTOLI à monte Oliveti reduces, domum, in qua unà diverſabantur, ingreſſi in cœnaculum, Dei orandi gratiâ, ſe ſe contulerunt; & undecim quidem antea memorati ſupererant, nam Judas à Magiſtro, ut diximus, defecerat, & laqueo paullò pòſt ſibi gulam fregerat. Præter pios ſermones, quos unà habebant & quibus dicta & facta Chriſti memoriâ recolebant, ſubinde etiam Deum orabant, ut ſibi, Filii ſui Diſcipulis, ea largiretur quibus, prout nunc res illorum erant, indigere ipſos noverat. Aderant etiam iis religioſæ mulieres, quæ Jeſum erant adſectatæ, & præſertim Maria, Domini mater, ejúsque conſanguinei, inter quos eminebat [1] Jacobus. Cùm autem aliquando conveniſſent, Petrus ceteros admonuit, conſilium hoc fuiſſe Chriſti, ut Apoſtolos duodecim haberet, è quibus unus, ut norant, defecerat; itaque ſibi alium, ejus loco, eligendum videri, è reliquo Diſcipulorum numero (qui circiter CXX in eo loco erant) qui duodenarium numerum expleret, & qui Jeſu Chriſto, ab initio Miniſterii ad adſcenſionem adfuiſſet, dictorúmque & factorum ejus, ac præſertim quidem reſurrectionis teſtis eſſe poſſet. His adſenſi omnes, qui aderant, duos elegerunt, *Joſephum* qui & *Barſabas* & *Juſtus* vocabatur, & *Matthiam*; ut alterutrum, jactis ſortibus, alteri præferrent. Sortitis

in ſententia adquieſcimus; quamvis varia varii de hac re ſenſerint, quorum ſententias collegit *Sebaſtian. Nanus Tillemontius* in ejus vita, notiſque ei ſubjectis. In tanta conjiciendi & fingendi licentia, nihil tutius eſt, quàm Scripturæ, veriſimili interpretatione intellectæ, adhærere. Nulla certa monumenta à Veteribus memorantur, ex quibus doctiores eſſe poſſent; in ejuſmodi rebus, quàm nos hodie ſumus.

ANN. XXIX. titis autem duobus hiſce viris, poſtquàm Deus ut ſorte quem præferebat indicaret, invocatus fuiſſet, Matthias ſortium judicio Apoſtolico Collegio eſt cooptatus. Quæ narrat Lucas Act. Cap. I, 1. ad finem.

II. Die verò quinquageſimo poſt Paſcha, qui incidebat in pridie Idus Maias, cùm unà eſſent Diſcipuli Chriſti, antea memorati, ſubitò ingens ſonitus è cœlo, veluti vehementis venti, auditus eſt per totam domum, in qua ſedebant; & ubi poſtea [2] Ædem, Deo Opt. Max. ſacram, condidiſſe Chriſtiani dicuntur. Paullò pòſt conſpectæ ſunt flammulæ, Linguarum ſpecie, ſingulis Diſcipulis inſidentes, è veſtigióque omnes à Spiritu Sancto adflati ſunt & cœperunt, ab eo tempore, Linguis quas non didicerant loqui; quod à Chriſto iis ideò conceſſum eſt, ut Evangelium, ſine interprete, apud omnes populos, ab iis nunciari poſſet. Erant autem Jeroſolimæ, feſto Pentecoſtes præſertim tempore, homines religioſi, qui Judaïcam Religionem profitebantur, Templúmque Jeroſolimitanum, Religionis causâ, adire ſolebant, ex omnibus cùm Imperii Romani, tum vicinorum populis, qui rei idonei judices ac teſtes eſſe poterant.

III. Miraculi famâ per urbem ſparsâ, magnus hominum eò factus eſt concurſus, qui ſummopere mirabantur Galilæos, qui numquam, ut ſatis conſtabat, Palæſtinæ finibus egreſſi erant, nec ullam operam tot Linguis & Dialectis ediſcendis dederant, iis expeditè loqui. Alii verò, quibus Linguæ illæ ignotæ erant, vel qui quid dicerent Apoſtoli non adſequebantur, quaſi ebrios & inconditos ac ſine ulla mente ſonos fundentes irridebant. Quos Petrus graviſſimâ oratione confutavit, oſtenditque Evangelii præcones ebrios haberi non poſſe, cùm eſſet hora ab ortu Solis tertia, quo tempore nemo ſe liberaliùs invitare ſolebat. Etiam ex Prophetis Chriſtum reſurgere oportuiſſe confirmavit, & ejus mortem Judæis exprobravit; adeóque auditores perculit, ut tria hominum millia ad pœnitentiam adduceret, & ad nomen Chriſti diſciplinæ dandum, per Baptiſmum, qui iis adminiſtratus eſt, compelleret. Illi quidem, ex una Petri oratione, totius Chriſtianæ Religionis plenam cognitionem haurire non potuerant; ſed ſatis fuit eos profiteri velle ſe diſcipulos Chriſti fieri, ut baptiſmum acciperent; [3] quo accepto, Chriſtianorum dogmatum notitiam adcuratiorem conſequi eos oportebat, ſi veri Chriſti Diſcipuli vellent haberi.

IV. Ii verò quotidie ad Apoſtolos conveniebant, ut ab iis doctrinam Chriſtianam acciperent; &, celebratione Euchariſtiæ, Chriſti mortem commemorabant, fraternáque caritate magis ac magis inter ſe adſtringebantur. Quod conjunctum cum miraculis, quæ ab Apoſtolis fiebant, metu & admiratione omnes implebat. Quin & ii, qui convenie-

2 *Ædem Deo Opt. Max. ſacram*] Vide hac de re dicta ab *Henr. Hammondo* & à nobis ad Act. C. I, 13.

3 *Quo accepto* &c.] Sic primùm Joannes Baptiſta, deinde Chriſtus baptizabant non eos qui prorſus eorum doctrinæ periti erant, ſed qui eis fidem ſe habere profitebantur, & inſtitui pleniùs volebant. Liquet hoc Apoſ-

veniebant, proprii nihil ſibi ſupereſſe patiebantur, omniáque in medium conferebant. Quâ liberalitate, quæ cum pietate ſumma erga Deum, ad quem colendum quotidie ſe in Templum conferebant, pari paſſu ambulabat, multi Chriſtianorum cœtui adjungebantur. Quæ leguntur apud Lucam, Act. C. II, 1. ad finem. ANN. XXIX.

V. Contigit autem Petro & Joanni adſcendentibus ad Templum, horâ nonâ ab ortu Solis, orationis causâ, ut, cùm per Pulcram, ſive Orientalem Portam ingreſſuri eſſent, ſe ſe illis objiceret homo uſu pedum privatus à quadraginta annis; qui ab iis ſtipem petens, non pecuniam quidem, quam non habebant, ſed firmitatem pedum à Petro, invocato Chriſti nomine, accepit; cujus certa indicia ſaliens, præ gaudio, & coram omnibus ambulans edidit. Inde confluenti in Salomonis Porticum ad eam portam, quam diximus, ſitam multitudini miraculo excitæ, Chriſti reſurrectionem, & aliquot de eo vaticinia expoſuit Petrus, quemadmodum prodidit Lucas Act. c. III, 1. ad finem.

VI. Cum verò credentium augeretur numerus & quinque hominum millia orationi Petri fidem habuiſſent; Sacerdotes & Præfectus Templi, comitantibus Sadducæis, quibus Jeſu reſurrectionem credi ægrè erat, eum in locum venerunt; Petrúmque & Joannem, ſub veſperam, in carcerem conjecerunt, ut poſtridie coram Synedrio ſiſterentur. Quo convocato, cùm adeſſent Anna, Caïaphas & alii omnes, qui è Pontificibus Maximis ortum ducebant, adducti Apoſtoli interrogati ſunt, quâ potentiâ & cujus auctoritate inſtructi ita ſe gererent. Reſpondit verò Petrus ſe poteſtatem accepiſſe à Jeſu, quem in crucem ſuſtulerant, ſed quem Deus è mortuis excitarat. Synedri mirati fiduciam Petri, hominéſque illiteratos ſermones eos poſſe habere, quos habuerant, & ſimul hominem curatum videntes, cùm non ſatis expedirent quid factu opus eſſet, interim prohibendum cenſuerunt, ne quemquam, veluti poteſtate à Jeſu acceptâ, docerent, néve ejus nomine uterentur. Quâ prohibitione auditâ, Apoſtoli reſponderunt juſtum non eſſe, ut iis, potiùs quàm Deo, parêrent. Sic dimiſſi ad ſuos redierunt, ubi preces ab omnibus ad Deum fuſæ ſunt, ut ſe minis & molitionibus Synedrii eriperet; quæ preces à Deo exauditæ, ut teſtatus eſt motu terræ, quem eo loco ſenſerunt, demiſſóque in animos eorum Spiritu Sancto. Quæ pluribus legentur, apud eumdem C. IV, 1. ad 31.

VII. Tanta interim concordia erat inter Chriſtianos, tantúſque amor mutuus, ut non modò pecunias, quæ erant ad manum, in communes ſumtus abſumendas conferrent; ſed etiam agros ipſos & prædia venderent, pecuniámque inde confectam ad Apoſtolorum pedes deponerent. Qua in re, ceteris præivit Joſephus, ex inſula Cypro, Levita

Apoſtolis ipſis Chriſti, qui non tantùm baptizati fuerant, ſed & alios baptizabant, antequàm ſcirent Chriſtum mori, reſurgere, in cœlo regnare oportere, & quæ eſſet cetera ejus doctrina, ut ex Evangelica Hiſtoria liquet. Quæ probè ſunt animadvertenda.

ANN. XXIX. ta genere, cui cognomen *Barnabæ*; hoc eſt, filio prophetiæ, ſeu conſolationis, impoſuerunt Apoſtoli. Contigit, eo tempore, Ananiam quemdam, unà cum Sapphira uxore, vendere eumdem, ut videbatur, in uſum prædium, ejúsque pretii partem tantùm ad Apoſtolos adferre, quaſi nihil eis ſupereſſet, reliquámque ſummam intervertere; quam ſepoſitam haberent, dum publicis ſumtibus alerentur. Sed Petrus, à Spiritu Sancto de fraude admonitus, Ananiam increpuit; qui ita perculſus eſt, ut mortuus ad pedes ejus concideret. Quin & ejus uxor paullò pòſt, ſimili interitu, abſumta eſt. Quamobrem timor magnus omnibus Chriſtianis, aliisque, qui rem audiverunt, obortus eſt; nec parum intererat ab Eccleſia Chriſtiana fraudulentos omnes homines &, qui ei oneri ſimul & dedecori eſſe poterant, eliminari, nec ſperare poſſe fucum Apoſtolis facere. Alioqui brevi ingenti multitudine improbæ plebeculæ, liberalitate alienâ, ut fit, abutentis & otio indulgentis, obruti fuiſſent. Vide Act. V, 1. ad 11.

VIII. Itaque ab eo tempore, non temerè ſe ſe eis alii adgregabant, ne fortè ſimilium flagitiorum pœnas darent; quamquam omnes eos admirabantur & laudibus ferebant, præſertim cùm omnis generis ægros curarent, qui ſæpe iis in locis collocabantur, in quæ vel prætereuntis Petri umbra incideret; tantam opinionem de eo conceperant! Quare invidiâ permoti Sacerdotes iterum Apoſtolos in carcerem conjecerunt. Sed eâ ipsâ nocte, ab Angelo ſunt emiſſi, & juſſi ortâ luce Evangelium in Templo nunciare; quod fecerunt. Tum Synedrium, quod eodem tempore convenerat, eos ad ſe adduci juſſit, cúmque neminem eſſe in carcere accepiſſet, nec multò pòſt in Templo docere eos audiſſet; mirabatur quî elabi potuiſſent. Nihilo tamen ſeciùs ſibi ſiſti eos curavit, interrogavitque cur Conſeſſui non paruiſſent. Petrus ſingulari fiduciâ reſpondit, ſatius eſſe Deo, quàm hominibus parêre, Chriſti mortem rurſus Synedris exprobravit, eúmque à Deo excitatum è mortuis docuit. At frendentes illi de hominibus è medio tollendis conſilia agitabant, quæ exſequutioni mandaſſent; niſi Gamaliel, Phariſæus inſignis, gravi oratione oſtendiſſet ſatius eſſe miſſos facere; eò quòd, ſi molitionibus eorum adverſaretur Deus, brevi futurum erat, ut irritæ omnes eſſent; ſin verò non ſine Deo hæc fierent, periculoſum erat Dei conſilio obniti. Itaque flagris cæſi dimiſſi ſunt, quod illi gloriæ & honori ſibi duxerunt, nedum ut propterea remiſſiores in Evangelio prædicando fierent. Quæ omnia Lucas memoriæ mandavit Act. C. V, 12. ad finem.

IX. Constabat autem Eccleſia Chriſtiana duplici hominum genere, nam quàmvis omnes Judæi fuiſſent, erant qui Hebraicè tantùm loquerentur, qui ideò *Hebræi* dicebantur; & alii quorum Lingua Græca

4 *Judicia rerum capitalium ademta*] Vide Joannem C. XVIII, 31. & ad eum locum Interpretes. Quod non licuit Judæis ſententiâ à Synedrio latâ facere, quia eâ po-

Græca erat, ut Ægyptienſes Judæi, aliique, qui propterea *Helleniſtæ* vocabantur. Contigit autem, in diviſione eorum, quæ egentibus dabantur, Helleniſtarum viduas aliquo modo præteriri; unde natæ horum querelæ, quibus factum eſt ut Apoſtoli diviſionis illius curam, negotio prædicationis ſatis ſupérque diſtenti, in alios tranſtulerint, qui ſeptem numero electi ſunt; quibus id muneris demandatum, à quo *Diaconi*, quaſi Miniſtri, dicti ſunt. ANN. XXIX.

X. PRIMAS inter eos, ſuo jure, obtinebat Stephanus, vir ſingularibus dotibus à Spiritu Sancto acceptis prorſus inſignis. Is cùm miracula multa ederet, & Evangelium ita prædicaret ac tueretur, nemo ut ejus ſapientiæ obſiſtere poſſet; ad Synedrium citatus eſt & accuſatus verborum parum religioſorum de Templo & Lege; nimirum, fore ut, poſt aliquot annos, à Jeſu Templum ſolo æquaretur, útque, ab eodem, novi mores, apud Judæos, inducerentur. Quod tamen non dixerat, quamvis re verâ potuiſſet dici, & quidem verè ac recto ſenſu. Ille autem eximiâ oratione ſe defendit, quæ exſtat Act. Cap. VII, ut proximè ſuperiora Cap. VI. Cùm verò Judæis exprobraſſet contumaciam, quâ ſemper Prophetis adverſati erant, & poſtremò Chriſti cædem, exarſiſſétque propterea Synedrium; ſúbitò, ſublatis oculis, prophetico ſpiritu raptus, vidit cœlum veluti aperiri, atque inde lucem inacceſſam mortalibus, quâ ſe illic adeſſe oſtendit Deus, emicare, ad cujus dextrum latus ſedebat Jeſus; quod à ſe cerni, magnâ voce illico profeſſus eſt. Eâ auditâ, Synedrium, ejúsque miniſtri, quamvis [4] judicia rerum capitalium illis eſſent dudum à Romanis ademta, per tumultum & ſeditionem, hominem è veſtigio urbe eductum lapidibus obruerunt. Ultima vox morientis fuit, ſe animum ſuum in manibus Chriſti deponere, eúmque orare, ne pœnas de hoc Judæorum ſcelere exigeret; quâ voce illuſtre ſpei & manſuetudinis Chriſtianæ ſpecimen edidit. Ac primus quidem omnium, Chriſti causâ, vitam amiſit, exemplóque ſuo aliis, qui ſimilia poſtea paſſi ſunt, præivit.

XI. CUM autem teſtes, ex [5] lege Moſaica, ut primi lapides in Stephanum jacerent, pallia deponerent, ſervanda ea tradiderunt Saulo adoleſcenti Tarſenſi, è Tribu Benjaminitica; qui tunc temporis, apud Gamalielem Phariſæum, Legi operam dabat, eidem Sectæ, decretisque omnibus Phariſaïcis addictiſſimus, & vehementer ſævitiam popularium ſuorum erga Stephanum probabat. Is poſteà, ut hiſtoria docebit, eximius fuit Chriſti Apoſtolus, & quantopere eum facti hujuſce pœnituerit, oſtendit. Legenda, hac de re, ſunt ſequentia loca, Act. VII, 58. VIII, 1. XXI, 19. XXII, 3, 20. XXIII, à verſu 6. ad 34. XXVI, 4, 15. & quæ ipſe habet 2. Cor. XI, 22. Gal. I, 14. Philip. III, 5, 6.

XII.

poteſtate ſpoliatum erat, per tumultum plebis fecerunt; in quam, ſi Pilatus in rem inquirere voluiſſet, culpam omnem contuliſſent.

5 Deut. XVII, 7.

ANN. XXIX. XII. Circa hæc tempora, & eodem quidem anno, qui fuit Æræ Edeſſenorum, populi Meſopotamiæ, CCCXL. contigiſſet, ſi verum eſſet, quod de Agbaro aut Abgaro Regulo Edeſſenorum narratur. Cùm gravi, ut aiunt, morbo laboraret, nec à Medicis curari poſſet, audivit Jeſu miracula, inter quæ erant omnium morborum, ſine pharmacis ullis, curationes. Quare ad eum litteras per Tabellarium dedit, quibus eum oravit ut ad ſe, curandi ſui causâ, veniret Edeſſam, parvam quidem urbem, ſed ornatam & quæ utrique ſatis commodum domicilium eſſe poſſet. Jeſus ejuſdem Tabellarii reditu uſus reſpondit; „ ſibi abſolvenda eſſe quæ à Patre „ eſſent mandata, tum ad eum redeundum; ad quem cùm ſe recepiſ„ ſet, ex Diſcipulis ſuis quempiam miſſurum, qui & morbum ejus cu„ raret, & vitam ei, familiaribúsque omnibus præſtaret.

XIII. Exstant eæ litteræ in Hiſt. Eccleſiaſtica *Euſebii* Lib. I. c. 13. nec quiſquam, ante eum, earum mentionem ullam fecerat. Delituerant, nimirum, ut ait, in Edeſſeno Tabulario; in quo Linguâ Syriacâ ſcriptæ ſervabantur, unà cum narratione eorum, quæ ſequuta ſunt. Eas producturus *Euſebius*, ait operæ pretium eſſe ipſas audire, *ex Archivis ſibi deſumtas & verbo tenus è Syrorum lingua tranſlatas*; nempe, ab alio, ut puto, neque enim *Euſebius* Syriacè ſciviſſe videtur, quamvis ſic ejus verba intelligi ſoleant. Jam primùm illud ſuſpectum eſt, litterarum non dicam Abgari, ſed ipſius Chriſti mentionem nullam antea eſſe factam; præſertim in re tanti momenti, quanti habebatur, eo tempore, prædicatio Evangelii, apud Ethnicos; cùm nondum eſſet ab Apoſtolis per totam Judæam, prout mandaverat Chriſtus, nunciatum. Rei tantæ vix credibile eſt non ſolùm nullum reliquorum Evangeliſtarum, ſed ne Lucam quidem Antiochenum, cùm in Evangelio, tum in Actis, mentionem facturum fuiſſe, ſi vera eſſet. Nihil certè proferri firmius poterat, ut conſtaret Ethnicis etiam nunciandum Evangelium; cùm ea de re in Eccleſia Jeroſolimitana, paucis poſt annis, nonnullæ contentiones ortæ eſſent. Sed eſt in ipſa Epiſtola Abgari locus, quo ſuſpecta minimùm fieri poteſt, ubi, memoratis multiplicibus Chriſti miraculis, ſic loquitur: *Omnia hæc cùm de te audiſſem, in animum meum induxi, alterutrum horum duorum eſſe oportere; aut te eſſe Deum, qui è cœlo deſcenderis & hæc facias: aut eſſe Filium Dei, qui hæc patres.* Quæ verba neque Ethnico, neque meliora edocto ſatis conveniunt, præſertim ſi Græca adtendamus, quæ in Latinam Linguam transferri nequeunt; ſic enim habet: ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς — ἢ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ. Articulus oſtendit intelligendum eum qui *κατ' ἐξοχὴν Deus* dicitur; hoc eſt, Deum Patrem; quæ loquendi ratio in Ethnicum non quadrat, qui potiùs omiſiſſet articulum, ut *Deus quiſpiam*, Θεός τις, intelligeretur; nam

6 *Henr. Valeſius* ad locum.

7 *Ne ab iis quidem, qui Epiſtolas* &c.] Inter eos eſt *Erneſtus Grabius*, initio Tom. I. Spicilegii Patrum & Hæreticorum Sæculi, poſt Chriſtum natum, I. At Pontificii plures, hac in re, candidiores commenticias

nam ὁ Θεὸς & τοῦ Θεοῦ υἱὸς ſunt loquendi genera, quæ iis propria ſunt, qui unum Deum norant; niſi in ſermone Ethnicorum, qui, certi cujuſdam Dei mentione factâ, ſic loquuntur. Nec Chriſtianus dixiſſet, eo ævo, Jeſum eſſe τὸν Θεὸν, ut norunt, qui Scripturam non oſcitanter legerunt. Quin etiam [6] viri docti, in Oratione Thaddæi, de qua poſtea, loquendi hanc rationem, quaſi ſuſpectam, notarunt, ac reverâ è nonnullis MSS. abeſt. Nec eſt quòd reponatur Syriacam Linguam, & quidem Oſdroënæ, non ſatis nobis notam, eſſe ab Interprete expreſſam; nam ſi fuerit Emphaſeos nota addita, ut in lingua Hebraïca & Syriaca ſæpe fieri ſolet, debuit quidem exprimi Græco articulo. Sed quid ſibi volet ea Emphaſis, in ore hominis Ethnici? Significabitúrne *Deus ille* unus, qui colebatur à Judæis, an alius certus, cujus nomen omittit? Atqui nec Deum unum Abgarus colebat, nec alium, ſine nomine, deſignaſſet; niſi ſine Emphaſi, aut additâ quapiam voculâ, quâ ſignificaretur quidam ſingularis Deus. ANN. XXIX.

XIV. Sed qui Abgari perſonæ ſatis convenienter loqui non potuit, multò minùs Chriſti perſonam aptè agere ſcivit. Inducit Chriſtum ſic loquentem: *Beatus es, Abgare, qui in me credideris, quem non vidiſti*; quæ verba imitatio ſunt eorum, quæ Thomæ dixit Chriſtus; qui ſic in Epiſt. ad Edeſſenorum Regulum pergit: *De me enim ſcriptum eſt, eos qui me viderint non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam æternam accipiant.* Quæ nuſquam exſtant in Vetere Teſtamento, meráque ſunt adluſio ad locum Joannis XX, 29. niſi è ſuppoſiticio libro deſumta malimus. Ipſa narratio adventûs *Thaddæi* ad curandum *Abgarum*, & prædicandum Edeſſæ Evangelium, oratióque quam Edeſſæ habuit plura ſuppoſitionis indicia præbent, ideóque [7] ne ab iis quidem, qui Epiſtolas memoratas rejicere prorſus non audent, iis æquiparantur. Sed rectiùs fecit *Gelaſius*, Epiſcopus Romanus, qui in Concilio, anno CCCCXCIV. congregato, utramque Epiſtolam, quaſi *Apocrypham*, rejecit. Qui aliter ſe gerunt, non prudentes ſe, hac in re, ſed nimiùm credulos præbent; ſi enim talia admittantur, quid tandem rejici poterit? At *Euſebius* hæc invenit in Tabulariis Edeſſenis, & quidem Syriacâ Linguâ. Quaſi verò fucus *Euſebio* fieri non potuerit, qui in tot aliis os ſibi ſublini paſſus eſt; aut quaſi quidquid in Tabulariis repoſitum fuit genuinum haberi debuerit, aut Syriacâ Linguâ fingi non poſſent commenticia monumenta; eâ ætate, quâ tot alia ab impoſtoribus ſuppoſita ſunt! Alii quidem *Euſebio* poſteriores hæc commemorarunt, ſed errantem, ſine examine, ut paſſim factum, ſequioribus præſertim ſæculis, ſequuti ſunt.

L. Caſſio-

ticias Epiſtolas rejecerunt, inter quos eminet *Alexander Natalis*, in Hiſt. Sæc. I. quem fruſtra confutare nititur *Grabius*, *Apocryphorum* nimis ſtudioſus.

ANN. XXX.

L. Caſſio Longino, M. Vinicio COSS. Tiberii Imp. XVII. Æræ Vulgaris Chriſti XXX. *Herodis & Philippi XXXIII.*

I. Post mortem Stephani, gravis à Judæis perſequutio toti Jeroſolimitanæ Eccleſiæ incubuit, ut docet Lucas Act. VIII, 1. & XI, 19. Saulus enim, à Synedrio poteſtate acceptâ, ubique conquirebat Chriſtianos; & connivente, ut videtur, Pilato, quòd res non ageretur quæ ad Cæſarem pertineret, aut pecuniâ fortè acceptâ jus hoc Judæis in ſuos conceſſiſſet, domos eorum ingreſſus viros & mulieres vinctos trahebat, & in carcerem conjiciebat. Quin & nonnullos occidi curavit, qui conſtantiùs Chriſtianæ Religioni adhæſerunt, alios metu perculſos Chriſtum abnegare coëgit. Ita, præpoſtero Religionis ſtudio, ſe gerebant Judæi; quo fiebat ut non animadverterent ſe id deſignare in ſuos, quod barbarum & inhumanum eſſe dixiſſent, ſi à Romanis in ſe profectum eſſet. Quod non tantùm Lucas narrat Act. VIII, 3. IX, 13. ad 21. ſed & dolens fatetur ipſe Paulus Act. XXII, 4, 5. XXVI, 9, 10, 11. Gal. I, 13. ad 23. Philip. III, 6. 1. Tim. I, 13.

II. Quare Eccleſia Jeroſolimitana uſque adeò disjecta eſt, ut ſoli fermè Apoſtoli, ad eam tuendam & confirmandam, Jeroſolimæ remanerent; quemadmodum videmus Act. II, 41. & IV, 4. Alii per Judæam & Samariam errantes Evangelium nunciarunt, Act. VIII, 1, 4. Alii Damaſcum ſe ſe contulerunt, Act. IX, 19, 25. inter quos fuit Ananias, vir antea in Judaïca Religione, ob ſanctitatem morum, laudatus, ut Lucas docet, eodem in Libro c. XXII, 12. Alii denique, in Phœnicen, Cyprum, Syriámque, Antiochiam uſque, iverunt, & ſolis Judæis, quod primis illis temporibus obſervatum, Evangelium prædicarunt, Act. XI, 9. Multi enim erant Judæi, per vicinas Judææ Provincias, inter Ethnicos, ſparſi.

III. Inter eos, qui in Samariam profugerunt, fuit Philippus, qui ſeptem primorum Diaconorum unus erat. Is in urbe ipſa Samaria Evangelium, quod multis miraculis firmabat, docuit, non ſine magno fructu. Multis enim & viris & mulieribus, ſummâ lætitiâ, exceptum eſt; qui ſe ſe etiam, Baptiſmo alacriter ſuſcepto, in diſciplinam Apoſtolicam tradiderunt. Fuit, eo tempore, Samariæ Simon quidam, qui ſibi magicâ arte magnam celebritatem pepererat, quaſi à Deo ad homines miſſo; itáque gentem illam deceperat, ut creduli ac ſuperſtitioſi homines *magnam Dei potentiam* eum vocitarent. Cùm verò vir callidus videret ſe longè à Philippo miraculis ſuperari, ſpe ejus artis (nam artis magicæ genus quoddam eſſe putabat) addiſcendæ, baptiſmo ablutus ſe ſe Chriſtianum etiam eſſe velle profeſſus eſt. Interim famâ adductorum ad Chriſtianam fidem Samaritarum Jeroſolimam adlatâ, Apoſtoli eò mittendos cenſuerunt Petrum & Joannem; qui, cùm veniſſent, credenti-

bus

ANN. XXX.

bus manus impoſuerunt, Spiritúmque Sanctum iis, precibus ſimul fuſis, à Deo impetrarunt; acceperant enim à Philippo baptiſmum dumtaxat, *in nomen Chriſti*, ſeu ut in poſterum Diſcipuli Chriſti eſſent & vocarentur. Ibi verò Simon rei admiratione perculſus, & Magiam quamdam, ut antea, hanc eſſe ratus, pecuniam Apoſtolis obtulit, ſi ſe artem conferendi Spiritûs Sancti edocere vellent. Quod abominatus Petrus, graviter hominem objurgavit, ſibique exitium accerſiviſſe dixit, quod Dei dona pecuniâ emi putaret; nec tamen omni ſpe veniæ à Deo impetrandæ excluſit, ſi modò animum mutaret. At Simon rogare ipſos Apoſtolos, ut precibus Dei pacem impetrare ſibi vellent; quæ omnia narrantur à Luca, Act. VIII, 5, ad 25. apud quem nulla ampliùs Simonis mentio. Verùm, ſi Veteribus credimus, tantùm abfuit ut melior fieret Simon, ut omnes artes adhibuerit, quibus Evangelii progreſſus moraretur, & impiam quamdam ſectam conderet; quæ de nomine ejus *Simonianorum* dicta eſt, & ob eruditionem, quam jactabat, *Gnoſticorum*; qua de re, ſuo loco, poſtea dicemus.

IV. APOSTOLI non in urbe tantùm Samaria Evangelium nunciarunt, ſed & per multos Samariæ pagos eam lucem circumtulerunt. Quamvis à Judæis vehementer diſſiderent Samaritæ, tamen Legem Moſaïcam admittebant, è qua, ſed præſertim è miraculis Jeſu & Apoſtolorum, eum Meſſiam eſſe ſatis liquere poterat. Chriſtiani, Domini exemplo permoti, qui apud Samaritas, ab initio fermè, Evangelium prædicarat, religioni eos adire minimè duxerunt, quamvis Ethnicos nondum adirent; atque odium, quo Judæi eam gentem proſequebantur, quippe quod cum humanitate & caritate Chriſtiana norant conſiſtere non poſſe, flocci fecerunt.

V. HOC eodem tempore, Philippus Evangeliſta, monitu Angeli, Gazam veterem, quæ deſerta, à temporibus Alexandri Macedonis, etiam tum erat, profectus eſt, ubi occurrit Eunucho; qui Candaces Æthiopiæ Reginæ, cujus regia Meroë fuit, Ærario præerat. Is Religionis Judaïcæ Proſelytus, Jeroſolimam, Dei in Templo adorandi causâ, venerat; quo peracto, in Æthiopiam redibat. Curru vehebatur, & Eſaiam quidem Prophetam legebat; quod cùm audiſſet Philippus, quæſivit, an ſatis mentem Prophetæ adſequeretur? Ille verò ſe interprete indigere reſpondit, ſimúlque Philippum, eo officio defuncturum, ſuum currum ut adſcenderet rogavit; quod ille non invitus fecit, invenitque locum Prophetæ, quem legebat, eſſe Cap. LIII, 7. & ſeqq. & oranti ut doceret de quonam loqueretur Eſaias, Jeſum eſſe Philippus oſtendit, Evangeliúmque homini nunciavit. Cujus oratione ita adfectus eſt Eunuchus, ut baptiſmum ab eo poſtularet; quem, fidem minimè fucatam profeſſus, [1] impetravit, poſtquàm ad rivum perveniſſent, ad quem

1 *Impetravit*] Satis temporis non fuit Philippo, ut Eunuchum univerſam Chriſti doctrinam penitus doceret; ſed eo tempore non tantùm totius Chriſtianiſmi peritis, ſed

ANN. XXXI. quem currum ſiſti juſſit. Hoc peracto, Spiritus Chriſti Philippum ſubitò raptum ejus conſpectui eripuit, & Azotum tranſtulit; ubi & per omnes urbes, Cæſaream uſque, Evangelium nunciavit; dum Eunuchus lætus, ob Chriſti cognitionem & baptiſmum ſuſceptum, in Æthiopiam rediret; ubi nec credibile eſt, quamvis ſileat Hiſtoria Sacra, tantum theſaurum, à ſe inventum, occultaſſe. Vide Act. VIII, 26. ad 40.

Tiberio Auguſto V. L. Ælio Sejano COSS. Tib. Imp. XVIII. Herodis & Philippi XXXIV. Æræ Vulgaris Chriſti XXXI.

I. Saulus Moſaïcæ Legis Phariſaïcorúmque inſtitutorum ſtudio ardens, Religioni Chriſtianæ, quam non norat, extrema omnia minabatur. Litteras impetravit à Synedrio ad Damaſcenorum Judæorum Synagogas, ut, [1] ſi Aretas Ethnarcha, cui urbs parebat, pateretur, quidquid Chriſtianorum illic inveniret vinctum ſibi traderetur; Jeroſolimam, ubi violatæ, ſcilicet, Legis Moſaïcæ pœnas daret, abducendum. Cùm autem ſe itineri confeſtim dediſſet, nec procul Damaſco abeſſet, meridiano tempore, repente ſplendor inuſitatus è cœlo adfulgens, Soliſque lucem longè ſuperans eum & comites circumfudit. Qui cùm omnes in humum, præ timore, concidiſſent; audivit Saulus ſonoram vocem ſe Linguâ Hebraïcâ ſic compellantem: SAULE, SAULE, CUR ME INSECTARIS? *Quis verò es*, inquit, *Domine?* EGO SUM, reſpondit vox, JESUS, QUEM TU INSECTARIS. SURGE VERO, ATQUE IN PEDIBUS TUIS CONSISTE; PROPTEREA TIBI CONSPICIENDUM ME PRÆBUI, UT TE MINISTRUM AC TESTEM CUM EORUM QUÆ VIDISTI, TUM EORUM QUÆ TIBI OSTENDAM DESIGNAREM. Deinde addidit muneris Apoſtolici deſcriptionem; quâ auditâ petiit pavens ac tremens Saulus, *quid vellet à ſe fieri?* Juſſus eſt Damaſcum ire, ubi ampliora mandata, de iis quæ ei imponebantur, accepturus eſſet.

II. Surrexit ergo, & cùm, ſplendore lucis occæcatus, uſum oculorum amiſiſſet, Damaſcum, comitibus eum manu ducentibus, ivit; ubi Ananias, de quo antea diximus, cœleſti & ipſe viſo juſſus eſt ad Saulum, quem timebat eò quòd Chriſtianos vexaſſet, & vincturus etiam veniſſet, ire. Interim Ananiam ad ſe venientem & oculorum uſum ſibi, impoſitione manuum, reſtituentem in ſimili viſo conſpexit Saulus.

ſed etiam omnibus, qui ſe Chriſti diſcipulos fieri velle profitebantur, ſéque in ejus diſciplinam tradebant, adminiſtrabatur baptiſmus; eâ tamen lege ut poſtea, prout veros diſcipulos decebat, pleniorem Religionis Chriſtianæ cognitionem ſibi compararent.

1 *Si Aretas* &c.] Hoc addidimus quia Synedrio Jeroſolimitano in Judæos, in aliena ditione viventes, jus nullum erat, invitis iis in quorum agris habitabant. Sed hinc intelligere eſt Tetrarchas & Dynaſtas

Saulus. Quod tertio die, ad quem etiamnum cæcus jejunaverat, factum eſt, & Saulus quidem viſu recuperato, cùm ex oculis veluti ſquamæ cecidiſſent, Chriſtianæ diſciplinæ nomen dedit, eique [2] Baptiſmo conſecratus eſt. Quæ omnia pluribus expoſuit Lucas, Act. Cap. IX, XXII & XXVI. ANN. XXXII.

III. Quæ verò Damaſci à Chriſto mandata acceperit Saulus, Evangeliſta non memoravit. Sed ipſe Saulus in Epiſtola ad Galatas, multis annis poſtea ſcripta, Cap. I, 12, 16, 17. ubi quid ſibi, cùm à Chriſto ſic vocatus fuiſſet, mandatum eſſet, narrat, ait ſe vetitum eſſe cum ullo homine, de munere ſibi impoſito, verba facere, ac proinde Jeroſolimam redire, ad eos, quos Jeſus, dum in terris eſſet, Apoſtolos creaverat; & juſſum ire in Arabiam, ubi non ab hominibus, ſed à Chriſto ipſo doctrinam Chriſtianam acciperet. Paruit verò Saulus & mox à Chriſto edoctus Damaſcum rediit, ubi, omnibus tantam mutationem mirantibus, Evangelium nunciare, & Jeſum eſſe Chriſtum popularibus ſuis probare cœpit. De quibus ipſe Gal. I, 17. & Lucas Act. IX, 19, 22. & XXVI, 20.

IV. Hoc anno, Romæ occiſus eſt, juſſu Tiberii, Sejanus poſtquàm diutiſſimè favore Principis, amore ejus cæcutientis, exitialiter abuſus, deprehenſus eſt ad ſummam poteſtatem viam adfectare, qua de re *Dion* Lib. LVIII. *Philo* in Lib. de legatione ad Caium, hunc infenſiſſimum fuiſſe ait Judæis; quibus alioqui favebat Tiberius, aut certè non admodum adverſabatur.

Cn. Domitio Ahenobarbo, M. Furio Camillo Scriboniano COSS. Tiberii Imp. XIX. Herodis & Philippi XXXV. Æræ Vulgaris XXXII.

I. Postquam ſat diu Saulus Damaſci commoratus fuiſſet & Evangelium conſtanter prædicaſſet, tantam invidiam ſibi apud Judæos conflavit; ut homines acerbi, de eo occidendo, conſilium ceperint. Cúmque res innotuiſſet, timeréntque Judæi, ne Saulus Damaſco proficiſceretur; impetrarunt ab Areta, ut ad portas urbis excubiæ agerentur, ne interdiu, aut noctu elabi Saulus poſſet. Verùm ex Ædibus muro conjunctis, per feneſtram, in majore cophino, à Chriſtianis in foſſam demiſſus eſt; quâ ratione, vigiles fefellit & inſidiatorum ſævitiæ ereptus eſt. Quibus de rebus, vide Act. IX, 23, 24 & 25. & 2. ad Cor. XI, 22.

II. In-

tas aliquando talia, in gratiam Synedrii, eſſe paſſos, cùm præſertim Judæi ipſi Synedrio parere non nollent. Vide ad annum XXXII, 1.

2 *Baptiſmo* &c.] Noverat quidem, ex oblato ſibi viſo, Chriſtianam doctrinam eſſe veram, ſed nondum ſingula ejus capita didicerat, quæ poſtea divinitus accepit. Verùm ut ad Baptiſmum homines admitterentur, ſatis erat, eo tempore, eos velle diſcipulos Chriſti fieri, ut jam antea diximus.

ANN. XXXIII. II. Interim non minore ſtudio, ſine dubio, Evangelium prædicabatur, per Judæam; quamvis fortaſſe, propter Judæorum pervicaciam & inſidias, paullò occultiùs. Sed cùm Hiſtoria Actorum Apoſtolicorum breviſſima ſit, neque per annos digeſta; non omnia quæ contigerunt, nec tempora novimus, [1] quæ conjecturis ex rerum ordine & collatione locorum ductis conſtituenda ſunt.

Ser. Sulpicio Galba, L. Sulla Felice COSS. Tiberii Imp. XX. Herodis & Philippi XXXVI. Æræ Vulgaris Chriſti XXXIII.

I. Saulus Damaſco egreſſus, *poſt tres annos*, hoc eſt, tertio à cœleſti vocatione anno, ut colligere poſſe videmur ex Gal. I, 18. Jeroſolimam ivit, ut Petrum viſeret, & conatus eſt illico ſe ſe Chriſtianis adjungere; quibus ſuſpectum erat Chriſtianæ Religionis ſtudium, quod præ ſe ferebat; quia Chriſtianos ab eo non ita pridem crudeliter vexatos norant, nec quemadmodum ad Chriſti fidem adductus fuiſſet ſciebant. Sed Barnabas, cui res innotuerat, eum duxit ad Petrum & Jacobum, qui frater Chriſti dicebatur, quos ſolos ex Apoſtolis vidit; & commoratus quidem eſt, apud Petrum, per quindecim dies; cui quæcumque ſibi contigerant aperuit. Quæ narrat Lucas Act. IX, 26, 27. & Paulus ipſe Gal. I, 18.

II. Admiſſus ergo in cœtum Chriſtianorum, cum iis Jeroſolimæ verſatus eſt, ac, ſine metu, ſe Chriſti Diſcipulum profeſſus, cum Helleniſtis Judæis de Chriſtiana Religione, quam tuebatur, diſceptare magno animo cœpit. Quamobrem pertinaces Helleniſtæ, & ſtudio inconſulto Legum Moſaïcarum occæcati, hominem occidere adgreſſi ſunt; ſed cùm res ad Chriſtianorum aures perveniſſet, deduxerunt eum nonnulli Cæſaream, ut illinc in patriam Tarſum ſe conferret, Evangelium illic minore fortè invidiâ, & majore cum fructu, nunciaturus; quæ apud Lucam leguntur Act. c. IX, 28, 29, 30.

III. Eodem anno, mortuus eſt Pomponius Flaccus, Syriæ Præſes, cui biennio pòſt L. Vitellius ſucceſſit, ut ſuo loco dicemus.

Paullo Fabio Perſico, L. Vitellio COSS. Tiberii Imp. XXI. Herodis & Philippi XXXVII. Æræ Vulg. Chriſti XXXIV.

I. Hoc tempore, Eccleſiæ omnes Chriſtianæ, per totam Judæam, Galilæam & Samariam, pace fruebantur & in dies augebantur; non beneficio, ut videtur, Judæorum, qui in Chriſtianos ſemper acerbi & in-

3 *Quæ conjecturis* &c.] In quibus partim *Jacobum Uſſerium*, in Annalibus Eccleſ. partim *Joannem Pearſonium* in Annal. Paulinis ſequuti ſumus.

inhumani fuerunt; ſed Romanorum, quorum non intererat Populi Romani vectigales à Judæis vexari; cùm præſertim magno numero eſſent, qui Chriſtianam doctrinam amplectebantur. Cùm verò Petrus Eccleſias omnes circumiret, ut earum fidem confirmaret, contigit eum Lyddam ſe conferre; ubi, curato Æneâ, qui ab octo annis paralyticus in lecto jacebat, ita perculſi ſunt Lyddenſes & qui vicinum Saronem incolebant, ut plerique eorum Chriſto nomen darent. Joppæ, quæ urbs erat vicina, habitabat Tabitha quædam, quod nomen Græcè *Dorcas* hoc eſt, *caprea* efferebatur; pro more ejus ævi, quo Judæi multi Hebraïcis & Græcis nominibus vocabantur. Ea mulier tunc temporis fato functa eſt, quæ cùm in pauperes & viduas præſertim beneficentiſſima fuiſſet, ab omnibus ſummopere lugebatur. Quod animadvertentes Chriſtiani, qui Petrum in vicinia eſſe norant, ſciebántque mulierem, ſi ita Spiritui Sancto viſum eſſet, poſſe per Petrum è mortuis excitari, hominem accerſiverunt; qui eò ivit, eámque, precibus ad Deum fuſis, excitatam ſuis incolumem reddidit; quo miraculo, multi eorum locorum incolæ ad fidem Chriſtianam adducti ſunt. Quare Petrus, hominum docendorum causâ, diu in iis locis commoratus eſt, apud quemdam Simonem coriarium. Habentur hæc pluribus apud Lucam Act. IX, 31. ad finem. ANN. XXXIV.

II. Hoc anno, obiit Philippus Tetrarcha, ut prodidit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 6. qui fuit vigeſimus Tiberii, nam vigeſimus primus à die XIX. Auguſti hujus anni tantùm inchoandus eſt. Imperaverat ille Trachonitidi, Gaulanitidi, & Batanææ, per triginta ſeptem annos, ſéque moderatum & quietis amantem præbuerat. Numquam Ethnarchiâ ſuâ egrediebatur, & cùm in publicum procedebat, paucos eóſque ſelectos comites ſecum ducebat; per viam, ſequente ſellâ, in qua ſedens jus dicere ſolebat. Si quis enim occurreret, qui ad auxilium ejus confugeret, poſitâ ſellâ, querelas audiebat, & ſine mora ſententiam ferebat. Quæ æquitas non iis tantùm, qui ei parebant, ſed & vicinis, qui Herodis fratris imperio ſubjacebant, otium & tranquillitatem præſtitit; quibus frui non potuiſſent, ſi turbarum amantem vicinum habuiſſent. Nec ſine Divina Providentia factum eſt, ut quietæ eſſent eæ Judææ partes, in quibus Chriſtus morabatur; cùm bello efferatis, aut turbatis & pavidis non ita commodè, nec pari fructu, Evangelium nunciari potuiſſet. Nullos liberos reliquit Philippus, ideóque Tetrarchiam ejus Tiberius Provinciæ Syriæ adtribuit; ut docet loco memorato *Joſephus*.

C. Ceſtio Gallo, M. Servilio Noniano COSS. Tiberii anno XXII. Herodis XXXVIII. Æræ Vulgaris Chriſti XXXV.

I. L. Vitellius, ſuperioris anni Conſul, Syriâ Provinciâ à Tiberio acceptâ, Jeroſolimam, tempore Paſchatis, venit, ubi honorificentiſſimè

ANN. XXXV. mè exceptus, ut gratiam Judæis referret, vectigal venalium fructuum Jeroſolimitanis remiſit, & ſtolam ſacerdotalem, cum reliquo Pontificis Max. ornatu, quæ antea à Turris Antoniæ Præfecto ſervabantur, à Sacerdotibus in Templo cuſtodiri in poſterum paſſus eſt. Tum etiam in locum Joſephi Caïaphæ, Jonatham Anani, ſeu Annæ filium, ſuffecit & Antiochiam profectus eſt. Quæ habet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XV. cap. ult. & Lib. XVIII. c. 6.

II. Non multò pòſt exorta eſt, apud Samaritas, ſeditio, cujus graves pœnas luerunt, hac occaſione. Impoſtor quidam ex ea gente, cùm, mendaciis ad multitudinis captum compoſitis, ſibi gratiam plebis conciliaſſet, eam ad Garizitanum Montem convocavit; pollicitus ſacra vaſa, quæ illic olim Moſes ſub terra, ut aiebat, abdiderat, ſe refoſſurum. Creduli Samaritæ, armis ſumtis, ne tantus ſibi theſaurus eriperetur, Tirabatham vicum inſederunt, omnéſque ad arma vocarunt, ut majore agmine ad ſacrum montem irent. Pilatus tumultum veritus, aut miſerorum Samaritarum expilandorum occaſionem captans, re auditâ, è veſtigio quos ad manum habuit equites & pedites ad montem mittit, priórque ejus clivum occupat. Tum ad vicum progreſſus imparatos invadit, quorum multos occidit, reliquos in fugam vertit. Qui vivi in manus ejus inciderunt abducti, atque ex iis quidem ditiſſimi quique & potentiſſimi morte pœnas dederunt. At Proceres Gentis Vitellium adierunt, queſtique ſunt ſe, hoſtile nihil molitos, à Pilato cæſos fuiſſe; nam quòd Tirabatham armati concurrerant, factum id fuiſſe quòd, ne vis ſibi à Pilato inferretur, timerent, non quòd defectionem ab Imperio Romano meditarentur.

III. Æquis auribus eos audivit Vitellius, & facinora alia Pilati, ſine dubio, edoctus Marcellum, ex amicis, mittit, qui Judææ Procurator ejus loco eſſet, donec alius à Cæſare mitteretur; Pilatúmque Romam ire jubet, ut apud Cæſarem ad objecta, non à Samaritis tantùm, ſed & à Judæis crimina reſponderet. Addit Hiſtoricus Judæus Pilatum, *conſumtis decem annis in Judæa, Romam feſtinaſſe parentem litteris Vitellii, cùm non poſſet obſiſtere; ſed ejus Romam adventum Tiberium morte ſuâ antevertiſſe*; quæ contigit die XXVI. Martii, anni Æræ Vulg. XXXVII. Itaque ſi pervenerit in Provinciam, anno ejuſdem Æræ XXV, non *decem*, ut ait *Joſephus*, ſed *undecim* annos in ea exegiſſet; cùm Romam non advenerit, niſi anno XXXVII, poſt mortem Tiberii, nec credibile ſit eum ſeſquiannum in eo itinere abſumſiſſe. Poteſt ſanè fieri ut ſcripſerit *Joſephus* non δέκα ſed ἕνδεκα, & anno tantùm XXXVI. ſub finem, Romam profectus fuerit Pilatus, unde factum ſit ut nonniſi mortuo Tiberio venerit, ita ut hodierna lectio libra-

1 *Quidvis profectò* &c.] Vide hac de re notata ab *Henrico* Cardinali *Noriſio* ad Cenotaphia Piſana, Diſſert. II. Cap. XVI. §. 12.

1 *Quamvis circumciſionem non ſuſcepiſſet* &c.] Quod ſi ab eo factum fuiſſet, non dubi-

ſibrariorum lapſui ſit adſignanda. Poteſt & *Joſephus* hac in re erraſſe, aut plures menſes primi & poſtremi anni, ut annorum ſummam rotundam, ut loquimur, efferret omiſiſſe. Nec quidquam vetat Pilatum lentis itineribus Romam iviſſe, cùm rei malè ſibi conſcii ad judicium properare non ſoleant; ſeu morbum finxerit, aut contrarii fuerint venti, ſeu alia quadam de cauſa moratus ſit, ut mortem Tiberii ſenis & malè habentis exſpectaret. [1] Quidvis profectò comminiſci malim, quàm, unius *Joſephi* causâ, Chriſtianis omnibus veteribus in os contradicere; cùm alias etiam in Chronologicis rebus erraverit, ut viri docti oſtenderunt; & diſſimulationis improbæ, ad Hiſtoriam Chriſtianam quod adtinet, reus ſit, ut ſuis locis diximus. ANN. XXXVI.

III. Hoc eodem anno, cùm Saulus Tarſum profectus eſſet, per Syriam & Ciliciam, quà tranſibat, Evangelium prædicavit; cùm etiamnum Judææ Eccleſiis de facie ignotus eſſet. Audiverant tantùm Saulum illum Tarſenſem, qui crudeliter Chriſtianos antea inſectabatur, jam ad fidem Chriſtianam adductum eſſe; ideóque Dei potentiam & bonitatem ſummis laudibus efferebant, ut ipſe docet Ep. ad Gal. I, 21. & ſeqq.

Sex. Papinio Allenio, Q. Plautio COSS. *Tiberii Imp.* XXIII. *Herodis Antipæ* XXXIX. *Æræ Chriſti Vulgaris* XXXVI.

I. Dum Petrus Joppæ verſaretur, viſum divinitus oblatum eſt Cæſareæ Cornelio cuidam, Centurioni Romano, in Italica Legione; qui jam ad cultum veri Dei, [1] quamvis circumciſionem non ſuſcepiſſet, cum tota familia, traductus fuerat; quo viſo, monitus eſt preces ejus & beneficentiam erga pauperes Deo gratas eſſe, ſed ei deeſſe rerum divinarum pleniorem ſcientiam, quam accepturus eſſet à Petro, quem juſſus eſt Joppâ accerſere. Paruit ille divino monito, miſſis, qui Petrum vocarent, poſtridie; quo die Petro, qui in ſolarium adſcenderat, circa meridiem, ut illic precibus operam daret, divinitus etiam eſt revelatum, inſigni viſo, nihil eſſe cur Ethnicos, quos Deus ſibi æquè conſecrare poterat ac Judæos, profanorum & impuratorum hominum loco haberet, atque iis familiariter uti religioni duceret. Quin & juſſus eſt ire cum tribus viris, quos ejus accerſendi causâ miſerat Cornelius, & qui cùm de viſo, quod dixi, meditaretur, commodùm adfuerunt. Ergo expoſitis mandatis ſuis, Apoſtolum minimè repugnantem, poſtero die, ad Cornelium abduxerunt. Is verò, convocatis amicis & neceſſariis, Petrum exſpectabat, & ſimul ac eum vidit, ad pedes ejus acci-

dubitaſſet Petrus ad eum accedere; nam *Proſelyti Juſtitiæ*, inſtar Judæorum, habebantur. Qua de re, vide *Joan. Seldenum* de Jure Nat. & Gent. Lib. II. c. 4.

ANN. XXXVI. accidens, adoravit; ſed ſurgere illico Centurionem juſſit Petrus, ſe hominem etiam eſſe dicens, ac proinde eo cultu indignum. Tum addidit notum quidem iis eſſe homini Judæo illicitum fuiſſe Ethnicis familiariùs uti, [2] quòd impuri à Judæis haberentur; ſed ſe à Deo edoctum, neminem hominem eſſe immundum habendum. Quibus auditis, Cornelius viſum cœleſte narravit, quo eum accerſere juſſus erat. Excepit verò ejus ſermonem Petrus, dixítque ſe jam videre Deum hominum, quocumque genere orti eſſent, rationem non habere, ſed tantùm ſanctitatis morum, & religionis minimè fucatæ; doctrinámque Evangelicam, ſine mora, Cornelio, adſtantibúſque tradidit: prout etiam Apoſtolis in mandatis dederat Chriſtus, paullò antequàm in cœlum ſubveheretur.

II. Etiamnum loquebatur, cùm ecce Spiritus Sanctus in audientes delapſus eſt; non ſine ſumma admiratione Chriſtianorum, qui antea Judæi fuerant. At Petrus eos, qui Spiritum Sanctum acceperant, aquæ baptiſmo arceri poſſe non cenſuit, omnéſque eo ritu in Eccleſiam Chriſtianam admiſit, & cum iis, ut pleniùs inſtituerentur, aliquamdiu commoratus eſt. Cùm verò Jeroſolimam reverſus eſſet, audiſſéntque Judæi, qui Chriſto credebant, Evangelium ab Ethnicis admiſſum; nonnulli, præjudiciis Judaïcis etiamnum laborantes, nec dum Chriſtianæ doctrinæ ſatis periti, ægrè tulerunt, quòd incircumciſos adiiſſet, unáque cum iis cibum capere religioni minimè duxiſſet; ſed à Petro rem totam edocti Deum laudarunt, quòd etiam Gentiles ad vitam æternam vocaſſet. Quæ omnia pluribus legi poſſunt apud Lucam, Actorum Cap. X, & XI. ad verſum 18.

III. Hoc anno, Agrippa Senior, qui & Herodes adpellabatur, Ariſtobuli filius, Herodis M. nepos in Italiam ivit; cujus varia fata docebit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII, c 7 & 8. quæ ſingillatim narrari, cùm ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam nihil faciant, neceſſe eſſe non duximus. Nummis & gratiâ Antoniæ, matris Germanici & Claudii, qui Imperator poſtea fuit, adjutus, nepotem ejus C. Cæſarem, cui Caligulæ cognomen impoſitum, & qui Tiberio ſucceſſit, obſervare & colere cœpit. Brevi in familiaritatem ab eo receptus, cùm unà rhedâ veheretur, ut quàm primùm Tiberius ei Principatu cederet precatus eſt; quod audivit Eutychus, libertus & auriga Agrippæ. Is verò furti poſtea à patrono inſimulatus, cui veſtem ſurripuerat, in fugam ſe dederat; à qua retractus, & ad Piſonem Urbis præfectum deductus, cùm de fugæ cauſa interrogatus reſpondiſſet, ſe habere arcana quædam ad Cæſaris ſalutem pertinentia, miſſus eſt Capreas; ubi aliquamdiu in vinculis ſervatus & tandem à Tiberio auditus effecit ut Agrippa ipſe in vincu-

2 *Quod impuri haberentur* &c.] Ita ſe geſſiſſe videntur Judæi in Palæſtina, ubi numero plures erant, certè in urbibus Judaïcis; ſed cùm permulti eſſent Romæ ac per totum Imp. Romanum ſparſi, imò & apud Parthos etiam magno numero viverent,

vinculà conjiceretur; quibus liberatus non eſt, niſi poſt Tiberii interitum; ut idem Hiſtoricus memoriæ prodidit. ANN. XXXVII.

IV. Eodem tempore, orta eſt controverſia, de Gamalitici agri finibus, Herodem Tetrarcham inter & Aretam, Arabiæ Petrææ Regem, qui dudum Herodi, alia de cauſa; quòd, nempe, dimiſſâ ejus filiâ, Herodiadem duxiſſet, infenſus erat. Ad arma ventum cùm eſſet, Herodis exercitus ad internecionem eſt deletus. Qua de re, queſtus eſt apud Tiberium, qui ad Vitellium ſcripſit, ut Aretam vivum, aut mortui caput ad ſe mitteret. Judæi autem Herodis exercitum, ultione Numinis, ob cædem Joannis Baptiſtæ, conciſum crediderunt; ſi fidem habemus *Joſepho*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 7.

C. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino COSS. Tiberii Imp. XXIII. Caii Caligulæ I. Herodis Antipæ XL. Herodis Agrippæ I. Æræ Vulgaris Chriſti XXXVII.

I. Mensis Martii hujus anni die XVI, ſi *Suëtonium* & *Tacitum* ſequimur, ſi *Dionem*, XXVI. cùm poſt Auguſti mortem imperaſſet per XXII. annos, VII. menſes, & VII. dies, mortuus eſt Tiberius; eique C. Cæſar Caligula, Germanici Cæſaris Filius, ſucceſſit.

II. Marsyas quidam, Agrippæ libertus, cùm mortem Tiberii audiſſet, rectà ad patronum in Prætoriana Caſtra, ubi ſervabatur, ire contendit; qui eâ horâ corpus curaturus ad balneas ibat, & cui, Hebraïca Linguâ, capitéque auri admoto, dixit *mortuum eſſe Leonem*. Qua de re, ab iis monitus Centurio, qui cuſtodiæ præerat, Agrippæ vinculis ſoluto lautam cœnam adpoſuit; cujus causâ, cùm adcubuiſſent, advenit nonnemo, incolumem eſſe Tiberium & brevi in Urbem rediturum nuncians. Quibus verbis territus Centurio Agripppam lecto deturbari & arctiùs vinciri juſſit. Verùm poſtridie venerunt à Caïo litteræ ad Senatum, quibus ſe rerum habenas ſumſiſſe, mortuo Tiberio, ſignificabat, & alteræ ad Piſonem, quibus cùm idem nunciabat, tum etiam Agrippam, è caſtris Prætorianarum cohortium, dimitti mandabat in Ædes, in quibus antea habitare ſolitus erat, ubi tamen etiamnum cuſtodiebatur. Sed paucis exactis diebus, ad ſe venire, tonſum & veſtibus mutatis, juſſit Caïus; nec multò pòſt diademate caput ejus redimivit, & Tetrarchiarum, quas Philippus patruus & Lyſanias habuerant, Regem ſalutavit. Tum in Judæam Procuratorem Marullum miſit, qui Pilato ſuccederet. Quæ habet *Joſephus*, Lib. XVIII. c. 8.

III. Præses Syriæ Vitellius bellum, juſſu Tiberii, interim Aretæ illaturus, & ornatis ſignis per Judæam tranſiturus, ut Petram, ubi regia

rent, ut docet *Philo*, in Libro de Legatione ad Caium; cúmque ubique, pro more gentis, negotiarentur olim, quemadmodum hodie; familiariùs alibi cum Ethnicis verſari neceſſe habebant.

ANN. XXXVIII. regia Aretæ, contenderet, [1] precibus Judæorum permotus, exercitum per Magnum Campum ducere inſtituit. Interea excurrit Jeroſolimam, cum Herode Tetrarcha, ſacráque illic pro ſe fieri juſſit & Jonathæ fratrem ejus Theophilum ſuffecit, in Pontificatu Maximo. Quarto pòſt die, Româ litteras accepit, ex quibus intellexit mortuum Tiberium, eique ſucceſſiſſe Caligulam, in cujus fidem Judæos ſacramento adegit. Poſtea revocatum ex itinere exercitum in hiberna dimiſit. *Joſephus*, Lib. XVIII. c. 7.

IV. Judæi Alexandrini ſtatim ac reſciverunt Caligulam Tiberio ſucceſſiſſe, omnes honores ei decreverunt, quos per Moſaïcas Leges decernere eis licebat, orarúntque Flaccum Avillium, qui ſexto jam anno Ægypto præerat, ut decretum hoc ſuum Romam mittere vellet. Quod promiſit, ſed promiſſis non ſtetit, & quidem eum in finem, ut Judæi Ægyptienſes ſoli omnium Caïum ſpreviſſe viderentur; quod prodidit *Philo*, libro contra Flaccum. Hinc initium factum graviſſimarum vexationum, quibus eos poſtea exagitavit.

M. Aquillio Juliano, P. Nonio Aſprenate COSS. *Caligulæ Imp. II. Herodis Antipæ XLI. Herodis Agrippæ II. Æræ Vulgaris Chriſti* XXXVIII.

I. Postquam Evangelium cœpiſſet Gentilibus nunciari, Cyprii & Cyrenenſes quidam Judæi, Chriſtianam Religionem amplexi, qui Antiochiæ morabantur, participes etiam ejus fecerunt Græcos, qui Deum verum jam colebant, ſed circumciſi minimè fuerant; & multi quidem eorum Chriſtianam doctrinam admiſerunt. Quod cùm audiſſet Jeroſolimitana Eccleſia Barnabam, pleniùs eos edocturum & confirmaturum, mittere Antiochiam ſtatuit.

II. Caligula Macronem, Præfectum Prætorio ſub Tiberio, cui decreta fuerat Ægyptus, poſt exactum ſexennium, quo provinciæ ex ejus mandatis præeſſe oportebat Flaccum, ad mortem adegit. Cùm verò Flaccus Macronis potiſſimùm amicitiâ niteretur, timerétque ſibi, ut videtur, ab Alexandrinis; cœpit in eorum gratiam Judæos vexare, & omni ſuppliciorum genere in eos ſævire; quæ legi poterunt in *Philonis* Libro contra Flaccum.

III. Agrippæ hoc anno domum repetendi poteſtatem fecit Caligula,

1 *Precibus Judæorum*] Erant, nempe, ſigna Dii exercitûs, quos in ſuo ſolo coli ægerrimè vidiſſent Judæi. *Tertullianus* Apol. c. XVI. *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Ad quæ verba vide *Deſ. Heraldum.*

1 *Deinde in Hiſpaniam*] Hoc addidimus, ne *Joſephus* repugnantia ſcribere videretur, nam Antiq. Lib. XVIII. c. 9. ait Herodem exſilio à Caio damnatum accepiſſe οἰκητήριον Λούγδουνον πόλιν τῆς Γαλλίας, ſed Belli Jud. Lib. II. c. 16. ἐν Ἱσπανίᾳ *in Hiſpania* mortuum. At *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 12. quaſi ex *Joſepho* narrat Herodem Βίενναν τῆς Γαλλίας πόλιν οἰκῆσαι καταδικασθέντα, *damnatum habitaſſe Viennæ, quæ eſt urbs Galliæ*; quod peccatum

gula, quò regnum ab eo acceptum ordinare poſſet. Itaque exſpectato Eteſiarum tempore, Alexandriam primùm navigavit; ubi à plebe Alexandrina, Judæis inimica, contumelioſè proſciſſus eſt. Interim à Judæis, de inſidiis ſibi à Flacco paratis, edoctus decretum eorum accepit, quod initio principatûs Caligulæ Romam mitti cupiverant; promiſitque ſe ad Cæſarem miſſurum, ſimúlque cur tam ſerò mitteretur ſcripturum. Non multò pòſt Flaccus in Andron inſulam relegatus eſt, ut *Philo* auctor eſt, atque illic occiſus. ANN. XXXIX.

Caio Aug. II. L. Apronio Cæſiano COSS. Caligulæ anno III. Herodis Antipæ XLII. Herodis Agrippæ III. Æræ Vulgaris Chriſti XXXIX.

I. Cum Agrippam regio nomine ornatum & gratiâ Caii Cæſaris florentem ferre non poſſet Herodias ejus ſoror, viro Herodi Antipæ perſuaſit, ut Romam unà irent, ſimilem titulum à Caïo petituri. Quod cùm accepiſſet Agrippa, Romam etiam miſit Fortunatum Libertum, cui litteras dedit ad Cæſarem ferendas; quibus, conſanguinitatis immemor, patruum accuſabat initæ cum Sejano conſpirationis in Tiberium, & fœderis cum Artabano, Parthorum Rege, contra ipſum Caïum; quam in rem ſibi arma comparaverat, quibus ſeptuaginta hominum millia armare poſſet. Litteræ redditæ ſunt Cæſari, eo ipſo tempore, quo Herodem in conſpectum ſuum admiſerat, iiſque ſine mora perlectis, ab Herode, de numero armorum, verúsne eſſet quæſivit. Herodem rem confeſſum, quam negare non poterat, reum judicavit, Tetrarchiáque Galilææ & Perææ ſpoliavit, quâ poſtea Agrippam donavit; additis etiam Herodis pecuniis, quem damnatum Lugdunum in Galliam, [1] deinde in Hiſpaniam relegavit. Herodiadi quidem parcere voluit, cùm ſororem eſſe Agrippæ audiſſet; ſed maluit illa virum in exſilium ſequi. Ita illicitarum nuptiarum, & cædis Joannis Baptiſtæ, ad quam etiam acceſſere ludibria, quibus Jeſu illuſerat, graves pœnas dedit. Quæ copioſiùs narravit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 8.

II. Pontius etiam Pilatus, cùm in multas calamitates incidiſſet, ut habet *Hieronymus*, in Chronico, propriâ ſe manu interfecit; quod & à Romanis Hiſtoricis ſcriptum idem teſtatur; quibus verbis [2] *Phlegontem* Trallianum, Hadriani Libertum, deſignari exiſtimant viri docti.

Quod

tum memoriæ eſſe putat *Henr. Valeſius.* Sed hinc liqueat Veterum citationibus per omnia non eſſe credendum, nec eorum adcuratione ſemper nos niti poſſe.

2 *Phlegontem* &c.] Sic interpretatur *Joſ. Scaliger* ad an. MMLV. quia *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 7. ſic de auctoribus è quibus hæc habebat: ἱςοροῦσιν οἱ τὰς Ὀλυμπιάδας ἅμα τοῖς κατὰ χρόνες πεπραγμένοις ἀναγράψαντες: *idque à Græcorum Scriptoribus proditum eſt, qui Olympiadas & quæ ſingulis temporibus facta ſunt deſcripſerunt.* Notum eſt à *Phlegonte* ejuſmodi opus ſcriptum fuiſſe, qui quia libertus Hadriani fuit, inter *Romanos Hiſtoricos*, ab *Hieronymo*, in verſione Chronici Euſebiani cenſetur.

ANN. XXXIX.

Quod ſi verum eſt, Herodes & Pilatus proditi Judæis Chriſti, quem, innocentiâ ejus perſpectâ, tueri debuerant, Divinæ Juſtitiæ eodem anno pœnas dederunt.

III. Vitellio è Syria revocato ſucceſſorem miſit Caïus P. Petronium, qui Gentem Judæam exaſperare cœpit, & ad rebellionem, quæ poſtea ſequuta eſt, accendere. In urbem Judææ non infrequentem Jamniam, multi Ethnici paullatim irrepſerant; qui in Leges Judaïcas multa ſunt moliti, & qui cùm accepiſſent ab iis, qui ex Italia quotidie adveniebant, quantopere Caïus, Dei inſtar, coli cuperet, luto in lateres formato, aram ſubitò ei erexerunt; cùm ut gratiam Cæſaris ſibi conciliarent, tum ut, quod Judæorum oculis dolorem crearet, facerent. Nec rem ferendam rati Judæi aram everterunt, quod eorum factum Ethnici Jamnienſes ad Capitonem Quæſtorem detulerunt; qui litteris Caïum, de audacia Judæorum, quàm primùm certiorem fecit. Caïus, iis perlectis, pro altari luteo, quod Jamnienſes fruſtra ei conſecrare tentaverant, Coloſſum inauratum, in ipſo Jeroſolimitano Templo, collocari ſibi juſſit; perſcriptis ea de re litteris adcuratis ad Petronium, quibus ei in mandatis dabat ut, vocatâ ad ſe dimidiâ parte copiarum, quæ ad Euphratem excubabant, ſtatuam collocandam Jeroſolimam uſque perſequeretur, capitis ſupplicium ab iis, qui ei negotio adverſari poſſent, è veſtigio ſumturus. Sed cùm nec ſtatua miſſa eſſet ex Italia, nec ullam in Syria ſumere juberetur Petronius, coloſſum Sidone conflari mandavit. Quare à Judæis repentinus concurſus, qui timeri alioqui poterat, nullus factus eſt. Ne verò tumultus poſtea exſiſteret, Petronius duas legiones Ptolemaïde hibernare juſſit, primo vere, armatâ manu, Jeroſolimæ ſtatuam collocaturus. Rem litteris Caïo ſignificavit, à quo nova mandata eamdem in ſententiam accepit; cum adhortatione ut, dum viriliter ſe gerit, contumacis gentis ferociam frangeret. Quæ debemus *Philoni*, in legatione ad Caïum p. 1021. & *Joſepho*, Lib. XVIII. c. 11.

IV. Nunc ut ad res Eccleſiaſticas redeamus, Saulus, per triennium, multa in Syria & Cilicia, Evangelii causâ, perpeſſus, Tarſum rediit. Barnabas verò Antiochiam cùm perveniſſet, rem, ut nunciata erat, comperit, magnúmque numerum Chriſtianam fidem jam amplexorum ad conſtantiam hortatus eſt, alióſque multos eis, prædicatione Evangelii, adjunxit. Quare cùm tantæ multitudini inſtituendæ non ſuffice-

1 *Quem Cymbalum mundi*] *Plinius* in Præf. Hiſt. Nat. *Apion quidem Grammaticus, hic quem Tiberius Cæſar* cymbalum mundi *vocabat, cùm publicæ famæ tympanum potiùs videri poſſet, immortalitate donari à ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.*

2 *Nec dum collecta frumenta* &c.] Sic habet *Philo* p. 1028. ἐν ἀκμῇ μὲν γὰρ τὸν τοῦ σίτου καρπὸν εἶναι καὶ τῶν ἄλλων ὅσα σπαρτὰ, δεδιέναι δὲ μὴ κατὰ ἀπόγνωσιν τῶν πατρίων ἄνθρωποι, καὶ τοῦ ζῆν καταφρονοῦντες, ἢ δῃώσωσι τὰς ἀρούρας, ἢ ἐμπρήσωσι τὴν σταχυηφόρον ὀρεινὴν καὶ πεδιάδα: *maturum jam eſſe frumentum & alias ſegetes, timere verò ſe ne patriarum rerum deſperatione, & vitam contemnentes aut comburerent agros, aut ſegetum*

ſufficeret, Tarſum ſe contulit & laborum ſocium Saulum ſibi adſumtum Antiochiam reduxit. Quæ docet Lucas Act. XI, 23, 24, 25. ANN. XL.

Caïo Aug. III. Conſule ſolo, principatûs ejus anno IV. Herodis Agrippæ IV. Æræ Vulgaris Chriſti XL.

I. Saulus & Barnabas, per annum integrum Antiochiæ commorati, plures ad fidem Chriſtianam adduxerunt; & eo quidem primùm tempore, atque in ea urbe, qui Chriſto credebant Christiani dici cœperunt. Eò venerunt etiam nonnulli Jeroſolimâ Prophetæ, quorum unus, cui Agabo nomen erat, famem brevi futuram ingentem, in Imperio Romano, prædixit; nec eventus fefellit. Vide Act. XI, 26, 27, & 28.

II. Cum inter Judæos & Græcos Alexandrinos orta eſſet ſeditio, legati ab utraque parte miſſi ſunt ad Caïum, & legationis quidem Judaïcæ princeps fuit *Philo*, cujus elegantiſſima opera, inter quæ liber ea de Legatione conſcriptus, ad nos pervenerunt; Ethnicæ verò *Apion* Grammaticus, [1] quem *Cymbalum mundi* Tiberius Cæſar vocarat, quique virulentum librum in Judæos ſcripſerat à *Joſepho* confutatum. Sed Cæſar Judæos legatos, quòd Numini ipſius ſacra non facerent, increpitos ludibrio habuit & à ſe abire juſſit.

III. Hoc eodem anno, Agrippa Romam, è regno, rediit, & patrui Herodis Tetrarchiam à Caïo accepit. Quibus de rebus, legendi ſunt *Philo* in Legatione ad Caïum, & *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XIX. capite ult.

IV. Interim, in Judæa, Petronius primores Sacerdotum, ceterorúmque Judæorum ad ſe vocavit, expoſitiſque Caii mandatis, ne quid contrà molirentur monuit; adeſſe enim robur Syriaci exercitûs, qui, nî parerent, omnia ferro & igni eſſet vaſtaturus. Quibus auditis, horrore correpti Judæi, nihil repoſuere; ſed lacrimis, evulſionéque capillorum & barbæ dolorem ſuum teſtificati ſunt. Deinde ex tota Judæa, re promulgatâ, omnium ordinum & ætatum homines in Phœnicen ad Petronium confluxerunt, fletúque, gemitibus & ejulatibus, humi proſtrati, eum adegerunt ut ad Cæſarem ſcriberet, ſe nondum ſtatuam erigere potuiſſe; quia nondum erat perfecta, [2] nec dum collecta frumenta, quibus indigebat Caïus, qui cum exercitu in Ægyptum ire conſtituerat,

getum feracem montanam & campeſtrem regionem incenderent, &c. Idem liquet etiam ex reſponſo Caii ad Petronium, quod poſtea ſequitur. Attamen *Joſephus* ait hæc contigiſſe τῆς ὥρας οὔσης πρὸς σπόρῳ *cùm eſſet tempus ſerendi*, quod eſt tribus minimùm menſibus ſerius. Multas alias circumſtantias habet contrarias iis, quæ à *Philone* narrantur, in hac hiſtoria. Sed *Philoni*, homini rerum perito, grandiori natu, eóque tempore legatum Alexandrinorum Judæorum Romæ agenti, præſtat credere quàm *Joſepho*; qui multa hîc habet parum credibilia, & hoc tempore quartum tantùm annum agebat, quippe Caii Cæſaris anno I. ut in vita ſua ait, natus.

ANN. XLI. tuerat, & quæ potuiſſent Judæi, præ deſperatione, vaſtatis agris corrumpere. Caïo vehementer diſplicuerunt litteræ Petronii, quem moras nectere ſtudioſè putabat. Sed diſſimulatâ irâ, prudentiam hominis laudavit, ſimúlque eum collectis frugibus, erectioni ſtatuæ quidquam prævertere vetuit.

V. Eo tempore, Judæi Alexandrini, qui Romæ erant, de conſilio Cæſaris certiores facti, ſuas calamitates domi deplorabant; at Agrippa, qui, omnium ignarus, ad ſalutandum Cæſarem iverat, torvo vultu exceptus, cùm rem narraſſet Caïus & contumaciam popularium ei exprobraſſet, animi deliquium paſſus eſt, & ſemivivus domum relatus. Poſtea ad ſe rediens non auſus eſt ad Cæſarem reverti, ſed [3] libellum ſupplicem ad eum miſit, in quo rem deprecabatur, & anguſtias in quas redactus erat, non ſine gravi adfectu, querebatur. Aliquo modo Agrippæ precibus placatus viſus eſt ferox juvenis, eóque deſcendit ut ſibi ſatisfactum iri diceret ſi, quandoquidem in Metropoli ſtatuam collocari non patiebantur Judæi, ſinerent aliis in oppidis ab iis, qui vellent, id ipſum fieri; omnéſque, qui adverſarentur, pœnas illico darent, aut ad ſe mitterentur. Sed mox eum moderationis, ſi hoc nomine vocari factum poſſit, eum pœnituit, conſtituitque apud ſe ſtatuam ex Italia eò vehere, & cùm in Judæam cum claſſe adpuliſſet, repente collocare. [4] Mirâ enim cupiditate flagrabat viſendi Alexandriam & in ea aliquamdiu commorandi. Putabat, nimirùm, ſe non ægrè effecturum, ut Alexandriæ vivus in Deorum numerum referretur, cujus urbis exemplum ad minora oppida deinde faciliùs manaturum confidebat. Hæc & alia *Philo*, in libro ſæpiùs memorato.

Caio Aug. IV. C. Sentio Saturnino COSS. Claudii Imp. I. Herodis Agrippæ V. Æræ Vulgaris Chriſti XLI.

I. VERUM impia veſani hominis conſilia mors irrita fecit; eſt enim occiſus à Caſſio Chærea a. d. IX. Calendas Februarias, cùm imperaſſet triennio, menſibus X. diebúſque VIII. ut ſcripſit *Suetonius* in ejus vita cap. LVIII. Claudius Cæſar ei ſucceſſit atque inter initia principatûs, Agrippæ, qui ei, ut [1] ait *Joſephus*, capeſſendi Imperii auctor fuerat, regnum auxit, additâ Judæâ & Samariâ, quòd olim avi ejus Hero-

3 *Libellum ſupplicem* &c.] Eum verbotenus habet *Philo* p. 1031. & ſeqq. qui ſcribit non auſum Agrippam τὴν κατ᾽ ὄψιν ἔντευξιν quærere; cum *Joſephus* diſſimulato libello ſupplice, aliiſque, dicat Agrippam in convivio pro Judæis deprecatum eſſe, apud Caïum, ne ſtatuam ſuam Jeroſolimæ dedicari vellet. *Philoni* præſenti major fides habenda, quàm *Joſepho*, tum infanti. Mirum ab eo non inſpectum hoc opus *Philonis*, aut non apertè confutatum, ſi *Philonem* mentitum eſſe ſciebat; unde negligentiam ejus, aut pravam fidem intelligere eſt.

4 *Mira enim cupiditate* &c.]. Hæc habet *Philo* p. 1039. ἄλεκτος γάρ τις αὐτὸν ἔρως

κα-

Herodis Magni fuiſſent. Adjecit & honores Conſulares, fratrique ejus Herodi Prætoriam dignitatem & Chalcidis ditionem in Syria, inter Cyrreſticam, Apamenam & Cœlen Syriam, conceſſit, ut auctor eſt *Dion* Lib. LX. Horum deinde Regum precibus adductus clementiſſimum ſe ſe Judæis præbuit, & cùm nondum ira Alexandrinorum in Judæos reſtincta eſſet, eos edicto compeſcuit, jura priſtina Judæis reſtituit, & patriis ritibus Deum colentes vexari vetuit, ut habet *Joſephus*, Lib. XIX. c. 4. Nec Alexandriæ tantùm, ſed & per totum Imperium ſimilia largitus, admonitis tamen ut modeſtè, ad Religionem quod adtinet, ſe gererent, néve aliorum populorum ritus contumeliis ullis adficerent; ut idem Scriptor prodidit. ANN. XLI.

II. Singulari favore Claudii, erga Judæos, factum videtur ut plures ex ea gente Romam in dies confluerent; quod cùm Claudio non probaretur, nec tamen poſſent ſine tumultu Româ exigi, non ejecit quidem eos Claudius, ſi *Dioni* Lib. LX. credimus, nec vetuit patriis ritibus uti, ſed convenire noluit. Quod factum fortè, paucis pòſt annis, cùm Judæos aſſiduè tumultuantes urbe expulit, ut habet *Suëtonius* Cap. XXV. ejus vitæ. Addit tumultuatos *impulſore Chreſto*; hoc eſt, ut videtur, ex occaſione Religionis Chriſtianæ, [2] quamvis ſint qui aliter ſentiant. Mirum eſſet *Joſephum* rei non meminiſſe, niſi ſolemne ei eſſet Romani favoris erga ſuam gentem indicia exaggerare, & contraria diſſimulanter præterire.

III. Claudius, ſi ei credimus, Agrippam Præſidibus Provinciarum, Procuratoribúsque ſuis diligenter litteris datis commendavit, & in regnum dimiſit. Agrippa magnâ celeritate Jeroſolimam pervenit, ibique votiva ſacra perſolvit, atque catenam auream, quâ à Claudio, in memoriam captivitatis, donatus fuerat, in Templo ſuſpendit. Tum Theophilo Anani F. à Sacerdotio amoto Simonem, cognomine Cantharam, Boëthi F. ſuffecit. Jeroſolimitanis verò tributum, quod in ſingulas Ædes pendere ſolebant, remiſit, & Silam, difficilioribus temporibus, perpetuum comitem, militibus ſuis præfecit. Hæc de eo *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XIX. c. 5. aliáque memoriæ mandavit, quæ ad rem noſtram minùs facientia omittimus.

Clau-

κατεῖχε τῆς Ἀλεξάνδρείας, εἰς ἣν ἐπόθει σπουδῇ πάσῃ παραγενέσθαι, καὶ ἀφικόμενος πλεῖστον χρόνον ἐνδιαιτηθῆναι, νομίζων τὴν ἐκθέωσιν, ἣν ὠνειροπόλει, μίαν ταύτην πόλιν καὶ γεγεννηκένει καὶ συναυξῆσαι, καὶ τὰ ἑξῆς: *cupiditas videndæ Alexandriæ major, quàm ut dici poſſit, eum tenebat, in quam cupiebat quàm primùm venire, & multum tempus, ubi veniſſet, in ea commorari, cùm putaret redactionem ſui in numerum Deorum ab ea ſola urbe ortam & auctam*, &c.

1 *Ant. Jud.* L. XIX. c. 3.

2 Vide *Ant. Van Dale* ad calcem Diſſert. de ſtatua Simonis Magi, & *Jac. Uſſerium* ad ann. Ch. LIV. in Annal. V. & N. T.

ANN. XLII.

Claudio Aug. II. C. Cæcina Largo COSS. Claudii Imp. II. Herodis Agrippæ VI. Æræ Vulgaris Chriſti XLII.

I. Petronio è Syria à Claudio revocato ſucceſſit Vibius Marſus.

II. Eodem tempore, Agrippa Simonem Cantharam Pontificatu exuit, quem cùm iterum conferre vellet Jonathæ, Anani F. hoc recuſante, Matthiæ ejus fratri dedit, ut habet *Joſephus*, Lib. XIX. c. 6. Tum Jeroſolimam inſtaurare & ornare adgreſſus muros novæ urbis craſſitie & altitudine auxit, itáque muniiſſet, nullâ ut ope humanâ expugnari potuiſſent; niſi Vibius Marſus rem, litteris, Claudio ſignificaſſet, qui veritus ne Judæi res novas molirentur, Agrippam rem omittere juſſit; nec Agrippa immorigerum ſe præbuit. Sic *Joſephus*, Lib. XIX. c. 7.

III. Hoc anno, Romæ quidem penuriâ frumenti laboratum; ſed cùm per totum Imperium Romanum fames non fuerit, huc non pertinet prædictio Agabi de qua diximus, [1] ut à viris eruditis rectè eſt obſervatum.

IV. Ad hæc tempora referunt Veteres iter Simonis Magi in Italiam, ut errores ſuos, aut portentoſa potiùs mendacia Romæ ſpargeret, divitiáſque & gloriam, præſtigiis magicis, ſibi compararet; quod initio tam bene homini ceſſit, ut, ſi iis credimus, à Romanis in Deorum numerum relatus ſit, dedicarique ſibi ſtatuam, quaſi Deo, viderit. Digna res eſt, quæ paullò adcuratiùs expendatur, ut vel hinc Veritatis amantes diſcant à fraudulentorum, vel credulorum hominum figmentis ſibi cavere; nam fraudi quidem initia commentorum debentur, ſed numquam convaluiſſent & ad poſteros propagata fuiſſent, niſi à credulitate ſuſcepta &, ut ita dicam, educata ac promota fuiſſent. Primùm de ejus dogmatibus, deinde de ſtatua Romæ ei à Claudio, ut aiunt, collocata, denique de ejus certamine cum Petro & Paulo paucis dicam.

V. Nihil quidem ſcriptis mandavit Simon, quod innotuerit, neque ejus Diſcipulorum, qui doctrinam, quæ homini tribuitur, ei acceptam referat, liber ullus à Veteribus ad teſtimonium citatur. Primus omnium, qui ejus doctrinæ meminerit, eſt [2] *Irenæus*, qui memoratis iis, quæ in Actis de Simone habentur, addit à multis, quaſi Deum, habitum & cultum fuiſſe, & docuiſſe eum 1. *ſe eſſe, qui inter Judæos quidem, quaſi Filius, adparuerit; in Samaria autem, quaſi Pater, deſcenderit,*

1 *A viris eruditis* &c.] A *Jac. Uſſerio*, ad hunc annum.

2 Lib. I. c. 20. Ed. Grabianæ, 23. Ed. Pariſinæ Maſſueti

3 *Quamquam pauci.*] Sic ille Lib. I. contra Celſum 44. Ἐθέλησε δὲ καὶ Σίμων ὁ Σαμαρεὺς μάγος τῇ μαγείᾳ ὑφελέσθαι τινὰς, καὶ τότε μὲν ἠπάτησε· νυνὶ δὲ τοὺς πάντας ἐν τῇ οἰκουμένῃ οὐκ ἔστι Σιμωνιανοὺς εὑρεῖν τὸν ἀριθμὸν οἶμαι τριάκοντα καὶ τάχα πλείονας εἶπον τῶν ὄντων, εἰσὶ δὲ περὶ τὴν Παλαιστίνην σφόδρα ἐλάχιστοι, τῆς δὲ λοιπῆς οὐδαμοῦ τὸ ὄνομα

rit; in reliquis verò Gentibus, quaſi Spiritus Sanctus, adventaverit; eſſe autem ſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum qui ſit ſuper omnia Pater, & ſuſtinere vocari ſe quodcumque eum vocant homines; hoc eſt, ut videtur, Jovis nomine, & ſi quæ fuerunt alia ſummi Dei vocabula: 2. *Helenam quamdam è Tyro, civitate Phœnices, cùm redemiſſet, ſecum eam circumduxiſſe, dixiſſéque hanc eſſe primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepiſſet Angelos facere & Archangelos. Hanc enim Ennoïam exſilientem ex eo, & cognoſcentem quæ vellet pater ejus, degreſſam ad inferiora & generaſſe Angelos & Poteſtates, à quibus & mundum hunc factum*: 3. *Poſtea quàm autem generaſſet eos, detentam fuiſſe, propter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujuſpiam putari eſſe. Ipſum enim ſe in totum ignoratum ab ipſis*: 4. *Ennoïam autem ejus detentam ab iis, quæ ab ea emiſſæ eſſent, Poteſtates & Angeli, & omnem contumeliam ab iis paſſam, uti non recurreret rurſum ad ſuum Patrem; uſque adeò ut corpore humano includeretur, & per ſæcula veluti de vaſe in vas transmigraret in altera muliebria corpora. Fuiſſe autem eam & in illa Helena, propter quam Trojanum contractum eſt bellum &c.* 5. *Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo & ſemper contumeliam ſuſtinentem, in noviſſimis eam in fornice proſtitiſſe, & hanc eſſe perditam ovem*: 6. *Quamobrem & ipſum veniſſe, uti eam adſumeret primam & liberaret à vinculis, hominibus autem ſalutem præſtaret, per ſuam agnitionem*: 7. *Cùm enim malè moderarentur Angeli mundum, quoniam unuſquiſque eorum concupiſceret principatum, ad emendationem veniſſe rerum & deſcendiſſe eum transfiguratum & adſimilatum Virtutibus & Poteſtatibus & Angelis; ut & in hominibus homo adpareret ipſe, cùm non eſſet homo; & paſſum in Judæa putatum, cùm non eſſet paſſus*: 8. *Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inſpiratos dixiſſe prophetias; quapropter, ne ulteriùs curarent eos hi, qui in eum & ejus Helenam ſpem habeant, & ut liberos agere quæ velint; ſecundùm ejus gratiam ſervari homines, ſed non ſecundùm opera juſta; nec enim naturaliter eſſe operationes juſtas, ſed ex accidenti, quemadmodum poſuerunt, qui mundum fecerunt, Angeli, per ejuſmodi præcepta in ſervitutem deducentes homines. Quapropter & ſolvi mundum & liberari eos qui erant ejus, ab imperio eorum, qui mundum fecerant, repromittebat.* ANN. XLII.

VI. Nescias utrum magis mirere, fuiſſe homines ſat nequam & ſat impudentes, qui talia portenta fingerent, atque aliis credenda proponere auderent; aut inventos ſatis bardos ac communi ſenſu uſque adeò deſtitutos, ut iis fidem haberent. Erant tamen Simoniani, tempore *Irenæi*, fuerúntque, ad ævum uſque *Origenis*, [3] quamquam pauci. Non

ὄνομα αὐτοῦ: *Voluit verò & Simon Samarita Magus magiâ quoſdam decipere; & tunc quidem fefellit. Nunc verò Simonianos omnes, qui ſunt in orbe terrarum, ſi numeres, non poteris, ut puto, triginta invenire; & fortaſſe plures dixi, quàm ſunt. Sunt valde pauci in Palæſtinâ, in reliquo vero orbe, nuſquam eſt eorum nomen.* Ideóque Lib. VI. p. 282. nuſquam eos fuiſſe, ſuo tempore, dixit. Attamen *Euſebius*, ſuo ævo etiam, nonnullos fuiſſe ait Lib. II. c. 13.

ANN. XLII. Non tantùm Judæi & Samaritæ, quibus nonnulla fuit Religio, & mens non omnino cæca, aut improba, ſed & ipſi Ethnici, non prorſus hebetes aut nequam, ab ejuſmodi impiis deliriis, non abhorrere non potuerunt. Nam Chriſtianos memorare hîc nihil adtinet, quibus improbitas Simonis ignota nequaquam fuit, & doctrina abominanda videri debuit. Si qui ergo ei adhæſerunt, aut inſani planè, aut perditæ nequitiæ, & impudentiæ incredibilis homines eſſe oportuit. Sed audiamus quid de iis habeat *Irenæus*, in proximè ſequentibus verbis. *Igitur*, inquit, *horum myſtici Sacerdotes libidinosè quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum poteſt unuſquiſque ipſorum. Exorciſmis & incantationibus utuntur. Amatoria quoque & Agogima & qui dicuntur Paredri & Oniropompi, & quæcumque ſunt alia perierga apud eos ſtudiosè exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, & Helenæ in figuram Minervæ, & has adorant. Habent quoque & vocabulum, à principe impiiſſimæ ſententiæ Simone vocati Simoniani; à quibus falſi nominis ſcientia* (hoc eſt, ψευδώνυμος γνῶσις, unde Gnoſtici dicti) *accepit initia, ſicut ex ipſis adſertionibus eorum adeſt diſcere.* Talia nonniſi profligatæ improbitatis hominibus, aut emotæ mentis, ut diximus, perſuaderi potuerunt; nec qui Romanos illius ævi noverit, hæc admiratos facilè in animum ſuum inducet ut credat. Alia etiam turpiſſima de Simonianis habet *Epiphanius*, ſed cui ſoli adfirmanti, ſine antiquiore teſte, leviter fides non eſt habenda.

VII. ATTAMEN ejuſmodi homini memoriæ prodidit *Juſtinus* Martyr, in Apol. I. [4] ſtatuam Romæ, ut Deo, fuiſſe conſecratam. Ait Cacodæmonem excitaſſe *Simonem quemdam Samaritam, è vico Gittorum, qui, ſub Claudio Cæſare, efficacium Dæmonum arte, in regia urbe Roma, cùm magica prodigia feciſſet, Deus exiſtimatus eſt, & ſtatuâ, veluti Deus, honoratus; quæ ſtatua in amne Tiberi* (in inſula, nempe, Tiberina) *inter duos pontes excitata eſt, hanc habens inſcriptionem Latinam:* SIMONI DEO SANCTO. Addit *Samaritas propè omnes, & paucos inter alias gentes eum quaſi ſummum Deum profeſſos adoraſſe*; quibus ſubjecit quæ de Helena habet *Irenæus*. Verùm Lugdunenſis Epiſcopus de re dubitaſſe videtur, cùm ita mentem expreſſerit: *cùm eſſet ſub Claudio Cæſare, à quo etiam ſtatuâ honoratus eſſe dicitur, propter Magicam*; nempe, artem. Qua in re, prudenter ſe geſſit, nam exſtat adhuc Romæ [5] in Inſula Tiberina, in baſi, inſcriptio vetus ſic concepta: SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRUM SEX. POMPEIUS SP. F. COL. MUSSIANUS QUINQUENNALIS DECURIO BIDENTALIS DONUM DEDIT. Ubi *Deo* non cum *Sanco* conjungendum, ſed cum *Fidio*. Oſtenderunt autem [6] qui de Diis Romanorum ſcripſerunt *Semonem Sanctum*, qui

4 Cap. XXXIV. Ed. Oxon.

5 *Vide Gruteri Inſcript.* p. XCVI, 4.

6 *Qui de Diis Romanorum* &c.] Vide *Lilium Gregor. Giraldum* Hiſt. Deorum Synt. I. & X. Res eſt notiſſima.

7 *Doctiſſimi quique viri* &c.] Ut *Pet. Ciaconius*, *Dionyſ. Petavius* in *Epiphanium*, ad Hær. Simonianorum, *Henr. Valeſius* ad *Euſebii*

qui & *Deus Fidius*, fuiſſe Herculem, apud veteres Sabinos; quod vel ex Inſcriptione L. Mummii, in eadem *Gruteri* pagina, liquet. Itaque [7] doctiſſimi quique viri, ignoratione Linguæ Latinæ, deceptum *Juſtinum* putant, & populari ſuo *Simoni* tribuiſſe ſtatuam, quæ ejus non erat. Potuiſſet etiam fieri, ut à Samarita quopiam, Simonis diſcipulo, deceptus fuiſſet bonus *Juſtinus*; ut & in eo quod *ferè omnes Samaritas* eum coluiſſe ait, quod credibile non eſt, præſertim poſtquàm maxima pars Samaritarum ad fidem Chriſtianam adducta fuiſſet, & Simon etiam graviter à Petro caſtigatus, ut diximus ad ann. XXX, 2. Sed plura hac de re non addemus, cùm datâ operâ [8] à viris eruditis ſit pertractata. Caveant oportet Veritatis amantes, ne nimiâ credulitate, aut etiam piâ quadam cupiditate inveniendi nova argumenta, quibus Verum confirment, infirmos ei tibicines temerè ſubjiciant. ANN. XLII.

VIII. Qui Petrum, quaſi primum Romæ Epiſcopum, habent, & viginti quinque annos Epiſcopalem Urbis ſedem putant tenuiſſe, volunt Antiochiâ Romam ſe eum contuliſſe, ut Simoni obſiſteret; quod nec res, nec Hiſtoria Sacra patitur. Apoſtolatus enim non ad urbem quampiam, ſed ad totum terrarum orbem pertinebat, Epiſcopatúque uni gregi adfixo præſtantior multò erat; neque per Chronologiam Sacram licet tot annos commorationi Petri, in Urbe, concedere. Quamobrem hiſce temporibus Petrum cum Simone certaſſe Romæ nemo dixerit, qui ejus rationem aliquam habuerit. Ac ſanè, ex re ipſa, fabulam eſſe meram ſatis liquet. Primus auctor ejus fuiſſe videtur, qui è cerebro ſupplere quod deerat Hiſtoriæ Petri conatus & *Actus Petri*, *Doctrinam Petri*, ejusdem *Prædicationem*, *Evangelium*, aliáque ſimilia confinxit. Certè è *Clementinis Homiliis*, éque *Recognitionibus Clementis*, multa hauriri queant, de certaminibus Petri cum Simone, quæ ſunt ejuſdem farinæ. Ex ejusmodi Libro ſuppoſito hauſiſſe videtur *Arnobius*, quæ de certamine Petri cum Simone habet Lib. II. adversùs [9] Gentes, ubi ait *vidiſſe* Romanos *curſum* (lege, currum) *Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto evanuiſſe; vidiſſe, inquam, fidentem Diis falſis & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus jacuiſſe præfractis; poſt deinde perlatum Brundam* (fortè *Brundiſium*) *cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio.* Sed ſimul nos docet Romanis viſum hoc fuiſſe commentum, in ſequentibus verbis, quibus eos objurgat: *Quæ omnia*, inquit, *vos geſta neque ſcitis, neque ſcire voluiſtis, neque umquam vobis neceſſaria judicaſtis.* Fabulam eamdem, ex ſimili fonte hauſtam, narrantem inducit Petrum Scriptor Conſtitutionum Apoſtolorum Lib. VI, c. 9. „ Romam, inquit, cùm adveniſſet „ (Simon) Eccleſiam magnopere vexavit, multos evertens ac ſibi con-

„ cilians,

ſebii Lib. II. c. 13. *Deſid. Heraldus*, in *Arnobium* & *Tertullianum*, *Nic. Rigaltius* in poſteriorem, *David Blondellus*, de Sibylla c. II. & alii.

8 *A viris eruditis*] *Ant. van Dale* ad calcem Diſſert. de Oraculis Ethnicorum Ed. in 4. anni MDCC.

9 *Pag.* 64. *Ed. Heraldinæ.*

ANN. XLII.

„ cilians, & Gentes peritiâ magicâ in ſtuporem dans. Cùm enim aliquando meridie in earum theatrum proceſſiſſet, juſſiſſétque à plebe me quoque in theatrum rapi, promittebat ſe per aërem volaturum. Omnium verò animis ſuſpenſis, ego apud me (*Deum*) orabam. Tum verò ille ſublatus à Dæmonibus, in aërem, ſublimis volabat, dictitans ſe in cœlum adſcendere, indéque eis bona ſuppeditaturum. Cúmque eum plebs fauſtis adclamationibus, ut Deum proſequeretur; ego mente ac manibus in cœlum ſublatis, ſupplicabam Deo, per Jeſum Chriſtum, ut perniciofum hominem dejiceret, útque Dæmonum accideret vim, quâ ad homines fallendos & perdendos utebantur; ſed ne dejectum occideret, verùm contereret. Tum hæc verba (*clarâ voce*) Simonem intuens, ſubjeci: *Si ego homo Dei ſum, Apoſtolus Jeſu-Chriſti, & pietatis magiſter, non erroris; ut, tu Simon; jubeo pravas Potentias ejus qui defecit à pietate* (Diaboli) *à quibus Simon magus vehitur, dimittere eum quem tenent, ut ex alto, in ludibrium eorum qui ſunt ab eo decepti, decidat.* Hæc ubi dixeram, Simon à Potentiis deſtitutus, cecidit cum magno ſonitu, ac vehementi caſu eliſus, coxam ac pedum extrema ſibi confregit. Multitudo verò exclamavit: *Unus eſt Deus, quem Petrus meritò ſolum & verè prædicat;* multique ab eo defecerunt, ſed nonnulli, digni ejus exitio, nefariæ ejus doctrinæ adhæſerunt.

IX. Sic narratur certamen Petri cum Simone, à duobus antiquiſſimis Scriptoribus, inter eos quidem qui ſuperſunt, & qui de iis egerunt. Recentiores enim non moror; qui dicta à ſuperioribus, ſine examine, repetierunt. Satis eſt non eſſe fide dignos eos, qui primi talia narrarunt; nec ſi vera eſſent, fugiſſent antiquiores, ut *Juſtinum*, *Irenæum* & [10] *Tertullianum*; qui commenticiæ quidem ſtatuæ, in honorem Simonis poſitæ, meminere, ſed de certamine nihil habent. Multò meliùs & efficaciùs, ſi quid ſimile contigiſſe credidiſſent, adhortati eſſent Romanos, ut doctrinam Petri tanto miraculo firmatam complecterentur. Sed ficta hæc portenta non audiverant, aut, ſi jam ſparſa tum erant & ad eorum aures pervenerant, meritò ſpreverant. Si vera fuiſſent, res tanta & tam inſignis minimè latuiſſet, nec Chriſtiani antiquiores intercidere eam paſſi eſſent; qui res dubias, aut etiam falſas, imprudenter ſæpe adripuerunt, ut Evangelii veritatem confirmarent. Ea de cauſa, *Euſebius* Hiſt. Ecc. Lib. II. c. 14. ubi narrat Simonem, imperante Claudio, Romam iviſſe, quò etiam Petrum, ut ei adverſaretur, profectum eſſe vult, certaminis mentionem nullam fecit, licèt antea è *Juſtino* & *Irenæo* ſtatuæ Simoni in Urbe erectæ meminerit.

Clau-

10 *Tertullianum*] Apologetici c. XIII. ad quem locum vide Interpretes.

1 *Circa eadem tempora.*] Vide *Joannem Pearſonium* in Annalibus Paulinis, & quæ diximus in locum laudatum 2. Ep. ad Corinthios.

2 *Sampſigeranus*] Nomen hoc fuit Phylarchi Arabum, Emeſæ Reguli, à Pompeio Magno victi, de quo *Strabo* Lib. XVI. Quamobrem Pompeium, deridiculi causâ,

Ci-

Claudio Aug. III. L. Vitellio II. COSS. Claudii Imp. III. Herodis Agrippæ VII. Æræ Vulgaris Chriſti XLIII.

I. Hoc anno, cùm inſtaret fames ab Agabo ante triennium prædicta, Antiocheni, qui Chriſtianam Religionem amplexi erant, ſtatuerunt ad Eccleſiam Jeroſolimitanam munus, pro cujuſque facultatibus, mittere; ut Evangelium prædicantibus, pauperibúsque ſumtus neceſſarii ſuppeterent. Act. XI, 29. [1] Circa eadem tempora, videtur Saulus in tertium cœlum raptus, ubi *arcana verba audiit, quæ hominibus proferre nefas eſt*, ut ait ipſe 2. ad Cor. XII, 2. Si liceret, in ejuſmodi re, conjecturis nonnihil indulgere, ſuſpicari poſſemus revelatum ei quidpiam, quod ad Apoſtolatûs munera pertinebat & quod ab eo ſciri omnino intererat; nam nonniſi neceſſaria revelare ſolet Deus. Deinde rem fuiſſe, quam pluribus eo tempore innoteſcere conſultum non erat, quales fuere rationes latarum & antiquatarum Moſaïcarum Legum; qua de re clariùs & adſeverantiùs poſtea loquutus eſt, quàm ceteri Apoſtoli, præſertim in Epiſtola ad Galatas. Addere etiam hiſce fortè licet, & adcuratiorem voluntatis Dei, de vocandis ad fidem Chriſtianam Gentilibus, iiſque in populum Dei, ſine ulla rituum obſervatione, cooptandis; de qua in Epiſtola ad Romanos.

II. Rex Agrippa Beryti theatro, amphitheatro, balneis, porticibúsque, magno ſumtu exſtructis; ludos & ſpectacula varia, muſicóſque agones in theatro, gladiatores in amphitheatro exhibuit. Præterea ex variorum ſcelerum reis, duas cohortes, ſeptingentorum quamque virorum confecit; ut per imaginem belli, pugnâ commiſsâ, pœnas darent, & ſpectatores oblectarent; omnéſque, mutuis vulneribus, ſunt abſumti, ut habet *Joſephus*, Lib. XIX. cap. ultimo.

III Tiberiadem poſtea ad eum convenerunt, præter Herodem, Chalcidis Regem, Antiochus Commagenæ, [2] Sampſigeranus, aut Samſiceranus Emeſenorum, Cotys minoris Armeniæ, & Polemon Ponti Reges. Quorum concordiam & conventum veritus Marſus, Syriæ Præſes, illuc etiam ivit, & quamvis ab Agrippa, ad ſeptimum lapidem obviam progreſſo comiter exceptus, ad ſingulos miſſis nunciis, ſine mora omnes ad ſua redire juſſit. Quâ re offenſus Agrippa Claudium, ut hominem Syriæ adminiſtratione amoveret, litteris oravit. Quæ ibidem & Lib. XX. c. 1. narrat *Joſephus*.

IV. Matthiæ Anani F. ademtum Pontificatum Max. Elionæo,

Cithæi

Cicero Samſiceranum vocat, Epiſt. ad Atticum Lib. II. Ep. 14. Hujus ſoboles, aut ſucceſſor fuerit, qui his temporibus vixit. Si ſcribamus Hebraïcis litteris שמשיקרנא *ſchamſchikerano*, ſignificabit, *ſol meus ſplendet*, quo nomine potuerunt Emeſenorum, Solis cultorum, Reguli inſigniri; ſi *ſplendor* hîc tralatitio ſenſu ſumatur de præſtantia, aut excellentia Solis, quem ceteris Diis prætulerunt.

ANN. XLIV. Cithæi F. dedit idem Agrippa, ut prodidit idem Hiſtoricus, Lib. XIX. c. ult.

L. Quinctio Criſpino II. M. Statilio Tauro COSS. *Claudii Imp. IV. Herodis Agrippæ VIII. Æræ Vulgaris* XLIV.

I. Agrippa Legum Moſaïcarum ſtudioſiſſimus Chriſtianos, quaſi iis adverſantes, inſectari cœpit, & Jacobum quidem Apoſtolum, Zebedæi F. occidit. Quod cùm Judæis placere vidiſſet, [1] ut eorum gratiam magis ac magis iniret, Petrum etiam diebus Azymorum comprehenſum in carcerem conjecit, & quatuor militum quaternionibus diligenter ſervandum tradidit; conſtituerat enim, poſt Paſcha, ſecuri percutiendum ad populum producere. Qua in re, ſævum atque iniquum hominis ingenium licet mirari; cùm parem, Religionis causâ, crudelitatem adversùs Judæos, in Caligula, ferre non potuiſſet; quaſi verò Judæis Poteſtatibus in diſſentientes ſævire, Ethnicis in Judæos non licuiſſet! Atqui neutris talia moliri fas erat, in bonos ceteroqui cives, &, in aliis omnibus, Regibus & Magiſtratibus parentes. Dei ſolius ſunt judicia, de iis, quæ ad alteram vitam tantùm pertinent. Deus ergo Petrum ſævitiæ ejus ſubduxit, miſſo in carcerem Angelo; qui catenas ejus, nihil ſentientibus militibus, ſolvit, & januas carceris aperuit, hominémque emiſit. Petrus adiit inde ædes Mariæ Joannis, cui & Marco nomen fuit, matris; iiſque monitis, qui illic unà Deum orabant, ut Jacobo, fratri Domini, & reliquis Chriſtianis liberatum ſe eſſe nunciarent, [2] in alium locum, ne iterum juſſu Agrippæ caperetur, profectus eſt. Rex, cùm accepiſſet noctu elapſum Petrum, cuſtodes, ut perperam putabat, negligentiores, ad ſupplicium duci juſſit. Quæ narrantur Act. XII, 1. ad 19.

II. Eodem circiter tempore, liberalitatis Antiochenorum, erga Jeroſolimitanos, fructus, ad Eccleſiæ Jeroſolimitanæ Rectores, quos Lucas *Seniores*, more Hebræo, vocat, per manus Barnabæ & Sauli, perlati ſunt, ut habetur Act. XI, 30. Quamvis vulgò doceant Veteres Jacobo, Cleopæ, F. permiſſum fuiſſe Epiſcopatum Jeroſolimitanum; attamen dum fuerunt illic Apoſtoli, aliique Diſcipuli Chriſti, in quos etiam deſcenderat Spiritus Sanctus, omnes videntur communi conſilio Eccleſiam rexiſſe, & *Seniores*, quod dignitatis nomen erat, non ætatis, ex æquo dicti. Certè neque ad Apoſtolos, neque ad Jacobum miſſa dicitur erogata ab Antiochenis pecunia, ſed ad *Seniores*, quos dixi-

1 *Ut eorum gratiam*] Fiebat hoc ſæpe, unde *Juſtinus* Apol. I. initio orat inter alia Imperatores, ne velint *ſententiam* de Chriſtianis *ferre, ut placeant ſuperſtitioſis:* ἀνθρωπαρεσκίᾳ τῇ δεισιδαιμόνων κατεχόμενοι.

2 *In alium locum*] Romam interpretantur, qui volunt his temporibus Petrum in Urbem ſe contuliſſe. Sed contrarium hoc eſt Apoſtolicæ Hiſtoriæ, nec rem memoratu dignam omiſiſſet Lucas, ſi vera fuiſſet,

diximus. Sunt [4] qui hanc pecuniam miſſam velint Jeroſolimam, non Eleemoſynæ, ſed tributi nomine, quod ab omnibus Eccleſiis Metropoli omnium debebatur; quemadmodum Judæi, per Imperium Romanum ſparſi, Synagogæ Jeroſolimitanæ primitias pendebant; quaſi Eccleſia Chriſtiana ejuſdem urbis ſimile jus, apud alios Chriſtianos, obtineret. Verùm in Apoſtolicis Scriptis, ubicumque mentio fit Eleemoſynarum ad eam mittendarum, quaſi liberæ & grati animi causâ collatæ deſcribuntur, quòd ab ea Urbe, quaſi à fonte, ad alias fluxiſſet Evangelium; nuſquam jus ullum Metropoliticum memoratur. Ad hoc accedit, quòd Jeroſolimitana Eccleſia pauperior eſſet reliquis, quia ſævitiâ Judæorum, rapacitate Procuratorum Cæſaris, frequentibúsque latrociniis, Judææ Chriſtiani, quorum ſine dubio egeſtatem, quoad poterat, ſublevabat, exhauſti eſſent. ANN. XLIV.

III. Interim latiùs ſpargebatur Evangelium, pluréſque ad Eccleſias Chriſtianas in dies adgregabantur. Quare pluribus indigebant egregiis viris, qui & Chriſtianos inſtituerent ac confirmarent, & eorum adverſarios retunderent; nec quidquam prætermitterent, quo plures facerent beneficiorum Chriſti participes. Itaque Barnabas & Saulus, traditâ Jeroſolimitanæ Eccleſiæ Rectoribus pecuniâ, quam adtulerant, Antiochiam redierunt, comitémque & ſocium laborum ſibi Joannem, cui & Marco cognomen erat, adſciverunt, ut docent Acta Apoſtolica Cap. XII, 24, 25.

IV. Agrippa Jeroſolimâ Cæſaream profectus eſt, ubi dum commoraretur, Tyrii & Sidonii, quibus neſcio qua de cauſa infenſus erat, legatos miſerunt, ut hominem ſibi placarent; cujus amicitia, eo tempore, ſummopere indigebant. Solebant enim ex Galilæa, aliiſque tractibus, qui Agrippæ parebant, frumentum quo alebantur petere; & quod, graſſante fame, magis quam aliàs, ſibi neceſſarium intelligebant. Itaque conciliato primùm ſibi ejus cubiculario Blaſto, eo deprecatore uſi ſunt, ad pacem ab Agrippa impetrandam, quam ſe conceſſurum pollicitus eſt. Quod ut ſollemniùs fieret, in publicum regiâ veſte indutus proceſſit, & legatos in ſolio ſedens excepit. Iis verò cùm blandiùs reſponderet, coram populo; ſubitò ab Ethnicis, ut videtur, coortæ ſunt adclamationes dicentium *vocem ejus Dei eſſe, non hominis*. Quam impiam adulationem homo Judæus illico abominari ſe, non ſine deteſtatione, dicere debuiſſet. Ejus ergo ſilentii graves pœnas exegit Deus, qui per Angelum è veſtigio ſuperbum Regem percuſſit; immiſſo ei morbo, quo cum ſummis doloribus, eroſus à vermibus, immitem animam brevi efflavit. Quod exſtat Act. XII, 18. ad 23. Nec diſſimilia,

fuiſſet. Vide Interpretes ad locum.

3 *Seniores*] De hac voce, cùm pro dignitate, non ætate ſumitur, vide quæ pleno modio admenſus eſt *Joan Seldenus*, de Synedriis Hebræorum Lib. I. c. 14.

4 *Henr. Dodwellus* de Jure Laic. Sacerd. Cap. III, 13.

ANN. XLIV. lia, [5] ſi ornamenta nonnulla reſecueris, habet *Joſephus*, Lib. XIX. cap. ultimo. Certè immiſſum ei eſſe divinitus morbum, quòd impiam adulationem averſatus non eſſet, torminibúsque ventris, ab initio morbi acerrimis, quinto pòſt die, interiiſſe agnoſcit.

V. ANTEQUAM promulgaretur ejus obitus, Herodes Rex Chalcidis, & Chelcias copiis Agrippæ præfectus, loco Silæ, quem, contumaciæ & ſuperbiæ causâ, in carcerem Rex conjecerat, Ariſtonem miſerunt, veluti mandato à Rege accepto, qui Silam communem inimicum occideret. Agrippæ ſuperſtites fuerunt liberi quatuor, Agrippa qui Junior dictus eſt, ut ab eo ſecerneretur, quique eo tempore annos XVII. natus, apud Claudium Cæſarem, educabatur, & tres filiæ, quarum Berenice natu maxima, annos XVI. nata, Herodi patruo nupta erat; Mariamne decennis, quam pater Julio Archelao Chelciæ F. deſponderat; & Druſilla ſexennis, ab eodem Epiphani, Antiochi Commagenorum Regis F. deſponſa. Poſtquàm verò mors Agrippæ innotuit Cæſareenſibus & Sebaſtenis, quorum urbes ab Herode Magno conditæ fuerant, ſed qui Agrippam oderant, quamvis odium vivo diſſimulaſſent, defunctum conviciis lacerare cœperunt. Quin & gregarii milites filiarum è regia ſtatuas detractas in lupanaria detulerunt, turpitérque iis illuſerunt. Tum inſtructis in publico menſis, coronis redimiti & unguentis delibuti convivia agitarunt, in quibus Charonti libabant & ſibi viciſſim præ gaudio propinabant. Quibus autem de rationibus tantum odium in Agrippam concepiſſent, diſſimulat *Joſephus*; nec, eo tacente, quænam fuerint conjicere licet. Hoc unum fortè ſuſpicari quis poſſit, durum & inhumanum fuiſſe ejus imperium; nec aliud quidquam conſtat, niſi populorum in vivos Reges adulationes veri in eos amoris certa indicia nequaquam eſſe; qui ſi minimè fucatus ſit, poſt eorum mortem mirum in modum exardeſcit.

VI. PROFERTUR hujus Agrippæ nummus his litteris ſcalptus ΒΑΣΙΛΕΤΣ ΗΡΩΔ...... ΤΔΙΟΣ, quod ſuppletur Φιλοκλαύδιος, *Herodes Rex Claudii amicus* & ex altera his: ΚΛΑΤΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Γ. quamvis enim Herodis nomen adhibeatur, notum eſt Agrippam etiam ita vocatum. Sed poſſit quoque hic nummus ab Herode, Chalcidis Rege, cuſus eſſe, quales quidam etiam exſtant. Agrippa verò regni ſui urbes [6] Gaben, & Tiberiadem, grati animi causâ, Claudias vocari juſſit, ut ex nummis etiam conſtat.

VII. ADLATA Romam Agrippæ morte, Claudius eò propendebat, ut regnum ejus, ſine mora, filio Agrippæ daret; ſed liberti & amici, qui plurimùm apud eum poterant, diſſuaſerunt, adoleſcentulo tantum regnum committere conſultum eſſe negantes. Quod ſpecie prudentiæ Claudio adprobarunt, quamvis præfecturis multò magis inhiarent,

5 *Ornamenta*] Quale illud de Bubone, quæ Ethnicam ſuperſtitionem redolent, déque Germani militis prædictione & alia, meráque commenta eſſe videntur. *Joſephum*

rent, quàm Reipublicæ conſulerent; quod exitu ipſo patuit, nam Judæa equitibus Romanis & Claudii libertis permiſſa eſt, ut prodidit [7] *Tacitus*. Judææ ergo & totius regni Agrippæ Procurator miſſus eſt Claudius Cuſpius Fadus, cui in mandatis datum ne de Cæſareenſibus & Sebaſtenis, ob injurias memoriæ Agrippæ illatas, gravius ullum ſupplicium ſumeret; ſed tantùm alam equitum, & cohortes quinque, ex iis populis delectas, in Pontum militaturas ablegaret. Sed impetrarunt poſtea à Claudio, miſſis Romam legatis, ut iis copiis in Judæa degere liceret; ubi magnis calamitatibus initium fecere. Cuſpius Fadus ortam ſeditionem inter Judæos, ad ortum Jordanis habitantes, & Philadelphenſes, compeſcuit; occiſis, aut in exſilium miſſis Judæis, qui duces ſeditioſorum fuerant. Quæ memoramus, quia hæc ſunt initia irarum, inter Judæos & Ethnicos, quæ poſtea exitialiùs exarſerunt. Ceteroqui Fadus Judææ benefecit, quam latrociniis purgavit. Quibus de rebus *Joſephus*, Lib. XIX. c. ult. ANN. XLV.

VIII. SUCCESSOREM miſit Marſo Claudius Caſſium Longinum, ſi *Joſepho* credimus Lib. XX. c. 1. At ſi *Tacito*, Annal. Lib. XI. c. 10. Marſus etiam triennio, poſt Agrippæ mortem, Syriæ præfuit. Sed in rebus ad Judæam pertinentibus, ſatius eſt *Joſepho*, quàm *Tacito*, fidem habere.

M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino COSS. Claudii Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti XLV.

I. ECCLESIA Antiochena, hoc tempore, Prophetis & Doctoribus abundabat, qui videntur communi conſilio res ad Chriſtianos pertinentes adminiſtraſſe. Certè nulla alîus regiminis mentio, apud Lucam, occurrit. Erant autem inſignes inter alios Barnabas, Simeon, cui cognomen Nigro fuit, Lucius Cyrenæus, Manahemus, qui cum Herode Tetrarcha educatus fuerat, & Saulus, quem ultimo loco adpellat Sacer Hiſtoricus Act. XIII, 1. quod nondum planè Apoſtolico munere fungi cœpiſſet; quamvis ad id, ante quatuordecim annos, à Chriſto vocatus fuiſſet, Evangeliúmque multis in locis jam nunciaſſet. Ceterùm ſi ex Spiritûs Sancti donis ſublimibúſque revelationibus, Prophetarum, Doctorúmque, qui memorantur, ordo conceptus eſſet; ſine dubio, primum omnium Saulum collocari oportuiſſet. Sed iis temporibus, nondum de prima ſede, dignitatéque contentiones erant, inter Chriſtianos; & qui meritis in rem Chriſtianam omnium erant primi, ii ſe, ex Domini præcepto, quaſi omnium minimos gerebant, nec ultimos adpellari refugiebant.

II. PROPHETIS & Doctoribus preces Deo fundentibus &, Religionis

phum ipſum adito.

6 Vide *Henr. Noriſium* in Epochis Syromacedonum Diſſert. IV, Cap. V, 6. & Diſſert. V. Cap. VI.

7 *Hiſt. L. V. c. 9.*

ANN. XLV. gionis causâ, jejunantibus, à Spiritu Sancto demiſſus eſt adflatus, quo Barnabam & Saulum eligere & Evangelii prædicandi causâ in alias oras mittere juſſi ſunt. Itaque jejunio & precibus iteratis, impoſuerunt iis manus; [1] quo ritu eos à Spiritu Sancto poteſtate ſingulari vocandi homines, ad ſalutem, inſtructos & miſſos ſignificabant, omniáque fauſta eis adprecabantur; neque enim nova Spiritûs dona iis contulerunt. Igitur à Spiritu Sancto, præter ordinem, miſſi Barnabas & Saulus, unà cum Marco, quem jam comitem ſibi adſciverant, Seleuciam, quæ Pieria dicebatur, iverunt; unde in Cyprum Inſulam, Barnabæ patriam, navigarunt; quò adpulſi apud Salaminios, in Synagogis Judæorum, munere ſuo defuncti ſunt; nondum enim, eo tempore, ad Gentiles ire inſtituerant.

III. Peragrata deinde Inſulâ, Paphum uſque, inciderunt, ea in urbe, in Pſeudoprophetam quemdam Judæum, cui Barjeſu nomen erat. Provinciæ tunc temporis præerat Sergius Paulus, vir prudens, proconſulari poteſtate; [2] provinciæ enim Populi Romani, quamvis prætoriæ, præſides ſolebant Proconſules vocari. Is auditâ Evangelii famâ, penitiùs id cognoſcere avebat, propptereáque Saulum & Barnabam ad ſe vocavit. Sed adverſabatur iis Barjeſus, qui & Elymas, hoc eſt, Magus cognomine vocabatur, omnéſque artes adhibebat, ne Proconſul, cui familiaris fuiſſe videtur, fidem iis haberet. Nec munus hîc ſuum negligebat Saulus, qui & Paulus dicebatur; quo nomine à Luca, ab hoc tempore, ſemper vocatur, ſéque ipſe in omnibus Epiſtolis adpellavit; unde collegerunt nonnulli id nominis eum à Proconſule traxiſſe, quamquam veriſimilius eſt Apoſtolo geminum fuiſſe nomen, [3] ut multis aliis, eo tempore, Hebræis; & Pauli potiùs adpellatione uſum, ex quo cum Ethnicis frequentiùs verſari cœpit, quod Græcis & Romanis præſertim auribus magis placere videretur. Paulus igitur (nam ſic quoque nos in poſterum hominem vocabimus) cùm adeſſet aliquando adverſarius Elymas, à Spiritu Sancto adflatus, & pravum hominem intuens: *ô fraude omni*, inquit, *& calliditate plene*, *fili Cacodæmonis*, *virtutis cujuſvis inimice*, *quando tandem deſines rectas Domini vias*, *quaſi pravas*, *infamare? Propterea manus Domini tibi nunc incumbet*, *& per certum tempus cæcitate laborabis.* Quibus dictis, offuſa eſt è veſtigio homini caligo, quæ eum ducem ſibi quærere, ut domum abire poſſet, coëgit. Re verò animadversâ, Proconſul, Chriſtianâ doctrinâ perculſus, ei fidem adjecit. Vide Act. XIII, 1. ad 12.

IV. Hoc anno, Caſſius Longinus, Syriæ Præſes, & Cuſpius Fadus, Judææ Procurator, cum nonnullis copiis, Jeroſolimam ſe contulerunt, convocatiſque Sacerdotum & Jeroſolimitanorum primoribus, man-

1 *Quo ritu*] Eum adhibebant Judæi, ut Judices Doctoréſque Legis crearent. Qua de re multa habet *Joan. Seldenus* de Synedriis Judæorum Lib. I. c. 14. De χειροθεσία Chriſtianorum, vide Interpretes ad 1. Timoth. IV, 14. & V, 22. ubi multis *Henr. Hammondus* noſter.

2 Vide *Henr. Noriſium* ad Cenot. Piſana

mandata à Cæſare accepta expoſuerunt, de repetenda Pontificis Max. veſte ſollemni & in Antonia turre adſervanda, ut ante Vitellium fiebat. Quibus auditis, Judæi poteſtatem ſibi petierunt legatos ad Claudium mittendi, priùs quàm veſtem redderent; quod, nonniſi obſidibus datis liberis ſuis, à Caſſio impetrarunt. Ii verò extemplò miſſi & deprecatore Agrippâ juniore, qui etiamnum Romæ educabatur, uſi effecerunt ne quid in ea re novaretur; accepto Claudii ad Magiſtratus Jeroſolimitanos reſcripto, dato a. d. IV. Calendas Julias, cùm V. Tribunitiæ Pot. annum ageret Cæſar, Rufo & Pompeio Silvano Coſſ. nimirum, ſuffectis; in quo reſcripto Herodi, Chalcidis Regi, & Agrippæ Juniori, gratificari, ea in re, ſe voluiſſe dixit. ANN. XLVI.

V. Eodem etiam tempore, idem Agrippa poteſtatem in Templum Jeroſolimitanum, & Sacrum Ærarium, júsque Pont. Maximos eligendi, cùm nullus eſſet Judææ Rex, impetravit, & mox amoto Simoni Cantharæ, Joſephum Canei, vel Camydis F. ſuffecit. Quæ omnia, pluribus expoſita, legi poterunt apud *Joſephum*, Ant. Jud. Lib. XIX. c. ult. & XX, 1.

Valerio Aſiatico II. M. Junio Silano COSS. Claudii Imp. VI. Æræ Chriſti Vulgaris XLVI.

I. Paulus & Barnabas, cùm Paphi aliquamdiu morati eſſent, vela in Pamphyliam dederunt, & adpulſi Pergam, ad Cataractum fluvium profecti ſunt; unde Joannes, iis relictis, Jeroſolimam rediit, ubi, mortuo Agrippâ, majore quiete Chriſtiani fruebantur. Tum ii quoque Pergâ diſceſſerunt, & Antiochiam Piſidiæ ſe contulerunt; ubi die Sabbathi Synagogam Judæorum ingreſſi, auditâ Legis & Prophetarum lectione ſolitâ, ab Archiſynagogis moniti ſunt, ſi verba ad populum facere vellent, quibus eum ad pietatem adhortarentur, jam hoc iis licere. Quâ occaſione adreptâ, Paulus orationem habuit, de beneficiis olim à Deo in populum Hebræum collatis, & promiſſis, déque Chriſto, quem jam miſerat, quémque Judæi, ignorantes quis eſſet, occiderant. Eum autem è mortuis excitatum & in cœlum ſublatum addidit, prout Prophetæ prædixerant, quarum rerum multi eſſent teſtes. Quare ei eſſe credendum, remiſſionémque peccatorum, eo deprecatore, à Deo eſſe petendam; nam per eum ſolum homines, apud Deum, bonos videri poſſe, non Legum Moſaïcarum obſervatione. Cavendum ergo iis eſſe ne fidem Jeſu detraherent, tantúmque Dei beneficium aſpernarentur.

II. Postquam dimiſſa eſſet Synagoga, multi Judæi & Proſelyti Pau-

na Differt. II. c. 11. p. 219.

3 *Ut multis aliis* &c.] Sic inter ipſos Apoſtolos *Cephas* vocabatur Πέτρος & *Thomas*, Δίδυμος, quæ ſunt meræ translationes nominum Syro-Chaldaïcorum.

ANN. XLVI. Paulum & Barnabam proſequuti ſunt, nec fidem eorum dictis negarunt; quos Apoſtoli ut eâ mente, erga Evangelium, ſemper eſſent vehementer hortati ſunt. Sequente verò Sabbatho, fermè tota urbs, audiendi Evangelii causâ, eò confluxit. Quâ multitudine conſpectâ, contumaciorum Judæorum accenſa eſt invidia; quâ factum, ut Paulo acriter contradicerent & conviciarentur. Paulus verò & Barnabas apertè teſtati ſunt, *ſibi quidem neceſſe fuiſſe Judæis primis omnium Evangelium nunciare, ſed quandoquidem id repudiarent, & ſemet ipſi vita æterna minimè dignos judicarent; jam ſe ad Gentiles converſum iri.* Quod Proſelyti maximo cum gaudio audiverunt, inter quos quicumque ita adfecti erant, ut veritati excipiendæ parati eſſent, Evangelio crediderunt; quod & per totum illum tractum latè ſparſum eſt. At Judæi in Apoſtolos, mulieres illuſtres, Deum verum colentes & primores urbis incenderunt; quorum auctoritate Evangelii præcones, alia omnia de iis meriti, oppido ejúsque finibus pulſi ſunt.

III. Apostoli verò excuſſò, in pertinaces, pedum pulvere, pro more ſolito, quo indignos eos fuiſſe ad quos venirent ſignificabant, in Lycaoniam iverunt, & Iconium ingreſſi Evangelium ibi etiam prædicarunt; quod à multis ſumma cum lætitia exceptum, ita ut Spiritu etiam Sancto donati fuerint, & ſat diu, apud ſe, Paulum & Barnabam retinuerint. Sed nec illic quieverunt Judæi, verùm ad ſolitas artes converſi & præcones doctrinæ Evangelicæ, apud Gentiles, calumniati, Sanctos Viros urbe egredi coëgerunt.

IV. Ergo in alias urbes Lycaoniæ, Lyſtram & Derbam, profugientes, in iis earúmque agris, populos ad vitæ æternæ ſpem vocarunt; & Paulus Lyſtræ, curato homine, pedum uſu à natalibus deſtituto, oppidanos in tantam ſui admirationem rapuit; ut vulgus Barnabam quidem Jovem, Paulum verò Mercurium, quòd ſoleret, tacente Barnabâ, verba facere, ſub humana ſpecie, eſſe crediderit, & ſacra iis, adductis tauris, facturum fuerit; nî Paulus laceratis, præ indignatione, veſtibus, magnâ voce teſtatus eſſet homines ſe eſſe, qui eos ad cultum Dei omnium Creatoris vocarent, non Deos. Cùm vix coërceri potuiſſent Lyſtrenſes, ne Apoſtolis victimas mactarent; advenientibus tamen Judæis, Antiochiâ Piſidiæ & Iconio, calumniáſque, pro more ſuo, ſpargentibus, (magos fortè dixerunt) tanta & tam ſubita animorum converſio facta eſt, ut eum, quem paullò antea, quaſi Mercurium, colere voluerant, lapidibus extra urbem obruerint, & pro mortuo reliquerint. Sed circumſtantibus & tegentibus eum, qui Chriſto crediderant, ſurrexit, ac urbem, ut in ea pernoctaret, nemine impediente, ingreſſus eſt.

V. Postridie verò eâ egreſſus, unà cum Barnaba, Derbam diſceſſit, ubi multos Chriſto nomen dantes, in Eccleſiam Chriſtianam admiſerunt. Quæ omnia in Actis Apoſtolicis narrantur à verſu 13. Cap. XIII. ad 21. Cap. XIV. Inter eos qui Derbæ fidem Chriſtianam amplexi

pléxi ſunt, fuere Timotheus, mater ejus Eunice & avia Loïs, quarum prior Judæa fuiſſe dicitur, poſterior jam dudum unius veri Dei cultui addicta fuerat. Timotheum ab infantia, in Sacris Litteris, quamvis pater ejus Græcus eſſet, inſtituerat. Nec vexationes, quibus in Piſidia & Lycaonia malè haberi viderat Paulum & Barnabam, animoſum adoleſcentem abſterruerunt, quin Jeſum verum Chriſtum eſſe agnoſceret, ſéque Chriſtianum profiteretur, & dum Paulum comitatur, inſignis Evangeliſta fieret. Vide Act. XVI, 1, 2. 2. Tim. I, 23. III, 11, 15. ANN. XLVII.

VI. Dum fame etiamnum Judæa laboraret, Helena Adiabenes, quæ veteris Aſſyriæ pars fuit, Regina, à Judæo quodam ad veri Dei cognitionem adducta, Jeroſolimam, colendi in Templo Dei causâ, venit, & pauperes frumento, pecuniâ ſuâ coëmpto, juvit. Filius etiam ejus Izates, ab Anania, Judæo mercatore, ad Judaïcam Religionem transductus, eadem de cauſa, pecuniam Jeroſolimam miſit, ut auctor eſt *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 2 & 3. Idem Izates, quinque filios adoleſcentes, ut Lingua & litteris Judaïcis inſtituerentur, eodem amandavit.

Claudio Aug. IV. L. Vitellio III. COSS. Claudii Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti XLVII.

I. Paulus & Barnabas, Derbâ profecti, Lyſtram, Iconium & Antiochiam redierunt; ut diſcipulos, quos in iis urbibus reliquerant, magis ac magis confirmarent; non promiſſâ quidem iis carnali felicitate regni Meſſiæ, quam ſomniabant Judæi; ſed æternis alterius vitæ præmiis, quæ, prout erant tempora, nonniſi per graves calamitates conſequi licebat. Unde doctrinæ Evangelicæ, jam per ſe eximiæ, veritas tamen magis enitebat; cùm ejus causâ viri ſapientes maxima pericula adire & graviſſimas ærumnas exantlare, prudentes & ſcientes, non dubitarent.

II. Hoc primùm tempore, poſtquàm Judæi Chriſtianos diutiùs ferre ſe poſſe negaſſent, & malis omnibus mactaſſent, narrantur Apoſtoli *Presbyteros*, ſeu *Seniores*, hoc eſt, Rectores Chriſtianos ſingulis Eccleſiis, ſeu cœtibus Chriſtianorum jam ſeorſim agentibus, præfeciſſe. Quibus Eccleſiarum curam, adhibitis precibus & jejuniis, mandarunt; cúmque valedixiſſent, peragratâ Piſidiâ, in Pamphyliam iverunt; verbóque Dei Pergæ prædicato, Attaliam deſcenderunt, únde in Syriam vela dederunt, ut Antiochenæ Eccleſiæ itinerum & laborum ſuorum exitum exponerent. Quæ leguntur Act. XVI, 22. ad 26.

III. Cuspio Fado Procuratori Judææ miſſus erat, anno ſuperiore, ſucceſſor Tiberius Alexander, Alexandri [1] Alabarchæ Alexandrini F. qui

1 *Alabarchæ.*] Dignitas fuit, apud Ægyptienſes Judæos, de qua vide *Henr. Valeſium* ad *Euſebii* H. E. Lib. II. c. 5.

ANN. XLVIII. qui Judaïcam Religionem Ethnicâ mutaverat. Huic Jacobus & Simon Galilæi, qui, Quirino cenſum in Judæa agente, gentem ad ſeditionem olim ſollicitarant, graves pœnas dederunt; ſunt enim in crucem ſublati. Eodem tempore, Herodes Chalcidis Rex, Pontificatum Max. Joſepho Camydis F. ſublatum in Ananiam Nebedæi F. tranſtulit.

A. Paullo Vitellio, L. Vipſanio COSS. Claudii Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti XLVIII.

I. Cum Paulus & Barnabas Antiochiam veniſſent, convocatæ Eccleſiæ, à qua dimiſſi fuerant, quæcumque Deus eorum operâ perfeciſſet, & quî Gentilibus januam, quâ in cœtus Chriſtianos admitterentur, aperuiſſet, expoſuerunt. Quo peracto, ſat diu Antiochiæ jam manſerant, cùm quidam è Judæa Chriſtiani advenerunt, præjudiciis Judaïcis præpediti, qui Gentiles conſequi poſſe ſalutem, niſi priùs circumciderentur, negabant; quaſi Deus ab iis, non minùs quàm à Judæis, circumciſionem exegiſſet; quod cùm per ſe falſum, tum rationi quâ, Deo ipſo auctore, ſe ſe erga Cornelium geſſerat Petrus, quem in vocandis ad fidem Ethnicis imitati etiam fuerant Paulus & Barnabas, contrarium erat. Hinc orta non exigua contentio, hos inter & Chriſtianos, Judaïcis opinionibus adhuc imbutos; quam contentionem cùm Antiocheni componere non potuiſſent, revelatione divinitus factâ, juſſi ſunt Paulum & Barnabam Jeroſolimam mittere, qui Apoſtolos & Rectores ejus Eccleſiæ conſulerent, ut ex eorum ſententia controverſia dirimeretur. Quæ habentur Act. XIV, 27 & 28. XV, 1 & 2. Gal. II, 1. 2.

II. Tiberio Alexandro, in procuratione Judææ, ſucceſſit Ventidius Cumanus; quo tempore, fato functus eſt Herodes, Chalcidis Rex, ut memoriæ prodidit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 3. Contigit, hoc anno, inſtante Paſchatis feſto, cùm ingens multitudo Jeroſolimam confluxiſſet, ut Cumanus, ne quid ſeditionis exſiſteret, cohortem, pro more, in Templi porticibus excubare juberet; útque miles, per laſciviam, nudata pudenda populo (fortè ridendæ circumciſionis causâ) oſtenderet. Quâ contumeliâ non ſibi, ſed Deo illuſum conclamarunt Judæi; quorum etiam nonnulli, ceteris audaciores, convicia in Cumanum jecerunt, quaſi rem juſſiſſet. Re verò auditâ, vehementer commotus eſt Cumanus; nec tamen eò ſeciùs Judæos oravit, ne tempore feſto tumultuarentur. Sed cùm ſe fruſtra eſſe videret & convicia etiamnum audirentur, juſſit copias omnes Romanas, quæ Jeroſolimæ erant, ad turrim Antoniam confeſtim armatas convenire. At plebs Judæa, adventu copiarum territa, metu cædis in fugam ſe dedit; tantâ

1 *Poſtquàm Paulus* &c.] Sequuti ſumus ſententiam *Jac. Uſſerii*, qui verba Pauli ſic interpretatus eſt, quamvis aliter ſenſerit *Joan. Pearſonius*, qui quatuordecim annos à converſione Pauli numerat, cujus interpretatio nobis etiam antea placuerat. Sim-

tantâ feſtinatione, ut propter viarum & portarum urbis anguſtias, plus quàm decem hominum millia conculcata, aut ſuffocata eſſe ferantur. ANN. XLIX.

III. Quidam ex iis, qui evaſerant, & efferati urbe fugiebant, circà Bethoronem, quod oppidum duodecim millibus paſſuum aut circiter, Jeroſolima remotum erat, inciderunt in Stephanum quemdam, Cæſaris ſervum, illac fortè iter facientem; quem, impetu facto, ſarcinis ſpoliarunt. Quod ubi Cumano nunciatum eſt, confeſtim milites eò miſit, ut vicinos pagos, quaſi facinoris rei ex iis eſſent, diriperent. Id dum fit, miles gregarius Moſis libros, in vico inventos, palam laceravit, conviciis in leges & gentem additis. Ibi verò Judæi, concurſu facto, Cæſaream ubi commorabatur Cumanus, petere, & flagitare non ut ſibi, ſed Numini illatam injuriam ulciſceretur. Quare veritus ne res in apertam ſeditionem erumperet, militem, de Concilii ſententia, ſecuri percuſſit; quo ſupplicio ſedatus eſt tumultus. Quæ poſteris tradidit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 4.

IV. HISTORIA ECCLESIASTICA,

à Synodo Jeroſolimitana ad Petri & Pauli mortem.

C. Pompeio Gallo Q. Verannio COSS. Claudii Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti XLIX.

I. Quatuordecim annis, [1] poſtquàm Paulus per Syriam & Ciliciam, ut ipſe teſtatur in Ep. ad Galatas C. II, 1. Evangelium nunciarat; miſſus eſt, ut diximus, Jeroſolimam, ut Apoſtolos & Seniores conſuleret, de controverſiâ; quam movebant nonnulli è Judæis Chriſtiani, quibus ritus Moſaïci à Gentilibus, qui Chriſtianam Religionem amplectebantur, antequàm in Eccleſiam admitti poſſent, obſervandi videbantur. Similis erat, hiſce temporibus, inter ipſos Judæos, contentio, cujus memoriam ſervavit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 2. Izates, Adiabenorum Rex, quem diximus, commenticiorum Deorum ejurato cultu, ad verum Deum adorandum ab Anania Judæò quodam traductum,

[1] Simplicior & convenientior ſeriei verborum Pauli viſa eſt *Uſſerii* ſententia; ex qua etiam meliùs anni digeruntur, ut hæc ſcribentes experti ſumus.

ANN. XLIX. ductum, religione motus exiſtimavit ſe Deo acceptum eſſe non poſſe, niſi circumcidi etiam ſe curaret, omnéſque Judaïcæ Religionis ritus obſervaret. Quod cùm mater Helena reſciviſſet, vehementer homini rem diſſuadere cœpit, verita ne Adiabeni, Idololatriæ, ut ceteri Orientales populi, dediti ab eo deficerent, ſi ad alienos ritus palam eum deſciviſſe audirent. Reginæ conſilium probavit etiam Ananias, minatúſque eſt ſe abiturum, ſi Rex circumcideretur; metuebat enim ne ipſe Adiabenis, cùm rem reſciſcerent, quaſi conſilii auctor, quod non probabat, pœnas tamen daret. „ Poſſe autem dicebat à Rege, ſine cir„ cumciſione, piè Deum verum coli, ſi modò omnino ſtatuiſſet Ju„ daïca inſtituta ſequi, ad cultum unius Dei quod adtinet; in eo enim „ cultu magis eſſe ſitam Religionem Judaïcam, quàm in circumciſio„ ne; conceſſurúmque Deum ei veniam, ſi neceſſitate adductus rem, „ metu eorum qui ejus imperio ſuberant, omitteret.

Conſilium, eo quidem tempore, Rex probavit, quamvis nondum circumciſionis cupiditatem animo abjeciſſet. At non multò pòſt Eleazarus quidam Galilæus, qui patriarum legum peritus habebatur, in Adiabenam venit; is, Regis ſalutandi causâ, admiſſus hominem deprehendit Moſis libros legentem, adreptáque gnaviter occaſione, „ neſcis, „ inquit, ô Rex, quantopere in Leges, ac proinde in ipſum Deum „ pecces; neque enim ſunt tibi tantùm legendæ, ſi ei gratus eſſe cu„ pis, ſed ante omnia quæ jubent facienda. Quouſque ergo incircum„ ciſus manes? Si hac de re Legem nondum legeris, ut ſcias quanta „ ſit impietas, eam verò nunc lege. Quibus auditis, Rex non ampliùs cunctatus, accito medico & in aliud cubiculum ingreſſus extemplò circumcidi ſe juſſit, rémque Matri & Ananiæ aperuit; qui ad priſtinum timorem revoluti ſibi atque ei timebant. Verùm incommodi nihil propterea paſſus eſt, ſi *Joſepho* fidem habemus; niſi quòd regni proceres eum fruſtra prodere conati ſunt. Attamen conſtat & antea & poſtea à Judæis pleriſque [2] minimè damnatos eſſe eos, quos *Proſelytos Portæ* vocabant, & qui veri Dei cultum, ſine ritibus Moſaïcis, ſuſcipiebant. Nec certè circumciſionem ulli impoſuerat Deus, niſi Abrahami poſteris, idque ut Ægyptiacis ritibus adſuetis ſe ſe adtemperaret.

II. Cum Jeroſolimam veniſſet Paulus, Eccleſiæque Antiochenæ mandata Apoſtolis & Senioribus Jeroſolimitanis expoſuiſſet; acriter ei adverſati ſunt, qui è Phariſaïca ſecta nomen Chriſto dederant, & leges etiam Moſaïcas omnes obſervandas à Gentilibus, priùs quàm Eccleſiæ Chriſtianæ adgregarentur, pertendebant. Quæ ſententia eorum animis adhæſerat, ab educatione parentum, aut inſtitutione magiſtrorum Phariſæo-

2 *Minimè damnatos eſſe.*] Liquet hoc ex verbis Ananiæ antea adlatis, quæ ſic Græcè habent, *δυνάμενον αὐτὸν καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ Θεῖον σέβειν εἴγε πάντως κέκρινε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων· τοῦτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι· συγγνώμην δὲ ἕξειν αὐτῷ καὶ τὸν Θεὸν, μὴ πράξαντι τὸ ἔργον δι᾽ ἀνάγκην, καὶ τὸν ἐκ τῶν ὑπηκόων φόβον.* Ac ſanè nulli uſui fuiſſet Proſelytiſmus ille Portæ, ſi ejuſmodi Proſelyti fuiſſent futuro ſæculo

riſæorum; qui ritibus plus multò tribuebant, quàm par erat, ut oſtendimus, ubi de ea ſecta egimus. Quamobrem novos homines fieri oportuiſſe Judæos, qui Chriſtianam doctrinam per omnia amplecterentur, non fruſtra dixerat Chriſtus. ANN. XLIX.

III. At Paulus, quamvis ſimili educatione uſus, & Phariſæorum placitis antea addictus, revelationibus tamen divinis meliora edoctus, poſthabitis eorum ſermonibus, cùm publicè, tum privatim, apud Eccleſiæ Jeroſolimitanæ primores, doctrinam quâ Gentiles imbuerat, pluribus explicuit; ne, exortâ contentione, eſſent qui ab eo tradita dogmata dicerent, quæ Apoſtolis improbabantur, labórque ejus irritus fieret. Illi verò quidquid docuerat vehementer probarunt, & ne Titum quidem, quem ſecum adduxerat, quique incircumciſus erat, circumcidi voluerunt; ne quibuſdam fictis Chriſtianis, qui in Eccleſiam irrepſerant, ut inſidias libertati Chriſtianæ ſtruerent, gratificari, ea in re, viderentur. Itaque Paulus, ne horæ quidem momento, quidquam iis concedere voluit; ne, quaſi falſa Gentiles docuiſſet, à calumniatoribus inſimularetur, nec præſtantiſſimis Apoſtolorum minorem ſe geſſit; qui cùm viderent à Deo ei eſſe permiſſam Evangelii, apud Ethnicos, nunciandi curam, ut Petro apud Judæos, ſimiliáque miracula in gratiam utriusque eſſe edita; Jacobus, Petrus & Joannes, qui columina Eccleſiæ erant & habebantur, manu ei & Barnabæ porrectâ, quaſi collegas ſuas, agnoverunt; intérque omnes convenit, ut Paulus quidem & Barnabas Ethnicis, ipſi verò Judæis Evangelium prædicarent. Hoc unum monuerunt Apoſtoli, ut pauperum, quibus Eccleſia Jeroſolimitana neceſſaria ſuppeditabat, memores eſſent, daréntque operam ut Chriſtianorum Gentilium liberalitatis participes eſſent. Hæc habet Paulus Ep. ad Gal. II, 2. ad 10.

IV. Ut verò ad negotium, cujus causâ Jeroſolimam venerant, redeam, cùm in Eccleſiæ conventu ultro citróque multa eſſent à pluribus hac de re dicta, Petrus hanc in ſententiam eſt loquutus; „ notum „ jam iis omnibus eſſe, à pluribus annis ipſum à Deo electum fuiſſe, „ ut primus apud Gentiles Evangelium prædicaret, eóſque ad fidem „ ei habendam adduceret. Se autem comperiſſe, à Deo ea facta, in „ gratiam Gentilium, ex quibus liqueret Deum eos & Judæos nullo „ diſcrimine habere; quandoquidem, ſe præſente, in incircumciſos, „ æquè ac in Judæos, Spiritum Sanctum demiſiſſet, & fide, eorum „ animos ab ea immunditia, quæ ſola ei diſpliceret, hoc eſt, à vitiis „ purgaſſet; ita ut immundi à Judæis ampliùs haberi non poſſent. „ Quare non eſſe ulteriùs explorandam voluntatem Dei, quaſi de ea-

„ etiam-

lo excluſi. Ideò *Maimonides* de Pœnitentia c. 3. חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא, *pii gentium mundi, iis pars eſt in mundo futuro.* Vide quæ habent, hac de re, *Hug. Grotius* de Jure B. & P. Lib. I. c. I, 16. & *Joan. Seldenus* de Jure N. & G. Lib. VII. c. 9 & 10.

ANN. XLIX.

„ etiamnum dubitarent, dum ab eo alia indicia flagitarentur, ex qui„ bus colligeretur Ethnicos Chriſto credentes ei eſſe acceptos, atque „ in Eccleſiam, ſine circumciſione ulla, admitti poſſe; præter Spiri„ tum Sanctum, qui in eos deſcenderat; nec iis imponendum jugum, „ quod nec veteres Judæos, nec hodiernos potuiſſe umquam æquo „ animo ferre ſatis conſtabat. Chriſtianos denique, qui antea Judæi „ fuerant, non minùs Jeſu-Chriſti beneficio, ſepoſitâ Legis obſervatio„ ne, quàm Gentiles ſervari. Quâ oratione auditâ, omnes conticuerunt, & paullò pòſt Paulus & Barnabas quæ miracula, eorum operâ, apud Gentiles, edidiſſet Deus, unde intelligere licebat non minùs ei ſalutem incircumciſorum, quàm circumciſorum, cordi eſſe, narrarunt.

V. Postquam verò hi quoque tacuerant, ſat perſpectis omnium ſententiis, audiri etiam ſe poſtulavit Jacobus, quo impetrato, dixit „ Petrum oſtendiſſe Dei conſilium fuiſſe, ut populum è Gentibus quo„ que, de nomine ſuo vocandum, ſibi colligeret; quod & prophetiæ „ Amoſi conſentaneum erat, prædixiſſe enim [3] Prophetam, reſtituto „ in priſtinas ſedes Iſraële, fore ut reliqui homines ad cognitionem veri „ Dei vocarentur atque ex omnibus Gentibus collecti populus Dei „ dicerentur. Ita Deum, qui quid facturus eſſet ab æterno norat, ſta„ tuiſſe; nec talia, ut putabant Judæi, nunc primùm audiri. Itaque „ ſe cenſere nullam eſſe Ethnicis ad Deum redeuntibus creandam, de „ obſervatione rituum, moleſtiam; ſed tantùm ſcribendum eſſe, ut in „ unam, cum Judæis, Eccleſiam coaleſcere poſſent, ſatis fore ſi abſti„ nerent [4] à carnibus aut potibus Idolis conſecratis, à libidinibus car„ nis, & ab eſu animalium ſuffocatorum, eorúmque ſanguine; quibus „ uſque adeò offendebantur qui in Judaïca Religione antea fuerant edu„ cati & Chriſtianam amplexi erant, ut in eoſdem cœtus cum iis, qui „ talia facerent, convenire non ſuſtinerent. Ad Moſem verò quod ad„ tinet, eſſe oppidatim homines, qui leges illius ſat prædicarent, & „ Scripta, ſingulis Sabbathis, in Synagogis omnibus legi; nec proin„ de timendum eſſe, ne umquam oblivioni mandarentur, aut Prophe„ tæ auctoritas minueretur.

VI. Hæc cum omnium adſenſu audita, decretúmque eſt, litteras

3 *Cap.* IX, 11, 12.

4 *A carnibus victimarum* &c.] Prolixam hac de re conſcripſit Diſſertationem vir doctiſſimus *Joan. Spencerus*, quæ exſtat ad calcem Lib. II. operis ejus de Legibus Ritualibus Hebræorum. In ea rectè oſtendit quatuor illa, à quibus abſtinere ſe oportere Gentiles judicabant Apoſtoli, fuiſſe iis temporibus occaſiones, partes & ſigna Idololatriæ; ideóque Judæos ſummopere iis offenſos, ſuſpectóſque habuiſſe cultûs commenticiorum Deorum, quoſcumque videbant Diis aliquo modo conſecrata comedentes, libidinibus deditos, ſuffocatorum animalium carne, aut ſanguine veſcentes; ita ut, cum ejuſmodi hominibus, in Societatem Religioſam coïre vix ac ne vix quidem poſſent. Quæ cauſa fuit potiſſima, ut probavit vir eruditiſſimus, cur hujuſmodi eſu Gentilibus Chriſtianis interdiceretur. Ad hæc etiam acceſſit, quòd Chriſtianis, eo interdicto, ſubtraherentur occaſiones relabendi in Ethniciſmum, aut alios infirmiores offendendi, & ipſos Ethnicos in erroribus confirmandi. *Spencerum* adeant, qui pluribus rem cognoſcere ſuâ intereſſe pu-

ras, in eam ſententiam, ſcribere Eccleſiis Antiochiæ & totius Syriæ, ac Ciliciæ; quæ litteræ Paulo & Barnabæ traditæ ſunt, ad Gentiles Chriſtianos ferendæ; iiſque adjungendi viſi ſunt Judas, cui & Barſabæ cognomen fuit, & Silas, viri inſignes & adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis probati, ut ore Gentilibus, quæ ad eos ſcribebantur, confirmarent. ANN. XLIX.

VII. Antiochiam confeſtim profecti Apoſtolorum & Eccleſiæ Jeroſolimitanæ litteras ſecum detulerunt, convocatisque Eccleſiæ Rectoribus tradiderunt. Quibus lectis, ſummopere gaviſi ſunt Gentiles, Religionem Chriſtianam amplexi, & quicumque præconceptis Judæorum opinionibus occæcati prorſus non erant. Judas verò & Silas, [5] cùm Prophetæ etiam eſſent, multis verbis fratres ſolati ſunt; dum docent Gentilibus Moſaïcorum rituum onus nequaquam impoſitum, eóſque in Chriſtiana fide, quæ alioqui vacillaſſet, ſi plus ab iis exactum eſſet, quàm par erat, magnopere confirmarunt. Cúmque aliquamdiu eo munere functi eſſent, ab Antiochenis dimiſſi ſunt, ut, ſi ita videretur, obitam legationem Jeroſolimam renunciarent, & abiit quidem Judas; Silæ viſum eſt diutiùs Antiochiæ morari. Non multò pòſt Petrus Antiochiam venit, itáque Chriſtianis Gentilibus utebatur, ut cibos cum iis capere non dubitaret, quod Moſaïcis ritibus nimiùm addicti religioni perperam ducebant. Quæ omnia habemus Act. XV, 4. ad 35. & Gal. II, 11, 12.

VIII. Hoc anno, Herodi, Chalcidis Regi, ſucceſſit Agrippa Junior, liberalitate Claudii, qui tamen ei regnum patris non reſtituit. Addidit dumtaxat Chalcidis regno poteſtatem in Templum Jeroſolimitanum, in Sacrum Ærarium, & Pontificis Max. munus; quam, ut diximus, patruo ejus antea conceſſerat. Regnum verò Agrippæ Senioris ita eſt Syriæ Provinciæ ſubjunctum, ut tamen à duobus Procuratoribus adminiſtrarentur. Cumanus Judææ & Galilææ præfuit, ut antea; ſed ad interpoſitam Samariam regendam miſſus eſt Ant. Claudius Felix, Claudii Imp. libertus, alterius liberti Pallantis, qui tum in flagrantiſſima gratia apud patronum erat, frater. Vide Lib. II. de Bello Jud. c. 25. in Græcis & *Tacitum* Ann. XI. c. 29.

C. An-

putabunt. Hæc autem vocant Apoſtoli τὰ ἐπάναγκες *neceſſaria*, non quòd æquè neceſſaria eſſent, & quovis tempore pariter obſervanda; ſed quia propter rationes, quas dixi, omnia tunc erant neceſſaria, hoc eſt, utilia obſervatu ob rationes adlatas. Πορνεία quidem, ſeu *ſcortatio*, quæcumque ſit, eſt æterno & perpetuo jure illicita, ac proinde prorſus *neceſſaria* ei oppoſita caſtitas; ſed reliqua erant *neceſſaria*, tantùm propter cauſas memoratas; quibus ceſſantibus, hoc eſt, ubi nullum periculum eſt Idololatriæ, neque offendiculi aliis objiciendi, definit eorum neceſſitas. Quod intelligere eſt ex ipſa natura rerum, ſi cum indole Religionis Chriſtianæ conferatur. Liquet hoc vel ex Idolothytis, quæ per ſe non illicita docet Paulus 1. Cor X, 25. & ſeqq.

5 *Cùm Prophetæ etiam eſſent*] Hoc eſt, Scripturam Sacram & Religionem Chriſtianam interpretari poſſent, quòd à Deo idonei ei rei facti eſſent. Vide *Henr. Hammondum* ad Act. XII, 22. 1. Cor. XII, 28.

ANN. L.

C. Antiſtio Vetere, M. Suillio Nerviliano C O S S. *Claudii Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti* L.

I. Dum Petrus Antiochiæ eſſet, familiaritérque Chriſtianis incircumciſis uteretur, nec religioni duceret communi menſæ cum iis adcumbere; ex revelatione, quâ nullum eorum, quos ſibi Deus ipſe conſecrarat, immundum habendum intellexerat; quiddam contigit, quo factum ut Paulus ei in os obſiſteret, quia re verâ ex ſuis ipſius dictis ac factis delicti argui poterat. Cùm enim quidam Chriſtiani circumciſi à Jacobo eò veniſſent, cœpit eorum metu, ſe ſe ex incircumciſorum familiaritate, menſâque communi ſubducere. Eadem diſſimulatione uſi ſunt & alii Judæi, à quibus etiam ipſe Barnabas ſe transverſum agi paſſus eſt. Quare cùm videret Paulus homines in candorem Evangelicum peccare, Petrum coram omnibus objurgavit; quòd homo Judæus, qui antea Gentilium more vivere non dubitarat, nunc eos cogeret, diſſimulatione ſuâ, Judaïca inſtituta ſequi; cùm illicitum ſibi judicarent, quod inſignis Chriſti Apoſtolus facere non audebat; „ & nos quidem, inquit, „ natalibus Judæi, cùm ſciremus, non propter obſervationem Legum „ Moſaïcarum, ſed Chriſti præceptorum, homines Deo acceptos fieri „ & bonos ac religioſos cenſeri, propterea Chriſto credidimus; ut E- „ vangelio parentes pii apud Deum haberemur, quia nemini aliter rem „ conſequi licebat. Quamvis Paulus non addat Petrum eò adductum fuiſſe, ut cum Gentilibus viveret, ſicut antea fecerat; dubium eſſe non videtur, quin, Pauli admonitione permotus, ad Chriſtianam libertatem iterum uſurpandam reverſus fuerit. Nec tamen propterea omnino ſanati Chriſtianorum circumciſorum animi, ut vel ex Epiſtola ad Galatas colligere eſt. Superiora verò habentur ejuſdem Epiſtolæ Cap. II, 11. ad 16.

II. Postea Paulus Barnabam monuit Evangelio conducibile fore, ſi unà Eccleſias omnes, quas conſtituerant, reviſerent, ut quomodo haberent viderent; & adſenſus quidem facilè Barnabas, ſed Marcum itinerum ſocium unà adſumi oportere putabat; quod faciendum negabat Paulus, eò quòd Marcus ab eo tempore, quo primùm in Pamphylia fuerant, à ſe diſceſſiſſet, nec ſequentium laborum particeps fuiſſet. Inde frigore nonnullo, inter eos, exorto, ſatius viſum eſt ſeparatim Eccleſias inviſere; & Barnabas quidem, comite Marco, in Cyprum navigavit; Paulus verò, qui Silam comitem ſibi elegerat, precibus Antiochenæ Eccleſiæ Deo commendatus, unà cum ſocio, profectus eſt & peragratis Syriæ & Ciliciæ Eccleſiis, omnes ad fidem Chriſti conſtanter retinendam non fruſtra eſt hortatus.

III. Idem Derbæ & Lyſtræ fecit, unde abduxit Timotheum, quem, cùm Græco patre natum omnes ſcirent, tamen ne offenderet circumciſos eorum locorum Chriſtianos, Moſaïcos ritus pertinaciùs retinentes, cir-

circumcidit; non quòd neceſſarium putaret, ſed ne Timotheus iis hominibus, aliiſque eodem præjudicio laborantibus, minùs acceptus eſſet, ac proinde minùs utilem Evangelio operam navaret; nam ad Chriſtianos incircumciſos, quod adtinet, familiariter circumciſis uti non verebantur. Sed ne res in exemplum traheretur, cogerentúrque, præter jus & fas, Gentiles omnes Chriſtiani circumciſionem ſuſcipere; diligenter ubique Paulus Jeroſolimitani conventûs decreta omnibus exponebat. Quâ prudentiâ, Eccleſiæ mirâ conſtantiâ in fide Chriſtiana perſeverabant, & credentium numero, in dies augebantur. Quæ omnia hauſimus ex Act. XV, 36. ad finem uſque, & Act. XVI, 1. ad 5. ANN. LI.

Claudio Auguſto V. Servio Cornelio Orſito COSS. Claudii Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti LI.

I. Hoc anno C. Caſſio Longino, Syriæ Præſidi, ſucceſſor miſſus eſt *T. Vinidius*, ut in *Taciti* Codicibus vocatur, vel *Numidius*, ut eſt in exemplaribus *Joſephi*, Quadratus. Certè Syriæ hoc anno præfuit

II. In Aſiam Proconſularem ubi poſtea Eccleſiam Epheſinam aliáſque conſtituit, ire hoc anno ſtatuerat Paulus; ſed cùm certis de cauſis, quæ nos nunc fugiunt, impeditus fuiſſet à Spiritu Sancto, Phrygiam & Galatiam peragravit; in quibus videtur Evangelium nunciare cœpiſſe, quamvis taceat Hiſtoria Sacra. Inde in Myſiam cùm diſceſſiſſet, velletque in Bithyniam tranſire, à Spiritu Sancto vetitus eſt. Myſiâ ergo relictâ, Troadem ſe contulit, à quo tempore comitem ſe ſe ei adjunxiſſe Lucam, Medicum Antiochenum, Evangelii & Actorum Scriptorem, colligere poſſe videmur ex Act. XVI, 10. ubi ſe itinerum Pauli comitem fuiſſe oſtendit.

III. Troade cùm eſſet Paulus, in ſomnis ſpeciem viri Macedonis vidit, à qua orabatur ut in Macedoniam veniret, ſibique auxilio eſſet; unde collegit ſe à Deo eam in provinciam vocari. Quare conſcenſâ nave, rectâ in Samothracen Inſulam contendit; è qua Neapolin, urbem maritimam Macedoniæ, ad Thraciæ fines, trajecit; unde ivit Philippos, coloniam Romanam [1] atque ejus tractûs Primam. Ibi aliquot dies moratus, die Sabbathi urbe ad fluvium egreſſus eſt, in locum in quo Proſeucha eſſe ſolebat; ubi cum mulieribus piis colloquutus Lydiam Thyatirenſem, quæ purpuram vendebat, ad fidem Chriſtianam transduxit, & cum tota familia, exemplum mulieris imitata, baptiſmo in Chriſtianam Eccleſiam admiſit; quæ mulier eum, hoſpitio ut exciperet, vehement er oravit & impetravit.

IV. Alio Sabbathi die, Proſeucham eunti occurrit puella impuro Pythonis, cujus ope vaticinabatur, Spiritu obſeſſa, & quæ non mediocrem quæſtum vaticiniis ſuis adferebat heris. Ea Paulum & ſocios ſe-

1 *Ejus tractûs Primam*] Vide notata à nobis ad Act. XVI, 12.

ANN. LI. ſequuta, magnâ voce clamabat *eos viros eſſe ſummi Dei miniſtros, qui viam ſalutis nunciabant*, coacto Cacodæmone vera prodere. Cùm verò pluribus diebus idem feciſſet, moleſtáque fuiſſet clamoribus ſuis Paulo, qui ejuſmodi teſtimonio nequaquam indigebat; converſus ad mulierem, nomine Jeſu-Chriſti prolato, Cacodæmonem ex ea egredi juſſit, qui è veſtigio paruit. Nec ampliùs vaticinari puella potuit, quamobrem ſolito quæſtu deſtituti ejus heri Paulum & Silam in forum ad Magiſtratus traxerunt, ſeditioniſque, diſſimulatâ verâ irarum causâ, & inductarum novarum Religionum, quibus aurem præbere Romanis nefas erat, accuſarunt. Tum coortâ in eos plebe, Magiſtratus lacerari eorum veſtes & virgis homines cædi juſſerunt, gravitérque flagellatos in carcerem conjecerunt; datis commentarienſi mandatis, diligenter ut eos adſervaret; qua de causâ, in interiorem carcerem detruſos nervo vinxit. Potuiſſet quidem Paulus eas contumelias, indignitatéſque vitare, ſi ſe civem Romanum dixiſſet; ſed jure ſuo uti noluit, fortè ne Religionis causâ nihil velle pati videretur, néve ſolus Silas, qui civis non erat, cæderetur.

V. At circa mediam noctem, Paulo & Silâ hymnum Deo canentibus, ita ut ceteri vincti audirent; ſubitò terræ motus factus eſt, concuſſa carceris fundamenta, januæ omnes apertæ, & vincula omnium ſoluta. Commentarienſis motu excitatus, cùm januas apertas animadvertiſſet, crederétque vinctos aufugiſſe, ſtricto gladio ſibimet ipſe manus adlaturus erat; quippe qui pœnas de ſe, quaſi eos negligentiùs adſervaſſet, ſumtum iri, ut videtur, exiſtimaret; niſi Paulus, qui rem ſenſit, magnâ voce exclamaſſet, nihil eſſe cur deſperaret, cùm omnes etiamnum in carcere eſſent. Adlatâ verò lucernâ, poſtquàm vidit ita ſe rem habere, ut Paulus dicebat, locum carceris, in quo erat cum Sila, ingreſſus, ad pedes eorum accidit, & divinitate doctrinæ Chriſtianæ, ex miraculo, quod viderat, intellectâ, quid ſibi faciendum eſſet, ut ſalutem conſequeretur, quæſivit. Tum verò illi, ſi ipſe, familiáque ejus Chriſto crederent & obſequerentur, ſervatum omnes iri reſponderunt; expoſitóque Evangelio, verum eſſe cunctis perſuaſerunt. Itaque Commentarienſis continuò vibices eorum abluit & abſterſit; quo facto, cùm ipſe, tum tota ejus familia baptiſmum ſine mora acceperunt. Deinde Evangelii præcones è tetro carceris loco, domum ſuam admiſit, convivióque lætus, quòd vero Deo crediidiſſet, excepit.

VI. Cum illuxit, Magiſtratus, lictoribus ad carcerem miſſis, homines dimitti juſſit; quod iis nunciavit Commentarienſis, & licere jam abire dixit. Ibi verò Paulus, cives Romanos (nam Paulus natalibus erat civis Romanus) inauditos cædi, in carcerem conjici, & clanculum dimitti ſolere negavit; itaque venirent Magiſtratus ipſi, & ſe dimitterent. Quibus nunciatis, ad carcerem venerunt, factóque excuſato, ut urbe egrederentur orarunt; & Paulus quidem ac Silas, poſtquàm inviſiſſent Lydiam, eámque & ceteros, qui Chriſto crediderant, ut

conſtan-

conſtanter Evangelio adhærerent adhortati eſſent, oppido exierunt. Pluribus hæc omnia narravit oculatus teſtis Lucas, Actorum Cap. XVI, 6. ad finem. ANN. LII.

VII. PAULUS & comites, per Amphipolin & Apolloniam, Theſſalonicam iverunt, ubi Judæorum Synagoga erat; in quam, pro more ſuo, die Sabbathi ingreſſus Paulus verba ad populum fecit, ac è Prophetis oportuiſſe Meſſiam mortem perpeti atque è mortuis reſurgere, eúmque fuiſſe Jeſum oſtendit. Ejus dictis permoti Judæi nonnulli ſe ei & Silæ adjunxerunt, ſed Proſelytorum Græcorum major multò numerus, primariæque aliquot matronæ fidem ei habuerunt. Quod hîc & alibi frequenter factum videtur, quia Græci Deum timentes, Judaïcis præjudiciis minùs præpediti, faciliùs Meſſiam, qualem finxerant Judæi, exſpectari non oportere perſpiciebant, præſtantiámque doctrinæ Chriſtianæ meliùs intelligebant. Sed Judæi invidiâ accenſi, concitatâ ac ſubornatâ circumforaneorum hominum turbâ, tumultum in urbe fecerunt, concurrerúntque ad Iaſonis ædes, ut Paulum & comites ad plebem traherent; quibus nequaquam inventis, Iaſonem ipſum & alios quoſdam Chriſtianos ad Politarchas duxerunt, gravémque querelam in eos inſtituerunt; veniſſe enim homines ſeditioſos in urbem, qui ubique turbas faciebant, dum non Cæſarem, ſed Jeſum terrarum dominum eſſe dictitarent, eóſque ab Iaſone hoſpitio exceptos. Quæ criminatio & plebem & Magiſtratus ita commovit, ut Iaſon & alii ſponſores pro ſe dare, ut dimitterentur, neceſſe habuerint, Paulúmque & comites nocte Beroeam dimiſerint. Ægerrimè ferebant Judæi, gens multitudinis ad Religionem ſuam adducendæ cupidiſſima, exortos è popularibus ſuis homines, quibus plures multò ſe ſe adjungerent, & Judaïcis etiam inſtitutis relictis, adhærerent; ideóque Evangelii præconibus acriùs, quàm ipſi Ethnici, adverſabantur. Vide Act. XVI, 6. ad finem. & C. XVII, 1. ad 10.

Fauſto Sulla & Salvio Othone COSS. Claudii Imp. XII. Æræ Vulgaris LII.

I. SUNT qui ad hunc annum referendum putent quod habet *Suetonius*, in vita Claudii c. 25. *Judæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes, Româ expulſos*, hoc eſt, ut putant, ex occaſione Chriſtianorum. Hoc ſanè tempore, cùm plures jam eſſent per orbem Romanum Chriſtiani, nihil vetat quin Romæ fuerint nonnulli; quos iiſdem artibus oppugnarint in Urbe Judæi, quibus alibi utebantur. Certè ejectos, hiſce temporibus, Italia Judæos, conſtat, ut mox videbimus.

II. HOC anno tumultuum in Judæa, quibus poſtea tota conflagravit, initium factum eſt, cui occaſionem præbuit cædes Galilæi cujusdam, qui in Magno Campo, cùm in aliorum comitatu Jeroſolimam iret, occiſus eſt à Samaritis, ad vicum quemdam Samaritarum; unde

 ortâ,

ANN. LII. ortâ inter ruſticos & Galilæos pugnâ, multi Galilæorum ſunt deſiderati. Quod Galilæorum primores indigniſſimè ferentes Judæos ad arma conciverunt; cúmque Judæorum Magiſtratus pollicerentur ſe operam daturos ut Cumanus, qui Galilææ præerat, cædis auctores ad pœnam repoſceret, leniréque iratorum animos conarentur; multitudo, ſpretis eorum monitis, arma cepit, adjunctóque ſibi Eleazaro Dinæi F. latrone, ferro & igne nonnullos Samaritanorum vicos vaſtarunt. Cumanus verò tantùm abfuit, ut Galilæorum rationem haberet, ut, acceptâ à Samaritis pecuniâ, primùm querelas neglexerit, deinde etiam armatâ manu Samaritis opem tulerit, multóſque Judæos occiderit. Quæ res Judæos ita exaſperavit, ut illico arma in Romanos capturi fuiſſent, niſi gentis principes ſaccis induti & capita cinere ſparſi, enixis precibus, multitudinem placaſſent; cùm præſertim ex ejuſmodi rebellione nihil, niſi totius Judææ & Templi ipſius exitium, exſpectari poſſe oſtenderent. Sed non obſtiterunt quominùs latrocinia innumera per totam provinciam fierent, & ab hoc tempore arcana à multis conſilia, de excutiendo Romanorum jugo, agitarentur, quæ mox eruperunt. Atque hoc videtur fuiſſe *myſterium iniquitatis*, de quo Paulus in altera ad Theſſalonicenſes; quod ne tunc temporis palam fieret, nihil obſtabat, præter metum Romanorum exercituum, & nonnullam Judææ gentis procerum reverentiam, quibus etiamnum ferociores animi coërcebantur.

III. Interim Samaritæ ad Numidium Quadratum, Tyri tunc agentem, querelas detulerunt, tumultûs initium ad Judæos referentes, contemtique Romani Imperii reos agentes. Adfuerunt mox Judæorum legati, contendentes ſeditionis auctores fuiſſe Samaritas, & Cumanum eam foviſſe; cùm eorum muneribus corruptus de ſeditioſis pœnas ſumere noluiſſet. Sed & Felix, intempeſtivis remediis, ſi *Tacito* credimus, delicta accenderat, & à latronibus prædæ particeps factus fuerat. Quadratus judicium, donec quæſtionibus habitis in locis ipſis, in quibus res contigerat, omnia adcuratiùs cognoviſſet, diſtulit. Quæ pluribus narravit *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 5. & de Bello Lib. II. c. 21. in Græcis, cui etiam adjungendus *Tacitus*, Lib. XII. c. 54.

IV. Paulus & Silas Theſſalonicâ profecti Beroeam venerunt, atque in Judæorum Synagoga Evangelium nunciarunt; & Beroeenſes quidem melioris indolis, quàm Theſſalonicenſes, læto atque erecto animo, doctrinam Chriſtianam exceperunt, quia collatam cum Prophetis eis conſentaneam eſſe compererant. Itaque multi Judæi, Proſelytique Gentiles, & illuſtres matronæ ſe ſe ad Eccleſiam Chriſtianam adgregarunt.

1 *Ignotis Diis*] Vide *Joan Meurſium* de Piræeo, c. X. & *Jac. Sponii* Diſſertationem de hoc loco. Quamvis plurali numero legeretur inſcriptio ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, rectè de *Deo Ignoto* loquutus eſt Paulus; quia plurali numero continetur ſingularis.

2 *Nos illius genus*] Τοῦ καὶ γένος ἐσμὲν, quod quamvis non dixiſſet *Aratus*, eodem prorſus ſenſu, quo Paulus intelligebat, poterat tamen eo modo intelligi: quia ſic Poëta, ſi probè ſciviſſet quod dicebat, intelli-

runt. Sed Theſſalonicâ advenientes Judæi, cùm audiſſent Beroeæ nunciari Evangelium, turbas etiam in hac urbe concitarunt; quibus factum eſt, ut Paulum Chriſtiani Athenas ducerent, dum Silas & Timotheus paullò diutiùs Beroeæ commorarentur; quòd in eos, ut videtur, non uſque adeò incenſi eſſent Judæi, quorum furor Paulum potiſſimùm petebat. ANN. LII.

V. Redierunt Beroeam, qui Paulum Athenas comitati fuerant, cum mandatis ejus ad Silam & Timotheum, ut ſe quamprimùm reviſerent. Interea verò dum eos exſpectaret, non in Judæorum tantùm Synagoga, ſed & in foro, Evangelium iis, in quos incidebat, nunciare non dubitabat. Cùm verò Athenienſes, & qui Athenas, ſtudiorum causâ, veniebant, nullâ re magis delectarentur, quàm ſi quid novi dicerent, vel audirent; quidam Stoïci & Epicurei, cupidi cognoſcendi quid tandem novi adferret Apoſtolus, eum è foro in Areopagum duxerunt, ut commodiùs quid ſibi vellet audirent. Ibi autem eam habuit orationem, quam legimus Act. C. XVII, 22. & ſeqq. ex quo Capite & antecedentia depromta ſunt. Exorſus à quodam altari, cui inſcriptum viderat [1] Ignotis Diis, ſe Deum dixit iis nunciare, quem ignorarent, quémque neſçii ignotorum Deorum numero colerent; hoc eſt, creatorem cœli & terræ, cujus etiam *genus* homines eſſent, ut dixerat nonnemo Poëtarum Græcorum. Is eſt *Aratus*, qui initio Φαινομένων, Jovem laudans [2] *nos illius genus eſſe* dicit. Qua in re, ſe ſe Paulus prudenter Athenienſibus adtemperabat, quamvis probè noſſet ab *Arato*, non Deum quem Judæi colebant, ſed Jovem Græcorum intellectum. Nec ignoravit etiam cœlum & terræ conditorem, inter ignotos Deos, ab Athenienſibus minimè relatum eſſe, cùm prorſus eum ignorarent; ſed præſenti negotio rem aptavit, quòd etiamnum ignotus eis eſſet rerum omnium creator, quem nunciabat. Cùm verò de Ultimo etiam Judicio, déque Reſurrectione eſſet loquutus, aliis riſum movit, aliis tædium creavit, qui in aliud tempus pluribus eum dicentem audire diſtulerunt. [3] Dionyſius tamen Areopagita, mulier Damaris & aliquot alii Evangelio fidem habuerunt.

VI. Cum ad Paulum Athenas rediiſſent Silas & Timotheus, audirétque Paulus Theſſalonicenſes, Religionis causâ, malè haberi; ad eos remiſit Silam & Timotheum, qui infirmiores ſolarentur, & ad conſtantiam adhortarentur, quod eis bene ceſſit, ut docemur 1. Theſſ. III, 1. & ſeqq. Ipſe interim Corinthum profectus incidit illic in Judæum quemdam, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper ex Italia venerat, cum

telligere debuerat. Quod Paulo ſatis erat.

3 *Dionyſius*] Hoc unum de *Dionyſio*, eúmque primum fuiſſe Athenarum Epiſcopum è *Dionyſii* Corinthii Epiſtola, apud *Euſebium* Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 4. notum eſt. Cetera omnia incerta, aut falſa, non minùs ac Opera ei ſuppoſita, ſæculo VI. conficta. Vide *Jac. Sirmondi* & *Joan. Launoii* Diſſert. de Dionyſio, & *Sebaſtian. Nanum Tillemontium*, in ejus vita.

ANN. LII. cum Priſcilla uxore; quòd Judæos omnes Româ excedere juſſiſſet Claudius. Is Aquila tentoriis faciendis vitam ſuſtentabat, quæ erat etiam Ars, quam Paulus didicerat; [4] ſolebant enim, apud Judæos, qui Legi operam dabant, etiam ſellularias artes ediſcere, ut, ſi quæ calamitas ingrueret, ejuſmodi quæſtu victitare poſſent. Aquilæ ergo ſe Corinthi adjunxit, unáque cum eo tentoriis conficiendis animum adpulit, ut, ſine ullo audientium ſumtu, Evangelium nunciaret; qua de re meritò, in Epiſtolis ad Theſſalonicenſes & Corinthios, gloriatur. Licebat quidem illi, ut [5] teſtatur, ſine ullius injuria, liberalitate Chriſtianorum ſuſtentari; æquum enim erat eum, à quo tantum beneficium accipiebant, quique totam vitam Evangelio prædicando conſecrabat, rebus ſaltem neceſſariis ab iis juvari. Sed vir prudens & excelſi animi, aſſiduo labore, ſibi victum & veſtitum quærere maluit; ne quis, ſpecie Chriſtianæ doctrinæ ſpargendæ, circumire eum terras & maria, lucri faciendi causâ, fingere poſſet, aut datas ei pecunias ullo modo exprobrare. Huc accedebat, quòd illâ rerum humanarum deſpicientiâ; quâ nec lucrum, nec voluptates, nec honores captabat, ſed vilis artificis more victitabat; verum eſſe Evangelium, cui gratuitam dabat operam, omnibus liquebat, aut certè videri ei verum; qua in re, vix fieri poterat, ut vir probus & ſapiens falleretur. Quæ paucis, honoris causâ, de ſanctiſſimo viro dicenda ſemel fuerunt.

VII. PAULUS ergo Corinthi, ſingulis Sabbathis, Evangelium in Judæorum Synagoga prædicabat, multóſque cùm Judæorum, tum Proſelytorum Græcorum ad veritatis cognitionem transducebat; quod cùm Judæi contumaciores animadverterent, acriter ei adverſari cœperunt, eorúmque pertinaciâ & conviciis factum eſt, ut Apoſtolus, iis omiſſis, ad Græcos ſe ſe converteret, & credentium cœtus haberet, in ædibus Juſti cujuſdam Proſelyti, quæ à Synagoga pariete tantùm disjunctæ erant. Dum eo munere, non ſine periculo, fungeretur, viſo nocturno à Deo miſſo, conſtanti animo eſſe juſſus eſt; neminem enim ei Corinthi nociturum, & multos ad fidem Chriſtianam ſe ſe converſuros; quod expertus eſt, per ſeſquiannum, quo tunc temporis in ea urbe commoratus eſt. Quæ omnia debemus Lucæ Act. XVII, 10. ad finem & Cap. XVIII, 1 ad 11.

VII. QUAMDIU Paulus Corinthi vixit, jure Apoſtolico & Eccleſiæ conditoris, eam Eccleſiam rexiſſe omnino videtur; nullo alio conſtituto ordine, niſi ut omnia ad Eccleſiæ ædificationem & decenter, ut apud

4 *Solebant enim* &c.] Vide *Hug. Grotium* ad Act. XVIII, 3. Alioqui Sapientes ſolebant publicè ali, qua de re egit vir eruditus *Campeg. Vitringa*, de Synagoga Vetere Lib. III. P. I. c. 18.

5 1. Cor. IX, 6. & ſeqq.

6 *Quamvis propter penuriam* &c.] *Henr. Dodwellus*, in *Paræneſi ad Exteros de Nupero Schiſmate Anglicano* rem, ſine ambagibus fatetur §. 13 & 14. Quod de Diſſidiis diximus id *Hieronymo* debemus Cap. I. Comment in Ep. ad Titum, ubi ſic loquitur. *Antequàm Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent & diceretur:* Ego ſum Pauli, ego Apol-

apud Chriſtianos par erat, fierent. Quemadmodum enim Societatum Civilium initio, dum paucis conſtarent, omnia à patribus familias, communi conſilio & conſenſu, adminiſtrata ſunt; donec Reipublicæ, cui multitudo vacare vix poterat, paucis quibuſdam, aut etiam uni cura potiſſima demandata eſt: ſic in Eccleſiis Chriſtianis, quicumque poterant, ac volebant videntur initio ſummæ rerum præfuiſſe, dum diſſentionis cauſæ, aut præmia nulla, fervente etiamnum Religionis ſtudio, fuerunt. Itaque Corinthi, ut Jeroſolimæ & Antiochiæ, Prophetæ, Linguarum dono ornati, aliique, quibus res cordi erat, quæ in commune ad Eccleſiam pertinebant adminiſtrarunt, ut ex Epiſtolis ad eam à Paulo ſcriptis colligere eſt; quod ſuo loco, ubi de Epiſtolis illis agemus, pluribus oſtendemus. Verùm poſtea diſſidiis obortis, aliisque adfectibus concordiam turbantibus, & Concilium Eccleſiæ publicum, & Præſidem, qui ei præeſſet, conſtitui oportuit; [6] quamvis, propter antiquorum monumentorum penuriam, tempus & ratio, quibus res contigit, adſignari nunc à nobis non poſſint. ANN. LII.

VIII. Ad mores quod adtinet, primùm optimos fuiſſe, ſummo Evangelii amore, & præſertim paucioribus ſingularis virtutis hominibus ei fidem habentibus, dubium non eſt. Sed cùm Deus non adflatu quodam perpetuo, & qui omnia hominum vitia curet, cunctóſque ex eorum animis errores abigat, ſed rationibus & adhortationibus, ad Leges ſuas obſervandas, homines regat; libertate ſuâ, quâ pejores, æquè ac meliores, fieri poſſunt, ut laudi & vituperationi, præmiis & pœnis ſit locus, abuſi ſæpe ad deteriora prolabuntur. Quod Eccleſiæ Corinthiæ contigiſſe, præſertim poſtquàm plures undique in eam confluxerant, ex Epiſtolis Pauli intelligere eſt, qua de re poſtea dicemus.

IX. Ad Paulum Corinthi agentem redierunt Silas & Timotheus, quod narrat Lucas Act. XVIII, 5. Qui ubi expoſuiſſent quonam ſtatu Theſſalonicenſes Chriſtianos inveniſſent, Paulus priorem ad eos Epiſtolam ſcripſit, ubi fidem & virtutem hominum laudat, proptereáque Deo gratias agit; ſine ullo eorum ſumtu apud eos prædicaſſe ſe Evangelium, & ut Chriſtianum decebat vixiſſe commemorat; eos extollit, quòd conſtanter tuliſſent popularium vexationes, ut Judææ Chriſtiani Judæorum acerbitates tulerant; voluiſſe ſe eos inviſere adfirmat, ſed impeditum fuiſſe ab iis, qui Evangelio adverſabantur, verùm ſe à Timotheo, quem ad eos Athenis miſerat, accepiſſe quo loco res eorum eſſent; eos ad omnis generis virtutes, pro doctrina Evangelica, quam ab ipſo audiverant, hor-

Apollo, ego autem Cephæ; *communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquàm verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Preſbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Quod & in ſequentibus repetit. Sed conſulenda, de hoc loco, *Henr. Hammondi* 2. Diſſertatio Cap. XVIII. *& ſeqq.* ubi oſtendit non ſine Apoſtolorum conſilio hæc eſſe facta. Certè ſæculo II. ab initio ubique ea regiminis forma obtinebat.

ANN. LIII. hortatur; pollicetúrque adventum Chriſti, qui non vivos tantùm, [7] de quibus loquitur, quaſi cùm ipſe, tum Theſſalonicenſes potuiſſent Chriſtum inter eos advenientem videre; ſed etiam antea mortuos, è ſepulcris excitatos beabit, tempore quo minimè ab hominibus exſpectabitur; quare Chriſtianos, ex præceptis ejus vitam inſtituentes, ſemper debere eſſe eo excipiendo paratos. Hæc & alia ejuſmodi ad Theſſalonicenſes ſcripſit, ut eos in fide confirmaret, & per totam quidem Epiſtolam, eorum ſalute nihil ſibi antiquius eſſe oſtendit.

D. Junio Silano, Q. Haterio COSS. Claudii Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti LIII.

I. Quadratus hoc anno in Samariam ivit, comperítque à Samaritis initium rixæ factum; ſed Cæſareæ reſcivit à Judæis nimis avidè pugnæ occaſionem adreptam, & res novas agitari cognovit. Quare eorum nonnullos in crucem egit, alióſque Lyddæ, ubi iterum Samaritas audivit, ſecuri percuſſit. His pœnis de Judæis ſumtis, Cumanus & Felix, ut prodidit *Tacitus*, utriſque fortè nocentiores, & de quibus ſtatuendi jus Quadrato dederat Claudius, cunctationem adferebant. Sed Felicem, propter gratiam quâ frater ejus apud Cæſarem valebat, receptum in Tribunal inter Judices oſtentavit, quò ſtudia accuſantium deterrerentur; Cumanúſque, ob flagitia, quæ ambo admiſerant, procuratione amotus Romam miſſus eſt, factorum rationem Cæſari redditurus. Miſſi unà ſunt Jonathas & Ananias, hujúſque filius Ananus, principes Sacerdotum, & aliquot alii nobiles Judæi, tum etiam Samaritarum nobiliſſimi.

II. Constituta die, quâ Cumanus & Samaritæ cauſam dicerent, muneribus libertos & amicos Cæſaris ita ſibi conciliarant, ut ſuperiores fuiſſent Judæis futuri; nî Agrippa, qui tum Romæ etiamnum degebat, per Agrippinam Claudii uxorem, totam cauſam ab eo adcuratiùs cognoſci impetraſſet. Quo facto, cùm tumultûs initium à Samaritis factum conſtaret, Samaritas, qui aderant, ſecuri percuſſit, Cumanum in exſilium miſit, & Celerem Tribunum, flagitiorum participem, avehendum Jeroſolimam Judæis tradidit, pœnas illic daturum. Sed Felicem, cujus minora non erant ſcelera, non tantùm Samariæ Procuratorem reliquit, ſed & Judææ, ac Galilææ præfecit; ubi, per omnem ſævitiam ac libidinem, ut habet *Tacitus*, jus regium ſervili ingenio exercuit; Druſillâ Cleopatræ & M. Antonii nepte in matrimonium acceptâ, ut ejuſdem Antonii Felix progener, Claudius nepos eſſet. Poſtea

7 *De quibus loquitur* &c.] 1. Theſſal. V, 15. ubi vide Interpretes, & præſertim *Hug. Grotium.*

1 *Eóque anno Proconſul* &c.] Vide *Jac. Uſſerii* Annales ad hunc annum.

2 *Antequàm Judæi* &c.] 2. Theſſal. C. II, 3. ad quem locum vide quæ diximusin additamentis ad Hammondianas Adnotationes.

3 *Ita ut aures*] Hæc eſt ἐνεργεία πλάνης, *operatio erroris*, de qua ibidem C. II, 10. Bene

Poſtea duxit & alteram Druſillam, de qua in Actis Apoſtolorum, Agrippæ Senioris Filiam, quæ priùs Azizo Emeſenorum Regi collocata fuerat, ſed eo relicto, Felici nupſit. Hinc videtur *Suetonius* vitæ Claudii c. XXVIII. hominem *trium Reginarum maritum*, vocaſſe, cùm fortè duarum tantùm fuerit; tertiæ certè nec nomen, nec memoria ulla ſupereſt.

III. Hoc eodem anno, cùm Agrippa Junior exiguum Chalcidis regnum, per quatuor annos, tenuiſſet, à Claudio eſt in majus tranſlatus; donavit enim eum Philippi Herodis Magni F. tetrarchiâ, ſeu Batanæâ, Gaulanitide & Trachonitide, cui adjunxit & Abilenen, Lyſaniæ Tetrarchiam. Quæ omnis hiſtoria debetur *Joſepho*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 5. & *Tacito* Hiſt. Lib. V. c. 9.

IV. Paulus à Judæis ductus eſt ad tribunal Gallionis, qui L. Senecæ Philoſophi major natu frater erat, [1] eóque anno Proconſul Achaiæ fuit, cùm antecedente Conſul ſuffectus fuiſſet; ob gratiam quâ L. Seneca, Neronis præceptor, tunc in aula florebat. Queſti ſunt, apud Proconſulem, Judæi Paulum Judæos docere aliter Deum colendum, quàm Legibus Moſaïcis fas erat. Quibus auditis, cùm Apoſtolus pro ſe dicturus eſſet, reſpondit Gallio ſi quid flagitii aut ſceleris in Leges Romanas admiſiſſet Paulus, eorum accuſationem ſe admiſſurum; ſed de litibus, ad Leges Judaïcas pertinentibus, jus nolle dicere, hominéſque à tribunali arceri juſſit; quod cùm vidiſſent Græci, pugnis Soſthenem Archiſynagogum, non curante Gallione, cecîderunt.

V. Dum Corinthi etiamnum eſſet Paulus, alteras ad Theſſalonicenſes litteras dedit, in quibus eos docuit fore ut pœnas Chriſto darent, qui eos vexabant; eos nimirum, intelligit, qui calumniis, apud Magiſtratus Ethnicos, Chriſtianos adgrediebantur, Gentiléſque ipſos, qui aurem eis præbebant. Monuit etiam ne ſibi verba dari paterentur, vaticiniis, aut litteris, quaſi ab ipſo miſſis, quibus adventus Chriſti mox futurus prædicaretur; neque enim venturum, [2] antequàm Judæi in apertam ſeditionem erupiſſent, quam clam moliebantur; priùs omnino oportere improbos homines, & qui ſe Deo æquarent, Poteſtatéſque omnes ſpernerent, larvâ detractâ, innoteſcere, ac Templum Jeroſolimitanum invadere; quod non ante futurum erat, quàm Judææ Gentis procerum reverentiam, omnémque metum Romanorum, quibus rationibus etiamnum in officio continebantur, exuiſſent; impios autem illos miraculis & prodigiis fidem ſibi, mentientibus licèt, facturos apud homines, à quibus Evangelium ſpretum fuerat, & quos ideò ſuæ ipſorum inſcitiæ & improbitati permiſſurus eſſet Deus; [3] ita ut aures, quas Veritati obtura-

Bene OEcumenius: τὸ πέμψει, μὴ ὅτω δέξῃ ὡς τοῦ Θεοῦ πέμποντος, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ συγχώρησιν· ὅτως ἔθος καλεῖν τῷ Παύλῳ· ἐνέργειαν δέ φησι πλάνης, τϐτέςι πλάνην ἔνεργον καὶ πλανῆσαι ἰσχύϐσαν: *quod ait* mittet, *ne ita accipias, quaſi Deus mitteret, ſed permiſſionem quæ eſt à Deo. Solet ita vocare Paulus.* Efficaciam *autem dicit*, illuſionis, *hoc eſt*, illuſionem efficacem & illudere valentem.

ANN. LIV. turarant, turpiſſimis mendaciis aperturi eſſent. Eos denique laudat & hortatur ad conſtantiam, admiſtis ubique præceptis ad omnis generis virtutes pertinentibus.

M. Aſinio Marcello, M. Acilio Aviolâ COSS. *Claudii Imp. XIV. Neronis Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti* LIV.

I. Postquam per ſeſquiannum Corinthi commoratus eſſet Paulus, initio hujus anni, ut videtur, Corinthiis valedixit, atque Cenchreas, in Syriam navigaturus ſe contulit. Sed antequàm vela daret, Cenchreis, exacto tempore voti Nazireatûs, quod conceperat, ſed cujus ratio in Hiſtoria Sacra non traditur, cæſariem depoſuit. Comitati eum ſunt Aquila & Priſcilla, qui fidem Chriſtianam, ut ex ſequentibus intelligere eſt, amplexi erant, & cum quibus Epheſum adpulit; ubi ingreſſus Judæorum Synagogam Evangelium iis nunciavit, nec tamen longo tempore commoratus eſt, quamvis ut diutiùs apud ſe maneret orarent. At ille ſibi conſtitutum eſſe reſpondit Jeroſolimæ Paſcha agere; ſed, Deo volente, rediturum Epheſum. Itaque relictis illic Aquilâ & Priſcillâ, navigavit Cæſaream, unde Jeroſolimam ivit, ubi ſalutavit Eccleſiam, & per feſtum commoratus eſt. Tum Antiochiam diſceſſit, ubi aliquamdiu degit, indéque in Aſiam minorem profectus Phrygiam & Galatiam peragravit, ubi diſcipulos confirmavit, & Eccleſias nonnullas condidit, quamvis Lucas rem non memoret; quippe qui breviſſimam tantùm itinerum Pauli Hiſtoriam conſcribere adgreſſus eſt, non quæcumque ei contigerant narrare; quod ex ipſis Pauli Epiſtolis colligere licet, & præſertim quidem è litteris ad Galatas & ad Corinthios datis, ubi Apoſtolus multa obiter adtingit; de quibus altum eſt apud Lucam ſilentium, quæque ad certos annos, cùm nullam temporum notam iis addiderit Paulus, referri à nobis non potuerunt.

II. Interim Judæus quidam Alexandrinus, cui Apollo, vel Apollodoro nomen fuit, vir eloquens & Litterarum Sacrarum peritus, Epheſum venit. Is edoctus fuerat [1] à diſcipulis nonnullis Joannis Baptiſtæ, quem ſciebat baptiſmo abluiſſe eos, qui pœnitere ſe peccatorum profitebantur, atque ad Jeſum amandaſſe; de quo quidquid norat ſtudiosè narrabat, in Synagoga Judæorum. Quem cùm audiſſent Aquila & Priſcilla, hominem ad ſe vocatum pleniùs Evangelicâ doctrinâ imbuerunt. Ille verò mox in Achaiam navigaturus ab Aquila & aliis Chriſtianis commendatitias litteras ad Corinthios, qui Chriſto crediderant, acce-

1 *A diſcipulis nonnullis* &c.] Mirum eſt à tot annis, à quibus mortuus erat Joannes Baptiſta & à quibus Evangelium Chriſti nunciabatur, Apollo in neminem Chriſtianum incidiſſe. Sed fortè in iis locis verſabatur, ad quæ Chriſtianus nullus venerat, aut certè ei ita innotuerat, ut quid de Chriſto ſentiret homini aperiret. Ejuſmodi fuiſſe videtur Aſia Proconſularis, antequàm Paulus in ea Evangelium prædicaret;

accepit, à quibus comiter exceptus egregiam operam ei Eccleſiæ navavit; nam ſummo ſtudio Judæis, qui Corinthi habitabant, Jeſum eſſe Chriſtum, è Vetere Teſtamento, probavit. ANN. LIV.

III. Dum Apollos Corinthi ageret, Paulus perluſtratis ſuperioribus Aſiæ partibus, Epheſum rediit, ubi incidit in homines quoſdam, qui inſtar Apollo, Chriſto quidem credere ſe profitebantur, nec tamen Chriſtianam Religionem ſat norant. Itaque ab hominibus quæſivit, [2] an Spiritum Sanctum accepiſſent; qui ne, an Spiritus quidem Sanctus credentibus daretur, ignorare ſe faſſi ſunt. In cujus ergo nomen baptizati eſſent rogavit Paulus: illi verò ſe Joannis baptiſma ſuſcepiſſe, diſcipulóſque ejus ſe profiteri reſponderunt. At Paulus Joannem quidem pœnitentibus baptiſmum adminiſtraſſe, & ei qui venturus erat, hoc eſt, Jeſu credere eos juſſiſſe docuit; ſed à Chriſto ipſo traditam doctrinam cognoſci oportere, ab iis qui ſalutem conſequi vellent. Quibus illi auditis, diſcipulos Chriſti cupere ſe fieri dixerunt; quamobrem ſunt à Paulo in nomen Jeſu-Chriſti, ſeu ut poſthac, non Joannis, ſed Jeſu diſcipuli dicerentur atque eſſent, baptizati, & impoſitis manibus Spiritum Sanctum acceperunt; à quo in eos Linguarum & Prophetiæ dona collata ſunt. Erant autem circiter duodecim, qui rudimentis, à Joanne acceptis, pleniorem Religionis Chriſtianæ cognitionem addiderunt. Tum Paulus in Synagoga Judæorum, per tres menſes, Evangelium nunciavit; quod cùm à nonnullis rejiceretur & calumniis proſcinderetur, audiente populo, Synagogæ, alibi doctrinam Chriſtianam poſthac nunciaturus, & diſcipulos ſeorſim habiturus, valedixit. Quæ, ut & ſuperiora, è Luca ſunt hauſta, Act. Cap. XVIII, 18. ad finem. & XIX, 1. ad 9.

IV. Hoc anno a. d. III. Idus Octobres, mortuus eſt Claudius Imp. ſtupidus potiùs & fraudibus quibuſvis obnoxius, quàm malus Princeps; cùm imperaſſet annos XIII. menſes VIII. dies XX. Qua de morte, vide *Senecam*, initio ludi de Claudii interitu, quo homo Philoſophus parum pudenter mortuo illudit; cùm præſertim Agrippina, ut filius regnaret, venenatis boletis eum ſuſtuliſſet; *Suetonium* in ejus vita Cap. XLV. & *Dionem* Lib. LX. Medio verò die, repente diductis Palatii foribus, Imperator à militibus ſalutatus eſt Nero ejus gener, Agrippinæ filius. Qua de re *Tacitus*, Annal. Lib. XII. ad calcem. A Nerone, initio principatûs, Ariſtobulus, Herodis, Chalcidenſium Regis, filius, Armeniæ minoris regno donatus eſt, Regno verò Agrippæ quatuor urbes Nero Tiberiadem & Tarichæam, in Galilæa; Abelam & Juliadem, in Ituræa, cum earum agris adjecit, ut habet *Joſephus*, Ant. Lib.

ret; ubi nemo erat, qui Apollo doctrinam Chriſtianam tradere poſſet. Vide & §. V.

2 *An Spiritum Sanctum* &c.] Idem de his dixeris quod de Apollo diximus. Negant ſe *ſcire an ſit Spiritus Sanctus*; nimirum, datus credentibus. Attamen Joannes à Chriſto datum iri prædixerat, ſed cùm nihil de Chriſtianis audiſſent, ignorabant an hoc eſſet impletum. De ceteris vide notata ad Acta.

ANN. LV.

Lib. XX. c. 5. de Bello Lib. II. c. 22. in Græcis.

V. Viri docti, è Schola Pontificia, qui probè intellexerant eos errare, qui Petrum anno Claudii III. Romam iviſſe aiunt, [3] ab hoc demum anno ejus Pontificatûs initium arceſſunt. Quod tamen, ne jam dicam dignitate Apoſtolicâ minorem fuiſſe Epiſcopalem, parum conſentit cum rebus ipſis, ut ex ſequentibus intelligere licebit.

Nerone Aug. & L. Antiſtio Vero COSS. Neronis Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti LV.

I. Cum Nero principatum adeptus eſt, referta erat Judæa latronibus, Magis, impoſtoribúſque, qui imperitæ plebi fucum faciebant; atque hoc potiſſimùm tempore cœperunt impleri vaticinia Chriſti, ante XXXVI. annos de iis, quæ Jeroſolimæ & Templi exſcidium anteceſſura erant, edita. Improbos quidem homines acriter inſectabatur Felix, pœniſque, quas commeriti erant, adficiebat. Eleazarum, inter alios, qui à multi annis latrocinia exercebat & globo latronum non modico cinctus erat, datâ fide quâ ſine noxa ad ſe venturum promiſerat, adlexit & perfido homini fidem poſſe frangi ratus, in vincula conjectum Romam miſit. Nec tamen Felix, in ceteris procurationis muniis, Judæis ſatisfaciebat. Quare à Jonatha Pontifice Max. qui ceteroquin ei favebat, & Claudium oraverat, ut Judææ præficeretur, admonitus eſt, ne flagitiorum ejus invidia in ſe recideret; quod cùm Pontifex crebriùs & liberiùs faceret, Felix Doram Jeroſolimitanum, ſummum alioqui Jonathæ amicum, pollicitatione pecuniæ, eò adduxit, ut per ſicarios, urbem Religionis ſpecie ingreſſos, hominem occideret. His enim temporibus, ea erat Judæorum improbitas, ut Ethnicos ipſos ſceleribus ſuperarent; cùm ſcientes & prudentes peccarent in Divinas Leges, qualibus Gentiles carebant. Ejus verò facinoris cùm nemo ultor eſſet, animus ſicariis uſque adeò additus eſt; ut ſingulis feſtis ſicis occultis armati in urbem venirent, & cùm ſuos, tum etiam pecuniâ conducti aliorum inimicos confoderent; nec tantùm per alias urbis partes, ſed & in ipſo Templo imparatos impune occiderent.

II. Fuerunt etiam impoſtores & Magi, qui in ſolitudines plebem adliciebant, promiſſis miraculis & prodigiis; in quam multitudinem, ex iis locis retractam, graviter animadvertit Felix. Per id tempus, [1] Ægyptius quidam Magus, Prophetam ſe ſimulans, ad quatuor hominum millia coëgit, quos per loca ſola circumductos in montem uſque Oliveti perduxit; ſpe credulis factâ, fore ut, ſe jubente, Jeroſolimitana mœnia caderent, útque per ruinas urbem ingreſſuri eſſent.

3 *Ab hoc demum anno* &c.] Vide *Anton. Pagium*, ad hunc annum.

1 *Ægyptius quidam Magus* &c.] *Joſephus* ait κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν factum, ut ſuperiora. His autem temporibus, Ægyptium oportet inſanum illud cœptum molitum

ſent. Quo cognito, Felix, cum copiis Romanis, quas habebat, quibus ſe etiam auxiliarios Judæi multi adjunxerunt, qui direptionem Jeroſolimæ metuebant, impetu in eos facto, quadringentos occidit, ducentos quos vivos ceperat, in vincula miſit, reliquámque multitudinem disjecit. Ægyptius verò impoſtor, cum paucis elapſus, nuſquam poſtea comparuit. Quæ narrantur à *Joſepho*, Ant. Lib. XX. c. 6. & de Bello Lib. II. c. 23. in Græcis. ANN. LV.

III. Postquam Paulus à Synagoga ſeceſſionem feciſſet, quotidie in Schola Tyranni cujuſdam, de Chriſtiana Religione, diſſerebat; quod per biennium conſtanter fecit, ita ut omnes cùm Judæi, tum Græci Proſelyti, qui Epheſi iis temporibus fuerunt, ab ejus ore Evangelium acceperint. Nec miracula exigua, in ejus gratiam, à Deo facta ſunt; ita ut ſudaria ipſa, vel ſemicinctia, quæ corpus Pauli tetigerant, ægris impoſita, morbis, aut etiam inſidentibus Cacodæmonibus eos liberarent. Erant & apud Judæos, iis temporibus, [2] Exorciſtæ, ſeu qui expellendi Cacodæmonas, ope quarumdam invocationum & nominum barbarorum, artem venditarent; qui cùm, invocato nomine Jeſu, pravos Spiritus expelli vidiſſent à Paulo, putaréntque magicum quoddam eſſe nomen, per ſe eam in rem futurum efficax, à quocumque proferretur; quamvis Chriſto minimè crederent, eo, inſtar Pauli, uti tentarunt, & his quidem verbis uſi ſunt: *Adjuramus vos, per Jeſum, quem prædicat Paulus.* Septem autem erant juvenes Scevæ filii, qui è Sacerdotum principibus erat, quibus rem tentare placuit, in homine à Spiritu impuro obſeſſo; at Spiritus repoſuit, *ſe ſcire quis eſſet Jeſus, quiſve Paulus, ſed ii quinam eſſent ignorare*; ſimul vir, quem inſidebat, eos invadens, cùm viribus ſeptem fratres ſuperaret, malè mulctatos, vulneratóſque & detractis veſtibus nudos ædibus, in quibus erat, exegit. Unde poteſtatem expellendi Cacodæmonas, quæ in Paulo erat, non arti, ſed potentiæ divinæ deberi liquidum fiebat.

IV. Quod cùm omnibus innotuiſſet Judæis, & Græcis Proſelytis, qui Epheſi erant, metu correpti multi Jeſum Chriſtum extollere cœperunt, & ſe peccaſſe confeſſi, damnatâ priſtinâ vitâ, Evangelio crediderunt. Quin etiam ex iis, qui magicas artes in pretio habuerant, atque exercuerant, nonnulli, ludibriorum illorum vanitate intellectâ, libros de iis agentes in medium prolatos coram omnibus combuſſerunt; quorum quidem librorum pretium quinquaginta millium denariorum fuerat, quod homines divinâ Evangelii luce illuſtrati flocci fecerunt. Quibus rebus factum eſt ut Evangelio plures fidem haberent, numerúmque Chriſtianorum valdè augerent. Narrantur hæc à Luca Act. XIX, 9 ad 20.

V. Sunt viri docti, [3] qui exiſtimant Petrum Apoſtolum, hoc anno,

tum, ut colligere eſt ex Act. XXI, 38.

2 *Exorciſtæ*] Vide §. VIII.

3 *Joan. Pearſonius* in *Ann. Paulinis*, qui videtur pro *Dionyſio* Corinthio, vacillante memoriâ, *Clementem* Romanum dixiſſe. Vide ad ann. LXVI, 1.

ANN. LV. no, Corinthum veniſſe, dum in ea urbe etiamnum eſſet Apollos, idque patere velint ex Epiſtola *Clementis* ad Corinthios. Verùm in ea Epiſtola nihil invenire, ex quo ſimile quidquam colligere liceat, potuimus. Capite quidem XLVII. ait *Clemens* à Paulo ſcriptum eſſe ad Corinthios *de ſe, de Cepha & Apollo, quia etiam tum diverſa in ſtudia ſciſſi erant*; *ſed inclinationem illam animorum minùs peccati iis intuliſſe, quòd in Apoſtolos teſtatæ ſanctitatis, virúmque ab iis probatum propenderent.* Sed propenſio in Petrum eſſe potuit, licèt Corinthum pedem non intuliſſet; nihil enim vetat fuiſſe Chriſtianos Corinthi, qui cùm Petrum in Judæa, aut alibi audiviſſent, magiſtrum eum ſuum dictitarent, & Paulo præferrent. Itaque iter hoc Petri nimis levi conjecturâ nititur.

VI. Ex hac Hiſtoria [4] Theologi Pontificii dogmatum aliquot ſuorum originem deducunt. Ex eo quod diximus de miraculis, quæ contigere admotis ægris hominibus ſudariis ac ſemicinctiis Pauli, *Reliquiarum Sanctarum* uſum arceſſunt; quaſi quia, ut confirmaretur Evangelium, Deus voluit ejuſmodi miracula fieri, conſequens ſit ut reliquiæ veſtium, quas ſancti viri geſſerant, etiam poſt eorum mortem, adſervari, in pretio haberi, coli & novorum miraculorum occaſionem præbere cenſeri poſſint & debeant. Verùm nullum ejuſmodi uſûs in Novo Teſtamento, vel in proximè ſequuto ſæculo veſtigium; alioqui ſi à Pauli ætate talia in uſu fuiſſent, & ab Apoſtolis probata, ingens ſine dubio copia reliquiarum veſtium Chriſti, Apoſtolorum, Apoſtolicorúmque virorum ſervari, & ad poſteros transmitti potuiſſent; nec rem diſſimulaſſent trium primorum ſæculorum Scriptores Chriſtiani, apud quos altum eſt de ejuſmodi reliquiis mirificis ſilentium. Sed quod conceſſum eſt à Deo, ut præſenti tempore, vivis & in vicinia agentibus ſanctis viris, talia miracula interdum fierent; id non eſt adfixum omnibus eorum veſtibus, quocumque loco, & quocumque tempore, etiam diu poſt eorum mortem, adhiberentur. Si ita res haberet, ut volunt, per totum orbem terrarum, quò venire non poterant ſancti viri, & in futurorum etiam ſæculorum uſus, veſtes fuiſſent mittendæ, quod primo ac

4 *Cæſ. Baronius ad ann. LVII.*

5 *Sudarium*] Vide *Cæſ. Baronium* ad annum XXXIV. §. 42. ubi non Sudarium tantùm, ſed & Sindonem, quâ corpus Chriſti involutum, reliquáque Paſſionis Chriſti inſtrumenta incolumia fuiſſe ait, per multa ſæcula. Hæc quia per tria prima ſæcula planè ignota fuerant, nec à quoquam cordato nunc creduntur, non opus eſt à nobis confutari.

6 *Ex Sacrorum ordinum minimis*] Scriptori Conſtitutionum Apoſt. abſurdum viſum eſt ordinari Exorciſtam, cùm induxerit Thaddæum Apoſtolum ſic loquentem Lib. VIII. c. 26. ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται, εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ, ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος: *Exorciſta non eligitur, benevolentiæ enim* (divinæ) *ſpontaneæ eſt hoc præmium, & gratiæ Dei per Chriſtum, adventu Spiritûs Sancti.* Quibus meritò notat perſonatus Apoſtolus ineptiam ſæculi ſui (quarti, ut videtur) quo Exorciſtæ ordinabantur. Eorum nomen, quaſi officio Eccleſiaſtico fungentium, non occurrit ante tempora *Cypriani*, ut bene obſervat *Joan. Bapt. Cotelerius* ad Conſt. Apoſt. Lib. II. c. 25.

7 *Ex quovis homine* &c.] Quicumque baptizabantur, iis temporibus (à quibus verò res cœperit non conſtat) exorcizabantur

ac ſecundo à Chriſto nato ſæculo nuſquam factum fuiſſe perhibetur. ANN. LV.

VII. Ex occaſione eorumdem ſudariorum Pauli, ſequentibus ſæculis, finxerunt homines callidi exſtitiſſe adhuc [5] ſudarium, quo Chriſti facies & caput in ſepulcro involuta fuerant; & in quo, non ſine miraculo, picta inventa ſint; unde uſum ſacrarum imaginum, jam ab ea ætate ortum, iidem Theologi contendunt. Sed totius Antiquitatis hac de re ſilentium, & nullis limitibus finita fingendi, à ſæculis IV & V, licentia ejuſmodi hiſtorias ita elevant; ut nemo prudens fidem eis habere poſſit.

VIII. Exorcistæ Judæi, de quibus Lucas, occaſionem etiam iiſdem præbuerunt agendi de Exorciſtis Chriſtianorum; [5] qui fuit Sacrorum Ordinum minimus, cùm temporibus Apoſtolorum nonniſi primarii viri poteſtatem pellendorum Dæmonum à Deo accepiſſent. Fuit & poſtea, ignota iis temporibus, conſuetudo *exſpuendi* & *exſufflandi* Dæmonas, quam quiſque ſibi vindicabat. Nec in Energumenos tantùm hoc jus uſurpabant, ſed etiam Exorciſtæ, prælectis formulis quibuſdam, [6] ex quovis homine, antequàm baptiſmum ſuſciperet, quaſi à Cacodæmone fuiſſet obſeſſus, à ſe eum pelli contendebant. Quæ opiniones & ritus, temporibus Apoſtolicis ignorata, ſeriùs in Theologiam, Eccleſiámque Chriſtianam irrepſerunt, [7] ut à viris doctis pluribus oſtenſum eſt. Satis nobis hîc erit adverſari hæc Scriptis Apoſtolicis, aut nulla dogmatum hujuſmodi, cærimoniarúmve ſupereſſe in proximè ſequuta ætate veſtigia.

IX. Iidem *Confeſſionem*, quam vocant, *Sacerdotalem*, ſeu confeſſionem ſingulorum peccatorum, quam volunt privatim fieri apud Sacerdotem, ut eorum abſolutio ab eo impetretur, deducunt. Sed privatæ confeſſionis hîc nulla cernuntur indicia, nam [9] *confiteri & adnunciare actus ſuos* Act. XIX, 18. potiùs coram omnibus & ſummatim delicta ſua fateri ſignificet, quàm privatim ea in aurem Sacerdotis demurmurare & ſingillatim enumerare. Præterea hîc nulla eſt Abſolutionis Sacerdotalis mentio, quam à Deo ſolo petere ſolebant; niſi ob privatam

bantur & exſufflabantur, ſeu adulti illi eſſent, ſeu infantes; quaſi priùs quàm baptizati eſſent, à Cacodæmone obſiderentur etiam Chriſtianorum liberi. Qua de re, vide *Joan. Caſp. Suicerum* in Theſ. Eccleſ. ad vocem ἐξορκισμὸς & *Edmund. Martenium* de antiquis Eccleſiæ Ritibus Lib. I. Cap. I. art. VI. At nuſquam revelavit Deus Cacodæmonem factum eſſe totius Humani Generis dominum, exceptis iis, qui ſunt baptizati. Maximâ & innocentiſſimâ, cùm ipſi infantes eâ contineantur, regni ſui parte adverſario ceſſiſſet. Antiquiores Chriſtiani non tam malè ſentiebant de bonitate Dei, déque Ethnicis, ut naſci tantùm eos putarent, ut Cacodæmoni æternùm cruciandi traderentur; nec nos tam atroci ſententiæ patrocinari decet. Sed hæc non ſunt hujus loci.

8 *Vide* Anton. van Dale *Diſſ. de Divinationibus Idololatricis ſub V. T.* Cap. VII.

9 *Confiteri* &c.] Ubicumque occurrit ἐξομολόγησις, ſeu *Confeſſio*, quæri non oportere Confeſſionem ad aurem Sacerdotis, à quo ſit exſpectanda Abſolutio, ſatis oſtendit *Suicerus* in Theſauro, ad vocem ἐξομολόγησις.

ANN. LVI. & LVII. tam injuriam à læſo venia rogaretur. Nihil ergo in hac hiſtoria eſt, quod poſteriorum ſæculorum dogmatibus, aut ritibus patrocinetur, nedum ut eorum origo hîc inveniri queat. Paullatim hæc ab imperitis primùm intromiſſa, deinde uſu confirmata, temerè ad Apoſtolorum auctoritatem relata ſunt, ac tandem in eorum Scriptis quæſita &, ubi non erant, inventa.

Q. Voluſio Saturnino, P. Cornelio Scipione COSS. Neronis Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti LVI.

I. Paulus, etiam hoc anno, in Aſia commoratus eſt, & dum fuit Epheſi, in Schola Tyranni de Chriſtiana Religione palam diſputavit. Jam tum apud ſe ſtatuerat, peragratâ iterum Macedoniâ & Achaïâ, Jeroſolimam ire & pecunias, quas earum Provinciarum Chriſtiani, eam in rem, contuliſſent, ad Jeroſolimitanam Eccleſiam perferre. Quo peracto, Romam ire decreverat, [1] quò jam dudum ſe conferre cupiebat. Dum verò manſit in Aſia, Timotheum & Eraſtum, qui in Evangelii prædicatione eum adjuvabant, in Macedoniam miſit, ut prodidit Lucas Act. XIX, 21 & 22. Vide & 1. Cor. XVI, 1.

II. Interim videtur ad Paulum delata fama minùs ſecunda, de Corinthiorum moribus, ad ſcortationem quod adtinet; quo vitio Corinthii dudum infames erant, ita ut res in proverbium abiiſſet & [2] κορινθιάζειν, *Corinthiaco more vivere*, perinde eſſet ac Veneri deditum eſſe, & flagitioſam vitam agere. Ea de cauſa, [3] litteras ad Corinthios dediſſe videtur Paulus, ad quas reſpicit 1. Cor. V, 9. & in quibus vetuit eos *ſcortatoribus* familiariùs uti, quo verbo non Ethnicos intelligebat; quorum nec mores emendare, nec tamen familiaritatem Chriſtianis, propter quotidiana vitæ negotia, fugere licebat; ſed Chriſtianos eo vitio inquinatos, qui indigni erant quibuſcum caſtigatioris vitæ homines arctiorem ullam amicitiam colerent.

Nerone Aug. II. L. Piſone COSS. Neronis Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti LVII.

I. Cum, miniſterio Pauli, longè, latéque Epheſi & per vicinos Aſiæ tractus, Evangelium ſpargeretur, quod ſine magno ejus labore & periculo fieri non potuit; venerunt ad eum Corintho Apollos, Stephanas, Fortunatus & Achaïcus; qui, ut conjiciunt viri docti, Corinthiorum [1] litteras ad eum adtulerunt, de quibus 1. Cor. VII, 1. In iis quærebant quid ſibi voluiſſet Apoſtolus, cùm *ſcortatoribus ſe permiſcere* eos

1 *Quò jam dudum* &c.] Vide Rom. I, 10. & ſeqq.

2 *Corinthiaco more vivere*] Vide Præmonitionem *Henr. Hammondi* in 1. ad Corinthios, & quæ nos illic, & C. V, 1.

3 *Litteras ad Corinthios*] Addito dicta à nobis in 1. Cor. V, 9. in Additamentis Hammondianis.

1 *Litteras*] Vide Interpretes ad 1. Cor. VII, 1.

2 *Deos haberi non poſſe*] Statuas non eſſe Deos, quamvis ſic vulgò loquerentur Ethnici. Vide Proleg. Sect. 2. C. I. 8.

3 *Aſiarcharum*] Vide Acta XIX, 31. ubi

eos vetuerat, & quid de Cœlibatu & Nuptiis, de Idolothythis, de ratione quâ ſe mulieres in Eccleſia gerere par erat, de donorum ſpiritualium uſu, ac tandem de reſurrectione mortuorum, de qua nonnulli dubitabant, ſentiret; ut ex Epiſtola, quâ iis litteris reſpondit, intelligere eſt. ANN. LVII.

II. SED antequàm Paulus reſponderet, ſeditio Epheſi, ejus causâ, ab improbis hominibus, excitata eſt. Erat in ea urbe Demetrius quidam faber argentarius, qui argenteas Dianæ Epheſiæ ædiculas conflare & vendere ſolebat, ita ut eo quæſtu multos artifices ſuſtentaret. Emebantur enim ejuſmodi templa, in Deæ honorem, & ſtudioſè adſervabantur. Ille verò artifices convocatos monuit Paulum, qui doceret [2] Deos haberi non poſſe, qui hominum manibus fingerentur, aut conflarentur, ingentem hominum multitudinem & Epheſi, & per totam fermè Aſiam, in ſuam ſententiam pertraxiſſe; quod ſi facere pergeret, quæſtui ſuo finem brevi impoſitum iri, nec tantùm hoc timendum, (quod tamen, apud ejuſmodi homines, maximi erat ponderis) ſed etiam ne Dianæ templum ſperneretur, Numénque ejus, quod per totum terrarum orbem colebatur, in contemtum veniret; quibus verbis veluti pallium tradidit hominibus, quod conſiliis ſuis prætenderent, ut qui ſolâ utilitate ducebantur, etiam Religionis ſtudio, teneri viderentur. Itaque omnes conclamare, magnum eſſe Dianæ Epheſiæ Numen, per totam urbem volitare, & impetu in Pauli comites facto, Caïum & Ariſtarchum Macedonas, qui cum eo iter facturi mox erant, in theatrum communi conſenſu rapere, ut populus eò concurrens homines ad ſupplicium depoſceret. Voluit quidem etiam Paulus, eò procedere, ut ipſe Chriſtianæ Religionis, coram omnibus, cauſam ageret; ſed Diſcipuli, qui eum potiſſimùm peti norant, interceſſerunt, ad quorum preces acceſſerunt etiam admonitiones nonnullorum [3] Aſiarcharum, ei faventium, qui in theatrum prodire eum vetuerunt. Sic vocabantur qui ſollemnibus ſacris & ludis, in honorem Dianæ, præerant. Interim theatrum plenum tumultu erat, & diſſonis clamoribus undique perſonabat; cúmque plerique cur eò conventum eſſet ignorarent, Judæi, qui quacumque poterant Chriſtianis nocere ubique conabantur, Alexandrum quemdam in medium protruſerunt, hominem, ut videtur Chriſtianum, ſed qui Judæus antea fuerat. Is verò manu audientiam ſibi facere conabatur, ſed cùm Judæum eſſe plebs putaret, per bihorium, *magnum eſſe Numen Dianæ Epheſiæ*, clamare cœpit. At Scriba publicus Epheſiorum, paullatim placato populo, „ neminem eſſe [4] qui Dianam Epheſiam magnam eſſe

ubi citavimus ad teſtimonium viros doctos, qui de hac voce egerunt.

4 *Qui Dianam Epheſiam* &c.] Judæi quidem & Chriſtiani palam hoc negabant, nec non Philoſophi; quales Epicurei, aliique. Verùm hoc volebat Scriba, neminem propterea tumultum excitaſſe, eo tempore, Epheſi, aut quidquam novi molitum. Nam ne vulgus quidem Epheſiorum hoc ignorabat, cùm multi eſſent Epheſi Judæi, qui ſuam, hac de re, ſententiam minimè diſſimulabant.

ANN. LVII. „ eſſe Deam, Ædituam ejus Epheſum, ſignúmque è cœlò, ut puta-
„ batur, delapſum colendum negaret, dixit. Quare nihil eſſe, per tu-
„ multum, aut temerè agendum. Adductos eſſe in theatrum viros,
„ qui neque ſacrilegi erant, neque Deam contumelioſis verbis proſci-
„ derant. Si ergo Demetrio & aliis artificibus negotii aliquid eſſet
„ cum illis, in jus homines ad Proconſulem vocarent. Si quid præte-
„ rea populus peteret, rem in concione pacatiore expenſum iri; nam
„ nunc quidem periculum eſſe, ne ſeditionis, apud Proconſulem, ac-
„ cuſarentur; qui tantum tumultum, ſine cauſa, concitaſſent. Quibus dictis, Concionem diſſolvit.

III. Sic à furore ſuperſtitioſæ plebis liberatus eſt Paulus, & aliquamdiu vel Epheſi, vel in loco vicino, ne in adverſariorum oculos incurreret, moratus eſt; ubi priorem ad Corinthios, quæ dicitur, quia prima omnium periit, ſcripſit. Eos pro more, ab initio Epiſtolæ ſalutatos & laudatos monet I. ſe accepiſſe inter eos eſſe diſſidia, quæ inde orta erant, quòd variorum Magiſtrorum ſe diſcipulos ferrent, dum alii Cepham, alii Paulum, alii Apollo, ſe audiſſe jactarent, & nonnulli etiam ipſum Chriſtum; [5] cùm unus ſit omnium magiſter Chriſtus, in cujus ſolius nomen baptizantur Chriſtiani, & cujus ſolius diſcipuli vocari debent. II. Eâ occaſione, pluribus agit de ratione, quâ Corinthi Evangelium nunciaſſet, ſine ullo eruditionis ac eloquentiæ adparatu, ne quis Evangelii ſucceſſum ſapientiæ humanæ tribuere poſſet. Addit etiam ſe ſublimiora Religionis Chriſtianæ myſteria Corinthiis non tradidiſſe, quòd iis, ut par erat, excipiendis, nondum apti eſſent, quamvis ſuperbirent & ipſum Magiſtrum aliquo modo aſpernarentur. Quæ omnia quatuor primis Epiſtolæ Capitibus continentur. III. Graviter Corinthios caſtigat, quòd meretricibus eſſent dediti, & quidem ejuſmodi ſcortationi, ut inter eos ferretur qui cum noverca ſua concumberet; [6] quod, etiam apud Ethnicos, nefandum habebatur. Cenſet verò ejuſmodi hominem *tradendum eſſe Satanæ, in exitium carnis, ut ſpiritus ejus, die Domini Jeſu, ſervaretur.* Quod fuit genus pœnæ, iis temporibus, ab Apoſtolis in flagitioſos peccatores exercitum; quo Cacodæmoni poteſtas fiebat homines gravi morbo vexandi, non ut ei per omnia, jam in hac vita, permitterentur, ſed ut ejuſmodi morbo, ad ſaniorem mentem revocarentur. Attamen Paulus Epiſtolæ ſuæ, quæ periit, verba, de ſcortatoribus fugiendis, ita intelligenda negat, quaſi cum Ethnicis, quorum pravi erant mores, verſari eos nollet; quod ſi fieri deberet, vitæ ipſi valedicendum eſſet; ſed tantùm de iis, qui cùm Religionem Chriſtianam profiterentur, tamen libidinibus carnis ſe abripi patiebantur. Capite quinto hæc habentur. IV. Eos reprehendit, qui

5 *Cùm unus ſit Chriſtus* &c.] Vide I. Cor. I, 13 & 15, & quæ illic notata.

6 *Quod etiam apud Ethnicos* &c.] Vide ad I. Cor. V, I.

7 *Quamvis Idolothythis* &c.] Ut ſi in macello emta eſſet caro, quam partem victimæ eſſe neſciret, quòd in rem non inquiſiviſſet, aut ſi inſcio adponeretur. Tum verò

qui cum Chriſtianis, apud Ethnicorum Magiſtratuum tribunalia, litigabant; cùm Chriſtianorum lites à Chriſtianis arbitris, ex æquo & bono, diſceptari oporteret. V. Redit ad ſcortatores, qui credebant aut ſe credere fingebant, libertatem Chriſtianam in eo ſitam eſſe, ut facerent quod ſibi videretur. Utrumque, Capite ſexto, legere licet. VI. Agit de Cœlibatu & Conjugio, oſtenditque neutri quidquam ineſſe, quod carpi poſſet; ſed, pro temporibus & circumſtantiis, nunc ſatius eſſe cœlibem vitam agere, nunc præſtare in conjugio vivere. Quod Capite ſeptimo demonſtrat. VII. Tribus ſequentibus Capitibus, diſputat de rerum indifferentium, ſeu mediarum uſu, oſtenditque ea in re ædificationem aliorum ſpectandam; ita ut utamur libertate noſtra, ſi modò neminem offendat, ſed ab ejus uſu abſtineamus, ſi noxium eum fore perſpectum nobis ſit. Hinc ſequebatur, [7] quamvis Idolothythis veſci interdum liceret, attamen iis abſtinendum, ſi ejuſmodi exemplum alios ad id faciendum, quod illicitum putarent, ac proinde ad peccandum adduceret. Qua de cauſa, Paulus teſtatur, quamvis ab iis, quos Evangelium docebat, potuiſſet ſibi ad vitam neceſſaria exigere, ſine ulla Divinarum Legum violatione; attamen majoris ædificationis causâ, útque ampliora præmia à Deo exſpectare poſſet; ſine ullo Chriſtianorum ſumtu, à ſe Evangelium prædicatum. VIII. Monet mulieres in cœtibus publicis Chriſtianorum, nonniſi operto capite conſpici oportere, uti & apud Ethnicos, nonniſi velo tectæ, in publico verſabantur. IX. Ritum celebrandæ Dominicæ Cœnæ eos edocet, ex ipſa Chriſti inſtitutione, oſtenditque panem & vinum reverenter eſſe ſumenda, non ut vulgares cibos; quod cùm à Corinthiis nonnullis factum eſſet, ideò morbis, aut etiam morte Deo pœnas dediſſe. Quæ admonitiones Capite decimo exſtant. X. De recto uſu ſpiritualium donorum agit, docétque unicuique, pro varietate Chariſmatum in ſingulos collatorum, Eccleſiæ ædificationi dandam eſſe operam, & concordi animo cum aliis agendum; ante omnia quæri & maximi fieri debere caritatem, ceteris quippe omnibus donis, quæcumque eſſent, longè utiliorem & præſtantiorem, ac ſine qua, neque hujus vitæ tranquillitatem, neque alterius præmia ſperare liceret; denique dono Linguarum non eſſe utendum, niſi ædificationis causâ, & ubi ſunt, qui Linguas intelligant, aut interpretes, qui quid iis dicatur earum imperitos docere poſſint. XI. Capite quinto decimo, contra nonnullos, qui reſurrectionem corporum negabant, oſtendit verè Chriſtum reſurrexiſſe, & ad ejus inſtar alios etiam homines reſurrecturos, nonnulláque ad eam rem pertinentia habet. XII. Denique eos monet, ut eleemoſynæ, quæ in Eccleſia Corinthia, in uſum Chriſtianorum Judææ, colligebantur, à ſingulis ſepo-

ANN. LVII.

verò nefas non erat ea veſci, quandoquidem nemini hoc offendiculo erat, neque minùs firmos adducere ad comedendum, quod illicitum eſſe putabant, poterat.

[7] Vide 1. ad Cor. Cap. X, 23. & ſeqq. Non ſum neſcius, aliter Chriſtianos ſequentium ſæculorum ſenſiſſe, ſed Apoſtolicam doctrinam non ſatis adtenderant.

ANN. LVII. ponerentur, primo die Hebdomadis, [8] qui *Dominicus* ob reſurrectionem Domini poſtea dictus eſt; ut quando Corinthum, Macedoniâ peragratâ, rediret, paratæ eſſent, Jeroſolimámque quàm primùm aſportari poſſent, aliaque de rebus privatis addit.

IV. HÆC ſunt ſumma prioris ad Corinthios Epiſtolæ capita; quibus recitatis, de Pauli Epiſtolis quibuſvis quædam hîc monere (quoniam hæc prima eſt paullò prolixior Epiſtola, quæ ab Apoſtolo ſcripta ſit) non inutile fore exiſtimavimus; quorum alia ad res ipſas, alia ad eloquutionem, diſpoſitionémque pertinent. Ex prioribus colligere licebit, qui mores fuerint Corinthiorum tempore Pauli, quod non parum facit ad Apoſtolicorum temporum hiſtoriam: ex poſterioribus, quid de Pauli eloquentia ſentiendum. Primo loco, non eſt prætermittendum Apoſtolum, [9] poſtquàm Eccleſias docuiſſet Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam promiſſum, ejúsque doctrinæ capita omnia ad ſalutem neceſſaria expoſuiſſet; iis relictis, ut alibi Evangelium nunciaret, profectum eſſe. Si quid verò iis Eccleſiis contingeret, quod aut pleniùs eas inſtitui, in doctrina Chriſtiana, aut errores, vel vitia caſtigari, aut denique earum fidem novis adhortationibus confirmari poſtularet; ad eas ſcribebat, quod ex omnibus ejus litteris videre eſt. Verùm ad nullam, quod quidem ſciamus, Chriſtianæ Religionis elementa viâ atque ordine diſpoſita, aut deſcriptionem eorum adcuratiorem miſit. Ubique ſtatuit notam ſatis omnibus, ex prædicatione ſua, nec opus fuiſſe, ut denuo iis præ oculis poneretur. Credibile tamen eſt Chriſtianos, non tantùm vivâ voce edoctos ab Apoſtolis, de Chriſtianæ Religionis fundamentis; ſed etiam hiſtoriam Evangelicam factorum & dictorum Chriſti accepiſſe, quia viva vox ad paucos pervenit, & quæ ſine Scriptis memoriæ mandantur non oblivioni tantùm, ſed & mutationi obnoxia ſunt; ſeu debilitate memoriæ fiat, aut penuriâ judicii, ſeu ex mala quorumdam fide oriatur. Qua de re, alibi [10] egimus. Ideò neceſſe non fuit fidei Chriſtianæ exſtare ab Apoſtolis factam aliquam deſcriptionem; cùm nihil haberent quod docerent, præter id quod à Chriſto acceperant, nec eo ævo, pluribúsque poſtea ſæculis, Chriſtiani viâ quadam & ratione certâ Magiſtri ſui dogmata diſponere ſolerent; quemadmodum ab aliquot ſæculis fieri ſolet, nec immeritò. Ex ejuſmodi enim Operibus non tantùm ſummam Theologiæ Chriſtianæ diſcimus, ſed etiam capitum connexum & convenientiam; unde intelligere licet & quæ cum iis ſtare poſſint, & quæ ab iis diſſentiant; quod eſt ſine dubio magni momenti.

V. QUAM-

8 *Qui Dominicus*] Hinc colligunt viri docti Chriſtianos die Solis conveniſſe, quod tamen non ſatis liquidum eſt; potuiſſent enim eo die domi ſepoſuiſſe pecunias, quas conferre volebant. Attamen cœtus eos aliquando eo die habuiſſe, & quidem celebrandæ Euchariſtiæ cauſâ, ex Act. XX, 7. liquet; quod tandem, non præcepto quidem, ſed conſuetudine invaluit. Simul enim initio diem Sabbathi obſervabant, quod & per aliquot ſæcula factum eſt. Qua de re, vide inſignis Theologi *Steph. Curcellæi* Diſſert. de Eſu Sanguinis, Cap. VI. & eruditi Juriſconſulti *Juſt. Henningi Bohmeri* Diſſertationum Juris Eccleſiaſtici antiqui I. quæ eſt de ſtato die Chriſtianorum.

9 *Poſt-*

V. Quamvis monita de Virtute ſectanda, fugiendóque Vitio, quæ ad omnes homines, omniáque & tempora & loca pertinent, ac proinde à nobis hodie, non minùs ac à Corinthiis, primævisque aliis Chriſtianis olim obſervanda ſatis perſpicua ſint; ſunt tamen & in hac Epiſtola, & in iis litteris, quas ad Galatas & Romanos dedit, multa obſcura, quæ quondam iis, ad quos ſcribebat, ſat clara erant. Ejuſmodi ſunt quæ ægrè intelligere poſſimus, quòd reſpondeant quæſtionibus, quas nunc conjecturâ adſequi vix datur; tum etiam adluſiones ad ritus, opiniones, factáque, quæ ſatis nota non ſunt. Talia meritò cenſeas, quæ pertinent ad *traditionem Satanæ*, in hac Epiſtola, & ad uſum Spiritualium donorum, in Eccleſiæ cœtibus, eáque quæ reſpondit Paulus objectionibus tacitis Judæorum, in litteris ad Romanos & ad Galatas, ubi eorum opiniones de Lege, imò & fortè loquutiones ipſas confutat; tum etiam quæ in altera ad Theſſalonicenſes de *homine peccati*, *myſterióque improbitatis* dicuntur. Viri quidem docti, quos & nos imitati ſumus, multa de hiſce conjecerunt; ſed in conjecturis, ut in Veritate perſpecta, adquieſcere non licet, obſcuráque adeò manent, quæ indubitatis interpretationibus dilucidari nequeunt. At ex ejuſmodi rebus ſalus æterna non pendet, nec plura credere, aut facere neceſſe habemus, quàm quæ intelligimus. Cetera in medio relinquamus licet, donec major lux adfulgeat; intereáque multùm præſtiterit qui quæ adſequitur non fucatâ fide amplectetur, atque ex animo in vitæ quotidianæ uſum revocabit. Sunt & interpretationes locorum Scripturæ difficiliores, [11] quia non ſatis plerique quî Vetus Teſtamentum citare, & interpretari olim Judæi ſolerent intelligunt; nec ſemper, etiam eruditis, liquet an Apoſtolus ex conceſſis ſibi à Judæis, ánve ex ſua ipſius ſententia loquatur, & ratiocinetur; quæ pluribus hîc diducere & exemplis firmare nobis, per Hiſtoriæ leges, non licet. In Additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnotationes in N. T. rem dilucidare conati ſumus. ANN. LVII.

VI. Ut ex aliis Epiſtolis, ita ex hac intelligere eſt eos graviter errare, qui pleroſque Chriſtianos illius ævi mores ſuos ad præcepta omnia Evangelica, ut par erat, præſertim Evangelii initio, exegiſſe putant. Non erant Corinthii quales oportuiſſet eos eſſe, qui à tam eximio Magiſtro Evangelium acceperant; nec laudes, quibus eos honeſtat Paulus, initio Epiſtolæ, ſunt ita intelligendæ, quaſi omnibus & pro tota amplitudine ſignificatûs vocum, conveniſſent. Pauci erant iis laudibus digni, qui tamen à ceteris, amoliendæ invidiæ causâ, non diſtinguuntur;

9 *Poſtquàm Eccleſias* &c.] Ex tota Epiſtola liquet doctrinæ Chriſtianæ Corinthios peritiſſimos non fuiſſe, nec ſat caſtigatis moribus, ut in ſequentibus oſtendimus. Satis erat initio, ut non ſemel diximus, homines velle diſcipulos Chriſti fieri, quod in baptiſmo profitebantur, ut in ejus ſcholam admitterentur, in qua ſingula dogmata poſtea edocebantur.

10 *In Diſſert. III. Harmoniæ Evang. ſubjecta.*

11 *Quia non ſatis plerique* &c.] Multa hac de re diximus, ad Matth. II, 23. 1. Cor. X, 3. & ſeqq. Gal. III, 10, 16. IV, 25. Heb. IV, 3. & ſeqq. VII, 3. IX, 16. & alibi. Quæ à Sacrarum Litterarum ſtudioſis quæri, ſuis locis, poterunt.

ANN. LVII. tur; ut ii, quibus tribui nondum poterant, darent operam ut illis quoque digni fierent. Sunt hæc adſignanda comitati & prudentiæ Pauli, homines ad Virtutem potiùs excitantis; quàm eorum moribus teſtimonium perhibentis, quod colligere licet ex iis quæ poſtea habet. I. Negat Cap. III, 1. & ſeqq. *potuiſſe ſe eos adloqui quaſi ſpirituales, ſed ut carnales, & infantes in Chriſto*; aitque *ſe iis dediſſe lac, non cibum* ſolidum, *quem nondum ferre potuerant, nec etiamnum poterant, quòd eſſent adhuc carnales.* II. *Erant tamen ſuperbi & Paulum faſtidire* videbantur; quod iis exprobrat Cap. IV, 7. & ſeqq. Cap. VI, 1. & ſeqq. & Cap. XI, 18. III. Diſſidiis prorſus indignis Evangelio laborabant, ut liquet ex Capite III. 3. & ſeqq. IV. Scortationibus pudendis inquinati erant, à quibus eos revocat. Cap. VI. 9. Imò verò inceſtum concubitum, cum noverca, neſcio cujus ab iis ferri indignatur Cap. V, 1. & ſeqq. V. Euchariſtiam, quaſi vulgare convivium celebrabant; nec ſatis ſecernebant [12] panem & vinum Euchariſticum à vulgaribus; nec ſemet ipſi explorabant, ut viderent an Symbolorum Sacrorum, ſine flagitio, participes eſſe poſſent; quò pertinent quæ habet Cap. XI, 17. ad finem. VI. [13] Abutebantur donis ſpiritualibus, quæ à Deo in ædificationem Eccleſiæ, non ad oſtentationem acceperant; quo fiebat ut interdum loquerentur Linguâ, quæ à præſentibus, ſine interprete, qui interdum non aderat, nequaquam intelligi poterat; aliáque committerent, quæ cœtui hominum non ſanorum magis conveniebant, quàm Chriſtianis, quos cuncta decenter facere & ædificationis in omnibus rationem habere par erat, ut ex Cap. XIV, videre eſt. VII. Indigebant reſurrectionis mortuorum, quæ totius Chriſtianiſmi fundamentum eſt, probatione & confirmatione; quò ſpectat Cap. XV. Quæ omnia liquidò oſtendunt nondum in fide Chriſtiana, nec in moribus ſatis eos profeciſſe. Videntur & alibi fuiſſe ſimiles Chriſtiani, unde intelligere licet, quia Evangelium ab Apoſtolis audiverant, idque inſignibus miraculis confirmari viderant, ideò tamen tales non fuiſſe, quales oportuiſſet. Sed erant hæc vitia neophytorum, & qui Evangelium nondum penitus intellexerant, aut altè ſatis animo imbiberant. Quæ ſi probè reputentur, nemo mirabitur, proximè poſt Apoſtolorum tempora, ea à Chriſtianis dicta & facta eſſe; quæ vix hodie, apud doctiores & probiores, dici aut fieri poſſent. Itaque Evangelium poſtea pleniùs intellectum, & altiùs in animum demiſſum, majores fructus protulit & etiamnum profert. Ab Ethnica, hoc eſt, impuriſſima vita, ad inſignem ſanctimoniam plerique tam ſubitò tranſire non poterant; nec priſtinam ignorantiam extemplò, inſigni Evangelii cognitione, mutare. Ejuſmodi fructus, ut ceteri omnes, nonniſi ſenſim matureſcunt.

VII. Er-

12. *Panem & vinum* &c.] Chriſtiani, nempe, unà cœnabant, & poſt cœnam, ex inſtituto Chriſti, Euchariſtiam celebrabant; unde fiebat ut non ſatis ſanctiſſimum ritum ab antecedente cœna ſecernerent, & irreverenter haberent. Hæc convivia ἀγαπὰς, quòd eſſent mutuæ caritatis ſigna vocabant. Quod nomen eo ſenſu exſtat

VII. Errant ergo qui, quò antiquiores Chriſtiani fuerunt, eò meliores fuiſſe exiſtimant. Evangelium ab infantia animis inſtillatum, & longâ conſuetudine firmatum, ne eruditionem, quâ illuſtratum poſtea eſt, memorem, animos feliciùs ſubiit & ad omne virtutum genus vehementiùs accendit. Simile quiddam in veteribus Judæis videre licuit, qui ægerrimè à Moſe & Prophetis ab idololatria revocari ſe paſſi ſunt, & ſubinde in eam relapſi; à qua tamen poſteriores Judæi abſtinuerunt, etiamſi illecebris & ſuppliciis ſæpe ſunt tentati. Sed tamen Chriſtiani Apoſtolici ævi infinito intervallo Ethnicos, cognitione rerum divinarum, & ſanctimoniâ morum, plerumque ſuperabant; quamvis ejuſmodi non erant, quales eſſe debuiſſent. Paſſa hoc fortè eſt Divina Providentia, ne Apoſtolorum diſcipuli Evangelii auctores fuiſſe viderentur, néve ſolâ eorum ſanctimoniâ Chriſtiana doctrina commendata videretur; vel ut ſemper magnum intereſſet diſcrimen, inter Magiſtros & Diſcipulos; quò doctrinæ Evangelicæ divinitas magis eluceret, aut alia de cauſa, quam comminiſci nunc non poſſumus. Interim de re conſtat, quam cave negaveris, quòd rationem ſat commodam ejus proferre nequeas, aut quod tibi Divinam Providentiam decuiſſe non videatur. Non eſt, ſi verum amamus, quid à Deo fieri, ex noſtra hominum cœcorum ſententia, par fuerit, in Hiſtoria quærendum, ſed quid re ipſâ factum ſit; ejúsque, ſi poſſimus, ſíque ita ferat animus, probabiles, quatenus licet, rationes reddendæ. ANN. LVII.

VIII. Ex eadem priore ad Corinthios Epiſtola, intelligere eſt quot genera eſſent hominum qui cœleſtia dona ad ædificationem Eccleſiæ acceperant; quæ breviter interpretari, præter rem, hoc in loco non erit, cùm res ad Hiſtoriam Apoſtolicarum Eccleſiarum vel maximè pertineat. Sic ergo Apoſtolus Cap. XII, 28. *Quoſdam quidem poſuit Deus, in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias Curationum, Opitulationes, Gubernationes, genera Linguarum, Interpretationes ſermonum.* Enumerat etiam Paulus Epheſ. IV, 12. eos qui munera in Eccleſia gerebant, ſed breviùs; memoratis enim, ut hîc, ante omnes, *Apoſtolis* & *Prophetis*, addit *Evangeliſtas*, *Paſtores* & *Doctores*. *Apoſtoli* qui fuerint ſat notum eſt; erant enim à Chriſto, dum in terris ageret, aut è cœlo, quod Paulo contigit, electi: vel ab Apoſtolis cooptati, ut Matthias, & fortè Jacobus Cleopæ F. & Barnabas, ut ſumma cum auctoritate Evangelium prædicarent, per totum terrarum orbem, teſtéſque factorum & dictorum Chriſti eſſent. *Prophetæ* fuerunt qui quæ à Chriſto & Apoſtolis revelata erant copioſiùs & clariùs, in gratiam plebis, interpretabantur. Quo in munere, diſtinguenda ab ipſo munere præparatio ad munus, in qua ad dotes

tat Ep. Judæ verſu 12. & exſtare etiam fortè deberet. 2. Pet. II, 13. Vide *Juſti Henningi Bohmeri* Diſſert. IV, de Eccleſ. iure anti qua, ubi rem totam copioſè tradit.

13 *Abutebantur donis* &c.] Vide quæ adnotavimus ad Cap. XIV, 1. ad Cor. in Additamentis Hammondianis.

ANN. LVII. dotes naturæ & cognitionem induſtriâ adquiſitam accedebat Spiritus S. qui manuum impoſitione ab Apoſtolis conferebatur, ut liquet ex 1. Tim. IV, 14. Eo ad prædicationem Evangelii aptiores fiebant. Munere verò ipſo defungebantur, non adflatu quodam, quo revelarentur iis quæ neſciebant, aut impellerentur ad loquendum; ſed prout ipſis & quando videbatur, quæ à Chriſti ſermonibus, & ab Apoſtolis acceperant, ſuo more & ſtylo proferebant. Hinc turbæ in Eccleſia, cùm plures Prophetæ ſimul loqui vellent, ut intelligere eſt ex 1. Cor. XIV. Nec dono hoc excludebantur ſtudium & lectio Scripturarum, quod videmus ex admonitione Pauli ad Timotheum 1. Ep. C. IV, 13, 15. *Doctores* erant, ut videtur, qui ſolo ſtudio Evangelio prædicando apti facti fuerant. Videntur fuiſſe hi quoque *Evangeliſtæ*, hoc eſt, pro occaſione data non uno loco, ſed pluribus, ad quæ mittebantur, Evangelium prædicaſſe; quamvis nihil vetaret quin Prophetæ etiam Evangeliſtarum munere fungerentur. *Virtutes*, ſeu δυνάμεις dicuntur paſſim in Scriptura *miracula*, ac proinde, eo nomine ſignificat Paulus eos, qui quævis miracula edendi poteſtatem à Deo acceperant; qui tamen nec Apoſtoli, nec Prophetæ, nec Doctores eſſent, cùm hoſce ante memorarit; quamquam Apoſtoli & alii fortè ea poteſtate à Chriſto inſtructi fuerant. *Gratiæ curationum* χαρίσματα ἰαμάτων, deſignant eos, qui hoc unum poterant, ægros precibus curare. *Opitulationes* ἀντιλήψεις erant, ut videtur, Diaconi apti ad juvandos pauperes, proptereáque ad hoc munus vocati. *Gubernationes* dicuntur ii, quibus commiſſum erat ſingulari ratione Eccleſiæ regimen, quales Epiſcopi, ſeu Presbyteri; oportebat enim eſſe, qui præ ceteris hoc curarent, omnibúſque præeſſent, ne miniſteriorum confuſio oriretur. Hi *Paſtores* vocari videntur Epheſ. IV, 11. *Genera Linguarum*, γένη γλωσσῶν, dicuntur qui pluribus, aut paucioribus Linguis, quarum cognitionem divinitus acceperant, loqui poterant; quamvis ad tempus & occaſionem loquendi quod adtinet, quippe qui interdum hoc dono abutebantur, ut docet Paulus Cap. XIV. ejusdem Epiſtolæ, à Spiritu Sancto non moverentur. *Interpretationes ſermonum* habebant, qui interpretum vice, cùm alii ignotâ Linguâ loquebantur, fungi poterant; quamquam ipſi Linguis iis non utebantur. Erant ſine dubio qui pluribus generibus ejuſmodi donorum inſtructi erant, ut Apoſtoli, in quos omnia fuerant collata; ſed cùm ſeorſim Chariſmata memorentur & diſtinguantur à Paulo, videntur etiam fuiſſe qui aut ſingulis, aut paucioribus ornati erant; quod & ſequentia verba innuunt: *numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid Linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur.* Igitur Deus varia dona primævis Chriſtianis contulerat, idque ut faciliùs in unum corpus, dum aliis alii indigerent, coirent. Quod docet Paulus Rom. XII, 3. & ſeqq. & locis ad Corinthios & ad Epheſios antea memoratis. Nec voluerat Deus Chariſmatum illorum uſum, adflatu quodam perpetuo, à quo per omnia iis præditi dirigerentur, intra ſuos limi-

tes

tes coërcere; ut hac etiam in re electioni, hoc eſt, virtuti locus eſſet, quamvis Chriſtianos iis interdum abuſuros noſſet, quod & contigit; unde Pauli admonitiones & caſtigationes natæ ſunt, quibus alioqui non indiguiſſent. Nemo jam miretur, ſi ſolitis Dei donis homines abutantur, cùm ne inſolitis quidem Diſcipuli Apoſtolorum ſatis rectè uterentur. Præſtantiam ſolam doctrinæ Evangelicæ, à Chriſto & Apoſtolis traditæ & miraculis confirmatæ, adtendamus oportet; ceterorum verò hominum auctoritatis rationem nullam habeamus, niſi cum Apoſtolica conſentientis; nec moribus eorum, quicumque ſint, aut fuerint, commoveamur, cùm Evangelio, propter eos mores, fidem nequaquam habeamus; nec, ſi pravos fuiſſe contigiſſet, propterea derogaremus. Verùm hæc nos ab inſtituto noſtro abducerent, ſi pluribus diducerentur; quare ea omittimus, & ad donorum memoratorum pleniorem cognitionem Lectores amandamus cùm ad ea, quæ ad Epiſtolas ad Corinthios & Epheſios ſcripſerunt viri docti, tum quæ nos etiam in 1. ad Corinthios diximus. ANN. LVII.

IX. Ut ad Paulum ipſum redeamus, quamvis Evangelii cognitione, ſublimibúsque revelationibus longè excelluerit; attamen ipſe ſe [14] *ſermone idiotam* fuiſſe dicit, non modeſtiâ, quâ ſibi detrahat quod reverâ ei inerat; ſed ex vero, ut res ipſa Græcè doctis & Rhetorices non prorſus imperitis oſtendit, útque liquet è ratione, quam adfert 1. Cor. II, 4. & alibi; negat enim *ſermonem ſuum & prædicationem in orationibus* tradita *ſapientiæ humanæ, ad perſuadendum compoſitis*; *ſed in demonſtratione Spiritûs & potentiæ* ſita fuiſſe contendit, hoc eſt, in rationibus à Dei Spiritu & miraculis depromtis: *ut veſtra fides*, inquit, *non ſapientiæ hominum, ſed potentiæ Dei habeatur*, aut *adſignetur*. Hæc non ſunt hominis eloquentiæ, quâ reverâ præditus erat, laudem & famam præ modeſtiâ, declinantis; ſed Theologi, qui graviſſimam rationem reddit, cur Deus eloquentibus Evangelii præconibus uti eo tempore noluerit, de qua jam alibi egimus.

X. Ac ſanè in Paulo non ſunt tantùm idiotica vocabula & loquendi genera; ſed & Hebraïſmi paſſim occurrunt, multáque obſcuritas, cùm in verbis, tum in nexu & ſtructura orationis, præſertim ſi ſingula ſpectes; nam, ad ſummam rerum quod adtinet, faciliùs quid velit intelligimus, quamvis quî eò perveniat, quò vult, ſæpe ægrè videamus. Ideóque Græci Patres, Latinique eruditiores, uno ore, Paulum reliquóſque Apoſtolos Græcanica eruditione, & eloquentia deſtitutos fuiſſe agnoſcunt. Sed cavendum ne res hîc cum verbis miſceamus, nam quò minùs eloquentiæ in dictione eſt, eò major rerum præſtantia & ſublimitas; quæ cùm ſint ſummi momenti, facilè efficiunt ne humiliorem & minùs diſertam eloquutionem adtendamus, qua de re pluribus [15] in alio opere diſputavimus. XI.

14. *Sermone idiotam* &c.] Vide adnotata ad ann. XXVII. n. 14.

15 *In alio Opere* &c.] Vide notata ad 1. Cor. XI, 6. in Additamentis Hammondianis.

ANN. LVII.

XI. Nec dictio tantùm Pauli obſcurior eſt, ſed ordo ipſe & totius orationis diſpoſitio præſtantiſſimis, & Litterarum Sacrarum peritiſſimis Interpretibus negotium faceſſit. Fateor in Epiſtolis non neceſſe eſſe adcuratam diſpoſitionem obſervari, per omnia, nec nimiam diligentiam ſolere exigi. Verùm tamen, in Scriptoribus luculentis, facilè videmus quò tendant, & quâ viâ eò, quò feſtinant, perveniant. *Statum*, ut dicitur, *quæſtionis* non ægrè adſequimur, nexúmque & ordinem argumentorum perſpicimus; qui in Paulo, ſine dubio, non tantùm propter dictionis obſcuritatem, ſed & propter frequentes digreſſiones cùm breviores, tum longiores, & hyperbata, quæ nullis tranſitionis formulis ſignantur, difficulter evolvuntur. Ex quibus omnibus intelligere eſt Paulum non modò ſupervacuis, in re gravi, eloquentiæ Græcanicæ ornamentis carere; ſed etiam iis, quæ ſine dubio ſunt laude digna, perſpicuitate, nimirum, eloquutionis & ordine commodo; quæ nemo ſpreverit, qui reputaverit quanti momenti ſit, non ab adtento & acuto dumtaxat Lectore, ſed etiam à quovis qui vel modicam adtentionem, & acumen ingenii mediocre adhibet, facilè intelligi. Verùm, ut dixi, graves fuere Deo rationes, cur Paulum alióſque Apoſtolos facultate dicendi non ornaverit. Atque hæc quidem de Scriptis Pauli alibi non repetenda, ſatis eſſe videntur. Vide & dicta ad Ann. XXVII, 14.

XII. Aliquot menſibus, poſt priorem ad Corinthios, poſteriorem ſcripſiſſe videtur Paulus. Statuerat quidem, apud ſe, ire Corinthum, atque à Corinthiis in Macedoniam deduci, indéque iterum ad eos redire, ut cum eorum nonnullis in Judæam navigaret, quod nos docet 2. Cor. I, 15, 16. Sed diſtulit hunc ſuum adventum, quia Corinthiis parcebat, útque reſipiſcendi ſpatium inceſtûs reo concederet; ne triſtior ſuus Corinthum adventus eſſet, quod teſtatur ipſe ibidem C. I, 23. II, 1. Itaque Epheſo profectus ſe Troadem contulit, ubi nonnihil eſt moratus, ut Titum comitem exſpectaret, cujus moram non ferens in Macedoniam trajecit, ut colligere licet ex 2. Cor. II, 12, 13. & Act. XX, 1. Miſerat antea Titum ad Corinthios, & in reliquam Achaïam, ut Achæorum eleemoſynas Jeroſolimam ferendas quàm primùm conferri curaret; quo facto Paulum, in Macedonia, convenit & de Eccleſiæ Corinthiæ ſtatu certiorem fecit. Illinc & fortè quidem Philippis, ſi credimus MSS. Codicum auctoritati, alteram ad Corinthios ſcripſit.

XIII. Inter rationes, quibus Paulus ad ſcribendas haſce Litteras eſt adductus, præcipua fuit Pſeudapoſtolorum quorumdam nequitia; qui cùm doctrinam Chriſtianam adulterare, tum etiam Paulo abſenti contemtum creare conabantur. Hos increpat, ut *cauponantes & fraude corrumpentes* dogmata Evangelica, traditionum, nempe, Judaïcarum miſturâ, Cap. II, 17. IV, 2. Quos etiam vocat *Pſeudapoſtolos*, *operarios doloſos*, *qui ſe transfigurant in Apoſtolos Chriſti*, *miniſtros Satanæ*; *quorum finis erit*, *ſecundùm eorum opera*, Cap. XI, 13, 14, 15. Ut iis os obturet,

turet, Paulus pluſquàm aliàs ſolet, & quaſi *inſaniens*, ut ipſe loquitur, munus ſuum Apoſtolicum, labores in nunciando Evangelio, pericula, ærumnas & perpeſſiones omnis generis, dona, revelationes & viſa ſibi oblata prædicat, ex quibus liquebat quantum virum ſpernerent; quod alioqui modeſtia Evangelica, aut ſingularis ſanctiſſimi viri humilitas paſſa non eſſet. Sed reverâ, prout erant homines & tempora, útque calumniæ retunderentur, licuit Paulo ſemet ipſum laudare; quod in ſimilibus circumſtantiis, indecorum non eſſe [15] ſapientes ſemper cenſuerunt. ANN. LVII.

XIV. Igitur in ea Epiſtola exponit I. quæ pericula ſubierit in Aſia, cùm propter ſeditionem Demetrii, tum aliis de cauſis; in quibus periculis animo ſibi rectè conſcio, & precibus Corinthiorum ſuſtentatus fuerat, ad quos priùs ire ſtatuerat; quod conſilium non ex levitate, ſed certis de rationibus, mutandum exiſtimarat; quarum hæc fuit non ultima, quòd nollet ad eos venire, ut eos ob inceſtum, quem ferebant, caſtigaret; quod facturus nunc non erat, quia reus adeò reſipuerat, ut pœnas jam ei, ne nimiâ triſtitiâ abſorberetur, remittendas cenſeret. Quæ habet Cap. I. & II. ad verſ. 11. Tum Evangelii & muneris ejus prædicandi, per tot pericula & calamitates, præſtantiam oſtendit, Cap. II, 12. & ſeqq. Capp. III, IV & V. III. Corinthios ad conſtantiam hortatur, commemorat quantopere laborarit, ut ſe Deo probaret, monétque de amore ſummo, quo eos proſequebatur; quibus invitus triſtitiam crearet, quæ tamen iis bene verterat, quandoquidem caſtigationibus ſuis emendati fuerant, ut à Tito ad ſe reduce acceperat. Quæ Capp. VI & VII. complectuntur. IV. Hortatur eos ut ſe liberales præbeant erga Judææ pauperes, quemadmodum fecerant Macedones, qui plus quàm eorum egeſtas patiebantur contulerant, pluribúsque argumentis eamdem in rem utitur Cap. VIII & IX. V. Ut calumnias confutaret Pſeudapoſtolorum, qui graves quidem & fortes Epiſtolas ab eo ſcribi dicebant, ſed *præſentiam corporis eſſe infirmam, & ſermonem contemtibilem*, de laboribus ſuis ad propagandum Evangelium, ubi antea inauditum fuerat, agit; cùm alii in meſſem alienam veluti falcem injicerent; quæ Capite X. leguntur. VI. Cùm à malevolis, contemtim de eo loquentibus, præter jus & fas, deprimeretur; cogitur ad laudes ſuas devenire, oſtenditque ſe in prædicatione Evangelii Corinthiis nequaquam oneri fuiſſe; nullâ re poſſe gloriari Judæos Pſeudapoſtolos, quâ iis ſuperior multò non eſſet, & ſe laboribus, carceribus, plagis quas paſſus erat, periculiſque mortis quæ, Evangelii causâ, adierat, longè excellere; nam ſe *à Judæis quinquies quadragenas, unâ minùs, plagas accepiſſe; ter virgis* (à Romanis & Græcis) *cæſum, ſemel lapidatum, ter naufragium feciſſe, nocte & die in profundo fuiſſe; in itineribus ſæpe, pericu-*

15 *Sapientes*] *Plutarchus* librum ſcripſit περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως, *de ratione laudandi ſe, ſine invidia.*

ANN. LVIII. *periculis fluminum, & latronum; periculis à popularibus & à Gentilibus; periculis in civitatibus, in ſolitudine, in mari, in falſis fratribus; in labore, in ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate.* Ad quæ accedebant curæ & ſollicitudines de integris cœtibus, ſingulisque Chriſtianis. VII. Tum narrat raptum ſuum in Paradiſum, ante quatuordecim annos, ubi audiverat arcana verba, quæ homini proloqui nefas erat. Propter quas revelationes, ne iis ſuperbiret, additus ei erat *ſtimulus in carne ſua, Angelus Satanæ*, à quo colaphis cædebatur, quo incommodo ut liberaretur à Deo, precibus ter repetitis, impetrare non potuerat. Quæ habentur Cap. XII, 1 ad 10. VIII. Apoſtolatum verò ſuum & rationem, quâ eo defungebatur, ſine ullo Chriſtianorum ſumtu, meritò extollit; minatúrque Corinthiis, nî ad ſaniorem mentem redirent, & tandem Epiſtolam, ut ſolet, adhortationibus & ſalutationibus claudit.

Nerone Aug. III. Valerio Meſſallâ COSS. *Neronis Imp. V. Anno Æræ Chriſti Vulgaris* LVIII.

I. Præmissa poſteriore ad Corinthios, Paulus Macedoniam peragravit, unde, multis verbis Chriſtianos ſolatus atque ad conſtantiam hortatus, in Græciam venit, & Corinthum, quæ una, apud Græcos, tunc temporis, florebat Eccleſia, contendit; ubi, licèt ſileat Lucæ Hiſtoria, omnibus, pro more ſuo, Apoſtolatûs muneribus egregiè functus eſt. Cùm autem illic, per tres menſes, manſiſſet, ut ſacer Hiſtoricus habet Cap. XX, 2, 3. & collatam ab Achaïæ Chriſtianis pecuniam accepiſſet ac brevi Jeroſolimam profecturus eſſet, ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, ut ipſe ait Rom. XV, 25. circa vernum tempus. Jam dudum audiverat in Urbe eſſe Chriſtianos, quorum fides, apud alios Chriſti doctrinæ addictos, celebris erat, ut docet ipſe Paulus, Rom. I, 8. Eò tum redierant Aquila & Priſcilla, in quorum ædes Eccleſia Chriſtia-

1 *Plures Judæi*] Jam permulti fuerant, ab Auguſti tempore, ut intelligere eſt ex *Philonis* Legatione ad Caium p. 1014. Ed. Pariſ. ubi poſtquàm dixit Auguſto non improbatum cultum, quem uni Deo exhibebant Judæi, addit: πῶς οὖν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβερίεως ποταμοῦ, μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων· Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες, αἰχμάλωτοι δὲ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων, ἠλευθερώθησαν, οὐδὲν τῶν πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες· ἠπίστατο οὖν καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται Φιλοσοφίαν: *Alioqui non probaſſet, trans Tiberim fluvium, magnam Romæ partem,* (ab ejuſmodi inquilinis incoli) *quam non ignorabat teneri & habitari à Judæis. Romani verò erant plerique* (Cives) *liberti. Captivi enim abducti in Italiam, ab heris ſuis libertate donati fuerant, nequaquam patriam Religionem mutare coacti. Sciebat ergo eos habere Proſeuchas & in eas convenire, præſertim ſacris Sabbathi diebus, cùm palam patriam Philoſophiam docentur.* Alia etiam Auguſti in eos beneficia narrat, quibus Romam adlecti fuerant, & quamvis, ſub Tiberio primùm, dein & ſub Claudio, Româ partim expulſi fuiſſent; in eam tamen, commerciorum & negotiorum causâ, magno numero non multò pòſt redierunt.

2 *Non legis Moſaïcæ* &c.] *Legis* nomine quid ſignificetur, in hac Controverſia, ſatis omnes intelligunt, vult enim Paulus totam

Chriſtiana conveniebat, ut videre eſt Cap. XIV, 3, 5. multique alii ſe contulerant Chriſtiani Paulo noti, quos in eodem Capite ſalutat. ANN. LVIII.

II. Cum autem illic eſſent [1] plures Judæi, quos vehementer ad fidem Chriſtianam adduci cupiebat Paulus; aut certè rationibus retundi, ne Chriſtianos denuo Moſaïcæ legis jugo onerarent; potiſſimas controverſias, quæ Judæis cum Chriſtianis erant, dilucidare eadémque operâ Judæorum objectiones ſolvere voluit. Contendebant Judæi neminem apud Deum *juſtificari*, hoc eſt, juſtum, ſeu pium haberi; qui Moſaïcam Legem, per omnia, non obſervaret; è contrario Chriſtiani, propter fidem, quæ Jeſu-Chriſto habetur, quæque præceptorum Evangelicorum obſervationem complectitur, non propter obedientiam, quæ Legi præſtaretur, homines apud Deum bonos cenſeri; quo modo Gentiles, qui numquam Legem Moſaïcam obſervarant, neque obſervaturi erant, poterant Deo grati & accepti fieri. Huic Chriſtiano dogmati duo potiſſimùm objiciebant Judæi. Alterum erat eo licentiam peccandi intromitti, quandoquidem per fidem Chriſto habitam, ſine obſervatione Legis, bonis fieri licebat. Alterum, Judæos, qui non amplectebantur Evangelium, à Deo rejectum iri, aut potiùs jam rejectos, dum Ethnici in gratiam recipiebantur; quod Judæis cum promiſſis & juſtitia Dei conſentire non videbatur; quandoquidem Deus pollicitus erat Abrahami ſe poſteros, in perpetuum, pro populo ſuo habiturum; qui nunc, ſi à Deo rejicerentur, non poterant rei haberi, cùm voluntati ejus obſiſtere non liceat. Hæc erant præcipua controverſiarum, quæ Judæos inter & Chriſtianos intercedebant, capita; ſi caput hoc, *an Jeſus Meſſias eſſet*, exceperis.

III. Epistolæ ergo ad Chriſtianos, qui Romæ agebant, quatuor partes conſtituere poſſimus, præter initium & extremam clauſulam. I. A Cap. I, 16. ad V, 23. quæ potiſſima pars eſt, & ad quam reliquæ aliquo modo referuntur, docet omnes, ſive Judæos, ſive Ethnicos, [2] non Legis Moſaïcæ,

totam Legem Moſaïcam, non minùs quâ mores ſpectat, quàm prout ritus complectitur. At voce *Fides* non tam ſignificantur hîc actus atque habitus credendi, quàm totum Evangelium; cujus beneficiorum fide, hoc eſt, totâ Chriſtianâ obedientiâ, participes ſimus. Quæ poteſtas vocis non infrequens eſt in N. T. ut Act. VI. 7. XIV, 27. Gal. I, 23. 1. Tim. III, 9. IV, 1, 6. Tit. I, 13. & alibi. Hanc autem eſſe notionem, quâ in Epiſtola ad Romanos, in controverſia Pauli contra Judæos, ſumitur, paullò adtentiore ejus lectione cuivis de re monito manifeſtum fiet. *Juſtificare* autem, ex perpetuo fermè Scripturæ uſu, eſt *pro juſto habere*, ſeu bonum ac pium exiſtimare. Itaque in hac controverſia *juſtificari per Legem*, vel *per Legis opera* (quod idem eſt) perinde eſt ac bonum & pium haberi, apud Deum, ex obſervatione Legis Moſaïcæ. Contra *juſtificari per Evangelium*, ſive *per Fidem*, eſt pium ac bonum, apud Deum cenſeri, propter obedientiam Evangelio præſtitam. Poſterius verum eſſe contendebat Paulus, prius Judæi. Atque hæc paucis, ut meliùs ſtatus controverſiæ intelligeretur. De rationibus, quibus Paulus confutat Judæos, & quibus ſuam ſententiam tuetur; conſulendi ſunt Interpretes ad Epiſtolas ad Romanos & Galatas, atque inter ceteros *Hammondus* & quæ nos ejus Adnotationibus addidimus. Adi & Diſſertationem *Steph. Curcellæi* de Juſtificatione.

ANN. LVIII. ſaïcæ, ſed Evangelicæ obſervatione, apud Deum, juſtorum, ſeu bonorum loco cenſeri, atque in gratiam recipi; cujus divinæ benignitatis fructus ſummopere extollit. II. Deinceps Capp. VI, VII & VIII. reſpondet priori duarum objectionum, quas modò expoſuimus, vim & naturam fidei, quâ juſtitiam Evangelicam conſequimur, pleniùs explicat; oſtendit enim doctrinam Chriſtianam, quæ Evangelio, non Lege, juſtos homines apud Deum fieri docet, non modò ſanctitatem minimè labefactare, ſed & ſummopere ſtabilire; Legémque nec vim habuiſſe ingenerandæ hominibus veræ ſanctitatis, & cupiditates carnis irritaſſe, majorémque peccandi occaſionem præbuiſſe: cùm Evangelium & ſanctitatem hominibus, ſi ſervari velint, imponat, & firmam ejus colendæ voluntatem immittat, conſtantiámque ad omnia adverſa fortiter ferenda ſuppeditet. III. In tertia parte, quæ Capitibus IX, X & XI. continetur, poſterior adlatarum objectionum ſolvitur. Docet enim Paulus Judæos, quòd Evangelio credere noluiſſent, à Deo, magna ex parte, rejectos & contumaciæ ſuæ permiſſos; contrà verò Gentiles, qui fidem Evangelio habuerant, divinorum beneficiorum participes eſſe factos; neque hæc promiſſionibus aut, juſtitiæ Divinæ adverſari, quia & promiſſis erga Judæos ſtetit Deus, dum ei crediderunt, & liberalem ſe, ac miſericordem, pro jure ſuo, erga Ethnicos præbuerat, nullis meritis ab iis provocatus, non magis ac à primis Judææ gentis conditoribus. IV. Quarta pars, quæ à Cap. XII. porrigitur ad Cap. XV, 13. complectitur adhortationes & præcepta de omnis generis virtutibus, & præſertim de neceſſitate ſe ſe viciſſim ferendi Judæis atque Ethnicis, Chriſtianiſmum amplexis, impoſita, rectóque rerum naturâ ſuâ mediarum atque indifferentium uſu. In tota hac Epiſtola Judæos humaniſſimè confutat, oſtenditque eorum ſalute nihil ſibi antiquius eſſe; quod & verum erat & dici debebat, ut feroces & contumaces animi, ſi fieri poſſet, emollirentur. Alioquin optimi viri, cui perpetuò inſidiabantur, humanitate erant indigni.

IV. Interim accepit Paulus Galatas, poſtquàm ab iis diſceſſerat, à Judæis quibuſdam, qui Chriſto credere ſe profitebantur, ad obſervationem Moſaïcorum rituum transductos; ut liquet ex Ep. ad Gal. I, 7. aliiſque locis. Non ſatis conſtat an haſce etiam litteras ſcripſerit Corinthi, mox profecturus in Aſiam, an cùm jam eò perveniſſet. Navigare quidem in Aſiam conſtituerat, ſed cùm intellexiſſet ſibi à Judæis inſidias ſtrui, ſatius duxit iter terrâ facere per Macedoniam; cujus comites fuerunt, in Aſiam uſque, Sopater Berœenſis, Ariſtarchus & Secundus Theſſalonicenſes, Caïus & Timotheus Derbenſes, Tychicúſque & Trophimus Aſiatici; & hi quidem, Paulo in Macedonia relicto, priores Troadem navigarunt, quò poſt Azymorum dies, quinque diebus, pervenit & Paulus, qui in ea urbe ſeptem dies moratus eſt, ut prodidit Lucas Act. XX, 3. ad 6.

V. Troade ergo dum moraretur, primo Hebdomadis die, qui

Domi-

Dominicus à reſurrectione Domini dictus, convenerunt Chriſtiani, Euchariſtiæ celebrandæ causâ, [3] atque hæc eſt antiquiſſima mentio, quæ quidem nobis occurrat, cœtûs Chriſtiani eo die coacti; unde colligunt viri eruditi, hunc morem illo jam tempore invaluiſſe. Eo ergo die, cùm Paulus poſtridie vela daturus, de Religione Chriſtiana diutiùs verba, apud cœtum, faceret in cœnaculo, in quo plures accenſæ erant lucernæ, & in mediam uſque noctem orationem produxiſſet; contigit adoleſcentulum, cui Eutycho nomen erat, ſedentem in feneſtra, in arctum ſomnum prolabi, dein è cœnaculo, quod in tertia contignatione fuit, in ſubjectam plateam cadere; unde, veluti mortuus, ſublatus mœrorem omnibus creavit. At Paulus puerum complexus, vetuit homines conturbari, eúmque etiamnum ſpirare dixit, & vivum mox atque incolumem ſuis reſtituit; unde magnum omnibus exortum eſt gaudium. Tum Paulus in cœnaculum regreſſus Euchariſticum panem omnibus fregit ac diviſit, iterúmque ad auroram uſque verba fecit, ac tandem profectus eſt. Quæ habentur Act. XX, 6. ad 12. ANN. LVIII.

VI. Ut ad Epiſtolam ad Galatas redeamus, eam totam manu ſuâ ſcripſit Paulus, contrà quàm ſolebat, ut docet Cap. VI, 11. cúmque ad Judaïſmum quodam modò rediiſſe audiſſet Galatas, ab eorum laudibus Epiſtolam, pro more ſuo, minimè orditur; ſed illico objurgare homines incipit, & acriter in pravos eorum doctores invehitur. Ut autem rectè intelligi queat, memores nos eſſe oportet, in primæva Eccleſia, omnes fermè fuiſſe aut Hebræos natalibus, [4] aut Proſelytos primùm Judaïcæ Religionis, qui ad Chriſtianam poſtea adducti fuerant; nam ad alterutrum ubique fermè reſpicit Apoſtolus. Pauci tunc temporis, ab ipſo Ethniciſmo, rectà in Chriſtianiſmum tranſierant; quod cùm ex Actorum Hiſtoria, tum ex ſcriptis Pauli ſatis liquet, nam ferè Dei veri cultores in Chriſtianam Eccleſiam admiſiſſe videntur Apoſtoli. Quare infenſiſſimi iis erant Judæi, qui Proſelytos antea ſuos ad alios Magiſtros veluti transfugere ægerrimè ferebant.

VII. Erant itaque Judæi, apud Galatas, Chriſtianam quidem Religionem profeſſi, ejúsque etiamnum retinentes, ſed qui Judaïſmum ſimul obſervandum cenſebant; ſine quo quemquam juſtum à Deo haberi negabant. Cùm autem Proſelyti Judaïſmi, quos ad Chriſtum converterat Paulus, veterum ſuorum Magiſtrorum auctoritati adverſari non ſuſtinerent; ad priſtinum Judaïſmum erant relapſi, nec quidquam à Judæis differebant, niſi quòd Jeſum Meſſiam eſſe crederent. Quam vitæ rationem eò faciliùs ſequebantur, quòd Petrum, alióſque Apoſtolos Judæi illi Doctores eodem modo vivere dictitarent; nec eſſe cur Pauli auctoritatem, pluris quàm reliquorum Apoſtolorum, cùm Chriſti in terris

3 *Atque hæc eſt antiquiſſima mentio* &c.] Vide antea Ann. LVII, 3. & quæ illic notata.

4 *Proſelytos*] Vide not. ad Gal. IV, 6, 8, 9. in Additionibus ad Hammondianas Adnotationes.

ANN. LVIII. terris verſantis diſcipulus non fuiſſet, facerent. Quod ex tota Pauli Epiſtola colligere licet.

VIII. Hæc ergo ut ex eorum animis evelleret Paulus, oſtendit à Cap. I, 6. ad II, 15. nullum aliud eſſe Evangelium, præter id, quod prædicaverat, nec quidquam aliud audiendum, ne ſi Angelus quidem è cœlo contraria adferret; à ſe enim, non ab homine, ſed ab ipſo Chriſto acceptum. Addit hiſtoriam ſuæ ad fidem Chriſtianam converſionis, rationiſque quâ Jeroſolimæ à Jacobo, quem ſolum viderat, exceptus & quâ Petro Antiochiæ, erga Judæos nimis obſequenti, conſtanter adverſatus fuerat. Deinceps à verſu 15. Cap. II. ad Cap. V, 13. non Lege, ſed Evangelio, homines Dei gratiam conſequi & juſtos apud eum haberi demonſtrat; cùm Lex à nemine impleretur, datáque Judæis eſſet, ad tempora ſolùm Chriſti, quaſi doctrina quæ imperitos & infirmos in officio eò uſque contineret. Eam vocat *elementa mundi*, *infirma & mendica elementa*; quòd non complectatur niſi principia Religionis, quæ in Evangelio plenior & perfectior eſt; multáque alia in eamdem rem habet, & confutat nonnulla, quæ à Judæis Evangelio objiciebantur. Tandem à Cap. V, 13. ad VI, 11. Galatas ad pietatem Chriſtianam, quam cum ritibus Judaïcis conſiſtere poſſe negat, hortatur; Epiſtolámque claudit gravi admonitione, ne Galatæ circumciſionem ſuſciperent, néve ſibi moleſtias crearent. In tota Epiſtola acrior eſt multò in Judæos, quàm alioqui ſolet; quod res ei cum pervicacibus & ſuperbis, ſimúlque Religionis Chriſtianæ imperitis eſſet, quam tamen ſequi ſe profitebantur, quaſi ab aliis Apoſtolis acceptam.

IX. Hac ſcriptâ Epiſtolâ, confirmatisque Troadenſibus Chriſtianis, Paulus pedes Aſſum uſque ivit, quò Lucas & comites navigio delati erant; unde unà Mytilenen navigarunt, pervenerúntque ſequente die è regione Chii inſulæ, tum Samum adſequuti poſtridie conſtiterunt ad Trogyllium promontorium Aſiæ, ei inſulæ oppoſitum; quo relicto, tertio die, Miletum adpulerunt. Conſtituerat Paulus Epheſum prætemavigare, ne tempus in Aſia tereret, útque die feſto Pentecoſtes Jeroſolimæ eſſe poſſet. Quare Miletum ad ſe Epheſiæ Eccleſiæ rectores, [5] quos *Presbyteros* & *Epiſcopos*, pro more illius ævi, quo hæc nomina miſcebantur, vocat Lucas, ad ſe vocatos gravi oratione adloquutus eſt; quâ, memoratâ ratione prædicationis ſuæ, in Aſia, cum maximis periculis, propter Judæorum inſidias, conjunctæ, apertè prædixit ſibi Jeroſolimæ vexationes & vincula parari; quæ tamen flocci faceret, ſi modò Apoſtolatûs ſui muneribus fideliter defunctus, ſtadium, quod ingreſſus erat, conſtanter decurreret. Cùm verò non putaret ſe umquam Ephe-

5 *Quos Presbyteros vocat*] Act. XX, 17. ubi Vulgatus perperam vertit *majores natu*, cùm dicantur verſ. 28. ἐπίσκοποι. Vide illic à nobis notata, & quæ dicentur ad Ann. LXVIII, 6. *Hammondus* intelligit. Epiſcopos urbium Aſiæ, quarum Metropolis erat Epheſus. Sed non dixiſſet Lucas, πέμψας εἰς Ἔφεσον μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας, ſed τῆς Ασίας, aut certè τῶν Ἐκκλησιῶν τῆς Ἀσίας. Metro-

Epheſum reverſurum, addidit nihil à ſe prætermiſſum eſſe, in prædicatione Evangelii, quod eorum ſcire intereſſet, nec quidquam ſupereſſe, niſi ut gregem ſibi commiſſum eadem fide paſcerent; fore enim ut, poſt ſuum diſceſſum, rapaces [6] lupi eum invaderent, neque ei parcerent, utque ex ipſo grege exorirentur, qui contorta dogmata proponerent, ut diſcipulos à ceteris avellerent, qui ſe adſectarentur. Denique Epheſios ad vigilantiam adhortatus Deo commendavit; ſuáque, in prædicando Evangelio, fide iterum commemoratâ, poſtremò ſe ſuis manibus, ne ulli eſſet oneri, neceſſaria ſibi comparaſſe dixit. Unde colligere poſſe videmur *lupos rapaces*, de quibus dixit, futuros fuiſſe homines, qui ſpecie pietatis uterentur ad quæſtum faciendum; quales fuere poſtea, qui Eccleſias ſibi, jure divino, vectigales eſſe credi voluerunt. Cùm enim, Evangelio latiùs ſparſo, plures in dies eſſent Chriſtiani, jam lucrum aliquod ex plebis imperitia & inconſulta liberalitate capi potuit; quâ re, & doctrinæ & moribus Chriſtianorum paullatim magna mutatio adlata eſt. Sed ut ad Paulum redeam, oratione habitâ, genua flexit, Eccleſiæque incolumitatem, & incrementum à Deo petiit; ac precibus abſolutis à flentibus, quòd ſe numquam ab iis conſpectum iri dixiſſet, ad navim deductus eſt. Quæ narrantur Act. XX, 12. ad finem. ANN. LVIII.

X. Mileto profectus unà cum comitibus, recto curſu Coum, ſequente die Rhodum, indéque Patara pervenit. Tum conſcenſâ navi, quæ in Phœnicen trajiciebat, legens Cyprum inſulam Tyrum contendit; quò adpulſus, per ſeptiduum, ea in urbe eſt commoratus; ubi Chriſtiani quidam à Dei Spiritu adflati vexationes eum manere monuerunt, ſi Jeroſolimam iret; quamobrem auctores ei erant, ne eò ſe conferret. Quibus minimè obſequutus eſt, quòd nec ignorabat quæ præmonebant, & ad omnem eventum paratus erat. Tyro ergo delatus eſt Ptolemaïdem, deinde Cæſaream; ubi pluribus diebus manſit, apud Philippum Evangeliſtam, qui è ſeptem primis Diaconis Jeroſolimitanis unus fuit, habuitque quatuor filias virgines, prophetiæ dono inſtructas. Venit & ad eos Agabus Propheta, qui veterum vatum more, futura facto quopiam conſpicuo oculis veluti ſubjicientium, zonâ Pauli adreptâ ſibi manus & pedes vinxit, atque in vincula Apoſtolum eo modo conjectum iri prædixit. Nec tamen abſterrere potuit, ne Jeroſolimam iret; quò profectus eſt, cum aliquot Cæſareenſibus Chriſtianis, & Mnaſone Cyprio, dudum etiam Chriſtianam Religionem amplexo, apud quem diverſaturus erat. Vide Act. XXI, 1. ad 16.

IX. Jerosolimæ libentiſſimè eſt à Chriſtianis exceptus, & cùm adiiſſet

tropolitarum nomina & jura ad hanc antiquitatem adſurgere vix credibile eſt. Vide tamen *Pet. de Marca* Concord. Sacerdotii & Imperii Lib. VI. c. 1. & *Gulielm. Beveregium* ad Apoſtol. Can. XXXIV.

6 *Rapaces lupi*] Ad eos pertinere videtur quod habet Joannes Apoc. II, 2. ubi laudatur Angelus Eccleſiæ Epheſinæ, *quòd exploraſſet eos qui ſe dicebant Apoſtolos, nec erant, eoſque mendaces comperiſſet.*

ANN. LVIII. adiiſſet Jacobum, cui Presbyteri, aut Seniores omnes aderant, omnia ordine narravit, quæ operâ ſuâ perfecerat Deus. Quamobrem in laudem Dei eruperunt, Paulique doctrinam & facta comprobarunt. Cùm tamen Judæi Paulum calumniarentur, quaſi impediret quominùs Judæi, per Imperii Romani Provincias ſparſi, Moſaïcos ritus obſervarent, eóſque ad defectionem à Lege hortaretur; quia negabat ob Legis obſervationem homines juſtos à Deo haberi, nec eam Gentilibus imponi patiebatur; ideò Jacobus & Presbyteri auctores ei fuerunt ut, quoad ejus fieri poſſet, ſe ſe Judaïcis moribus adcommodaret; ut gratiam ſibi innumerorum Judæorum, qui Chriſto credebant, nec eo ſeciùs veterum rituum obſervantes erant, conciliaret; non quaſi Deo propterea acceptior fieret, ſed tantùm ut à ſe rem non damnari, quaſi impiam, oſtenderet, modò ne neceſſaria haberetur. Ut igitur ſe non defeciſſe à Lege demonſtraret, cenſuerunt eum ſe ſe adjungere debere quatuor Chriſtianis, qui Judæi fuerant, votúmque Nazireatûs conceperant, cujus jam rei erant; ut ſimul cum iis ſacra faceret & tonderetur ex Lege, ſumtúſque omnibus faciendos ſolus ferret, quaſi votum & ipſe concepiſſet, & conceptum ab aliis probaret; unde colligerent Judæi ab eo Legem etiamnum obſervari. Ad Gentiles verò quod adtinet, ſe iis quidquam imponi non paſſuros, præter id quod ante novem annos à Jeroſolimitana Synodo, ut norat, impoſitum fuerat. Ei conſilio obſequutus eſt Paulus, & poſtridie ſe in Templum contulit, exacto ſeptiduo purificationis dies impletum iri teſtatus.

XII. Sed cùm inſtaret id tempus, Aſiatici Judæi hominem in Templo conſpicati tumultum ſuſcitarunt, confícto crimine polluti Templi; quòd, ut aiebant, in Atrium Iſraëlis Trophimum Epheſium Gentilem intromiſiſſet; quia eum viderant in urbe, cum Apoſtolo, per plateas incedentem. Itaque Paulo manus injecerunt, cúmque prope eſſet, ut eum occiderent, adcurrit Claudius Lyſias Tribunus, unà cum cohorte, qui hominem furentum manibus eripuit, & duabus catenis, ne elaberetur, vinxit. Cúmque à Judæis quæreret quis tandem eſſet, & quid flagitii admiſiſſet, tantus erat diverſa vociferantium tumultus, ut explorati nihil ex diſſonis clamoribus intelligeret. Itaque Paulum in turrim Antoniam duci juſſit, ad cujus gradus cùm perveniſſet, bajulari hominem, propter multitudinis, mortem ejus expoſcentis, concurſum, oportuit. Ibi Tribunus quæſivit à Paulo, an eſſet Ægyptius ille, de quo diximus ad ann. LV, 2. Reſpondit verò Apoſtolus Judæum ſe eſſe, & natum quidem Tarſi, in Cilicia, atque ut poteſtatem ſibi populum adloquendi faceret oravit; quâ illico à Tribuno impetratâ, Chaldaïco ſermone, qui tum in Palæſtina in uſu erat, verba fecit, & magno ſilentio auditus eſt, dum narraret quis eſſet, quî Chriſtianos olim vexaſſet, & quî cœleſti voce ab ea re revocatus eſſet; ſed cùm dixiſſet ſe eadem voce juſſum ire ad Gentes, tum verò conclamarunt omnes hominem indignum eſſe, qui diutiùs viveret. *Gentium*, nimirum, nomen memoriam calum-

niæ,

niæ, quâ Paulus premebatur, ſubitò revocaſſe iis videtur; alioqui Judæi omnes, etiam Moſaïcorum rituum obſervantiſſimi, magnâ animi contentione, Proſelytos è Gentilibus ad ſe adlicere conabantur. ANN. LVIII.

XIII. Cum ergo Judæi, Pauli mortem expoſcentes, veſtes & pulverem in aërem jacerent & vociferarentur; juſſit eum Tribunus in turrim duci, virgis coacturus innocentiſſimum virum dicere, quo tandem facinore in ſe Judæorum iram uſque adeò accendiſſet. Jámque vinciebatur à Centurione Apoſtolus, ut flagris cæderetur, cùm ab eo quæſivit, an ſibi fas eſſe putaret virgis in civem Romanum, & indictâ quidem causâ, ſævire. Quo audito, Centurio Tribunum monuit, ut etiam atque etiam videret quid inceptaret, Paulum enim eſſe civem Romanum. Quod Tribuno quærenti verúmne id eſſet, confirmavit Paulus, atque è veſtigio ſolutus eſt vinculis; quæ à ſe civi Romano injecta doluit Lyſias, quòd ſibi à Cæſaris Procuratore propterea timeret. Quæ omnia accepta ferimus Lucæ Act. XXI, 17. ad finem & toto Cap. XXII.

XIV. Sed ut ſciret quamobrem Paulo indignarentur Judæi, poſtridie Synedrio eum ſiſti curavit; ubi Paulus cauſam dicere juſſus, vix cœperat de conſtanti ſua erga verum Deum Religione agere; cùm Pontifex Maximus eum ab adparitoribus cædi juſſit. Is erat Ananias, Nebedæi F. qui licèt exauctoratus Præſes tamen Synedrii tum fuiſſe videtur. Quem cùm non noſſet Paulus, aut aliò fortè oculos convertiſſet, ut à quo vox miſſa eſſet neſciret, commotior repoſuit: *Deus te percutiet, paries dealbate, qui cùm ſedeas de me, ex Lege, ſententiam laturus*, nondum auditum, *præter Legem cædi me jubes.* At monitus eum, qui juſſerat, eſſe Pontificem Max. excuſavit dictum Paulus, quòd eum non noſſet; neque enim ſe ignorare, ex Lege, principi populi maledicere non licere. Cùm verò ſciret Synedrii adſeſſores partim eſſe Sadducæos, partim Phariſæos, exclamavit ſe Phariſæum & Phariſæi filium eſſe, qui in jus traheretur, quia reſurrectionem mortuorum tuebatur; quod verum erat, nam ex Jeſu reſurrectione Evangelicæ doctrinæ veritas pendet, & Sadducæi iniquiores ſine dubio erant Chriſtianis, quòd reſurrectionem mortuorum meliùs multò ipſis Phariſæis tuerentur; quâ admiſſâ, de Sadducaïſmo actum erat. Eâ verò voce auditâ, tanta Synedros Phariſæos inter & Sadducæos orta eſt contentio; dum Phariſæi quidem Paulum tuentur, Sadducæi verò oppugnant; ut, ne inter certantium manus diſcerperetur, in Antoniam turrim eum reduci juſſerit Tribunus. Eâ nocte Paulum Deus, viſo confirmavit, foréque ut Romæ ſibi teſtimonium exhiberet prædixit.

XV. Sequente die, Judæi nonnulli in Paulum conſpirarunt, & ſe neque cibum, neque potum ſumturos jurarunt, antequàm eum trucidaſſent, ac plures quidem quadragenis eo ſe impio ſacramento obſtrinxerant. Qui de conſilio ſuo Synedrium monuerunt, ut oraret Lyſiam, ſibi iterum ſiſti Paulum, quò cauſam ejus adcuratiùs Cœtus cognoſce-

ANN. LIX. noſceret; pollicitique ſunt ſe hominem, dum adducitur, obtruncaturos. Sed Paulo innotuerunt inſidiæ, & per eum Lyſiæ; qui noctu eum, addito firmo præſidio, Cæſaream ad Felicem miſit, ad quem ea de re litteras dedit. Felix ſe auditurum cauſam ſuam agentem promiſit, poſtquàm accuſatores ejus Jeroſolimâ veniſſent; intereáque in Herodis regia ſervari juſſit. Quæ omnia leguntur Act. XXIII.

XVI. Quinto pòſt die, Judæorum aliquot Proceres, cum oratore Tertullo, quo interprete, apud Cæſaris Procuratorem, uſi videntur, Cæſaream venerunt, Paulúmque turbarum inter Judæos, per Imperium Romanum ſparſos, concitarum, & Templi ipſius Jeroſolimitani polluti, cùm primas in Nazaræorum (ſic Chriſtianos vocabant) ſecta teneret, accuſarunt. Tertullo reſpondens Paulus innocentiam ſuam expoſuit, & accuſationis capita negavit, quæ à Judæis probari non potuerunt. Itaque Felix rem in Claudii Lyſiæ adventum differendam cenſuit, intereáque à Centurione, laxâ cuſtodiâ, Paulum ſervari juſſit; ita ut à quovis ſuorum adiri poſſet, & neceſſariis adjuvari. Satis intelligebat Paulum, confictis criminibus, urgeri & Judæos, pro more ſuo, adfectibus indulgere; quibus gratificari, hac in re, meritò noluit.

XVII. Paucis pòſt diebus, cùm Druſilla Felicis uxor, quæ Ethnico licèt nupta Judaïcam Religionem retinuerat, Cæſareæ adeſſet; ad ſe vocavit Felix Paulum, quem de fide Jeſu-Chriſto habenda dicentem audivit. Sed cùm Paulus de juſtitia, temperantia, judicióque futuro diſputaret, oratione ejus territus, plura ab eo audire in aliud tempus diſtulit; eorum more, qui ſermones de Religione eatenus tantùm amant, quatenus ipſorum adfectibus non prorſus adverſantur. Sperabat etiam fore ut Paulus, oblatâ pecuniâ, libertatem redimere vellet; quamobrem ſæpiùs eum ad ſe vocabat, ſi fortè libertatis pretium oblaturus eſſet. Quibus rebus factum eſt út in cuſtodia, in alterum annum, eum ſervaret; quo tempore elapſo, ſucceſſor Felici miſſus eſt, nec tamen, cùm Judæis rem gratam facere ſe putaret, Paulum dimiſit. Quæ prodidit Lucas Act. Cap. XXIV.

XVIII. Hisce temporibus, impoſtores quidam Judæi & latrones Judæam gentem ad defectionem apertiùs concitare cœperunt, mortémque iis interminari, qui Romanis dicto audientes erant; quaſi in voluntaria ſervitute, præ ignavia, adquieviſſent. Itaque paſſim opulentiorum domos diripiebant, & dominos contrucidabant; eáque latrocinia in dies ingraveſcebant.

C. Vipſtano Aproniano, L. Fonteio Capitone COSS.
Neronis Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti LIX.

I. Dum Paulus in libera cuſtodia Cæſareæ ſervabatur, graviſſima ſeditio, Judæos inter atque Gentiles, exarſit; cùm Judæi ſuam hanc urbem eſſe dictitarent, quòd ab Herode, Judæorum Rege, condita eſſet;

ſet; Ethnici verò ſibi conditam adfirmarent, quòd templa Deorum & ſtatuæ in ea eſſent; quæ in Judæa urbe conſpici nefas erat. A verbis ad pugnam ventum, præfectis militum tumultum compeſcere fruſtra conantibus. Tantùm enim aberat ut ſuppliciis homines abſterrerentur, ut ſeditio ſubinde recrudeſceret. Tandem Felix, minaci edicto propoſito, contumaciſſimos quoſque urbe excedere juſſit, & minùs dicto audientes, immiſſis militibus, interfecit, multorúmque domos expilavit. Cúmque ne his quidem pœnis coërceri ſeditio poſſet, utriuſque partis nobiliſſimos legatos ad Neronem miſit, ut apud eum de jure ſuo diſceptarent. Quæ habet *Joſephus* Lib. II. de Bello, c. 23. in Græcis. ANN. LX.

Nerone Aug. IV. Coſſo Cornelio COSS. Neronis Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti LX.

I. FELICI revocato ſucceſſor miſſus eſt Porcius Feſtus, qui ante omnia operam dedit ut latrones, qui infeſtam faciebant provinciam comprehenderet; quorum etiam multos occidit, ut memorato loco narrat *Joſephus*.

II. CÆSAREAM cùm veniſſet, tertio die Jeroſolimam ſe contulit, ubi primores Judæorum Paulum apud eum accuſarunt, orarúntque ut Jeroſolimam, cauſæ dicendæ gratiâ, accerſeretur; quia in via, ex inſidiis, eum occidere ſe poſſe ſperabant. Sed Feſtus ipſos Cæſaream, quò brevi rediturus erat, venire juſſit; nec diu Jeroſolimæ commoratus eſt. Cæſaream ergo cùm rediiſſet, poſtridie pro tribunali ſedens, Paulum cauſam dicturum vocari juſſit. Ei gravia crimina objicientibus Judæis, nec quidquam probantibus, repoſuit ſe neque in Leges Judæorum, neque in Templum, neque in Cæſarem deliquiſſe. Cùm verò Feſtus Judæis gratificari cuperet, à Paulo quæſivit an Jeroſolimam transferri vellet, & jus ſibi illic dici. Negavit verò Paulus, & innocentiæ ſuæ fiduciâ Cæſarem adpellavit. Quo audito, Feſtus, de Concilii ſententia, ad Cæſarem iturum pronunciavit, ut narrat Lucas Actor. C. XXV, 1. ad 12.

III. CIRCA idem tempus, Agrippa Rex in Iſmaëlem Phabei F. Pontificatum Maximum contulit; dignitatem, quam mali mores Pontificum inviſam fecerant. Diſſenſiones graves erant Principibus Sacerdotum, non modò cum plebe, ſed & cum gregariis Sacerdotibus; quibus diſſenſionibus factum eſt, ut proceres utriuſque partis, audacium & ſeditioſorum hominum globo ſtipati, in publicum procederent, atque inter ſe non conviciis tantùm, ſed & lapidibus interdum certarent. Nec erat, qui talia coërceret, quaſi nulli fuiſſent in urbe Magiſtratus. Quin & Sacerdotum principes in areas mittebant, qui Sacerdotibus debitas decimas exigerent; è quibus nihil pauperibus Sacerdotibus dividebant, quorum nonnulli fame interierunt, ut habet *Joſephus*, Lib. XX. c. 6.

IV. INTEREA cùm Felix Romam iviſſet, ſequuti eum ſunt primores

ANN. LX. mores Cæſareenſium Judæorum, ut hominem apud Cæſarem accuſarent; tótque ſcelerum reus erat, ut ſine dubio pœnas dediſſet; niſi Nero eum precibus Pallantis fratris, qui tunc plurimum apud eum poterat, donaſſet. Cæſareenſium verò Ethnicorum legati Beryllum, qui Neronis primùm Pædagogus, tum ab Epiſtolis Græcis erat, gratiáque apud eum valebat, pecuniâ corruperunt; ut impetraret ab Imperatore litteras, quibus Cæſareæ jus Civitatis Judæis eripiebatur, quod ad hoc ævum commune eis cum Ethnicis fuerat; quâ injuriâ factum eſt, ut ab hoc tempore, ad initium belli quod ſequutum eſt, perpetuis Judæorum ſeditionibus ea urbs exercita fuerit. Quæ exſtant, apud eumdem *Joſephum*, Lib. XX. c. 7.

V. Ad Paulum ut revertamur, cùm Rex Agrippa, unà cum Berenice ſorore, Cæſaream veniſſet ut Feſtum ſalutarent, pluréſque dies illic eſſent commorati; Feſtus quæ in Pauli causâ contigerant iis narravit, Judaïcæ quippe Religionis peritos conſulturus, cùm non ſatis intelligeret quid de re ejuſmodi ad Cæſarem ſcribere poſſet. Agrippa verò ab ipſo Paulo ſe rem libenter auditurum reſpondit, poſteróque die, cum Berenice in auditorium, concurrentibus eò Tribunis & urbis primoribus, venit. Tum, jubente Feſto, productus eſt Paulus, catenâ vinctus, cauſámque dicere juſſus priſtinam ſuam vitam, cùm Judæus etiamnum eſſet, Chriſtianóſque acriter vexaret, retexuit. Vocationem deinde Chriſti è cœlo, rationémque prædicationis ſuæ, apud Judæos & Gentiles, expoſuit. Poſtremò ſe nihil, quod Legi Moſaïcæ & Prophetis adverſaretur, docuiſſe oſtendit; ex quibus Chriſtum mortem pati, tum primum omnium excitatum, Judæis & Gentilibus, per Apoſtolos ſuos Evangelium patefacere oportuiſſe liquebat. Cùm peroraſſet, Feſtus inſanire hominem dixit, qui è mortuis Jeſum excitatum crederet. Negavit verò Paulus quidquam à ſe dictum, quod hominem emotæ mentis redoleret, cujus rei teſtem Agrippam adpellavit. Ibi Rex, ſeu feriò, ſeu joco, ab eo ſe propemodum ut Chriſtianus fieret perſuaderi repoſuit. Quâ voce auditâ, exclamavit Paulus exoptare ſe ut omnes ſibi ſimiles, exceptis tamen vinculis, fierent. Conſurrexit verò Conſeſſus, qui cùm abiret auditæ ſunt voces Apoſtolum quidquam morte, aut vinculis dignum admiſiſſe negantium; & Agrippa quidem potuiſſe eum dimitti, niſi Cæſarem adpellaſſet, Feſto dixit.

VI. Traditus deinde eſt Paulus, cum aliis quibuſdam vinctis, Julio cohortis Legionis Auguſtæ centurioni, Romam ducendus; & eum quidem Timotheus, Lucas & Ariſtarchus Theſſalonicenſis comitati ſunt. Conſcensâ ergo nave Adramyttenâ, quæ Aſiam petebat, ut illinc in Græciam trajicerent, vel in Italiam vela darent, avecti ſunt primùm Sidonem, ubi Centurio paſſus eſt Paulum amicos inviſere; deinde

1 *Juſtitia Divina*] Vide notata à nobis ad Act. XXVIII, 3, 4. in Additamentis ad *Hammondum*, & quæ collegit *Rob. Conſtantinus*, in Lexico Græco ad vocem Νέμεσις.

2 *Ea*

deinde adverſis ventis Cyprum ſublegêre, Ciliciúmque & Pamphylium mare emenſi Myra, Lyciæ urbem, pervenerunt. Ibi Centurio navem Alexandrinam, quæ Italiam petebat, nactus ei vinctos impoſuit; ut quàm primùm fieri poſſet, Romam eos transferret. Sed cùm multis diebus, tardâ navigatione, vix ſecundùm Cnidum perveniſſent; mutato vento, ad Cretam delati ſunt, quam ſublegentes, ſecundùm Salmonicum promontorium, eo ægrè ſuperato, ad Pulcros Portus adpulere. Cùm verò dies jejunii, quod apud Judæos a. d. X. Menſis Septimi celebrabatur, jam præteriiſſet & periculoſa navigatio in dies fieret, Paulus Centurioni auctor fuit ut illic hiemaret. Verùm quòd parum commodus eſſet ille, ad hiemandum, locus; ad portum, qui Phœnice dicebatur, navigare ſtatuit. Eò verò cùm vela dediſſet, procelloſo vento navis eſt delata Melitam versùs, inter eam inſulam, aliámque minorem, quæ eſt ei ad meridiem & Clauda, vel Cauda vocabatur; unde abrepti, & procellâ jactati coacti ſunt primùm jacturam facere, & ſequente die armamenta etiam navis in mare projicere. Tandem tempeſtate non remittente, omnis ſpes ſalutis evanuit; ſed monitus Paulus, ab Angelo, fore tamen ut Cæſari ſiſteretur, Deúmque ei omnes vectores donaſſe, iis animum addidit. Nocte igitur quadrageſimâ, ſenſerunt nautæ terram quampiam in propinquo eſſe, ad quam orto die adpellere dum conarentur, navis eſt, vi procellæ, diſſoluta; vectores verò partim enatantes, partim tabulis, fragmentisque navis ſublevati, incolumes omnes ad terram pervenerunt, quam Melitam inſulam eſſe intellexerunt. Sunt verò humaniſſimè excepti à Melitæ incolis, qui cùm ignem accendiſſent, ad quem ſe naufragi calefacerent & veſtes ſiccarent, contigit Paulum collectam virgultorum copiam in ignem jacere. Ibi verò vipera, quæ inter virgulta latuerat, calore expulſa, manum Pauli admomordit; quod cùm animadvertiſſent Melitenſes, facinoroſum eſſe hominem, quem [1] Juſtitia Divina etiam naufragum perſequeretur, ſuſpicati ſunt. Sed Paulus, ſerpente in ignem excuſſâ, nihil mali paſſus, dum exſpectarent fore ut mortuus concideret, uſque adeò eis admirationi fuit, ut non hominem, ſed Deum crederent. Eo in tractu, erant prædia Publii cujuſdam, principis in inſula viri, apud quem per triduum naufragi diverſati ſunt, & cujus pater, qui febri, dyſenteriáque laborabat, à Paulo curatus eſt, ut & ceteri totius inſulæ ægri. Quæ omnia, pluráque habentur Actor. Capp. XXV, XXVI, XXVII & XXVIII, 1. ad 9. ANNO LX.

VII. Est inter Apoſtolicas Epiſtolas, quæ *Jacobi* Catholica dicitur, & ad ſparſos per terrarum orbem & Chriſtianam fidem amplexos Judæos ſcripta eſt. [2] Ea omnium conſenſu Jacobo, Domini fratri, qui Jeroſolimitanæ Eccleſiæ præfuit tribuitur. De tempore, quo ſcripta ſit,

2 *Ea omnium conſenſu Jacobo* &c.] Lege quæ, hac de Epiſtola, ſcripſit *Joan. Millius*, in Prolegomenis ad N. T. §. 50. in Ed. Roterodamenſi.

ANN. LXI.

ſit, non ita conſtat; ſed ſcripta omnino videtur, poſt Epiſtolas Pauli ad Romanos & ad Galatas, nec multò ſeriùs hiſce temporibus, ſi Jacobus anno Æræ Vulgaris LXII. mortuus eſt; niſi quis malit paullò citiùs ſcriptam. Cùm Paulus docuiſſet, in Epp. ad Romanos & ad Galatas, homines juſtos apud Deum haberi, non obſervatione Moſaïcæ Legis, ſed fide Evangelicâ; nonnulli, eâ doctrinâ perperam intellectâ, putarunt à ſe ſatis Deo fieri, ſi modò Evangelio crederent, quamvis ceteroqui parum ſanctè viverent. Cui pravæ doctrinæ Chriſtianæ interpretationi, ne ſerperet, hanc Epiſtolam oppoſuit Jacobus, ut diximus Proleg. Sect. III. C. IV, 7. Quæ Epiſtola tota ad mores pertinet, vitiáque, quæ eo potiſſimùm tempore Judæos Chriſtianam fidem amplexos infecerant, caſtigat. Talia ſunt dubitatio in precibus ad Deum fuſis, Cap. I, 5. & ſeqq. dejectio animi, ex paupertate; ſuperbia, ex divitiis, Ib. verſ. 9. & ſeqq. prava opinio de Deo homines tentante, cùm nihil non boni ab eo ſperari, mali nihil timeri debeat. Ib. verſ. 13. & ſeqq. iracundia, præceptorúmque divinorum neglectus, quaſi ea audire ſatis eſſet, Ib. 19. ſeqq. divitum primas ſedes adfectantium adrogantia, Cap. II, 1. & ſeqq. fides, ſine morum ſanctitate, Ib. 14. & ſeqq. delicta linguæ intemperantis, Cap. III, 1. & ſeqq. ſuperbia eruditorum Ib. 13. & ſeqq. preces, propter vitia, à Deo non exauditæ, Cap. IV, 1. & ſeqq. maledicentia, Ib. 11. & ſeqq. conſilia temerè capta, cùm Dei voluntas non adtenditur, ex qua omnia eventa pendent, Ib. 13. & ſeqq. divitiarum caducarum abuſus, Cap. V, 1. adventus Domini æquo animo non exſpectatus, Ib. 7. temerarium jusjurandum, Ib. 12. precum neglectus, Ib. 13. aliáque id genus, quæ obiter tangit Jacobus; ex quibus intelligere licet mores Chriſtianorum ejus ævi eos non fuiſſe, quos laudare per omnia poſſimus, uti nec hodiernorum vitam. Nimirum, pluris ſemper Religionis profeſſionem, quàm morum ſanctitatem, ad quam tamen tota Religio ſpectat, fecerunt homines.

C. Cæſonio Pæto, Petronio Turpiliano COSS. *Neronis Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti* LXI.

I. Paulus & navigationis comites, cùm per tres menſes in inſula Melita commorati eſſent, ab inſulanis bene habiti & neceſſariis inſtructi, conſcenderunt Alexandrinam navem, quæ in inſula hiemaverat. Eâ Syracuſas vecti ſunt, triduóque illic morati, legentes Siciliæ oram Rhegium pervenerunt, unde ſecundo die Puteolos adpulerunt; ubi Chriſtianos nonnullos invenit Paulus, cum quibus ſeptiduum exegit, Romámque contendit. Chriſtiani verò, qui Romæ agebant, de adventu ejus moniti, ei Appii Forum & Tres Tabernas obviam proceſſerunt,

1 *Ob Edicta Cæſarum*] Quæ exſtant apud *Joſephum*, Lib. XIV. c. 16 & 17. Jud. Antiquit. & de quibus *Philo*, in Legatione ad Caium.

2 *De ceteris Apoſtolis* &c.] Curioſitati poſterorum cùm vellent impoſtores quidam

runt. Romam omnes cùm veniſſent, Centurio Præfecto Prætorii, qui tunc temporis Burrhus erat, vinctos tradidit. Sed impetravit Paulus ut ſibi liceret ſeorſim, cum milite, à quo ſervabatur, habitare; cùm à Feſto ſceleris nullius reus factus eſſet. ANN. LXI.

II. Paulus, pro ſua perpetua conſuetudine, quamvis ſeorſim à Judæis cœtus jam haberet Chriſtiana Eccleſia, ut è Cap. XVI. Ep. ad Romanos colligere licet, ante omnia conatus eſt Judæis fidem Chriſtianam adprobare. Itaque tertio die, poſt adventum, convocatis, qui Romæ erant, Judæorum primoribus; expoſuit cauſam cur Romam vinctus miſſus eſſet, Cæſarémque adpellare neceſſe habuiſſet. Negarunt verò illi ſe quidquam litterarum, de eo, è Judæa accepiſſe; ſed ad Chriſtianam Religionem quod adtinet, ubique ei adverſari Judæos dixerunt. Nondum videntur ſciviſſe Romæ Chriſtianos cœtus habitos, fortè propter magnitudinem urbis, ad quam accedebat cura Chriſtianorum, qui de rebus ſuis nihil infenſis & pervicacibus hominibus aperiebant; ne Romanos Magiſtratus in ſe concitarent, quemadmodum non tantùm in Judæa, ſed & in ceteris Romani Imperii Provinciis ſolebant. Cùm enim ferrentur ubique Judæi, [1] ob Edicta Cæſarum & Senatûs Conſulta, in gratiam eorum facta; Chriſtiani tamen, qui aut numquam fuerant Judæi, aut Judaïſmo valedixerant, ejuſmodi Edictorum, Senatúsve Conſultorum beneficio frui non poterant.

III. At Paulus, malignitate Judæorum contemtâ, conſtituit diem, quo ad eum venientes à matutino tempore ad veſpertinum de Religione Chriſtiana diſputantem, oſtendentémque Jeſum eſſe Meſſiam, è Lege & Prophetis, audiverunt. Nonnulli quidem ejus orationi adſenſi ſunt, ſed alii in pervicacia perſtiterunt. Quare Paulus ſimiles eſſe Majoribus ſuis, quos Eſaïas Propheta ſtuporis & pertinaciæ olim inſimularat, dixit; ideóque ſe, iis miſſis, ad Græcos converſum iri, quos norat Evangelio credituros. Ab eo tempore, in ædibus à ſe conductis per biennium manſit, omnes qui cognoſcendæ Religionis causâ eum adibant excepit, Evangeliúmque, nemine adverſante, nunciavit. Fuerunt cum Paulo Romæ Timotheus, cujus nomen cum ſuo præſcribit Paulus Epiſtolis ad Philippenſes, ad Coloſſenſes & ad Philemonem Romæ datis, Tychicus, Oneſimus, & Epaphroditus Aſiatici, Ariſtarchus Theſſalonicenſis, Marcúsque conſobrinus Barnabæ, & Jeſus cognomine Juſtus, Judæi; qui fuerunt ei in prædicando Evangelio adjutores, quod teſtatur ipſe Ep. ad Coloſſ. C. IV, 7. & ſeqq. Quibus addendi Lucas & Demas, ex verſ. 14.

IV. Hic verò deſinit Lucæ Hiſtoria Apoſtolica, quâ initia prædicationis Evangelicæ apud Judæos, Ethnicóſque, & miniſterio quidem Petri & Pauli potiſſimùm ſcribere adgreſſus eſt. [2] De ceteris Apoſtolis altum

dam ſatisfacere, & commenta ſua pro Apoſtolicis factis & dictis venditare, Acta & Hiſtorias Apoſtolorum, è cerebro ſuo, confingere non dubitarunt. Eorum fragmenta vide in Collectaneis Apocryphorum *Erneſti Grabii*, & *Joan. Alb. Fabricii*. Quæcum-

ANN. LXI. altum ubique, apud eum, eſt ſilentium; ſeu quòd extra Imperii Romani fines Evangelium nunciarint, ſeu quòd in eorum acta non inquiſiverit. Utinam verò vir quiſpiam Apoſtolicus, pari judicio & fide, ceterorum res geſtas litteris mandaſſet, quæ narrationi Lucæ deſunt ſupplere voluiſſet, idque opus ad nos perveniſſet! Nunc de iis nihil nobis ſupereſt, niſi futile & commenticium, apertisque mendaciis refertum; quorum fragmenta collegerunt viri docti, inter Apocrypha Novi Teſtamenti, ad quæ Lectores amandamus. Mirum eſt Lucam, poſtquàm liberationem Petri è carcere narravit Cap. XII, 17. eúmque *in alium locum*, hoc eſt, extra Jeroſolimam, iviſſe dixit, ne verbulum quidem de eo habere, de quo tam multa antea dixerat. Verùm tamen ex eo quod hîc habet, de adventu Pauli in Urbem, déque ſermonibus ejus cum Judæis, ſatis patet Petrum nondum fuiſſe Romæ; nam ſi fuiſſet illic primarius Chriſti Apoſtolus, qui præſertim hoc ſibi negotii à Deo mandatum norat, ut Judæos ad fidem Chriſtianam vocaret; non ita ignota Judæis Romæ agentibus fuiſſet, ac erat, cùm primùm eos Paulus eſt adloquutus.

V. Ut ad Judæorum res veniamus, Judæa tunc temporis plena erat ſicariis, qui non tantùm ex inſidiis ſingulos è medio tollebant, ſed & contractis copiis & juſtis armis inſtructi vicos invadebant, diripiebant, ferróque & igne vaſtabant. Fuit & impoſtor quidam, qui nonnullis perſuaſit, ſi ſe in ſolitudinem ſequerentur, malis omnibus finem impoſitum iri. Sed equeſtribus, pedeſtribúsque copiis immiſſis, à Feſto brevi oppreſſi ad internecionem deleti ſunt, ut narrat *Joſephus*, Lib. XX. c. 7. Ad hunc aliósque ſimiles impoſtores reſpexerat Chriſtus, in inſigni vaticinio quod Matthæi XXIV. exſtat.

VI. Erat Jeroſolimæ Regia, tempore Haſmonæorum, in edito loco condita, unde tota urbs deſpici poterat. In ea Regia, prope Xyſtum, ædificavit Rex Agrippa ingens cœnaculum, unde proſpiciebat quæcumque in Templo fiebant. Quod cùm ægrè ferrent Jeroſolimitani Proceres, murum altiſſimum excitarunt, ab ea Exhedra quæ erat ad occaſum interioris Templi ſeptemtrionem versùs; quo cœnaculo regio, ſimúlque porticui occidentali, quæ extra Templum erat, & in qua Romana fuit ſtatio, diebus feſtis, proſpectum ademerunt. Quare offenſo

cumque è traditione vetere dicta ſunt de Apoſtolis, corraſit etiam, in ſingulorum Vitis Gallicis, *Sebaſt. Nanus Tillemontius*. Mythologiam illam nec narrare, nec confutare adgreſſi ſumus. Inter ſe Apoſtolos Orbem Terrarum diviſiſſe, ut ſinguli in certa quadam parte Evangelium nunciarent crediderunt Veteres; nec defuere, qui docuerint quam regionem quiſque ſit ſortitus. Sed cùm hæc prodita ſint ſæculis aliquot ſeriùs, nullúmque certum auctorem habeant, & referta ſint fabulis, nihil erat cur iis immoraremur. Vide quæ undequaque hanc in rem collegit *Caſ. Baronius*, ad annum Æræ Vulgaris XLIV.

3 *Priorem Petri Epiſtolam*] Refert hanc Epiſtolam ad hunc annum *Joannes Millius*, in Proleg. ad N. T. §. 59. nulla ſatis certa de ratione; nam quod ſtatuit Petrum Romæ fuiſſe, antequàm Paulus eò veniret; id vero ſimile non eſt. Scripta quidem hæc Epiſtola eſt *Babylone*, quam veteres Romam

ſenſo Agrippâ, & irritato etiam Feſto, Romanus Procurator murum dirui juſſit. Verùm ab eo Judæi impetrarunt, ut ſibi ad Cæſarem, ea de re, Legatos mittere liceret. Quæ à *Joſepho*, eodem loco narrantur. ANN. LXI.

VII. Hoc anno [3] priorem Petri Epiſtolam ſcriptam viri docti putant, quia poſt Jacobi litteras, de quibus ad ſuperiorem annum diximus, datam exiſtimant; eò quòd multæ ſint, in Petri Epiſtola, ſententiæ iis, quæ leguntur in Jacobi litteris, ſimiles. Verùm hinc æquè facilè Jacobum poſteriorem ſcripſiſſe colligere queas; quis enim, uter alterum imitatus, aut etiam an omnino imitatus ſit dicere poſſit? Ad eosdem (nam & Petrus ad Chriſtianos, per Aſiam minorem ſparſos, Epiſtolam ſuam miſit) ſcriptæ fuerunt; quibus paria dici nihil mirum eſt. Petrus hanc Epiſtolam *Babylone* dedit, quo nomine Veteres plerique Romam intelligendam; quaſi, Metropoleos imperii Parthici vocabulo, Roma rerum, in Occidente, caput commodiſſimè ſignaretur. Sed Petrum hoc tempore fuiſſe Romæ nullo certo argumento conſtat, imò multa ſunt, quæ adverſantur. [4] Itaque recentiores pars priſcam Babylonem, quæ ad Euphratem fuit: pars Ægyptiacam, quæ erat ad Nilum, ad ortum Memphis, intelligunt. Cúmque nulla alibi mentio fiat itineris Petri ultra Imp. Romani fines, & Babylon etiam dudum deleta eſſet, Seleuciáque ante tempora Petri, ejúsque ævo Cteſiphon Parthici Imperii Metropolis haberetur, malim Ægyptiacam Babylonem, [5] in qua fuerit tunc temporis Petrus, intelligere. Quod confirmatur eo quòd Apoſtolus Aſiaticos Judæos, nomine Marci, Cap. V, 13. ſalutat, quem Alexandrinæ Eccleſiæ conditorem fuiſſe Veteres tradiderunt, & quidem circa hæc tempora.

VIII. Epistola Petri tota eſt Moralis, eáque Apoſtolus Aſiaticorum vitia non tam caſtigat, quod ſat copioſè fecit Jacobus; quàm virtutes omnibus Chriſtianis colendas deſcribit, & laudat, officiáque privatorum erga majores, minoréſque Poteſtates, ſervorum erga heros, uxorum erga viros, virorum erga uxores, Presbyterorum erga greges ſibi commiſſos, juniorúmque erga ſeniores tradit. Sed & paſſim doctrinas Chriſtianas admiſcet, quibus ea officia nituntur. Nullum ordinem, qui in Epiſtolis negligi ſolet, obſervat; ſed ea è divite penu promit, quæ memoria ſuggerit, prout uſus eorum, ad quos litteras dabat, poſtu-

Romam eſſe conjecerunt; ſed incertiſſima eſt conjectura, nec crediderit Petrum fuiſſe Romæ, ante Paulum, qui ante hujus adventum Religionem Chriſtianam fuiſſe Judæis fermè ignotam animadverterit, ut diximus §. V. Itaque ſequuti ſumus ſententiam *Joan. Pearſonii*, qui *Babylonem Ægyptiacam* intelligit. Vide ejus Differt. I. de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum, Cap. 8.

4 *Recentiores priſcam Babylonem.*] *Cl. Salmaſius* & alii; quos confutat, memorato loco, *Pearſonius*, quem conſule.

5 *In qua fuerit tunc temporis Petrus*] Vide eumdem, eodem Cap. VIII. 1. Diſſert. de ſucceſſione R. E. Verùm ne quid diſſimulem, de anno, quo fuerit Petrus in Ægypto, non conſtat, ideóque an ad hunc annum referenda ſit I. ejus Epiſtola minimè liquidum eſt; nec ejus nunc meminimus, niſi quia ad quem annum commodiùs referri queat ignorabamus.

ANN. LXII.

poſtulare videbatur. Ceterùm tota Epiſtola ſpiritu Apoſtolico eſt plena, dignáque quæ altè in omnium Chriſtianorum animos deſcendat.

IX. Existimant viri docti [6] Evangelium Matthæi hoc anno editum, eò quòd Papias, veluti acceptum à Joanne Presbytero, Apoſtolorum familiari, ſcripſiſſet Matthæum Evangelium ſuum edidiſſe, [7] *cùm Petrus & Paulus evangelizarent Romæ & fundarent Eccleſiam.* Sed quàm parum fide dignæ ſint Papiæ narratiunculæ oſtendimus, in Diſſert. de IV. Evangeliis Harmoniæ Evangelicæ ſubjecta, ubi & alia de hoc Evangelio, quæ non repetemus. Volunt etiam nonnulli Evangelium hoc oppoſitum *Evangelio ſecundùm Hebræos*, aliiſque narrationibus fide minùs dignis; ſed mera hæc eſt conjectura, nullo probabili fundamento nixa. Nemo ſibi facilè perſuadebit tam ſerò, poſt adſcenſionem Chriſti, ſcripta Evangelia, qui quæ diximus, in memorata Diſſertatione, paullò adtentiùs expenderit. Qui ita ſentiunt, putántque, per triginta circiter annos, ab Adſcenſione Chriſti elapſos, multa Pſeudevangelia, nullum verum, in Chriſtianorum manibus fuiſſe; ſapientiæ Apoſtolorum imprudentes ſummopere detrahunt; quid enim minùs providum fuiſſet, quàm fabulas de Chriſto legi æquo animo pati, nec ullam hiſtoriam veram, ab homine fide digno conſcriptam & quæ ad omnes pervenire poſſet, iis opponere? Numquam certè adduci queam, ut tam exiliter de adflatorum virorum prudentia ſentiam. Ad hæc accedit quòd non tantùm res à Chriſto geſtas, ſed & ſermones ejus tradiderit Matthæus; quod multò faciliùs & certiùs fieri potuit, dum recens eſſet eorum memoria, quàm cùm longinquitate temporis labaret. Spiritus quidem Sanctus adfuit Apoſtolis, ut iis omnia in memoriam revocaret, quæ à Chriſto acceperant, ut ipſe promiſerat Joan. XIV, 26. Sed Spiritus Sanctus, in hac quoque re, non ſolo adflatu, verùm & naturalibus eorum facultatibus uſus eſt; ut varietas ipſa narrationis & verborum, in quatuor Evangeliis, oſtendit.

P. Mario Celſo, L. Aſinio Gallo COSS. *Neronis Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti* LXII.

I. Hoc anno ineunte, Jeroſolimâ profecti ſunt decem legati Romam, cum Pont. Max. Iſmaële & Chelcia Sacro Ærario præfecto. Ii gratiâ

6 *Evangelium Matthæi hoc anno* &c.] Ad hunc annum retulit *Joan. Millius* in Proleg. §. 61. parum veriſimiliter. Citiùs tamen cùm ſcriptum & editum omnino videatur, quo anno factum ſit nemo dixerit.

7 *Cùm Petrus & Paulus* &c.] Sunt verba *Irenæi*, Lib. III. c. 1. Græca protulit *Euſebius* Hiſt. Eccl. Lib. V. c. 10. Ea autem habuit *Irenæus* à *Papia*, qui ſimilia nonnulla ait, apud eumdem *Euſebium* Lib. III. c. 39. Vide Diſſert. noſtram de quatuor Evangeliis, ad calcem *Harmoniæ Evangelicæ*.

1 *Qua de re alibi diximus*] Artis Criticæ P. 3. Sect. I. Cap. XV, 11.

2 *Ut dudum viri docti oſtendere*] *Joſephus Scaliger* ad num. MMLXXVII. in Animadverſionibus ad *Hieronymi* Chronicon Euſebianum. Rationes ſummi viri, noſtris admiſtis, breviter proferemus, ut quæ fides *Hegeſippo* haberi poſſit liqueat. I. Sic ergo *He-*

graciâ Poppææ, quam, dimiſſâ Octaviâ, uxorem duxerat Nero, nixi ut paries ſtaret impetrarunt. Poppæam vult *Joſephus* Religioni Judaïcæ addictam fuiſſe, cùm eam *religioſam* vocet. Ea decem legatos, negotio confecto, in Judæam redire paſſa eſt; ſed Iſmaëlem & Chelciam, ut idem ait Scriptor, quaſi obſides, obſequii, nempe, Judæorum, retinuit. Quod cùm audiſſet Agrippa, exauctorato Iſmaëli Joſephum Simonis F. cognomine Cabeum ſuffecit. ANN. LXII.

II. Mortuo in Provincia Porcio Feſto ſucceſſor à Nerone miſſus eſt Albinus, datúſque eſt etiam Judæis alius Pont. Max. Ananus, Anani F. à Rege Agrippa. Ananum patrem aiebant Judæi omnium feliciſſimum fuiſſe, quippe qui, cùm, ad ſatietatem uſque, Pontifex Max fuiſſet, quinque etiam filios eâ ornatos dignitate vidiſſet. Ananus verò filius, cùm audaci & feroci indole eſſet, quales erant Sadducæi, quorum placita ſequebatur; opportunum ratus eſſe tempus ſævitiæ exercendæ, mortuo Feſto, nec dum præſente Albino, Conſeſſum Judicum inſtituit; *cúmque in eum intromiſiſſet*, verba ſunt quæ leguntur apud *Joſephum*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 8. *Jeſu, qui dicebatur Chriſtus, fratrem, cui nomen Jacobo fuit, & quoſdam alios, eóſque violatæ Legis accuſaſſet, lapidibus obruendos tradidit. Quicumque in urbe æquitatis famâ, & legum peritiâ florebant rem ægrè tulerunt, miſerúntque clam nuncios ad Regem, qui hortarentur eum ut ſcriberet ad Ananum, ne ampliùs talia deſignaret.* Facilè quidem crediderim Jeroſolimitanos Proceres graviter tuliſſe, quòd Synedrium, ſuâ auctoritate, inſtituiſſet, cùm dudum jus gladii à Romanis eſſet Judæis ademtum; quod iterum, inconſulto Cæſare, ab Anano uſurpatum timebant ne genti ſuæ gravi fortaſſe pœnâ luendum eſſet. Sed quæ de Jacobo *Jeſu, qui Chriſtus dicebatur, fratre* habentur merum adſumentum, malè feriati Chriſtiani, eſſe videntur; [1] qua de re alibi diximus.

III. Potest tamen fieri ut Jacobus hoc tempore mortuus ſit, ſed genus mortis ignotum. Quæ enim ex *Hegeſippo*, quamvis Apoſtolorum temporibus ſuppare, habet *Euſebius* ea ſunt fabulæ propiora, [2] ut dudum viri docti oſtendêre. Non tantùm imperitum hominem fuiſſe & prorſus idiotam, ex ſtylo liquet; ſed etiam ex rebus ipſis, aut nimiùm credulum, aut Veritatis parum amantem, colligere meritò poſſumus. Dolendum ſanè eſt Sæculo II. inventos eſſe Chriſtianos, quales

Hegeſippus, quæ, omiſſis Græcis, brevitatis causâ, Latinè tantùm proferemus, poſtquàm Jacobum *juſtum* cognomine dictum fuiſſe ait, apud *Euſebium* H. E. Lib. II. c. 23. *Hic ab utero matris ſanctus fuit*; Nazireatûs, nempe, voto Deo conſecratus, ut ſequentia oſtendunt. Nec fieri hoc potuiſſe negarim. *Nec vinum umquam bibit, nec ſiceram.* Ita debuit, ſi Naziræus fuit, ut liquet ex Num. VI, 3. *Ab animantium carnibus penitùs abſtinuit.* Hoc verò Pythagoricum & ſuperſtitioſum fuit inſtitutum, de quo nihil in Moſaïca Lege, & cujus reum fuiſſe Jacobum, etiam poſtquàm Chriſtianus factus eſt, vix credibile ſit. *Comam numquam totondit.* Rectè, atque ordine, ſic enim Lex jubet Num. VI, 5. *Neque ungi, neque lavare balneo corpus umquam ſolitus.* Non tantùm præter, ſed & contra Legem hoc fuit, quâ multæ ablutiones Judæis impoſitæ. Nec certè ſordes quæſitæ quidquam ad ſanctitatem faciunt.

II.

ANN. LXII. les fuere *Papias* & *Hegeſippus*; qui omnia fingere, aut certè credere ſuſtinerent. Quæ indoles à Chriſtiana doctrina planè aliena eſt; neque enim

II. *Unus ex omnibus in intimum Templi ſanctuarium* (εἰς τὰ ἅγια, nempe, τῶν ἁγίων) *ingrediendi facultatem habebat, neque enim lanificio, ſed linea tantùm veſte utebatur.* ,, Ergo, ait *Scaliger*, omnibus patuit qui linea ,, veſte utebantur. Atqui uni ſummo Pon- ,, tifici, idque ſemel in anno, conceſſum ,, erat. Jacobus verò multùm abeſt ut ſanc- ,, ta poſſet ingredi, qui ne Levita quidem ,, eſſet. Tum multis probat Sacerdotes lineis dumtaxat veſtibus fuiſſe indutos, cùm ad functiones ſacras accingerentur. At *Dionyſ. Petavius* ad *Epiphanium*, in Hær. LXXVIII. quamvis non diffiteatur nonnulla vel ab Hegeſippo prodita, vel ab aliis inſerta, quæ parum probabilia videantur; negat tamen totam Hiſtoriam propterea damnandam eſſe; *nam pleraque*, inquit, *in illa vera ſunt, aut certè veris ſimillima; quædam ſubabſurda, præſertim quæ ab aliis addita fuerunt.* Sed unde ſcivit eſſe quidpiam ab aliis additum? Quænam Hiſtoria falſitatis argui poterit, ſi ex ea reſecentur abſurda, retineantur quæ fieri potuere? Deinde contemtim de rationibus *Scaligeri*, pro more ſuo, loquitur; cùm nihil ferè proferat ipſe, quod ſit alicujus pretii. Fatetur Jacobum Sancta Sanctorum, quæ ſoli Pontifici ſemel in anno patebant, admiſſum non fuiſſe; ſed negat illicitum fuiſſe ingredi in Sacrarium, ubi erat altare ſuffitûs, in quod Sacerdotes quotidie ingrediebantur. Sed fac τὰ ἅγια poſſe de anteriore Sacrario intelligi; ne Levitis quidem eò intrare licebat, & fingere ob unius *Hegeſippi*, qui hujus Hiſtoriæ unicus eſt fons, auctoritatem, Jacobo nec Levitæ, nec Judæo, fas hoc fuiſſe; id verò multò plus eſt, quàm ei concedere poſſimus, cùm rationem ejus rei abſurdam tradat, quòd lineam veſtem ſemper geſſiſſet. III. Addit *Hegeſippus*, cognomen Jacobo non tantùm Juſti, ſed *Obliæ* impoſitum, quod eſt περιοχὴ τοῦ λαοῦ & δικαιοσύνη, *munimentum populi & juſtitia.* *Scaliger* obſervat, ſi vertatur ,, ſuſque, déque hoc nomen, num- ,, quam proditurum id quod ille perſua- ,, dere conatur. Si ſcribatur per φ, id ,, eſſe ὀχύρωμα θεοῦ עפליה. Sed ſi ſcripſeris עפליעם *hophliham* eſt revera *munimentum populi*, & facilè fieri potuit ut *Ophliam*, mutaverit Græcus Librarius in Ὀφλίας. At veriſſimum eſt eâ voce juſtitiam non ſignificari. Adde quòd nullo modo ſimile vero videatur, Epiſcopum Chriſtianum notiſſimum, & Religionis Chriſtianæ obſervantiſſimum tanta elogia à Judæis tuliſſe, & à Sacerdotibus, Chriſtianorum inimiciſſimis, impetraſſe ut ſibi liceret Sacrarium, contra Legem, ingredi. Ait *Hegeſippus*, eadem fiduciâ, his cognominibus ornatum Jacobum, ut Prophetæ de eo ſignificarunt, ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ. *Scaliger* meritò *ipſa Prophetarum teſtimonia adducta* optabat, unde ſatis facilè intelligi potuiſſet ſomnia hæc eſſe. IV. *Quidam autem*, ut habet Hegeſippus, *ex ſeptem ſectis, quæ apud Judæos erant* (de quibus, ut ait, ſuperioribus libris ſcripſerat, cùm trium tantùm, aut ſummùm quatuor meminerit *Joſephus*) *interrogaverunt eum quodnam eſſet oſtium Jeſu*, τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ; Quod quid ſibi velit non intelligo, neque enim Græcum hoc eſt, nec Hebraïſmum ullum ſimilem comminiſci poſſum. Reſpondit enim Jacobus *hunc eſſe ſervatorem*, quaſi θύρα ſignificaret *munus*, aut quidpiam ſimile. Sed fortè locus eſt corruptus. V. *His auditis*, inquit, *nonnulli eorum Jeſum reverâ Chriſtum eſſe crediderunt. Supra ſcripta verò ſecta, nec reſurrectionem, nec futurum ut unicuique ſecundùm opera redderet.* Si voce *reſurrectio* intellexit Chriſti reſurrectionem, qualem prædicabant Chriſtiani, verum hoc eſt; alioquin, exceptis Sadducæis, ceteri reſurrectionem crediderunt. *Quotquot etiam crediderunt, propter Jacobum*, ait, crediderunt; ejus, nempe, auctoritate adducti; quaſi pluris eſſet facienda, quàm Veritatis indicia, quibus undequaque fulget Chriſtiana Religio! *Cùm multi etiam* ex ipſis primoribus crederent, *tumultus erat Judæorum & Scribarum & Phariſæorum dicentium: periculum eſſe, ne totus populus Jeſum Chriſtum exſpectaret. Proinde cùm conveniſſent, dixerunt Jacobo: hortamur te, compeſce populum, quia errat de Jeſu, quaſi eſſet Chriſtus. Hortamur te ut perſuadeas omnibus, qui veniunt ad diem Paſchatis* (quod credendum) *de Jeſu. Tibi enim omnes fidem habemus; nos teſtimonium exhibemus tibi, & totus populus te juſtum eſſe, nec perſonæ rationem habere. Perſuade ergo multitudini ne erret de Jeſu; nam totus populus & omnes credimus tibi.* Valde ignotum Jacobum oportuiſſet hominibus, qui eum propterea

enim Chriſtus, aut Apóſtoli nos temerè quibuſvis narrationibus fidem habere, & multò quidem minùs fingere quidquam, quòd Religioni pro- ANN. LXII.

propterea adiiſſent & talia ab eo exſpectaſſent; cùm à triginta minimùm annis Chriſtianam Religionem palam profiteretur, & Jeroſolimitanæ Eccleſiæ præeſſet, cum magna Chriſtianorum laude. Qui hæc noſſent, quæ Jeroſolimæ ignota eſſe non poterant, probitatem ejus magni facere, & nefaria verba, contra ipſius animi ſententiam, exigere atque exſpectare ab eo nequiviſſent. Mirum diſſimulatorem Veritatis Evangelicæ oportuiſſet eſſe Jacobum, & Phariſæis ipſis nequiorem; ut infenſiſſimi Chriſto Judæi tantopere ei fiderent; aut mirè inſaniiſſe homines oportuit, ſi Chriſtianum norant, qui talia à viro probo petere ſuſtinuerint. VI. *Sta ergo*, inquiunt, *in lorica Templi* (πτερυγίῳ τοῦ ἱεροῦ) *ut è ſuperiore loco conſpicuus ſis, útque verba tua facilè à toto populo audiantur; nam propter Paſcha convenerunt omnes Tribus, etiam cum Gentibus.* Oportuiſſet addi reſponſionem Jacobi, ſed talia promittere, qualia ab eo petebantur, nefas erat. At tacuit, inquies, ſilentiúmque ejus quaſi conſenſum interpretati ſunt ſtolidi Judæi. Sed neutrum facile eſt intellectu; cùm nec Jacobo diſſimulatio licita eſſet, nec tam ſtupidi eſſent Judæi, ut ei crederent nihil pollicenti, qui per tot annos Chriſtianum ſe profeſſus erat. *Scaligero* etiam ſuſpecta ſunt quæ habet *Hegeſippus*, de concurſu omnium Tribuum Judaïcarum & Gentium Jeroſolimam, feſti causâ; ſed errat, ut bene oſtendit *Petavius*, nam quamvis omnes Tribus non eſſent incolumes, & duarum potiſſimùm reliquiæ Judæam incolerent; nihil vetat quin & multi ex aliis, quæ trans Euphratem ſparſæ, eò quoque convenirent. Quibus etiam ſe adjungebant *Gentes*, hoc eſt, Proſelyti è Gentibus. Vide Joan. XII, 20. Act. XX, 6. & inſcriptionem Epiſt. Jacobi. VII. *Impoſuerunt igitur*, inquit Hegeſippus, *prædicti Scribæ & Phariſæi Jacobum loricæ Templi; & clamantes ei dixerunt* (nempe, ex inferiore loco) *ô Juſte, cui nos omnes credere par eſt, quandoquidem populus errat de Jeſu crucifixo, nuncia nobis quodnam ſit oſtium Jeſu crucifixi. Reſpondit verò ille magnâ voce: quid me interrogatis de Jeſu filio hominis? Et ipſe ſedet in cœlo ad dextram magnæ potentiæ, & revertetur in nubibus cœli.* Quædam carpit in his *Joſ. Scaliger*, quaſi diceret *Hegeſippus* à magna turba ſtatutum eſſe Jacobum in lorica Templi; cùm nec facile eſſet eò adſcendere, nec multi illic conſidere poſſent. Sed nihil habet *Hegeſippus*, unde hoc eum voluiſſe neceſſariò colligamus; ſat eſt nonnullos è multitudine ſtatui eò iviſſe, ut ſic loqui potuerit. Verùm tota Hiſtoria abſurda eſt, ob rationes à nobis antea adlatas. VIII. *Cùm multi plenè perſuaſi eſſent, &* (Deum) *glorificarent, propter Jacobi teſtimonium, dicerentque: Oſanna filio Davidis; tum verò iidem Scribæ & Phariſæi, inter ſe dixerunt: malè fecimus qui tantùm teſtimonium Jeſu præberi curaverimus; verùm adſcendamus, eúmque dejiciamus, ut territi ei fidem habere deſinant. Et clamarunt dicentes: O o, etiam juſtus erravit.* Talia ſtylo meliore narrari non debuerunt, ut adpareret Hiſtoricum idiotam fuiſſe, & præ imperitia quibuſvis narratiunculis fidem habere potuiſſe. Erátne uſque adeò novum Jacobum, à triginta & pluribus annis Epiſcopum Jeroſolimitanum, Jeſu Chriſto teſtimonium exhibuiſſe? Imò verò quis illum magni facere poterat, & tam parum noſſe, ut eum ex animo Chriſtianum eſſe neſciret? Fateor tamen, quidquid habeat *Scaliger*, *Hoſanna filio Davidis* potuiſſe dici in honorem Jacobi, quâ adclamatione *Jacobo* ſalutem & incolumitatem optabant, quaſi dicerent: *libera*, aut *ſerva filium Davidis*, vel *in gratiam filii Davidis liberatorem te præſta.* Adclamationem *Oſanna*, ſolis Scenopegiæ diebus & à ramis geſtantibus factam, minimè liquet; quamvis aliter ſentiat vir ſummus. Neque illi conſtitit Jacobum è proſapia Davidis non fuiſſe, contra quàm omnes Veteres crediderunt. IX. *Et implerunt*, ait Hegeſippus, *quod ſcriptum apud Eſaïam*: tollamus Juſtum, quia moleſtus eſt nobis; propterea fructum operum ſuorum manducabunt. *Scaliger* in priore Edit. *Euſebii* negarat hæc verba eſſe in Eſaia, contenderátque deſumta è Sapientiæ Cap. II, 12. ubi ſimilia leguntur. Sed cùm animadvertiſſet ea reverà exſtare in Græca verſione Eſaïæ C. III, 10. niſi quòd pro ἄρωμεν *tollamus*, eſt δήσωμεν *vinciamus*; in poſteriore Edit. oſtendit ſe exiſtimare addita eſſe Eſaïæ. Verùm rationem, cur addita videri queant, nullam profert. Vult *Henr. Valeſius*, in *Euſebium*, hunc locum in mente habuiſſe *Hegeſippum*, cùm dixit Pro-

ANN. LXII. profuturum videretur, voluerunt. Pravarum ſint iſta Religionum, quæ fabulis indigent; non veræ, quæ ſola Veritate nititur. Jacobo ſucceſſit Simeon, Cleopæ F. in Eccleſiæ Jeroſolimitanæ regimine, quod ex Veteribus adfirmat *Euſebius* Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 32.

IV. Nero, auditâ morte Feſti, ſucceſſorem, ut diximus, miſerat ei Albinum; cui Alexandriâ Jeroſolimam venienti obviam iverunt Judæi nonnulli, qui de Synedrio ab Anano conſtituto hominem monuerunt. Iis auditis, Albinus minaces litteras ad Ananum ea de re ſcripſit, cui & Agrippa, poſt tertium Pontificatûs menſem, ſuffecit Jeſum Damnæi F. Albinus tamen, cùm Jeroſolimam veniſſet, donis eſt ab Anano placatus, omnémque induſtriam, ut, latronibus ſublatis, provinciam pacaret adhibuit, ſed fruſtra. Nonnulli die feſto, ([3] Pentecoſtes, ut quidam ſuſpicantur, Scenopegiæ, ut alii) nocte urbem ingreſſi vivum ceperunt Anani filium, qui Scriba Eleazari, Templo præfecti, eum abduxerunt, coëgerúntque, eâ arte, Ananum, ut, ſi Filium recipere vellet, daret operam ut decem ſicarii, in carcerem conjecti à Procuratore Cæſaris, dimitterentur; quod cùm impetraſſet, ſæpiùs iiſdem artibus tentatus eſt, & cedere coactus; unde numerus & audacia latronum, per totam provinciam, adcrevit. Quæ & alia à *Joſepho* narrantur Ant. Jud. Lib. XX. c. 8.

V. Hisce [4] circiter temporibus, cùm Jeroſolima etiamnum pace frueretur, Jeſus quidam, Anani F. homo ruſticus & plebeïus, per Tabernaculorum feſtum, urbem ingreſſus, repentè exclamavit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis; vox in Jeroſolimam & Templum, vox in ſponſos, & ſponſas.* Quod cùm cœpiſſet clamare, numquam deinde, quamvis verberatus & flagris cæſus, cùm à Judæis, tum ab Albino, deſiit; nec cur ita ſe gereret, cuiquam dixit; donec, dum urbs eſſet obſeſſa & oppugnaretur, cùm ſibi etiam *væ* dixiſſet, lapide è tormento excuſſo eſt occiſus. Quæ ſi vera ſunt, non immeritò *Joſephus* de B. J. Lib. VII. c. 31. rem divinitus contigiſſe cenſuit.

VI.

phetas ſignificaſſe Jacobum juſtum cognominatum iri. Nolim quidem negare ita eum cenſuiſſe, ſed quia de juſto agitur, apud Eſaiam, non ideò conſequens eſt, ut ad Jacobum reſpexerit; cum res pertineat ad quemvis juſtum malè ab improbis habitum. X. Sequitur: *cùm adſcendiſſent, dejecerunt Juſtum, & invicem dixerunt: lapidibus obruamus Juſtum, & cœperunt eum lapidibus impetere, quoniam præcipitatus non erat mortuus.* Meritò quærit *Scaliger*, quî Scribæ veriti non ſint polluere Templum, cædem humanam patrantes ex ejus pterygio, quod diſtrictè vetatur 2. Reg. XI, 15. 2. Paral. XXIII, 14. Nec ſanè quidquam, quod ſatisfaciat, ei quæſtioni reſponderi queat; ſed deteriora etiam, in ſequentibus habentur. XI. *Converſus poſuit genua, dicens: oro te, Domine Deus pater, remitte illis, neque enim ſciunt quid faciant —— Cúmque hominem ſaxis obruerent, unus Sacerdotum filiorum Rechab, filii Rechabim, quibus Jeremias Propheta teſtimonium exhibuit, clamavit dicens: deſinite, quid facitis? Orat pro vobis Juſtus. Unus verò ex illis, qui fullonum è numero erat, adrepto ligno, quo veſtes exprimebat, id in caput Juſti impegit. Sic Martyrium paſſus eſt, ſepelierúntque eum ipſo in loco, & adhuc ſuperſtes eſt cippus ejus, ad Templum.* Obſervat *Scaliger filium Rechab* & *filium Rechabim* unum idémque eſſe; ſed *Valeſius* putat iis poſſe ſignari patrem hujus Sacerdotis, cui nomen Rechabo, fuiſſe ex illis Rechabitis, quorum meminit Jeremias;

VI. Dum Paulus Romæ eſſet, Evangeliúmque ſine metu prædicaret, Evangelica doctrina Prætorianis militibus, & multis aliis innotuit, ut ipſe docet Philip. I, 13. Quin & nonnullos è Cæſaris familia ad Chriſtum adduxit, ut liquet ex ſalutatione, quæ exſtat Phil. c. IV, 22. & ſine dubio multò pluribus Chriſtianam Religionem probavit. Videtur Nero, aut Præfectus Prætorio intellexiſſe, non tantùm è litteris Feſti, ſed etiam è re ipſa nihil à Paulo in Romanas Leges admiſſum; quod non poſſet ipſis Judæis accuſatoribus ejus exprobrari, qui non minùs Ethnicorum Religionem aſpernabantur; ac proinde cùm aliquamdiu Paulus cuſtodem militem habuiſſet, tandem abſolutus & cuſtodiâ illâ, quæ ei oneri erat, liberatus fuiſſe. Cùm ergo facilè intelligeret ſe brevi abſolutum iri, litteras dedit ad Philippenſes, ad Epheſios, ad Coloſſenſes & ad Philemonem, in quibus in Aſiam iturum ſe pollicetur, & ut hoſpitium ſibi paretur petit; quo tamen an uſus ſit, non ſatis conſtat. ANN. LXII.

VII. Paulus ita loquitur Ep. ad Philippenſes C. I, 25. ut liqueat non dubitaſſe eum, quin libertatem brevi recuperaret, cùm dicat ſe *fidentem ſcire, manſurum ſe & permanſurum cum iis omnibus*; hoc eſt, Chriſtianis; *ut proficerent, & propter fidem gauderent.* Ad quod accedit quod habet C. II, 24. ubi ait *ſe confidere in Domino etiam ipſum brevi* in Aſiam *venturum.* Ceterum Paulus I. ſalutat Cap. I, 1, 2. unà cum Timotheo, qui Italici itineris & commorationis in Urbe comes fuerat, *ſanctos in Chriſto Jeſu, qui erant Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis*; [5] unde colligunt viri docti regiminis formam ejus Eccleſiæ jam conſtitutam fuiſſe, cùm aliæ, communi operâ virorum cœleſtibus donis inſtructorum, gubernarentur. II. Singularem amicitiam, quâ eos proſequitur, aperit, laudésque & vota in eorum gratiam concepta admiſcet, verſu 3. & ſeqq. III. Poſtquàm *vincula ſua in toto Prætorio illuſtria* facta dixit, indéque & aliis nunciandi Evangelii fiduciam creviſſe, quod tamen pravâ æmulatione nonnulli prædicabant, ut dolorem optimo viro crearent; quam rem

mias; quia *Rechabi* poterant etiam vocari alii. Quod verum eſt, ſed Rechabitas *Scaliger* vult fuiſſe è Tribu Judæ, ex 1. Par. II, 55. qui tamen locus perſpicuus non eſt. At certè nullo, ne minimo quidem, indicio conſtat Rechabitas fuiſſe ex Aharonis proſapia; nec tot commentorum Scriptor ulla fide dignus eſt, in eo quod ſolus adfirmat. Sepulcrum in ipſo monte Templi Jacobo effoſſum & cippum additum fuiſſe, nemo certè crediderit; niſi qui neſciverit nihil apud Judæos cadaveribus humanis impurius habitum; aut putarit Zelotas Judæorum Chriſtianis amicos fuiſſe. Scio proferri locum *Joſephi* de morte Jacobi, ſed eum neque conſentire cum Scriptoris Judæi perſona, nec cum *Hegeſippo* oſtendimus Artis Criticæ P. 3. Sec. I. c. 15.

3 *Pentecoſtes* &c.] Sic *Jacobus Uſſerius*, qui rem refert ad an. LXIII. Scenopegiam vult fuiſſe, in Annalibus Paulinis, *Joan. Pearſonius*, rémque hoc anno contigiſſe.

4 *Hiſce circiter temporibus* &c.] Joſephus habet πρὸ τεσσάρων ἐτῶν τοῦ πολέμου, *quatuor annis ante bellum*, quod cœpit anno Æræ Chriſtianæ LXVI.

5 *Unde colligunt viri docti* &c.] *Henr. Dodwellus* de jure Laïcorum Sacerdotali C. III, 12. quem vide. Cùm *Epiſcopos* & *Diaconos* tantùm memoret *Paulus*, videntur tum fuiſſe Sacerdotes primi ordinis, & Diaconi, qui tertius ordo fuit. De qua re poſtea dicemus.

ANN. LXII. rem ægrè non ferebat, ſi modò Evangelium latiùs ſpargeretur. Ad ipſum verò quod adtinet, quidquid ſibi contigerat, ſalutare ſibi & aliis futurum confidebat; ſeu viveret ut Apoſtolatu, in honorem Chriſti, defungi pergeret, ſeu morte ſuâ plures Chriſto lucrifaceret. Quæ habentur verſ. 12. & ſeqq. IV. Quamquam mori, ut unà cum Chriſto eſſet, præoptabat, attamen ſe in utilitatem Chriſtianorum diutiùs vitam producere æquo animo adfirmat, Philippenſéſque ad conſtantiam hortatur verſ. 22. & ſeqq. V. Modeſtos eſſe oportere, contentiones fugere, commoda ſua ſpernere, & Deo parêre, nec ſibi ulla in re divinæ voluntati repugnante indulgere, exemplo Chriſti, docet. Cap. II, 1. & ſeqq. VI. Saluti operam dandam, non ſine timore, cùm à Deo omnia acceperimus & amittere poſſimus, niſi caveamus, ait, Timotheúmque & Epaphroditum laudat, verſ. 12. & ſeqq VII. Monet cavendum à Judæis, qui rituum Moſaïcorum obſervationem exigebant, cùm ſola Evangelicorum præceptorum obſervatio juſtos & acceptos Deo homines faciat, Cap. III, 1. & ſeqq. VIII. Contendit ad ſuperiora tendendum, hoc eſt, ad cœleſtia, non ad ea quæ hujus vitæ ſunt, ſéque exemplum proponit, verſ. 12. & ſeqq. IX. Denique ad omnis generis virtutes Philippenſes hortatur, gratiáſque eis agit, propter ſuppeditata neceſſaria, per Epaphroditum, & Philippenſes omnes Chriſtianos ſalutat, Cap. IV. ad finem

VIII. Postea ſcripſit Epiſtolam ad Epheſios, [6] quam viri quidam docti ſuſpicantur ad Laodicenos datam, ſed ſine ullo ſat firmo argumento. Volunt quidem, in hac Epiſtola, quædam eſſe, quæ Epheſiis non conveniant, ut cùm C. I, 15. Paulus ſe *audiſſe fidem* & *caritatem* Epheſiorum ait, quas ipſe per ſe norat, non ex auditu Sed nihil vetat quin Romæ audiverit Epheſios conſtanter eas virtutes coluiſſe, ex quo ipſe eos non viderat, eóque in hiſce verbis reſpexerit. Similiter & quæ habet Cap. III, 2. *ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis*, in Epheſios optimè quadrant, ſi ita intelligantur, ut *ſi*, Græcè εἴ γε, non ſit dubitantis, ſed adfirmantis, & ſignificet *quandoquidem*, ut Cap. IV, 21. & alibi. Ejuſdem Cap. III, 4. ait Paulus poſſe eos, ad quos ſcribit, *legentes intelligere prudentiam ejus in myſterio Chriſti*; quam non tam lectione eorum, quæ in hac Epiſtola anteceſſerunt, quàm ex præſentis ſermonibus intellexerant Epheſii. Sed nihil nos cogit eò confugere, nam reverâ poterat hoc intelligi, vel ex iis quæ ſuperioribus Capitibus leguntur. Alia argumenta, leviora multò & omnium Chriſtianorum conſenſui oppoſita, non adtingam. Quare an ad Epheſios ſcripta ſit hæc Epiſtola nihil eſt cur dubitemus.

IX. Agit in ea Paulus I. de conſilio Dei de vocandis Gentilibus ad cognitionem Veritatis, ut populus ejus fierent; in cujus conſilii exſe-

6 *Docti quidam viri* &c.] *Joan. Millius* in Prolegomenis ad N. T. cujus conjectura paucis, credo, probabitur.

7 *Alii Apoſtoli* &c.] Vide de his muneribus

ſequutione bonitatem & potentiam ſuam, nullis meritis provocatus, oſtenderat, proptereáque gratiarum actiones & fidum obſequium ab iis, jure ſuo, exſpectabat; quæ, nonnullis aliis admiſtis, continentur Cap. I, II & III. Inde colligit II. quandoquidem omnes ab uno Deo erant ad unam fidem vocati, ejúsque Miniſtros ſolos, [7] quorum alii erant Apoſtoli, alii Prophetæ, alii Evangeliſtæ, alii Paſtores & Doctores, eadem docentes audiverant; vitandas eſſe diſſentiones, fugiendáque omnia vitia eorum doctrinæ contraria. Quod eſt argumentum Capitis IV. & initii V. Quibus dictis, quæ ad omnes cujuſvis ſortis & loci Chriſtianos pertinent, III. conjugatorum inter ſe, parentum & liberorum, ſervorúmque & herorum officia mutua deſcribit, omnésque ad conſtantiam & preces hortatur; à Cap. V, 22. ad Epiſtolæ finem. Ex quibus colligere licet, Epheſi fuiſſe etiamnum Judæos, Chriſtianam Religionem amplexos, qui gentem ſuam Deo ceteris acceptiorem contendebant, atque Ethnicos aſpernabantnr; nam Ethnici, qui Chriſto nomen dederant, ejuſmodi admonitionibus vix indigebant, quæ ſunt ei doctrinæ contrariæ, niſi cum Judæis res iis fuiſſet. Fuiſſe etiam diſcordias de doctrina, déque aliis rebus, per eoſdem homines, oſtendunt ſequentes Pauli admonitiones; gens enim Judæa dogmata Judaïca vix ac ne vix quidem dediſcere poterat, & Chriſtianis miſcere, totis ingenii viribus connixa, conabatur. Eadem diſſidiis, etiam domeſticis, præter modum dedita erat; [8] quòd nec inter conjugatos caritas mutua eſſet, & in reliquam familiam eadem animi adfectio, ut fit, veluti deflueret. ANN. LXII.

X. Scripta ad Epheſios Epiſtolâ, non abſimilem Paulus ad vicinos Coloſſenſes, quos numquam adierat, ut docet Cap. II, 1. dedit, quâ eos moneret ut à pravis Judæorum Semi-Chriſtianorum dogmatibus ſibi diligenter caverent, ne ab Evangelio paullatim deficerent. I. Laudat Coloſſenſes, Deo gratias eorum causâ agit, & preces fundit ut novis beneficiis ab eo cumulentur, conſtantérque fidei Chriſtianæ adhæreant; Cap. I, 1. ad 13. II. Tum prolato Chriſti nomine, ſummam Domini dignitatem deſcribit, cùm omnium rerum, ante quas fuit; ſi Divinam ejus Naturam ſpectes, creator ſit, ac infinito intervallo Angelis omnibus præſtantior; & homines, morte ſuâ, à vitiis eorúmque pœnis liberarit, verſ. 14. & ſeqq. III. De prædicatione Evangelii, apud Gentiles, paucis agit, laboréſque, quos eorum & Laodicenorum causâ tulerat, commemorat; verſ. 24. & ſeqq. & C. II, 1. & ſeqq. IV. Hortatur Coloſſenſes ad conſtanter doctrinam Chriſtianam retinendam, extollítque auctorem ejus Chriſtum, & vult eos ſibi cavere *ne quis eos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum & elementa mundi*; quibus verbis deſcribere videtur neſcio quos Philo-

ribus dicta ad Ann. LVII, 8. Vide Prolegom. Sect. III. C. II, 21.

8 *Quod nec inter conjugatos caritas* &c.]

ANN. LXII. [9] Philoſophos Judæos, qui Judaïcis dogmatibus Philoſophorum Græcorum placita conjunxerant, qualis fuit *Philo* Alexandrinus & multi fortè alii. Certè quæ ſequuntur verſ. 16. & ſeqq. neque in meros Judæos, neque in Gentiles tantùm quadrant. Eſſenis, de quibus in Prolegomenis diximus, plura non malè conveniant. V. Reliqua Epiſtolæ ſunt adhortationes, præceptáque, qualia in Epiſt. ad Epheſios habentur, ac tandem ſalutationes. VI. Sed cùm jubeat Coloſſenſes, *cùm lecta fuiſſet apud eos Epiſtola, dare operam ut in Laodicenſium etiam Eccleſia legatur, atque eam, quæ Laodiceâ ventura erat, ipſos legere,* [10] videtur etiam Paulus ad Laodicenſes Epiſtolam ſcripſiſſe, quæ interciderit, & cujus jactura occaſionem ſupponendi Apoſtolo confictam Epiſtolam poſtea præbuit.

XI. Eodem tempore, brevem Epiſtolam dedit Paulus ad Philemonem Coloſſenſem, in gratiam Oneſimi, ſervi ejus fugitivi; qui, Romam cùm veniſſet, ad fidem Chriſto habendam ab Apoſtolo adductus eſt. Hunc in eumdem gratiæ locum recipi à Philemone cupit, pollicetúrque, ſi quid ei fugiens abſtuliſſet, ſe quidquid erat repenſurum, quod chirographo ſuo cavet. Parari ſibi à Coloſſenſibus hoſpitium petit, quippe, liberatione ſuâ Coloſſenſium precibus impetratâ, brevi ad eos rediturus. Salutat iterum eos, nomine aliquot eorum, qui cum eo Romæ erant. Ii fuere è Judæis quidem ad Chriſtum adductis Marcus, Barnabæ Conſobrinus, quem cupiebat à Coloſſenſibus excipi, ſi ad eos iret, & Jeſus cognomine Juſtus, quos ſolos (nimirum, è Judæis) ſibi auxilio, in prædicatione Evangelii, & ſolatio fuiſſe ait; unde intelligere eſt [11] Petrum, ad hoc uſque tempus, Romæ non fuiſſe. E Gentilibus aderant, præter Timotheum, cujus nomen Epiſtolis ad Philippenſes & Coloſſenſes eſt præſcriptum, Ariſtarchus Theſſalonicenſis, Epaphroditus Coloſſenſis, Lucas Medicus & Demas, à quo poſtea eſt deſertus.

C. Mem-

9 *Philoſophos Judæos* &c.] Judæis enim ſolis conveniunt verba Pauli, verſ. 16. & ſeqq. *Nemo vos judicet* (id eſt, damnet) *in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathorum:* hoc eſt, quòd ea comedatis & bibatis, quæ Judæi nolunt comedere & bibere; & quòd eorum dies feſtos, ut Neomenias, & Sabbatha, non obſervetis; unde intelligere eſt eos, qui Sabbathum obſervarunt, inter primævos Chriſtianos, ſponte ſuâ hoc feciſſe. Addit Apoſtolus: *quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti*; hoc eſt, quæ erant adumbratio, ſeu lineamenta quædam veræ Religionis, quam tradidit Chriſtus. Quæ ſolis Judæis conveniunt, & de quibus ac ſequentibus vide ad hanc Epiſt. *Hammondum*, & quæ nos ei addidimus.

10 *Videtur Paulus ad Laodicenſes* &c.] Adi dicta ad Coloſſ. IV, 16. ab *Hammondo*. Sic, ut ad annum LVI, 2. diximus, intercidit Epiſtola ab eodem Paulo ad Corinthios ſcripta.

11 *Petrum ad hoc uſque tempus* &c.] Petrus non fuerat Romæ antequàm Paulus eò perveniſſet; cùm Judæi, qui Romæ degebant, Religionem Chriſtianam videantur tunc temporis ignoraſſe, ut liquet ex ultimo Actorum Apoſt. Capite, nec credibile ſit, ſi Petrus Romæ antea fuiſſet, qui Apoſtolus erat circumciſionis, ignotam illic Judæis futuram fuiſſe. Petrus etiam,

per

C. Memmio Regulo, L. Verginio Rufo COSS. *Neronis Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti* LXIII.

I. Nonnulli ex iis, qui Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe putant, [1] exiſtimant eum militari cuſtodiâ liberatum, hoc anno, in aliam Italiæ oram feceſſiſſe, atque inde eam Epiſtolam ſcripſiſſe; dum Timotheum exſpectat, ut ait Epiſtolæ ſcriptor C. XIII, 23. Sed graves eſſe videntur aliter ſentiendi rationes, de quibus ad annum LXVIII. [2] Iidem putant hoc tempore Paulum in Hiſpaniam iviſſe, prout dudum conſtituerat, ut videre licet ex Rom. XV, 24, 28. poſtquàm Romam adiiſſet; atque eò ſpectare quæ habet *Clemens* Ep. 1. ad Corinth. c. V. ubi auctor eſt Apoſtolum, antequàm Martyrium pateretur, *ad terminum occidentis profectum*, quibus vocibus Hiſpaniam intelligunt; nec ſanè dubium eſt, quin eſſet ea Provincia, ad id cœli Clima, *terminus occidentis*, aut quin id Paulo conſilii fuiſſet, cùm Epiſtolam ad Romanos ſcriberet. Sed cùm Paulus non raró id ſe facturum ſperaverit, quod, Providentiâ Divinâ ad alia hominem avocante, facere non potuit, cúmque aliæ etiam provinciæ iis nominibus vocari queant, ut Britannia & Gallia; non uſque adeò liquet quid memoratis verbis voluerit *Clemens*. [3] Sunt Britanni eruditi, qui *terminum Occidentis* Heſperiam, hoc eſt Italiam interpretentur; ita ut *Clemens* intellexerit, hyperbolico loquendi genere, regionem ad occidentem ſpectantem, ſi cum Græcia & Aſia conferatur. Alii Hiſpaniam contendunt intelligi, exemplíſque ita Veteres loquutos oſtendunt. Alii denique Britanniam ſuam à Paulo Evangelicâ luce illuſtratam omnino volunt, nec rationibus deſtituuntur. Nos rem in medio relinquemus, quamvis in primam ſententiam propendere nos non diffiteamur; quòd *Sulpicius Severus*, vir eruditus & rerum Galliæ ſuæ peritus, [4] nos docuerit ſub M. Aurelio *primùm intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei Religione ſuſceptâ*; quod vix fieri potuiſſet, ſi in Hiſpania, aut Britannia nunciatum fuiſſet à Paulo Evangelium. [5] Non me fugit multa ex aliis contraria narrari, quibus Apoſtoli

per totum tempus, quo Paulus primùm Romæ commoratus eſt, in Urbem non venit; vix enim fieri potuiſſet, ut Paulus in tot Epiſtolis Româ ſcriptis nullam ejus mentionem faceret.

1 *Exiſtimant* &c.] *Joan. Pearſonius* in Annal. Paulinis, ad an. LXIII.

2 *Iidem putant*] Vide *Pearſonium* Diſſert. I. de ſucceſſione primorum Urbis Romæ Epiſcoporum Cap. VIII, 9. ubi exempla profert Scriptorum, qui Hiſpaniam, *extremum tractum, extremum noſtri orbis terminum, ultimum terrarum orbem* vocarunt, aliiſque ſimilibus circumloquutionibus deſignarunt.

3 *Sunt eruditi Britanni* &c.] *Joannes Fellus*, Epiſcopus Oxonienſis, in notis ad Ep. *Clementis*, minore formâ Oxonii editam. At τέρμα δύσεως Britanniam interpretatur *Eduardus Stillingfleetus* Originum Britannicarum, Anglicè ſcriptarum, Cap. I. Eum adito.

4 Hiſt. Sacræ Lib. II. c. 32.

5 *Non me fugit* &c.] Vide pro Gallia ſua pugnantem *Petrum de Marca*, in Epiſtola ad *Henr. Valeſium*, *Euſebii* Hiſt. Eccleſiaſticæ præfixa. Adde & quæ de duobus Dionyſiis ſcripſerunt *Jac. Sirmondus* & *Joan. Launoius*, qui etiam peculiarem Diſſertationem de loco *Sulpicii Severi* edidit. Hujus auctoritatem præferunt *Sirmondus* & *Launoius* aliis, quæ pro contrariis ſententiis

ANN. LXIV. poſtoli & viri Apoſtolici, iis in locis, Evangelium prædicaſſe dicuntur. Sed ſunt imperitorum, aut non ſatis fide dignorum commenta.

II. Hoc conſtat, Paulum liberatum in Cretam navigaſſe, cùm ipſe doceat Ep. ad Tit. I, 5. à ſe Titum in ea inſula relictum fuiſſe, ut Eccleſiis Presbyteros præficeret, qua de re poſtea. Eo tempore, Albinus omni rapinarum genere Judæam vexabat, nec tantùm, in civilibus cauſis, ſingulos apud ejus Tribunal litigantes bonis ſpoliabat, aut Gentem Judæam novis tributis exhauriebat; ſed etiam latrones ab oppidorum Magiſtratibus, aut ipſius deceſſoribus in vincula conjectos, cognatis pecuniâ acceptâ reddebat; nec quemquam in vinculis eſſe patiebatur, niſi eos, quibus nihil quod darent erat, quos ſola paupertas omnium nocentiſſimos faciebat. Itaque res novas cupientium Jeroſolimæ creſcebat audacia, quorum opulentiores donis ab Albino tumultuandi impunè facultatem emebant, minùs locupletes ſe ſe potentioribus adjungebant, domóſque hominum à factionibus alienorum diripiebant. Vide *Joſephum* de B. J. Lib. II. c. 24. in Græcis.

III. Jesus Gamalielis F. à Rege Agrippa Jeſu Damnæi F. in Pontificatu Max. eſt ſuffectus; unde inter eos ortâ rixâ, uterque cinctus audacium hominum globo in publicum procedebat, nec conviciis tantùm, ſed & lapidibus interdum certabant. Idem Ananus, homo prædives & liberalis; idem Saulus & Coſtobarus, ſanguine regio orti & Agrippæ cognati, factitabant; atque ab eo potiſſimùm tempore Judæorum Reſpublica, vitio magis Gentis, quàm externâ vi aut arte, labaſcere & in deteriora ruere cœpit, ſi *Joſepho* Hiſtorico, qui eo tempore florebat, credimus. Eum vide Jud. Ant. Lib. XX. c. 8.

IV. Viri docti [6] hoc anno ſcriptum Marci Evangelium, aut certè editum exiſtimant, ex teſtimonio *Irenæi*, Lib. III. c. 1. ubi ait *poſt Petri & Pauli exceſſum* (ex Urbe) *Marcum diſcipulum & interpretem Petri & ipſum quæ à Petro adnunciata fuerant, per ſcripta, tradidiſſe.* Quæ parum conſentanea ſunt vero, cùm ſatis oſtenderimus Petrum ad hæc tempora Romæ nondum fuiſſe. De Evangelio Marci diximus in Diſſert. de IV. Evangeliis. Tam ſerò ſcriptum fuiſſe vix crediderim, propter rationes eo in loco adlatas, ſed quo anno à Marco exaratum ſit nemo dixerit.

C. Lecanio Baſſo & M. Licinio Craſſo COSS. *Neronis Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti* LXIV.

I. Postquam aliquamdiu Paulus in Creta Evangelium nunciaſſet, nec diutiùs illic morari eum alia negotia paterentur, reliquit in inſula Titum, ut id, quod inceperat, abſolveret; qua de re poſtea ad eum Epiſto-

tentiis proferuntur, iiſque nos etiam adſentimur.

6 *Hoc anno ſcriptum* &c.] *Joannes Millius* in Prolegomenis ad N. T.

Epiſtolam dedit, de qua ad ſequentem annum dicturi ſumus. Qui putant à ANN.
Paulo ſcriptam Epiſtolam ad Hebræos, quæ nomen ejus præfert, iidem LXIV.
exiſtimant Apoſtolum, unà cum Timotheo, in Judæam navigaſſe, quod colligunt ex Cap. XIII, 23. ubi tamen Epiſtolæ Scriptor de eo quod facere inſtituerat, non de re quam reverâ fecerit, agit. Poſtea Paulus in Aſia fuit, quandoquidem 1. ad Timotheum C. I, 3. teſtatur ſe Timotheum Epheſi reliquiſſe, cùm in Macedoniam iret; quod nullo ex primis itineribus, quæ in Macedoniam ſuſcepit, factum fuerat. Sed priuſquàm in Macedoniam iret, Coloſſenſes, prout pollicitus erat, inviſiſſe putatur; quod ſanè credibile eſt.

II. Antequam Aſiâ excederet, accepit Alexandrum, Hymenæum & Philetum, qui antea Chriſto nomen dederant ab ejus doctrina defeciſſe, déque ea contumeliosè loqui, & contendere nullam eſſe exſpectandam reſurrectionem mortuorum, jam enim eſſe factam. Quare improbos & contumaces, mitiſſimæ alioqui vir indolis, tradidit Satanæ, ut contumeliosè de Evangelio loqui dediſcerent. Quæ teſtatur ipſe Paulus 1. Tim. I, 20. & 2. Tim. II, 17. An morbis à Cacodæmonibus iis, volente Deo, immiſſis ad pœnitentiam agendam adducti fuerint, an in impietate obduruerint nunc nobis non conſtat; nuſquam enim eorum meminit Paulus, niſi quòd 2. Tim. IV, 14. Alexandrum ſibi graviter adverſatum queratur, proptereáque Deo pœnas daturum prædicat.

III. Hoc anno, & fortè quidem Coloſſis, ſcripſit Paulus Epiſtolam ad Titum, qui etiamnum in Creta erat. In ſubſcriptione Epiſtolæ dicitur *Titus primus electus Epiſcopus Eccleſiæ* ejus Inſulæ; quod loquendi genus minùs eſt adcuratum. Cùm enim tot urbes eſſent in Inſula, pluréſque Eccleſiæ Chriſtianæ, quandoquidem oppidatim Titum jubet Paulus Presbyteros conſtituere, C. I, 5. non poterat unus totius Inſulæ eſſe Epiſcopus; ad quod accedit Titum non fuiſſe Epiſcopum, ſed Evangeliſtam, qui ſingulari nulli loco erat adfixus, ſed aut cum Apoſtolo Paulo, aut ſeorſim iter faciebat, ut Evangelium quàm latiſſimè ſpargeretur. Quamobrem in hac Epiſtola eum ad ſe vocat Paulus Nicopolin in Epirum, ubi hiematurus erat, Cap. III, 12. & cùm Apoſtolus poſteriorem ad Timotheum ſcriberet, in Dalmatiam, Evangelii prædicandi causâ, iverat, 2. Tim. C. IV, 10. Sed notum eſt Epiſtolarum ſubſcriptiones inferioris ætatis eſſe & à conjicientibus additas.

IV. In hac ad Titum Epiſtola, monet eum I. Paulus de dotibus quas in *Epiſcopo*, aut *Presbytero* (nam miſcebantur tunc temporis ea nomina) eſſe oportebat, & quæ cùm ad bonos mores pertinebant, tum in cognitione doctrinæ Apoſtolicæ, conſtantiáque in ea retinenda ſitæ erant, Cap. I, 1. & ſeqq. II. Doctores è Judæis, qui etiamnum cærimonias Legis Moſaïcæ obſervari volebant, eſſe arguendos & coërcendos, & quamvis ſpeciem Religionis præ ſe ferrent, ideò meliores non habendos, dum factis Religioni adverſarentur, Ib. verſ. 10. & ſeqq.

ANN. LXIV. III. Senibus, mulieribus provectæ ætatis & juvenibus, adoleſcentibus, ac ſervis officia eſſe in memoriam revocanda, quæ paucis recenſet, quæque omnia eò ſpectant, ut Temperantia, Juſtitia & Religio quàm ſtudioſiſſimè colerentur; quæ Capite II. continentur. IV. Parendum eſſe [1] Poteſtatibus, quæ ſocietati Civili præſunt, fugiendam maledicentiam, vitandas contentiones, manſuetudinem in omnibus adhibendam; quibus virtutibus antea carebant, quicumque erant ad Evangelii cognitionem vocati, ac proinde Deum, ut ſe vocaret, nullis meritis provocarant; Cap. III, 1. & ſeqq. V. Auctor eſt præſertim Tito verſ. 8, & 14. quo Epiſtolam claudit, ut doceat eos, qui Chriſto crediderant, nequaquam eſſe in otio vivendum, ſed unicuique artem aliquam eſſe oportere, quâ ſibi & ſuis de neceſſariis proſpiciat. Quæ omnia opponit vitiis Cretenſium, qui inhumani erant, mendaces & pigri, quod Epimenidis verſu iis olim exprobratum fuerat, cui Paulus adſtipulatur C. I, 12, 23. VI. Ad Titum autem ipſum quod adtinet, vult eum Paulus præſertim vitare *ſtultas quæſtiones & genealogias & contentiones & pugnas de Lege, quæ ſunt inutiles & vanæ*; verſ. 9. Quibus verbis videtur Apoſtolus deſignare initia quædam [2] Genealogiarum Cabbaliſticarum, aut commentorum quæ poſtea pluribus diduxit *Valentinus*. VII. Poſtea docet *hominem hæreticum, poſt unam & alteram correptionem, devitandum*; quo nomine non intelligit quemvis errantem, ſed eum qui, nuncio Chriſto & Apoſtolis remiſſo, novam ſectam conderet, quâ communionem omnem cum Religionis Chriſtianæ cultoribus abrumperet. Quales erant Judæi, atque alii qui à fide in Chriſtum defecerant, & novas ſectas formare conabantur.

V. Hoc anno, Ceſtius Gallus Præſes in Syriam, Geſſius Florus Procurator in Judæam miſſus, cui uxor Cleopatra, mulier improba, ſed Poppææ amica, id muneris à Nerone impetravit. Quod cùm audiviſſet Albinus, veluti Jeroſolimitanis gratificaturus, omnes capitis reos, qui in vinculis detinebantur, ſupplicio adfecit; reliquos levioribus de cauſis in carcerem conjectos, impoſitis mulctis, dimiſit; Judæámque, inani miſericordiæ ſpecie, latronibus implevit. Diſſidebant eodem tempore inter ſe Levitæ, quibus ſacrorum Hymnorum canendorum in Templo munus demandatum erat, & Sacerdotes, de lineæ tunicæ ferendæ jure; quod ſibi Levitæ à Rege Agrippa impetrarunt, qui etiam effecerunt ut aliis Levitis ſacros Hymnos diſcere & canere liceret. Unde intelligere licet nullam Judææ Gentis partem diſcordia caruiſſe, quæ tandem in furorem & rabiem erupit. Habet hæc *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 8. & 9. VI. Ut

1 *Poteſtatibus* &c.] Hæc reſpiciunt potiſſimùm Judæos, qui hiſce temporibus rebellionem in Romanos moliebantur; à quibus conſiliis alieniſſimos eſſe volebant Chriſtianos Apoſtoli, ne Religio Chriſtiana ullo modo, quaſi ſeditionibus favens, infamari poſſet, néve Romani in Chriſtianos, eo nomine, ſæviendi occaſionem adriperent; quod è ſequentibus etiam liquebit.

2 *Genealogiarum* &c.] Eas ſuppeditabunt qui de Judaïca Cabbala ſcripſerunt, ut *Theodoric. Hacſpanius*, aliique multi. De *Va-*

VI. Ut ab iis, quæ in Aſia fiebant, ad Europæ res tranſeamus, Nero Romam incendere adgreſſus eſt, & incendio inchoato a. d. XIV. Calendas Sextiles, magna ex parte abſumſit; cujus rei Hiſtoria habetur *Taciti*, Annal. Lib. XV. c. 38. & ſeqq. *Suetonii* in Nerone c. 38. & in *Xiphilino*, ex *Dione*. Tanti facinoris infamiâ cùm laboraret Nero, nec abolere rumorem poſſet; ſubdidit, ut ait *Tacitus*, reos & quæſitiſſimis ſuppliciis adfecit. Ii erant Chriſtiani, & primò quidem correpti, qui fatebantur ſe Chriſtianos eſſe, deinde indicio eorum multitudo ingens; qui, *Tacito* fatente, *haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti ſunt.* Quibus verbis, Chriſtianos abſolvit incendii, ſed damnat odii in reliquum humanum genus concepti; quòd eos non ſatis ſecerneret à Judæis, quibus alibi *adversùs omnes alios hoſtile odium* exprobrat; à qua animi adfectione, niſi Religioni ſuæ valedicant, alieniſſimos eſſe oportet Chriſtianos, & ſine dubio, eo tempore, erant. Quare ne probabilis quidem cauſa, cur occiderentur, excogitari potuit. At ut Nero indignari eis videretur, quòd Romam incendiſſent, *& pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi,* [3] *aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permiſtus plebi, vel circulo inſiſtens. Unde*, ut ſubjicit *Tacitus*, *adversùs ſontes & noviſſima exempla meritos miſeratio oriebatur, tamquam non utilitate publicâ, ſed in ſævitiam unius abſumerentur.* Quæ à viro gravi turpiſſimè dicuntur, quippe qui faſſus eſt Chriſtianos incendii reos non fuiſſe; nec humanum genus odio habuiſſe, ſine apertiſſima calumnia & eorum Religionis ſumma ignorantia, dicere potuit; cùm promiſcuus in omnes amor ſit Chriſtianiſmi veluti ſingularis teſſera, & ita à Chriſto exigatur, nulla ut odio quemquam habentibus veniæ ſpes relinquatur. ANN. LXIV.

VII. Suetonius etiam, in Nerone, c. XVI. teſtatur ab eo adflictos *ſuppliciis Chriſtianos, genus hominum*, ut loquitur, *ſuperſtitionis novæ & maleficæ:* quemadmodum etiam à *Tacito*, Ann. XV, 44. *exitiabilis ſuperſtitio* Chriſtiana Religio dicitur; unde intelligere eſt quàm iis ignota etiamnum fuerit, quamvis eorum temporibus latè jam ſparſa. Quod ideò mirum videri non debet, quia à Romanis nihil in pretio habebatur, præter Græcanicam Philoſophiam, quæ, cum Chriſtiana Religione collata, futiliſſima, ut oſtendimus in Prolegomenis Sect. II. fuit. Qui ineptias magni faciunt non poſſunt veram ſapientiam non ſpernere; ejuſdem enim eſt recta ſpernere, qui abſurda miratur.

VIII.

Valentini Genealogiis, ſuo loco agemus.

3 *Flammandi*] Videntur pice & aliis pinguibus corporibus, quæ facilè flammam concipiunt & alunt, obliti & tecti. Alioqui ſola corpora uſum nocturni luminis præſtare non potuiſſent. Res non ſatis ab Interpretibus *Taciti* animadverſa. Sed vide *Joſ. Scaligerum* de Emend. Temporum Lib. V. p. 471. Ed. Roverianæ, ubi pleniùs deſcribitur.

ANN. LXIV.

VIII. Si adtendamus narrationem *Taciti*, Chriſtianos antea non admodum ab Ethnicis vexatos intelligemus; ſanè *primam* hanc *perſequutionem* fuiſſe fatentur omnes Chriſtiani Scriptores; non quòd antea multis in locis vexati non fuiſſent, ſed auctoritate Principum nondum malè habiti fuerant. Impulſu Judæorum, qui Chriſtianos falsò ſeditionis, apud Præſidum Romanorum, ut antea vidimus, accuſabant tribunalia, Præſides interdum Chriſtianos vexarunt; quod & poſtea factum, *ut Polycarpi* Martyrio docemur. Sed edicta nulla Cæſarum in Chriſtianos proferebantur. *Conſulite*, ait *Tertullianus* Apol. c. V. ubi Ethnicos adloquitur, *commentarios veſtros*; *illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam*, *cùm maximè Romæ orientem*, *Cæſariano gladio*, *ferociſſe*. Ac ſanè Paulus, ut antea vidimus, quamvis palam Chriſtianam Religionem profiteretur, cuſtodiâ militis liberatus eſt, anno Neronis IX. & poſtea etiam, ut videbimus, causâ dictâ, apud Præfectum Prætorio, dimiſſus, anno ejuſdem Imperatoris XIII.

IX. Hinc colligere eſt nullum edictum à Nerone propoſitum fuiſſe, quo in Chriſtianos promiſcuè ſæviretur, aut Romæ, aut in Provinciis, quaſi in pravæ Religionis reos; neque enim Paulus, Romæ Præfecti Prætorio ſævitiam effugere potuiſſet. Quod confirmatur loco *Taciti* adlato, qui Chriſtianos, ut incendiarios, pœnas dediſſe oſtendit, non propter Religionem ipſam; quamvis hoc quoque nomine *noviſſima exempla meritos*, ex opinione vulgi dicat. Placare nimirùm voluit Nero Pop. Romanum ei, propter incendium Urbis meritò infenſum, atque in alios rei invidiam convertere; in quos, eò faventiore plebe, ſe poſſe ſævire exiſtimabat, quòd iis vulgus, Religionis causâ, iratum eſſe ſciret. Cùm verò Chriſtiani, per Imperii Romani provincias latè ſparſi, incendii Urbis accuſari omnes non poſſent, nihil incommodi propterea paſſi videntur. Certè, è loco *Taciti*, nihil de Provincialibus ſuſpicari queamus; [4] ut rectè à viro docto oſtenſum, quidquid alii contrà dicant. Antiquiores nihil de perſequutione per totum Imperium narrant, & *Euſebius* quidem Hiſt. Eccl. Lib. II. c. 25. præter *Tertulliani* adlata verba, nihil habet, nec edicti ullius meminit. [5] Si qui plura narrant, recentiores ſunt, iiſque temporibus vixere; quibus omnia quæ ad honorem Religionis facere videbantur augere, apud Chriſtianos, laudi fuit. Verùm nequaquam indiget Religio Chriſtiana figmentis, quâ eam dedecorant jam dudum imprudentes Chriſtiani.

X. Sed profertur inſcriptio, quæ in Luſitania exſtat, & quam habet *Gruterus* p. CCXXXVII, 9.

NERO-

4 *Ut rectè à viro docto oſtenſum*] Ab *Henr. Dodwello*, in Diſſert. de Paucitate Martyrum, quæ eſt inter Cyprianicas XI. Vide tamen quæ ei objecit *Theod. Ruinartus*, in Præfatione Actorum ſincerorum Martyrum, §. III.

5 *Si qui plura narrant* &c.] Ea vide apud *Th. Ruinartum*, Præfatione memoratâ.

6 *Qua-*

ANN. LXIV.

NERONI CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB. PROVINC. LATRONIB.
ET. HIS. QVI. NOVAM
GENERI HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

Quæ inſcriptio, ſi genuina eſſet, ſine dubio rem confectam daret; *Superſtitionis* enim *Generi Humano inculcatæ*, Neronis ævo, nomine, ſola Chriſtiana Religio, de qua ſic Ethnici loquebantur, intelligi poteſt. Sed notum eſt in Hiſpania multas eſſe ſuſpectas, aut etiam confictas inſcriptiones. [6] Quare *Joſ. Scaliger* de hac dubitabat; quæ ſanè facilè ab homine callido fingi potuit, ut inde poſtea colligeret Apoſtolos, & quidem Jacobum Zebedæi F. in Hiſpania Evangelium prædicaſſe; quod nemo credit, præter Hiſpanos. Si Paulus ante biennium, ut nonnulli putant, in Hiſpaniam iverat, non multam illic meſſem maturam invenerat, cùm exiguo tempore (ſi vel tantillo illic fuit) in Occidente ſit verſatus & eodem anno in Cretam inſulam, ab Hiſpania ſat remotam, navigarit, atque in ea nonnullo tempore Evangelium nunciarit, indéque ante hiemem profectus ſit. Quare non erat cur non multò pòſt Hiſpani Neroni *ob Provinciam his, qui novam Humano Generi ſuperſtitionem inculcabant, purgatam*, gratias haberent, aut agerent.

XI. Hoc anno [7] viri docti conjiciunt ſcriptum à Luca Evangelium fuiſſe, eique ſubjectam Apoſtolicorum Actorum Hiſtoriam. Nec ſanè Acta edita ſunt, ante annum LXII, quo elapſum eſt biennium, quo Paulus primùm Romæ commoratus eſt, ut ex ejus Hiſtoriæ fine liquet; ſed ad Evangelium quod adtinet, nihil vetat cur citiùs ſcriptum & editum non ſit. Lucas, per multos annos cum Apoſtolis verſatus & Pauli comes, ſatis habuit temporis, ut in dicta & facta Chriſti diligenter inquireret, ac neceſſariis inſtructus ſubſidiis Hiſtoriam Evangelicam citiùs multò conſcriberet. Quæcumque contrà adferri poſſunt, ex inferioris ævi ſcriptoribus depromta, fide digna non ſunt. Quod volunt ex collatione Evangelii Lucæ, cum Matthæi & Marci Evangeliis, liquere Lucam ab iis loca integra, verbáque & loquendi genera mutuatum eſſe; id verò minimè perſpicuum eſt, quidni enim credamus tria hæc Evangelia partim petita eſſe ex ſimilibus, aut iiſdem fontibus; hoc eſt, è commentariis eorum, qui varios Chriſti ſermones audiverant, aut actorum ejus teſtes fuerant, eáque, ne oblivioni mandarentur, illico ſcriptis

6 *Quare Joſ. Scaliger* &c.] Loco antea memorato, ubi, mentione ejus injectâ; *ſiquidem vera eſt*, inquit, *illa Inſcriptio; nam dubito.*

7 *Viri Docti*] *Joan. Millius* in Prolegom. N. T. qui in ſequentibus confutatur.

ANN. LXV.

ſcriptis mandarant; ſed quorum fortè nemo unus pleráque Chriſti dicta, aut facta ordine collegerat, ſed alius alia adtigerat; ita ut Matthæus, ex iis quæ viderat, vel ab aliis fide dignis acceperat, integram Chriſti Hiſtoriam confecerit; Marcus verò & Lucas ab Apoſtolis, aliiſque cùm ſcripta, tum memoriâ ſervata pariter collegerint, & eo ordine diſpoſuerint quo ad nos pervenerunt. Certè Lucas ab Evangelii initio ejuſmodi Scripta commemorat, quæ, [8] ſi bene verba ejus penſitentur, non aſpernatur quaſi falſa; ſed potiùs, quaſi non ſat plenam vitæ ac doctrinæ Chriſti hiſtoriam complexa, vix Chriſtianorum deſideriis ſatisfacere potuiſſe ſignificat. Verùm nec Lucas, nec Marcus Matthæi Evangelium legiſſe videntur; cùm nec ejus mentionem ullam faciant, nec repetituri fuiſſent quod ab eo occupatum ſciviſſent; aut ſi repetere voluiſſent, nihil, memoratu præſertim dignum, omiſſuri fuiſſent; quales ſunt eximii ac plane divini illi ſermones, quos Chriſtus in Monte habuit, & qui leguntur, apud Matthæum Cap. V. & ſeqq. de quibus nihil habet Marcus, & Lucas perpauca. Atqui tanti ſunt illi ſermones momenti, ut pauci alii eis conferri poſſe videantur. Iidem viri docti, de quibus antea diximus, ſuſpicantur falſa Evangelia, *ſecundùm Hebræos*, aut *ſecundùm Ægyptios*, occaſionem Marco & Lucæ præbuiſſe ſua ſcribendi; ſed cùm nullum ejus rei videamus veſtigium in noſtris Evangeliis, multò ſatius videtur credere ſanctiſſimos viros & divino ſpiritu adflatos per ſe ſatis intellexiſſe, antequàm ulla commenticia Evangelia emitterentur, tutum non eſſe res tantas ſoli infidæ hominum memoriæ, ne malam fidem & mentiendi libidinem memoremus, committere; quod pluribus in *Diſſert. de IV. Evangeliis* perſequuti ſumus.

A. Licinio Nerva Siliano, M. Veſtino Attico COSS. *Neronis Imp. XII. Æræ Vulgaris Chriſti* LXV.

PAULUS per hiemem moratus eſt Nicopoli, urbe Epiri, non in Macedonia, aut in Thracia; Titóque, ut diximus, ibi condixerat. Qui cùm veniſſet, credibile eſt ab utroque Evangelium per vicinas oras fuiſſe prædicatum, quamvis nihil in Epiſtolis ad Timotheum, hac de re, ſcribat; nec Hiſtoria Eccleſiaſtica, his temporibus mutila ac manca, quidquam ad poſteros prodiderit. Non enim is erat Paulus, qui talentum à Deo acceptum ſub terram defoderet, aut uſpiam ſine ullo fructu otiaretur. In Epiro fortè verſari tunc voluit, ut propior Italiæ eſſet, in quam redire ſtatuerat, quàm primùm illic vexari deſiiſſent Chriſtia-

8 *Si bene ejus verba penſitentur* &c.] Vide C. I, 1. & ad eum locum Interpretes.

1 *Genealogiis* &c.] Vide ad Ann. LXIV, 4.

2 *Potiùs coërcendis ſceleribus* &c.] Vide Cap. I, 9, 10.

3 *Preces palam fundi pro Cæſare* &c.] Qua in re planè aliter ſe geſſerunt, ac paullò poſt hæc tempora fecerunt Judæi, qui victimas, quæ pro Cæſare Jeroſolimæ mactabantur à tempore Auguſti, offerri vetuerunt, ut mox narrabimus. Quin & Chriſtiani ſe-

Chriſtiani. Sed conjecturis nimiùm indulgere non libet, nec in Hiſtoria etiam fas eſt. ANN. LXV.

II. Nicopoli ſcripſit priores ad Timotheum, quem Epheſi reliquerat, litteras; quibus multa eum monet, quæ ad vitam Chriſtianam, omnibus omnium temporum Chriſtianis ad normam Evangelicam inſtituendam, pertinent; tum alia quædam ſparſim habet, quæ ad eorum temporum & locorum homines ſpectant. I. Timotheum ergo ſalutatum rogat ante omnia, ut moneat quoſdam, qui recto pede in Aſia non incedebant, *ne aliter docerent* populum, quàm ipſi edocti fuerant ab Apoſtolis, *néve intenderent fabulis &* [1] *genealogiis interminatis, quæ quæſtiones magis præſtant, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* Quod fiebat à neſcio quibus Judæis, quibus ignorantiam Legis Moſaïcæ exprobrat; quam [2] potiùs coërcendis ſceleribus, quàm juſtorum causâ, ut ad pietatem neceſſariis omnibus cognitionibus inſtruerentur, poſitam docet; ne, ut videtur, myſteria neſcio quæ in ea quærerent & imperitis venditarent. Cap. I. ad verſ. 11. II. Gratias agit Deo, qui ſibi quæ in Evangelium peccaverat condonarit, & curam etiam ejus prædicandi mandarit; dein Timotheum hortatur, ut ſummâ fide munere Evangeliſtæ defungatur. Ib. ad finem. III. Timotheo in mandatis dat ut in Eccleſiis Chriſtianis curet [3] preces palam fundi pro Cæſare, Poteſtatibúſque minoribus, ut ſub eorum præſidio tranquillam & quietam vitam agere Chriſtianis liceat; quæ monitio eò magis neceſſaria erat, quòd Judæi in dies plura in Imperium Romanum molirentur. C. II, 4. Quâ occaſione Deum unum, Mediatorémque unum omnium eſſe docet; qui velint omnes cognitionis Veritatis participes fieri & veniam delictorum poſſe conſequi. Ib. 5, 6, 7. V. Oſtendit quî viros & mulieres orare deceat, & quî ſe mulieres ornare oporteat; quibus docere publico in loco non licet. Ib. à verſu 8. ad finem. VI. Timotheum monet quales eſſe eos par ſit, qui Epiſcopi, aut Diaconi munera exercent, & quales etiam Diaconiſſæ eſſe debeant. Quæ Cap. III. continentur. VII. Ait ab hominibus Prophetiæ dono inſtructis ſine ambiguitate ulla, prædici *poſteris temporibus quoſdam diſceſſuros à fide, adtendentes Spiritus erroris & doctrinas Dæmoniorum, in hypocriſi loquentes mendacium, cauteriatam habentes conſcientiam, prohibentes nubere*, & jubentes *abſtinere à cibis, quos Deus creavit, ut caperentur cum gratiarum actione.* Quæ Pharisæis partim, partim Eſſenis, aut pravis doctoribus, ex iis dogmata mutua ſumturis, ad amuſſim conveniunt; ut ex iis, quæ in hujuſce noſtræ Hiſtoriæ Prolegomenis de utriſque diximus, intelligere eſt. Cap. IV, 1.

ſequentium ſæculorum, quamvis ſæpiùs malè habiti à Cæſaribus idem conſtanter factitarunt. *Oramus*, inquit *Tertullianus* Apol. c. XXX. *pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Vide & Cap. XXXIX. & ad Scapulam. C. II. cui *adjunge Origenem* contra Celſum Lib. VIII. ſub finem.

ANN. LXV. IV, 1. ad veſ. 6. VIII. Addit & monita ad Timotheum ipſum præſertim pertinentia; ad finem uſque Capitis. IX. Eum docet quî ſe gerere debeat, erga omnis ætatis homines, quæ ſint officia Viduarum, qui honores Presbyteris debiti, quæ ſint accuſationes in eos admittendæ, quî caſtigandi, & alia nonnulla. Quæ habentur Cap. V. X. Monet [4] ſervos Chriſtianos de officiis præſtandis heris, ſive infideles illi ſint, ſive fideles, veheménterque caſtigat eos qui aliter docerent, pietatémque quæſtui haberent; quales fuere multi, ex quo major cœpit eſſe Chriſtianorum numerus. Timotheum denique ad fidem intemeratam ſervandam & divites ad humilitatem hortatur. Quibus claudit Caput VI. Cùm eximiæ ſint omnes Epiſtolæ Pauli, & omnia omnium Chriſtianorum officia complectantur; hæ litteræ & quæ ad Titum datæ ſunt officia præſertim eorum, qui Eccleſiæ præſunt, continent; quæ diligenter tradi Eccleſiarum creſcentium & augeſcentis proinde Paſtorum numeri ſummopere intererat. Jam poterat à pravis Doctoribus pietas ſimpliciorum, ſpecie religionis improbum animum occultante, deludi, non ſine lucro impoſtorum; qui ſequentibus temporibus, plures & deteriores fuere; niſi fortè vaticiniis Pauli, aliorúmque à Spiritu Sancto adflatorum fidem detrahamus, frequentéſque ejus, hiſce de rebus, admonitiones inanes eſſe exiſtimemus. Jam multitudo Chriſtianorum non veræ tantùm doctrinæ ſtudioſis, prudentibúſque & piis viris conſtabat. Multi non tam veritatis, quàm novarum inſtitutionum cupidi, creduli, imperiti, imprudentes, aut non ſatis caſtigatis moribus homines in Eccleſias ſenſim irrepebant. Quibus rebus factum eſt ut ſequens ætas, aliæque deinceps in errores, & pravos mores præcipites iverint. Quare cavendum ne ullam Veri & morum normam admittamus, præter eam quæ ab Apoſtolis tradita eſt, ad quam ſolam omnia Chriſtianorum dicta & facta exigenda ſunt; nedum ut eam ex auctoritate ſequiorum ætatum mutemus, aut recta putemus exempla, quæ ab ea diſſident, cujuſcumque ſint antiquitatis.

III. Dum ita ſpargeretur Evangelium, & Chriſtianorum numerus augeretur, Reſpublica Judæorum labaſcebat in dies & ad exitium vergebat. Cujus etiam ſigna, qualia à Chriſto Matth. XXIV. prædicta fuerant, ſunt à *Joſepho* ſcriptis mandata; cui vix fortè fides haberetur, abſque iis prædictionibus eſſet. Per feſtum Azymorum, a. d. VIII. Aprilis, horâ nonâ nocturnâ; circa altare & Templum, tanta lux emicuit, dies ut eſſe videretur, oſtentúmque per dimidiam horam duravit. Eodem feſto, vacca fœta, cùm ad Altare duceretur, ut mactaretur,

4 *Servos Chriſtianos.*] Vide hac de re dicta Prolegom. Sect. III. c.

1 *Euſeb. H. E. Lib. II.* 25.

2 *Ambos Corinthum veniſſe* &c.] Sic habent verba Dionyſii: καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν· ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν: *etenim ambo in noſtra Corintho plantata* (Eccleſiâ) *ſimiliter nos docuerunt. Similiter autem & in Italia, cùm audacter docuiſſent, circa idem tempus, martyrium paſſi ſunt.*

taretur, agnum peperit. Orientalis etiam porta interioris Templi, ANN. LXVI.
ænea & graviſſima, ut vix viginti viri, quando veſperi claudenda erat, eam molirentur, ſeris ferreis, peſſuliſque in ſaxeum limen demiſſis clauſa, horâ noctis ſextâ, vi inconſpicuâ, ſine opera humana, ſubitò patefacta eſt. Re Præfecto Templi nunciatâ, ægrè ab hominibus eò miſſis claudi potuit. Die Maii XXI. currus & phalanges armatæ per aërem cucurrerunt, atque urbes cingere viſæ ſunt. Feſto Pentecoſtes, cùm Sacerdotes, ſacrorum miniſteriorum causâ, interius Templum ingreſſi eſſent, primùm quidem motum quemdam, ſtrepitúmque ſenſerunt, dein vocem audiverunt dicentem: MIGREMUS HINC, quaſi Angeli Templum relinquerent. Quibus omnibus, licèt in meliorem partem quædam nonnulli interpretarentur, ſummopere prudentiores territi ſunt, Templóque extrema præſagiri intellexerunt; ſi *Joſepho* credimus, qui hæc habet Bel. Jud. Lib. VII. c. 31. in Græcis.

IV. REX Agrippa Pontificatum Max. Jeſu, Gamalielis F. ablatum tranſtulit in Matthiam, Theophili F. quo Pontifice, bellum cœpit, ut idem prodidit Ant. Jud. Lib. XX. c. 8. Interim Geſſius Florus tam crudeliter ſe erga Judæos gerebat, ut jam Albinum, quaſi in gentem ſuam beneficum, deſiderarent. Clam enim & diſſimulanter eos Albinus vexaverat, ſed Florus maleficia veluti oſtentabat, nec ad ſummam iniquitatem, in rapinis, & ſuppliciis, reliqui quidquam ſibi faciebat. Immiſericors & lucri præter modum cupidus undecumque rapiebat & prædæ, à latronibus è Provincia confectæ, particeps erat. Itaque multi miſeri Judæi, patriam fugere & ad Barbaros exſulatum ire maluerunt; quàm ejuſmodi poteſtati diutiùs obnoxii eſſe. Quæ pluribus habet *Joſephus*, Ant. Jud. Lib. XX. c. 9. & Bel. Jud. Lib. II. c. 23.

C. Lucio Teleſino, C. Suetonio Paulino COSS. Neronis Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti LXVI.

I. PAULUS, poſt exactam Nicopoli hiemem, Corinthum ſe contulit, cùm Eraſtum ſe illic reliquiſſe ipſe teſtetur, 2. Tim. IV, 20. quod non poteſt intelligi de tempore, quo Paulus primùm in vinculis fuit; nihil enim adtinebat Timotheum, ea de re, moneri, cùm Timotheus ipſe Romæ fuiſſet. Dum Corinthi etiamnum eſſet Paulus, eò venit & Petrus, ſi credimus *Dionyſio*, Corinthiorum Epiſcopo, qui poſt medium ſæculum ſecundum floruit. [1] Is in Epiſtola ad Romanos, cùm Petri & Pauli meminiſſet, ait [2] ambos Corinthum veniſſe, plantatámque

ſunt. Sic vertenda ſunt ex mente *Joannis Pearſonii*, quem vide de ſucceſſione primo- Romæ Epiſcoporum Diſſert. I. c. VIII. & confer cum *Valeſio*, qui locum hunc emendare conatur. Hoc unum dubium eſſe queat an ὁμόσε hîc ſignificare poſſit audacter, conjunctim cum verbo διδάσκειν, nam cum verbis ἰέναι, χωρεῖν, ἔρχεσθαι frequenter hoc ſignificat.

ANN. LXVI. támque ea in Urbe Eccleſiam ſimiliter docuiſſe, & pariter in Italiam profectos audacter Romanos inſtituiſſe, ac martyrium eſſe paſſos. Quod tamen martyrium ad alterum, poſt hunc annum, itérque in Italiam ad proximè ſequentem differendum.

II. Liquet Paulum è Græcia in Aſiam iviſſe, cùm 2. Tim. IV, 13. teſtetur ſe Troade, apud Carpum, cujus alibi non meminit, pænulam, libros & membranas reliquiſſe, quæ ad ſe à Timotheo adferri, cùm in Italiam venturus eſſet, cupiebat. Miletum etiam ivit, cùm Trophimum ægrum illic à ſe relictum memoret, ibidem C. IV, 20. Quod referri nequit ad prius iter, quo Mileto tranſiit, cùm Trophimus eum ſit Jeroſolimam uſque comitatus, ut teſtatur Lucas, Act. XXI, 29. Dum autem Paulus in Aſia eſſet, ubi commoratus ſit Petrus, quódve iter fecerit, nobis non conſtat. Fortè in Græcia aliquamdiu vixit, nam ſeriùs in Italiam profectus eſt. Hoc unum conſtat, ante hæc tempora, Petrum Corinthum non veniſſe, nec in Italiam profectum.

III. Cum omni injuriarum genere Judæi à Geſſio Floro vexarentur, nemo tamen eorum ad Ceſtium Gallum, dum in Syria fuit, mittere auſus eſt, qui miſerias gentis quereretur & Florum apud eum accuſaret. Sed cùm, inſtante Azymorum feſto, hoc anno, Jeroſolimam veniſſet; circumſtitit hominem, ſi *Joſepho* fides habenda eſt, multitudo trecentarum myriadum orantium, ut ſui miſereretur, & calamitatum ſuarum auctorem Florum fuiſſe clamitantium; qui præſens erat, & miſerorum voces ridebat. Norat à Nerone Judæam gentem ſperni, quæ tamen, non ſine periculoſo bello, domari potuit. At Ceſtius Judæorum vires cognoſcere cupiens, ut de iis ad Cæſarem perſcriberet, oravit Sacerdotes ut, ſi quo modo fieri poſſet, numerum multitudinis inirent; qui retulerunt ſe, die Paſchatis, ab hora nona uſque ad undecimam, mactaſſe victimarum paſchalium ducenta quinquaginta millia & quingentas; ad quas ſingulas comedendas minimùm deni, & ſæpe viceni adcumberent, & quidem mundi omnes; nam qui immunditiâ laborabant, eâ cœnâ excludebantur. Unde quantus eſſet Judæorum numerus intelligere licebat, ſi modò verum victimarum numerum ediderant Sacerdotes; à quibus auctum credibile eſt, ut gentem ſuam à Romanis minimè ſpernendam eſſe oſtenderent. Vide *Joſephum*, B. J. Lib. VII. c. 41.

IV. Igitur Ceſtius Gallus Jeroſolimæ multitudinem ut placaret, pollicitus poſthac Florum majorem in adminiſtranda Provincia moderationem adhibiturum, in Syriam rediit. Cæſaream uſque proſequutus eum eſt Florus, ut animum ejus mendaciis à Judæis alieniorem redderet, & ab eo tempore omnia molitus eſt, ut Judæos ad rebellandum adigeret. Probè enim norat, ſi quieſcerent Judæi, fore ut eos accuſatores haberet apud Cæſarem; ſi verò ad arma concurriſſent, ut Romanorum jugum excuterent, omnia ſua delicta, majoribus Judæorum flagitiis, occultatum iri. Itaque diligentem operam dabat, ut eos, quod

mini-

minimè difficile erat, magis ac magis exacerbaret. Contigit & eodem tempore Cæſareenſes Ethnicos à Nerone Judæis præferri, in jure poſſeſſionis Cæſareæ; qua de re litteras in Judæam adtulerunt, quibus ita incenſi ſunt Judæi, cùm ſuâ ſponte, tum diuturnis injuriis Procuratorum Cæſaris ad rerum novarum ſtudium nimiùm quàm propenſi, ut apertè rebellare cœperint. Atque hinc initium Belli Judaïci deduxit *Joſephus*, quod refert ad annum XII. Neronis; qui annus etiamnum labebatur Menſe Artemiſio, ſeu Maio, quo rebellio cœpit, menſe, demum Octobri finem habiturus. Hæc *Joſephus*, B. J. Lib. II. c. 24. & 25. ANN. LXVI.

V. Cæsareenses Ethnici, ut Judæis moleſtiam crearent, tabernas ædificare adgreſſi ſunt, quibus via, quâ Judæi in Synagogam ibant, coarctaretur. Inde natæ inter eos rixæ, quas Florus minimè coërcuit, cùm tamen, captis à Judæis talentis octo, pollicitus eſſet ſe tabernas diruturum; ſed Cæſareâ furori utrorumque permiſſâ, Sebaſten ſe contulit, unde majora Cæſareenſium diſſidia facta. Quin & ſe adpellantes Judæos & de talentis à ſe datis monentes in vincula, quaſi ſeditioſos, conjecit; Jeroſolimámque cum copiis iturus, ex ærario ſacro ſeptemdecim talenta, in uſum Cæſaris, poſtulavit; unde nati clamores populi ei conviciantis, cùm linguæ intemperantiam gravi calamitate ſe luiturum ignoraret, aut cum quo ſibi res eſſet non reputaret. Mox tamen, accedente Gallo cum equitibus, ac peditibus, effuſa eſt portis urbis multitudo, ut eum leniret, fauſtis adclamationibus advenientem exceptura. Sed à præmiſſis equitibus, convicia in abſentem jacta exprobrantibus, ſubmota eſt, & domum trepida redire coacta. Regiam ingreſſus in ea pernoctavit, & ſequente luce in platea, quæ ante Regiam erat, ſublime Tribunal exſtrui juſſit; ad quod cùm Sacerdotes, Procerésque Jeroſolimitani ſe ſtitiſſent, juſſit ſibi dedi è veſtigio omnes, qui conviciati fuerant, niſi Primores ipſi flagitii pœnas dare vellent. Tum verò rei veniam petere Sacerdotes aliique, qui aderant, miſericordiámque Procuratoris Cæſaris implorare. At ille tantùm adfuit, ut deliniretur; ut forum, quod ſuperius dicebatur, à militibus extemplò expilari, & obvios quoſque obtruncari juſſerit. Deteriora milites fecere, quàm quæ erant imperata; cùm enim in ædes ipſas irrupiſſent, multos trucidarunt, adduxerúntque ad Florum modicarum fortunarum homines, quos flagris cæſos in crucem ſuſtulit; quâ contumeliâ, ſævitiáque ne in eos quidem qui, licèt Judæis orti, civitatem Romanam, Equeſtrémque dignitatem adepti fuerant, abſtinuit. Atque eo quidem die, tria millia & ſexcenti homines ſunt occiſi, inter quos fuere mulieres & puerulì; quibus ne infirmitas quidem aut ſexûs, aut ætatis, ut miſericordiâ milites tangerent, profuit. Erat eo tempore Jeroſolimæ Berenice Agrippæ Regis ſoror, quæ ſævitiam Flori flectere conata eſt, ſed fruſtra; quamvis ipſa ſe, pedibus nudis, Tribunali ejus ſtitiſſet; nam Agrippa quidem Alexandrum, Ægypto à Nerone præfectum, Alexan-

 driam

ANN. LXVI. driam profectus inviſerat. Hæc autem geſta ſunt a. d. XVI. Maii, narrantúrque à *Joſepho*, B. J. Lib. II. c. 25 & 26. Sic cœperunt impleri quæ prædixerat Chriſtus Jeroſolimitidibus, quæ ſupplicium ejus lacrimis proſequebantur, non eſſe cur ipſius causâ flerent; adfore enim mox tempus, quo ſuas & ſuorum calamitates lugere neceſſe haberent.

VI. Postridie in forum ſuperius concurſus ingens multitudinis factus eſt, quæ occiſorum ſortem miſerans Floro acriter conviciari cœpit; ſed Procerum enixis precibus, ne nova cædes fieret timentium, placata eſt. Quamobrem indoluit Florus, qui lanienæ & belli occaſiones omnes captabat, monuitque Primores gentis, pacatos ſe plebis animos eſſe intellecturum, ſi inermis obviam procederet duabus cohortibus, quæ Cæſareâ Jeroſolimam veniebant, advenientéſque ſalutaret. Quod dum illi ægrè à plebe irata impetrarent, Florus mandata ad cohortes miſit, ne plebi Jeroſolimitanæ eas ſalutaturæ quidquam reſponderent. Egreſſi ergo Judæi, cùm à ſalutatis militibus Romanis ſalus non redderetur, ad ſolita convicia eruperunt; quibus auditis, cohortes in eos impetum fecerunt, fuſtibúſque fugientes inſequutæ ceciderunt. Fugientium multi ab equitibus conculcati & plures etiam ad urbis portas, dum omnes ſimul ingredi feſtinant, ſuffocati ſunt, & aliorum pedibus protriti. Inſtabant à tergo milites, dum Florus eductos ſuos è Regia conjungere cum venientibus, Judæis ſubmotis, conabatur; quod tamen efficere non potuit, acriter reſiſtente Jeroſolimitanâ plebe, non tantùm in viis, ſed etiam è tectis, unde lapides in Romanos ſpargebat. Cùm verò in Regiam regreſſus eſſet, Judæi veriti ne per Antoniam turrim, in qua erat præſidium Romanum, in Templum irrumperet, porticus à Templo ad Antoniam continentes interciderunt & viam obſepſerunt. Quâ re intellectâ, cùm deſperaret ſacrum ærarium à ſe diripi poſſe, urbe egreſſus eſt, cum militibus; nec aliud præſidium Jeroſolimæ, præter cohortem in turri Antonia, reliquit. Quæ omnia habet *Joſephus*, Lib. II. c. 26, & 27. Ad hæc uſque tempora *duraſſe patientiam Judæis* teſtatur *Tacitus*, Hiſt. Lib. V. c. 10. ſed *ſub* Geſſio Floro *bellum ortum*.

VII. Cum verò homo improbus, apud Ceſtium, Judæos rebellionis accuſaret, qui viciſſim culpam omnem tumultûs & cædem factam in Florum transferebant; conſultum duxit Jeroſolimam mittere, ex amicorum numero, Politianum Tribunum, rem inſpecturum. Is omnia pacata invenit, querelisque Judæorum auditis, omnes ad pacem eſt hortatus & ad Ceſtium, in Syriam reverſus eſt. Simul in urbem redierat Agrippa, ubi convocatum populum in Xyſtum ad pacem, potentiæ Romanæ egregiâ deſcriptione, hortatus eſt; ſed exacerbatos animos ad mitiora conſilia traducere non potuit. Quod narrat *Joſephus*, Lib. II. c. 28 & 29.

VIII. Cum tamen oſtendiſſet non Florum ſolùm, ſed etiam Cæſarem offenſum iri, ſi nulla penderentur Tributa, effecit ut quadraginta talenta,

talenta, quæ etiamnum debebantur, colligerentur. Sed non potuit plebi perſuadere, ut Floro parêret, donec ei ſucceſſor mitteretur; conviciiſque exceptus & lapidibus à nonnullis impetitus urbe excedere coactus eſt, unde in regnum receſſit. Per idem tempus, ſicarii, duce Manahemo, Judæ Galilæi, qui nefas eſſe Hebræis Romano Imperio parere docuerat, F. Meſſadæ caſtellum invaſerunt & Herodis armamentarium, quod illic erat, diripuerunt; occiſis Romanis militibus, qui in præſidio erant. Inter hæc Jeroſolimæ, Eleazarus, Ananiæ Pont. F. præfectus Templo, auctor fuit Sacerdotibus, ne ullas victimas mactandas admitterent, niſi Judæorum, eáſque, quæ nomine Cæſaris & Pop. Romani offerebantur, repudiarent. Quod cùm prudentiores improbarent, veriti ne defectionis initium haberetur, nec tamen, apud cives, eâ auctoritate valerent, ut ne quid ea in re novaretur impedirent; legatos ad Regem Agrippam & ad Florum mittunt, orántque ut, ad ſe miſſis quàm celerrimè copiis, ſeditionem primùm erumpentem opprimant. Florus, qui bello initium fieri gaudebat, nullas miſit; ſed Agrippa, cui ſalus gentis cordi erat, juſſit illico proficiſci mille equites, qui cum Sacerdotibus & optimatibus, ceteriſque civibus quietis amantibus, ſuperiorem urbem occuparunt & tenuerunt; invitis ſeditioſis, qui Templum ac inferiorem urbem invaſerant. Sed eo tempore, quo ligna in uſum Templi inferri ſolebant, ſicariorum magnus numerus in Templum admiſſus ſuperiorem urbem, cum plebe, adgreſſi Haſmonæorum Regiam, in qua ſolebat habitare Agrippa, Tabularium publicum, & Ananiæ Pont. domum incenderunt, coëgerúntque adverſarios in ſuperiorem Regiam, quæ Herodis fuerat, concedere. Poſtridie, qui fuit XV. Auguſti Antoniam, per biduum oppugnatam, capiunt, interfectiſque omnibus Romanis militibus incendunt; nec multò pòſt occupatâ etiam Regiâ, quam dixi, & occiſo Ananiâ Pont. Max. cum fratre Ezekia, qui eò confugerant, Manahemus tyrannidem invadit; ſed mox ab Eleazaro, Templo præfecto, in ipſo fano Deum adorans interficitur. Quo cadente, ſicarii, qui ei favebant, Meſſadam profugerunt. Supererant Romani aliquot, qui captâ Regiâ ſe ſe in Turres, quæ Hippica, Phaſaël & Mariamne vocabantur, receperant; quibus vim intulerunt Jeroſolimitæ ſeditioſi, & deditos, ipſo die Sabbathi, contra fidem datam, omnes interfecerunt. Quæ copioſiùs à *Joſepho*, Lib. II. c. 30, 31, & 32. exponuntur.

ANN. LXVI.

IX. Eodem die, nec ſine Providentia Divina, ut idem Hiſtoricus putabat, Cæſareenſes Ethnici Judæos, qui apud ſe erant, occiderunt; ita ut, uno tempore, pluſquàm viginti millia hominum caderent, nec ullus ampliùs Cæſareæ Judæus ſupereſſet. Hac lanienâ efferati Judæi Syrorum vicinorum vicos & urbes ferro & igne vaſtarunt, quo furore direptæ ſunt Philadelphia, Geraſa, Pella, Scythopolis, Gadara, Hippos, Ptolemaïs, Sebaſte, Aſcalon, Anthedon & Gaza. Viciſſim multarum urbium, in quibus ſuperiores erant Syri, incolæ Ju-

ANN. LXVI. dæi ſunt promiſcuè occiſi; partim ex vetere odio, partim propter recentes injurias, quibus Judæi Syros laceſſiverant, partim denique ſpe prædæ. Soli Antiocheni, Apameni & Sidonii Judæis inquilinis pepercerunt. Alexandriæ etiam, ortâ ſeditione, quinquaginta millia Judæorum, in quos duæ Legiones Romanæ ſunt immiſſæ, occiſa ſunt. Quæ *Joſephus* multis narrat Belli Judaïci Lib. II. c. 33, 34, 35 & 36. apud quem legentur, neque enim ſingulis immorari poſſumus.

X. INTER hæc Ceſtius, homo ceteroquin iners, nec ullius conſilii, ſibi diutiùs quieſcendum eſſe non putavit. Itaque contracto exercitu, in quo erant duodecima Legio integra, bina hominum millia ex aliis ſelecta, peditum aliorum ſex cohortes, & quatuor alæ equitum, præter auxilia Regum Agrippæ & Antiochi, cum iis copiis Ptolemaïdem contendit; ſumtáque exercitûs parte, Zabulonem urbem Galilææ, divitiis adfluentem, oppugnatum ivit, quam ab incolis deſertam incendit; tractúque vicino omni cladis genere vaſtato, Ptolemaïdem rediit. Inde parte exercitûs Joppen miſſâ, urbem imparatam facilè oppreſſit, atque ad internecionem deletis incolis, diripuit & incendit. Cæſennius Gallus in Galilæam miſſus & Sepphori receptus Galilæam ad breve tempus pacavit. Eo reverſo ad Ceſtium, Antipatridem exercitus progreſſus eſt, tum Lyddam, quam viris vacuam, quòd Jeroſolimam ad Tabernaculorum feſtum profecti eſſent, offendit; pauculíſque, qui remanſerant, occiſis incendit, & caſtra in loco, qui L ſtadiis Jeroſolimâ aberat, poſuit. Quo in loco occurrerunt Jeroſolimitanorum copiæ, quæ audaciſſimè invadentes exercitum Romanum, initio cædem nonnullam fecerunt, ſed poſtea repulſæ ſunt; & quamvis edita collium, anguſtiáſque viarum occupaſſent, Romanus exercitus ad locum, qui Scopus dicebatur, ſeptémque ſtadiis Jeroſolimâ diſtabat, progreſſus caſtra poſuit. Ibi per triduum quievit Ceſtius, dum ſperat Jeroſolomitas territos de deditione acturos. Sed cùm fruſtrà exſpectaſſet, die quarto, qui fuit Octobris XXX. exercitum in urbem intromiſit; cujus magnâ parte occupatâ, mœnibus eſt potitus, ſeditioſis in munitiora quædam loca & Templum compulſis. Si vim illico adhibuiſſet, ut *Joſephus* quidem judicabat, omnia invadere, finémque adeò bello imponere potuiſſet. Sed Turannius Priſcus, Caſtrorum præfectus, & plerique Equitum ductores, pecuniâ corrupti à Floro, qui gentem cupiebat diuturniore bello implicari, eique majus à Romanis odium conciliari, Ceſtio auctores fuerunt ne rem adgrederetur. Erant inter primarios cives qui, invitis rebellibus, Romanos erant admiſſuri; ſed, iis contemtis, & Ceſtii cunctatione, factum eſt ut, conſilio eorum patefacto, ejecti à ſeditioſis fuerint. Poſtea etiam Ceſtius cùm munitiones, quibus ſe tuebantur, per ſex dies oppugnaſſet, videretúrque in Templum brevi irrupturus, ſubitò, nullâ clade acceptâ, dum ſibi obſeſſi ſummopere timerent, milites ab oppugnatione revocavit, & mox urbe egreſſus eſt, caſtráque ad Scopum, ubi antea conſederat, poſuit. Poſtridie illinc

profectus

profectus noviſſimum agmen Judæis inſequentibus carpendum & cædendum expoſuit, nec uſquam, niſi Gabaunte, conſtitit; unde iterum, noctu eductis copiis, Antipatridem uſque à Judæis malè mulctatus eſt, & impedimentis, armis, machiníſque quas advexerat, nec ſat tutò avehere poterat, ſpoliatus. Ceciderunt, in ea fuga, è Romanis auxiliaribúſque quinque millia & trecenti pedites, equites nongenti & octoginta; è Judæis verò perpauci ſunt deſiderati. Contigerunt hæc a. d. VIII. Novembris, *duodecimo*, ut ait *Joſephus*, *anno Neronis*. Sed jam *decimus tertius* à d. XIII. ſuperioris Octobris inchoatus fuerat. Ad hunc tamen annum Æræ Vulgaris referri res poteſt, quòd maxima pars anni XII. Neronis à Calendis Januariis fluxerit. Hæc pluribus legi poterunt, apud eumdem Hiſtoricum Lib. II. c. 37. & tribus ſeqq. ANN. LXVI.

XI. HAC victoriâ elati Judæi, de totius belli adminiſtratione deliberatione habitâ, Joſephum, Gorionis Filium, & Ananum Pont. Max. Jeroſolimæ præfecerunt, bellique alios duces in varias Toparchias miſerunt; inter quos *Joſephus*, Matthathiæ F. cui hujus belli hiſtoriam debemus, Galilææ eſt præfectus; qui non eſt cum Joſepho Gorionide miſcendus, ut [2] à nonnullis factum eſt. In ea regenda, majorem initio moleſtiam ei æmuli crearunt, quàm hoſtes, donec à Romanis caperetur. Rem ita ipſe narravit, ut omnem culpam à ſe in adverſarios transferat; cui ut malæ fidei notam inurere non poſſumus, cùm perierit *Juſti* Tiberiadenſis Hiſtoria, quæ ſola ei opponi poſſet: ſic nec per omnia credere neceſſe habemus. Eum in ſequentibus adeant Lectores.

XII. INTERIM Nero ex Italia Achaïam profectus erat, ut in Muſicis Græciæ ludis certaret; ubi ad ingruentem uſque hiemem moratus eſt, ut ex *Dione* habet *Xiphilinus*. Illic eum convenerunt Coſtobarus, Saulus, aliique nobiles Judæi, à Ceſtio miſſi, ut Judææ ſtatum ei nunciarent, ſimúlque belli cauſam, non Ceſtium, ſed Florum fuiſſe docerent; quem *Joſephus*, in vita ſua, cum majoribus copiis Judæos oppugnaturus rediiſſet, occiſum fuiſſe ait, quod in Libris de Bello Judaïco non ſatis prudenter omiſit; cùm nihil magis ad eam Hiſtoriam pertineret, quàm mors ejus, qui Judæos ad arma capienda ſævitiâ ſuâ adegerat. Non multò pòſt Ceſtius Gallus *fato aut tædio occidit*, ut loquitur *Tacitus* Hiſt. Lib. V. c. 10. Nero eâ morte auditâ, P. Licinium Mucianum Syriæ, T. Flavium Veſpaſianum Judææ præfecit; qui, ut ait idem Hiſtoricus, *vicinis Provinciarum adminiſtrationibus, invidiâ diſcordes, exitu demum Neronis, poſitis odiis, in medium conſuluere.*

XIII. HOC tempore, videtur *plebs Eccleſiæ Jeroſolimitanæ*, ut narrat *Euſebius* Lib. III. c. 5. H. E. [3] *ex oraculo quodam probatis illic viris, per revelationem edito, ante bellum, migraſſe in urbem Peræa, quæ Pella dicebatur*; ubi quietè, dum Judæa vaſtaretur, & bello tota arderet, vixere.

2 A Pſeudo-Gorionide Hebræo.

3 *Ex oraculo quodam* &c.] Verba *Euſebii* ſunt: κατά τινα χρησμὸν τοῖς αὐτόθι δοκίμοις δι' ἀποκαλύψεως δοθέντα πρὸ τοῦ πολέμου. Verùm Chriſtus, ea de re, Chriſtianos abundè præmonuerat.

ANN. LXVII. vixere. Sed Chriſtus ipſe Matth. XXIV, 15. & ſeqq. ſatis apertè Chriſtianos monuerat, *cùm vidiſſent in loco ſancto abominationem deſolationis*, hoc eſt, exercitum Romanum Jeroſolimæ, è Judæa ſine mora aufugiendum eſſe.

L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo COSS. Neronis Imp. XIV. Æræ Chriſti Vulgaris LXVII.

I. Paulus, biennio, à perſequutione Chriſtianorum in Urbe, exacto, Romam venit; ubi cùm notior eſſet ab eo tempore, quo per biennium in vinculis illic fuerat, videtur in carcerem conjectus, ut factorum ſuorum rationem redderet; nam neque ipſe in altera ad Timotheum Epiſtola, neque alius quiſquam è Veteribus qui ad nos pervenerit, qua de re accuſaretur, litterarum monumentis prodidit. Suſpicari tamen non abſurdè poſſumus, ob Evangelii prædicationem, in jus vocatum fuiſſe ex 2. Tim. IV, 17. Ibidem I, 17. ſe *ſollicitè quæſitum*, ab Oneſiphoro, ait, & tandem inventum, unde [1] viri docti collegerunt tunc temporis in carcere delituiſſe Paulum; ac ſanè ſe ipſe inſtar malefici vinctum memorat Cap. II, 8. Videtur magna Chriſtianorum pars, qui Romæ agebant, cùm primùm verſaretur illic Paulus, aut in perſequutione periiſſe, aut, ob Neronis ſævitiam, in alia loca confugiſſe. Alioquin ab iis reſcire facilè potuiſſet Oneſiphorus, quid Paulo factum fuiſſet. Ad tribunal deinde Cæſaris, (nam Nero ſub finem antecedentis anni in Italiam redierat) aut Helii Prætorio Præfecti vocatus cauſam ſuam egit, in qua ab omnibus ſe deſertum [2] queritur 2. ad Tim. IV, 16. Deúmque orat ne de puſillanimis Chriſtianis pœnas repetat. At ei, ut ipſe docet, adfuit Deus, & animos addidit, ut Evangelium ad extremum conſtanter profiteretur & nunciaret, omnéſque Gentes ad cognitionem ejus vocaret. Dictâ causâ, *liberatus eſt*, ut loquitur, *ex ore leonis*; quibus verbis, Neronémne, an Helium intelligat, non ſatis conſtat. Hinc tamen colligere poſſe videmur, quod antea adtigimus,

1 *Unde viri docti collegerunt.*] Vide *Joan. Pearſonium*, ad hunc annum.

2 *Se deſertum queritur.*] *In prima mea Apologia*, vel *defenſione*, *nemo*, inquit, *mihi adfuit ſed omnes deſeruerunt. Ne iis imputetur! Primam* defenſionem dicit, quia, die fortè dumtaxat prolatâ, alteram cauſæ dictionem fore prævidebat.

3 *Hoc ſæculum futuro præferente*] Δημᾶς γὰρ με ἐγκατέλιπεν ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, hoc eſt, rebus ad vitam præſentem pertinentibus poſthabuit ſpem vitæ æternæ, quæ *futurum ſæculum*, μέλλων αἰὼν dicitur. Vide dicta in Addit. Hammondianis 2. Tim. IV, 10.

4 *In Galatiam*] Regionem, nempe, Aſiæ. At *Petrus de Marca*, in Epiſtola ad *Henr. Valeſium*, Galliam interpretatur. Fatetur tamen variam fuiſſe loci hujus Paulini lectionem; cùm *Chryſoſtomus* & *Theodoretus*, apud Græcos, Vulgatus Interpres & Ambroſiaſter, apud Latinos, legerint *Galatiam*, non *Galliam*. *Sed vetuſtioris*, inquit, *& verioris lectionis vindicem habemus* Epiphanium, *qui conſtanter ſcribit in Hæreſi LI*, 11. *eos errare qui, hoc loco Pauli*, Galatiam *legunt*, *cùm ſcribendum doceat* Galliam. *Eodem modo ceteris antiquior* Euſebius *legit*, *in codice Pauli*, Galliam, *quemadmodum* Epiphanius, *ſi rectè verba ejus* ex-

mus, nullum fuiſſe Edictum Neronis in eos, qui Religionem Chriſtianam profiterentur, nec propterea violatorum Numinum, quæ ab Ethnicis colebantur, ex Edicto Cæſaris, accuſatum fuiſſe Paulum; neque enim differri ejus damnatio potuiſſet, qui Edicto Neronis non paruiſſet, & etiamnum ſe Chriſtianum profiteretur. Fortaſſe (nihil enim in re tam obſcura adfirmare licet) accuſatus eſt Paulus aut incendii, quo magna pars Urbis deflagrarat, aut ſeditionis. Poſteriore criminatione, iis temporibus, Judæi non infrequenter Chriſtianos adoriebantur; priore Neronis amici abuſi, ante biennium, fuerant. Cùm autem facilè Paulus oſtendere potuerit, ſe incendiarium non fuiſſe, cùm Româ, quo tempore incenſa fuerat, procul abeſſet, cúmque Chriſtiana doctrina ab ejuſmodi ſcelere prorſus abhorreret; quam abnegaſſe cenſendus erat, ſi quid ſimile deſignaſſet; ejuſmodi crimine abſolvi omnino debuit, ſi ei objectum fuerit. Non difficiliùs objectionem ſeditionis, cùm eadem doctrinâ, tum moribus ſuis, confutare potuit. Nihil ergo erat cur timeret ipſe, aut ejus causâ Chriſtiani, ſi res ei cum æquis judicibus fuiſſet; ſed apud Neronem, aut Præfectum Prætorio, non multò meliorem, omnia erant timenda. Quare nullus Diſcipulorum ei adeſſe, pro more, ſuſtinuit, quamvis meridianâ luce clarior eſſet ejus innocentia; quæ ſola, Deo juvante, eum eripuit. ANN. LXVII.

II. In verbis antecedentibus 2. Tim. IV, 14. & 15. ait Paulus *Alexandrum ærarium mala multa in ſe deſignaſſe*, *Deúmque ei pro factis redditurum*, & jubet Timotheum *ſibi ab eo cavere*, *valde enim verbis ſuis reſtitiſſe*; unde intelligere licet hominem improbum, antea à Paulo Satanæ traditum, ad meliorem mentem propterea non rediiſſe. Quamobrem à Chriſtianis hominem vitari vult. Sed an Romæ Paulo adverſatus ſit, non ſatis liquet. Eodem loco, queritur Paulus ſe relictum à Dema, [3] hoc ſæculum futuro præferente, eúmque Theſſalonicam abiiſſe; tum addit Creſcentem iviſſe [4] in Galatiam, Titum in Dalmatiam, ſine dubio Evangelii causâ & ipſo conſentiente, Tychicum à ſe Epheſum miſſum, & [5] ſolum Lucam apud ſe ſupereſſe.

III. Vi-

expendantur & vera apud illum lectio retineatur, *ex* Rufino *& omnibus Codd. MSS.* At *Valeſius* in Adnotationibus ad *Euſebii* Lib. III. c. 4. cenſet veriorem lectionem eſſe *Galatiam*, ut & *Petavius* ad *Epiphanium*, ubi tamen perperam ſic legi apud *Euſebium* ait. Verùm quamvis *Galatiam* legamus, ait *Marca*, cum *Theodoreto*, intelligi *Galliam*. *Adeò certa erat*, inquit, *apud Veteres*, *Creſcentis in Gallia prædicatio. In quo cum veteribus* Uſuardi *&* Adonis *Martyrologiis conveniunt*, *qui poſt fidem à Creſcente in Galliis promulgatam*, *meminere reditûs illius in Galatiam Aſiaticam.* Sed obſervat *Petavius* Vetus Martyrologium *Galatiæ* dumtaxat meminiſſe, & *certè*, inquit, *dubitari poteſt utrum non modò Creſcens*, *ſed vel alius quiſquam*, *per illa tempora*, *Galliis Evangelii lucem importarit.* Atque ita ſenſerunt doctiſſimi quique, in Gallia, viri.

4 *Solum Lucam apud ſe ſupereſſe.*] 1. Tim. IV, 11. Utinam verò Lucas horum quoque temporum Hiſtoriam perſcripſiſſet! Fortè curam Poſteritatis nullam eſſe contigit, quòd brevi Mundo ipſi finem impoſitum iri, eo ævo, crederent; ac proinde operæ pretium non eſſe Apoſtolicam Hiſtoriam in exiguum tempus ſcribere.

ANN. LXVII.

III. Videtur, auditâ primùm Pauli cauſâ, judicium, quòd non liquere ſibi Judex putaret, prolatum. Certè Paulus hanc defenſionem ſuam, de qua diximus, *primam* vocat; unde credibile fit aliam cauſæ dictionem ab eo exſpectatam etiam tum fuiſſe. Dum autem in ea exſpectatione eſſet, ſcripſit alteram ad Timotheum Epiſtolam; qui, priorum ejus vinculorum tempore, Romæ adfuerat, ſed cùm iterum in ea conjectus eſſet, in Aſia Epheſi commorabatur. Dicitur, in Epiſtolæ ſubſcriptione, *primus Epheſi Epiſcopus*; ſed ſat notum eſt Timotheum, non unius loci Epiſcopum, ſed Evangeliſtam fuiſſe, nuſquam certam ſedem habentem, ſed ubique Evangelium, prout ſe dabat occaſio, nunciantem. Quare eum ad ſe, ante hiemem, ut veniat Paulus rogat C. IV, 11. unà cum Marco.

IV. Ultima hæc fuit Pauli Epiſtola, cui non inſcio vitæ finis imminebat, cùm Cap. IV, 6. *ſe jam delibari, & reſolutionis ſuæ tempus inſtare* dicat. I. Incipit à laudibus Timothei adhortationibúsque, quibus eum ad conſtantiam in prædicatione, & profeſſione Evangelii firmat, queritúrque deſertum ſe ab Aſiaticis, inter quos Phygellus & Hermogenes erant; ſed Oneſiphorum ſummopere laudat, à quo ſe multis beneficiis adfectum gratus memorat; omniáque à Deo, ipſi & familiæ, ſecunda optat. Quæ Cap. I. habentur. II. Pergit hortari Timotheum, ut ſinceram Evangelii doctrinam tradat, propoſitis ei à Deo præmiis; vetat contentioſum eſſe, aut profanas doctrinas, ac inanes loquendi rationes ſectari, jubétque modeſtè eos, qui adverſarentur Veritati, corripere, ſi fortè ad pœnitentiam adduci quirent. Quod eſt Cap. II. argumentum. III. Monet Timotheum, ut & in priore Epiſtola, de improbitate hominum, qui poſtea exorituri eſſent. *Erunt*, inquit, *homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine adfectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita, ex his enim ſunt, qui penetrant domos & captivas abducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes & numquam ad ſcientiam veri-*

5 *Viri docti poſteriorem* &c.] *Joannes Millius* in Prolegomenis ad N. T. quem vide.

6 *Fuerunt olim, qui dubitarint* &c.] *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 3. ait Petri Epiſtolam unam, quæ prior dicitur, ſine controverſia admitti, Veterésque ea, quaſi indubitata, in Scriptis ſuis uſos; τὴν δὲ, inquit, φερομένην αὐτοῦ δευτέραν οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν, *ſecundam verò ejus quæ circumfertur Libris Novi Fœderis non contineri accepimus.* Quod in ſequentibus repetit. Subjicit verò adlatis verbis: ὅμως δὲ πολλοῖς χρήσιμος φανεῖσα, μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν: *attamen cùm multis utilis videretur, cum aliis Scripturis ſtudioſe lecta eſt.* Si tamen non eſſet Petri, utilis nemini paullò prudentiori videri poſſet, cùm Scriptor, pluribus in locis, ut bene *Millio* obſervatum, ſe pro Petro manifeſtò venditet; noxia enim eo ipſo eſſet, quòd impoſtori tribui deberet, cùm peſſimum ſit exemplum aliena perſona, pro ſua, uti, nec cuiquam ignoſci debeat. Quod miror *Grotio*, qui eam Petro abjudicat, intereáque

veritatis pervenientes. Horum hominum mores pœnas Deo daturos addit, Timotheúmque ad conſtantiam in Veritate accendit. Hæc habentur C. III. Ex quibus liquet, his verbis, non Ethnicos, nec ſolos ſectarum novarum conditores, nec remotis temporibus futuros ab Apoſtolo deſcribi; ſed pravos Chriſtianos, qui occultiùs peccaturi & pietatis ſpecie vitia ſua tecturi, quique mox in Eccleſiis Chriſtianis exorituri erant. IV. Denique Timotheo auctor eſt ut conſtanter ejuſmodi hominibus, expoſitione veræ doctrinæ Chriſtianæ, adverſetur, quidquid periculi propterea adeundum ſit; tum ad ſe & ad alios privatos pertinentia addit, monétque Timotheum ut ante hiemem ad ſe veniat; unde colligere licet hæc æſtate hujus anni ſcripta fuiſſe. Quæ continentur C. IV.

ANN. LXVII.

V. Sub ejuſdem anni finem, probabilibus rationibus adducti [5] viri docti poſteriorem Petri Epiſtolam ſcriptam exiſtimant. [6] Fuerunt olim, qui dubitarint an hæc Epiſtola à Petro ſcripta ſit, ſed cùm nihil Apoſtolo indignum habeat, in numerum Sacrorum Novi Teſtamenti librorum admiſſa eſt. Scripta eſt non multò ante mortem Petri, ut liquet ex C. I, 14. ubi *celerem* fore ait *depoſitionem tabernaculi ſui*, hoc eſt, corporis. Data creditur ad eoſdem, ad quos prior fuerat, ſeu ad Judæos Chriſtianam Religionem, per Aſiam minorem, amplexos. I. Chriſtianos hortatur ad omnis generis virtutes colendas, conſtantérque fidem quam acceperant retinendam; cùm non niteretur commenticiis fabulis, ſed [7] teſtimonio Apoſtolorum, qui gloriam Chriſti viderant, vocémque è cœlo miſſam audiverant, quâ ei parere jubebantur, & Prophetarum prædictionibus. Quod eſt Cap. I. argumentum. II. Prædicit exorituros falſos Prophetas, eóſque pœnas Deo daturos, quemadmodum ceteros malos. Quos homines iis verbis deſcribit, ex quibus intelligimus, ut illo ævo Apoſtoli omnium eximiarum virtutum doctores & exempla fuerunt: ſic & fuiſſe alios vitiorum fœdiſſimorum magiſtros, & ſervos, qui ſanctiſſimis viris vehementiſſimè adverſarentur; ut mirari non debeamus, poſtremis hiſce ſæculis, in tanta ignorantia & morum depravatione, ſimilia contigiſſe, & quotidie fieri. *In vobis*, inquit, *erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui redemit eos, Dominum negabunt, ſuperducentes ſibi celerem perditionem; & multi ſequen-*

que Scriptorem laudat, in mentem non veniſſe. *Joſ. Scaliger* & *Cl. Salmaſius* eam quoque repudiarunt, *Euſebium* & *Hieronymum* ſequuti. At cùm antiquiſſima ſit, nec temporibus Apoſtolicis inferior, nec ulla in ea doctrina, niſi verè Apoſtolica, tradatur, omnino Petri eſſe judicarim; quòd Impoſtores aliis fœtus ſuos, niſi pravo conſilio, & ut dogmata recentiora ſtabiliant, ſubjicere non ſoleant. *Hieronymus* quidem ſtylum à priore diſſentire ait; quod etſi concedetur, nihil tamen vetat quin ſit Petri, qui argumentum ejus cuipiam ſuppeditarit, quod ille ſtylo ſuo expreſſerit, eámque lectam & probatam nomine ſuo Apoſtolus mitti juſſerit; cùm præſertim Petrus, hiſce temporibus, provectæ admodum ætatis fuerit.

7 *Teſtimonio Apoſtolorum* &c.] Cap. I, 16, 17. *Non enim doctas fabulas ſequuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu-Chriſti virtutem & præſentiam; ſed ſpeculatores facti ejus magnitudinis* &c. Quæ verba tantùm à Petro verè ſcribi potuere.

ANN. LXVII. *ſequentur eorum luxurias*, [8] *per quos via veritatis blaſphemabitur; & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Tum de iis, quaſi jam exortis, ſic loqui pergit, in ſequentibus: *poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationémque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes. Velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in his, quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt; percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ, deliciis adfluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum, oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti, pellicientes animos inſtabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt, ſequuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit* &c. quæ Cap. II. legi poterunt. III. Cùm nonnulli Domini adventum dudum prænunciatum animadverterent ab Apoſtolis, nec tamen impleri prædictionem viderent, ſed omnia eodem modo, quo ab initio rerum, habere; cœperant dictitare nullum futurum. Eos confutat Cap. III. Apoſtolus, rerúmque omnium finem deſcribit; quem miſericordiâ tantùm Dei, hominum pœnitentiam exſpectantis, differri, & quem verè brevi futurum dixerant Apoſtoli; ſed brevitatem temporis, apud Deum, cui mille anni inſtar unius diei eſſent, aliter quàm apud homines brevis ævi, & moræ impatientes, æſtimari docet. IV. Quare caſtigatè ſemper vivendum Chriſtianis eſſe meritò colligit, & Domini *longanimitatem ſalutem arbitrari, ſicut & Paulus* (Ep. ad Rom. C. II, 4.) *ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſerat; ſicut & in omnibus Epiſtolis loquens, in eis, de his in quibus erant quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravabant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Quibus addit Apoſtolus monitum, quo Chriſtianos, quibus improbos doctores brevi erupturos prædixerat, adverſùs eorum fraudes confirmat. Denique voto, in gratiam fidelium, Doxologiáque definit.

IV. Ut ad res Judæorum veniamus, Veſpaſianus, acceptis à Nerone mandatis, Titum Filium Alexandriam miſit; ut quintam & decimam legiones, quæ in Ægypto erant, in Judæam adduceret. Ipſe verò pedeſtri itinere ex Achaia ad Helleſpontum ſe contulit, unde in Syriam pervenit, ubi copias Romanas & auxilia Regum quàm celerrimè potuit contraxit; dum Judæi Aſcalonem, ubi erat cohors Romana, & equitum ala, quibus præerat Antonius, fruſtra adgredi conati, magnâ clade acceptâ, repellerentur. Mox Veſpaſianus Ptolemaïdem venit, quò Sepphoritæ, ſe ſuámque urbem Romanis dedentes, iverunt & præſidium à Veſpaſiano acceperunt, quo poſſent Galilæorum incurſiones coërceri. Nec Sepphoris, urbs maxima Galilææ & in loco tutiſſimo condita, exiguo

8 *Per quos via veritatis blaſphemabitur.*] Cap. II, 2. ubi Græcè δι' ὃς *propter quos*, nam propter Pſeudo-Chriſtianos calumniis veri & eo nomine digni, impetebantur, Nicolaïtas intelligit *Joan. Millius.* Sed nihil vetat alios etiam intelligi, de quibus egi-

exiguo auxilio ei in bello gerendo fuit. Maturè etiam Titus Alexandriâ Ægyptiacas legiones Ptolemaïdem adduxit; quibus cum ceteris conjunctis, confectus eſt exercitus LXM virorum, peditum, equitúmque. Veſpaſianus, antequàm Jeroſolimam adgrederetur, hoſtile nihil à tergo relinquendum ratus, Galilæam recuperare ante omnia ſtatuit, eámque ingreſſus Gadara, urbem ad occaſum Jordanis, defenſoribus vacua, primo impetu invaſit, Gadarenſes omnes, nullâ ætatis aut ſexûs ratione habitâ, ut Ceſtii cladem ulciſceretur, occidit. Inde a. d. XXI. Maii Jotapatam, cui præerat *Joſephus*, qui hujus belli Hiſtoriam ſcripſit, obſidione cinxit, & poſt XL dierum oppugnationem cepit, ipſúmque Joſephum in ſpelunca deprehenſum & vitâ donatum in vincula conjecit, in quibus tamen benignè eum habuit. Quæ omnia copioſiſſimè narrat *Joſephus*, B. J. Lib. III. primis Capitibus XXVII. ANN. LXVII.

V. Jotapata excisâ, Veſpaſianus a. d. IV. Julii Ptolemaïdem rediit, indéque Cæſaream, ad ejuſdem maris oram, progreſſus duas illic legiones reliquit, unam Scythopolin miſit, ut ſe ab obſidionis labore reficerent. Cum ceteris copiis, Cæſaream alteram, ad Jordanis fontes, quæ Philippi vocabatur, ivit; ubi, per viginti dies, cum toto exercitu, à Rege Agrippa lautè eſt exceptus. Quibus exactis, omnia comparavit ad Tiberiadis & Tarichæarum obſidionem. Sed Tiberias, invitis ſeditioſis, ſponte ſe dedidit, atque Agrippæ precibus exſcidio erepta eſt. Tarichææ, quæ obſidionem exſpectarunt, vi captæ atque exciſæ ſunt. Hiſce geſtis, pacata eſt Galilæa & omnia Romano jugo ſubjecta; præter Itabyrium montem, Gamalam in Gaulanitide, & Giſcalam. Sed mox mons quoque Itabyrius ſubactus, Gamala poſt menſis unius obſidionem, a. d. XXIII. Octobris capta & everſa eſt. Titus Giſcalam obſedit, quæ à Joanne Giſcalenſi cum ſeditioſis, tenebatur. Oblata eis, ſi ſe dederent, incolumitas; quam accipere velle viſus Joannes, nocte ſequente, cum ſuis aufugit, Jeroſolimámque ſe recepit. Titus, patefactis à populo, qui à Joanne diſſentiebat, portis, urbe potitus eſt, cui præſidium impoſuit. Hæc qui pluribus narrantem *Joſephum* legere cupient, adeant Lib. III. B. J. c. 28. ad finem & IX. priora Capita Lib. IV.

VI. Titus inde Cæſaream diſceſſit, quò etiam Veſpaſianus, Jamniâ & Azoto in poteſtatem redactis, rediit. Interim ſummæ erant per totam Judæam diſſenſiones, dum alii bellum cum Romanis gerendum, alii prudentiores, Judæarum copiarum debilitatem, omniúmque rerum apud ſe, cùm nemo ſumma cum auctoritate Reipublicæ præeſſet, confuſionem videntes & potentiam Romanam rectiùs æſtimantes, in fide remanendum cenſerent. Omnia per Judæam à prædonibus agebantur, ac

egimus ad ann. LXXVI. *&* *ſeqq.* Non ſemel *Celſus* ejuſmodi homines cum veris Chriſtianis confudit, & poſterioribus eorum deliria & flagitia adtribuit. Vide *Origenis* Lib. VI. p. 294. Ed. Oxon.

ANN. LXVII. ac ferebantur, qui ſpoliis onuſti ſe Jeroſolimam recipiebant; ubi ſeditioſi, veriti ne proceres, aliter ſentientes, Romanos in urbem intromitterent, Antipam, nobiliſſimóſque & ditiſſimos cives, in vincula conjecerunt &, indictâ causâ, quaſi proditores, necarunt. Dein cùm facinoroſos homines timor inceſſiſſet, ne plebs à Proceribus concitata arma caperet, ſéque ab eorum tyrannide vindicaret, Templum occuparunt; quo, arcis inſtar, ad coërcendam plebem, utebantur; ubi & Pontificem Maximum Phanniam, aut Phanazum quemdam, hominem ab Aharonis proſapia non quidem alienum, ſed obſcurum & juris divini ac pontificii prorſus imperitum, ſorte crearunt.

VII. Cum hæc ægrè ferret populus, ſponte ſuâ concitatum accenderunt nobiliſſimi cives & probatiſſimi quique Pontificum, ac præſertim quidem Ananus, Anani F. qui, in circulis omnibus & conventibus, populi ſegnitiam arguebant. Itaque, eorum dictis permotus, adgreſſus eſt Seditioſos & in interius Templum compulit; qui ſe Hebraïcè quidem loquentes קנאים *Kannaïm*, Græcè verò *Zelotas* vocabant; à vocibus quæ *ſtudium* ſingulare & *æmulationem* ſignificant, & in bonam partem ſumebantur, cùm homines conſcelerati non niſi peſſima quæque æmularentur. Dum autem clauſi tenerentur Zelotæ, præſidio civium, Joannes Giſcalenſis, homo perfidus qui optimatum conſilia iis revelabat, monuit homines de conſiliis Anani; quem brevi vim ultimam, quâ Templo ejicerentur, admoturum putabat. Itaque intellecto periculo, litteras clam dederunt ad Idumæorum Præfectos, quibus Ananum proditionis inſimulabant, ſe verò, pro patria libertate pericula omnia adeuntes, in Templo à proditoribus obſideri. Idumæorum viginti millia mox adfuerunt, quibus Ananus & populus portas quidem clauſere, & perſuadere conati, priuſquàm admitterentur, ut auxilium potiùs urbi, quàm perniciem, adferrent; ſed cùm pacati nihil pollicerentur, excluſi licèt à populo, mox nocte procelloſâ à Zelotis Templo erumpentibus, in urbem primùm, deinde & in Templum admiſſi ſunt. Eâ nocte, ab iis octo millia virorum occiſa ſunt, & ſequentibus diebus ad duodecim nobilium millia, inter quos fuit Ananus; præter ingentem plebis multitudinem. Sed Idumæos, cùm proditionis optimatum veſtigium nullum inveniſſent, ſævitiámque intolerandam Zelotarum improbarent, ſerò facti pœnituit. Itaque duobus hominum millibus, qui in vinculis erant, dimiſſis, in Idumæam redierunt. Verùm poſt eorum diſceſſum, non minùs crudeliter ſe erga eos, quos ſibi infenſos putabant, geſſère Zelotæ; qui diſcordes inter ſe, tamen in eo conſentiebant, ut populum occiderent & expilarent; quod & per totam Judæam, ad exemplum Jeroſolimæ, factum eſt.

VIII. His calamitatibus, internecioníque Judææ Gentis obviam fortè

1 *Tam conſtanter univerſa Chriſtiana Antiquitas* &c.] Loca, Veterum hac de re collegit *Joann. Pearſonius* Diff. I. de ſucceſſionibus primorum R. E. C. VII.

2 *Se-*

forte ire potuiſſet Veſpaſianus, ſed vires ejus, tam atrocibus diſſidiis, accidi non videtur ægrè tuliſſe; quippe obſequentiorem Romanis & domitu faciliorem fore in poſterum ratus. Attamen multorum vocibus accitus, de oppugnanda Jeroſolima cogitare cœpit; ſed priùs, nequid à tergo hoſtile ſupereſſet, univerſam Peræam excepto Macherunte caſtello ſubegit; quo peracto, collocavit militem in hibernis, ipſéque Cæſareæ hiemavit. Quæ omnia à Cap. X ad XXVIII. Lib. IV. de Bello Judaïco copioſiùs expoſuit *Joſephus*.

C. Silio Italico & M. Galerio Trachalo COSS. *Neronis Imp. XIV. Galbæ I. Æræ Chriſti Vulgaris* LXVIII.

I. Commorabatur Romæ, hoc anno, Paulus Apoſtolus, eóque venit etiam Petrus, ut docet *Dionyſius* Corinthius, quemadmodum diximus ad ann. LXVII, 1. Nam Petrum quidem Romam veniſſe & cum Paulo in Urbe, & ſub Nerone, Martyrium eſſe paſſum, [1] tam conſtanter univerſa Chriſtiana Antiquitas adfirmavit, quamvis neque in circumſtantiis, neque ſecum ſatis conſentiat; ut vix ac ne vix quidem fides rei derogari poſſit. [2] Sediſſe tamen eum Romæ, per viginti quatuor annos & aliquot menſes, contrarium prorſus eſt Actorum Apoſtolicorum Hiſtoriæ, & Scriptis Pauli; qui neque in Epiſtola ad Romanos, neque in iis, quas poſtquàm Romæ fuerat, & ex Urbe ipſa ſcripſit, uſquam Petri meminit; nec eum in jus ſecum vocatum, aut ſibi adfuiſſe, vel in prima, anno LXIII. vel in ſecunda cauſæ dictione, anno LXVII. memorat.

II. Tot & tanta fuerant Neronis flagitia, ac ſcelera, ut hujuſmodi monſtro parêre, ſi milites flagitioſos exceperis, jam omnes tæderet ac pigeret. C. Julius Vindex, Galliæ Proprætor, Gallos ad arma capienda excitavit, atque ad Servium Sulpicium Galbam, qui Hiſpaniæ præerat, imperium detulit. Neapoli in Campania motum Galliarum accepit Nero, eo ipſo die, quo matrem antea occiderat, qui fuit dies Martii circiter XXI. Rem lentè primùm tulit, cùm facilè opprimi poſſe Vindicem exiſtimaret; ſed poſtquàm etiam Galbam, Hiſpaniáſque deſciviſſe cognovit, actum de ſe pronunciavit, nec quidquam paravit, quo ſe & dignitatem ſuam tueri poſſet. Interim antequàm Romam regreſſus eſſet, hominis furentis inſaniam ſenſerunt Petrus & Paulus Apoſtoli; quorum priorem in crucem ſuſtulit, poſteriorem, civem quippe Romanum, gladio occidit. Diſertè hæc habet *Caïus*, apud *Euſebium* Hiſt. Eccl. Lib. II. c. 25. obſcuriùs *Tertullianus* Apol. c. V. quem locum profert *Euſebius*, ſed clariùs Scorpiace c. XIV. *Dionyſius* Corinthius, licèt de genere mortis nihil habeat, utrumque eodem tempore mar-

2 *Sediſſe tamen Romæ* &c.] Paſſim hoc, in ſuperioribus oſtendimus. Originem erroris, hac in re, aperuit *Henr. Dodwellus* Diſſert. de ſucceſſionibus primorum R. E. G. III, 1.

ANN. LXVIII. martyrium paſſum, in Epiſt. ad Romanos, teſtatus erat, ut ibidem docet *Euſebius*. Sed clarè rem narravit *L. Cæcilius* de Mortibus perſequutorum, C. II. quem, nomine *Lactantii*, edidit *Steph. Baluzius*. Quos omnes alii, ad ſummam rei quod adtinet, ſunt ſequuti.

III. Mirum de cauſa mortis, vel eorum accuſatione, nihil ſatis explorati à Veteribus ſcriptis proditum. Non potuerunt, ut antea diximus, eodem nomine pœnas dare, quo qui antea incendii fuerant accuſati; quandoquidem Paulus, in ſecunda cauſæ dictione, propterea damnatus non fuerat. Nec de ullo Senatûs Conſulto, aut Edicto Principum, quo his temporibus Chriſtianiſmus capitalis noxa eſſe ſtatueretur, quidquam legimus; nec Nero, Religionum omnium ſpretor, ut docet *Suëtonius* C. LVI. curabat quid homines de Divino Numine ſentirent. *Lactantius* Inſt. Divinæ Lib. IV. c. 21. auctor eſt *prædicationem* (Petri & Pauli) *in memoriam ſcriptam permanſiſſe, in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerant, ut, poſt breve tempus, immitteret Deus Regem, qui expugnaret Judæos & civitates eorum ſolo adæquaret, ipſos autem fame, ſitique confectos obſideret.* Quibus verbis, ſi quæ ſimilia protulerunt, offendi Nero facilè potuit, qui ſibi brevi ſucceſſum iri prædici æquo animo paſſus non eſſet. Quare vix ulla alia eorum mortis ratio quærenda eſſet, ſed [3] *Prædicationis Petri* ea ſuperſunt fragmenta, quæ non Apoſtoli, ſed Impoſtoris opus fuiſſe oſtendunt. Atque ita ſenſit Eccleſia Romana, quæ numquam eum libellum, pro genuino Petri fœtu, aut quo verè ejus dicta narrarentur, habuit. Sed tamen, quamquam pleraque falſa erant, verum hoc eſſe potuit.

IV. Ad diem quod adtinet, [4] quo Petrus & Paulus mortem paſſi fuerint, non conſentiunt Antiqua Martyrologia. Ea ſequimur, quæ docent fuiſſe VIII. Calendas Martias. Quare provectâ ætate, fuiſſe oportet Petrum, hîc enim fuit veræ Chriſti ætatis annus LXXII. nec Petrus Jeſu junior multò fuiſſe videtur, ſi modò junior fuit. Paulus etiam, qui adoleſcens erat eo tempore, quo *Stephanus* Martyrium paſſus eſt, jam grandis natu erat. Ac ſanè ut doctrina Evangelica latè ſpargi, útque paſſim per Imperium Romanum Eccleſiæ conſtitui, & confirmari poſſent, contra quoſvis vexationum impetus, non minore temporis

3 *Prædicationis Petri* &c.] Fragmenta ejus collegere *Ern. Grabius* & *Joan. Alb. Fabricius*, è quorum ſola lectione quàm abſurdè conficta ſit ſatis liquet. De morte Petri & Pauli hæc habet *L. Cæcilius* de Mortibus Perſequutorum C. II. *Cúmque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibuſdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, datâ ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deóque templum fidele, ac ſtabile collocavit. Qua de re ad Neronem delatâ, cum animadverteret non modò Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere à cultu idolorum, & ad Religionem novam, damnatâ vetuſtate, tranſire, ut erat exſecrabilis ac nocens tyrannus, proſilivit ad excidendum cœleſte templum, delendámque juſtitiam, & primus omnium perſequutus Dei ſervos, Petrum cruci adfixit & Paulum interfecit.* Ex primis verbis *cùm jam Nero imperaret*, liquet *Cæcilium* hæc putaſſe, non diu poſt Neronis initia, contigiſſe; qua in re graviter erravit; nec proinde fide dignus eſt, in iis quæ narrat de cauſa mortis Apoſtolorum, quam ſolius propagationis Evangelii causâ paſſi fuerint.

4 *Quo*

poris interſtitio opus fuit, quàm quod ab anno Chriſtianæ Æræ XXIX ad LXVIII. effluxit. ANN. LXVIII.

V. Jam à viris doctis quæritur, quo ſtatu Apoſtoli Romanam Eccleſiam reliquerint, & cui ejus regendæ curam commiſerint. Multa quidem eſt, [5] de primo ejus rectore, controverſia; ſed, omnibus expenſis, videntur Apoſtolis vivis Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe ab anno LXIV. Linus, dein Anencletus, tum Clemens. Nam inter ordinarios unius Eccleſiæ rectores Apoſtolis, totius Orbis Terrarum Epiſcopis, locus nullus dandus videtur. Jam ante decennium, quo tempore Paulus ad Romanos litteras dedit, erant apud eos tenuia Eccleſiæ initia; quæ paullatim, præſertim ab anno LX. quo Paulus Romam venit, aucta ſunt; ſed, feralis illius à Nerone concitatæ vexationis tempore, adeò videntur diſſipati & disjecti Chriſtiani, qui illic erant; ut Paullo anno LXVII. ſecundùm cauſam dicenti nemo adfuerit. Hinc ad hæc tempora Eccleſiam quidem fuiſſe Romæ videmus, ſed nondum ejus ita ordinatum regimen, ut conſtans, quemadmodum poſtea, fuerit. Si enim Epiſcopus tum fuiſſet Anencletus, ut Catalogi volunt, & plures Presbyteri, qui numeroſæ Eccleſiæ præfuiſſent, eâ auctoritate, quâ poſtea adminiſtratæ res Eccleſiæ illius ſunt; credibile non eſt non Epiſcopum, non Presbyterum, non Chriſtianum unum Romanum Paulo cauſam dicenti auſum adeſſe; aut degeneres planè, ac meticuloſi præter modum fuerunt. In cauſis capitis, qui aderant periclitanti amico nequaquam conſcii eſſe eorum, quorum accuſabatur, aut rei propterea fieri & cum eo occidi ſolebant. Quare in illa Eccleſia, ut in aliis omnibus, multa etiamnum parum ordinata fuiſſe & unum quemque ſibi fugâ conſuluiſſe, prout libuit, exiſtimarim. Nec ſunt nobis ea tempora, aut qualia, ex æterna Evangelii norma, eſſe debuiſſent, aut ex ſequentium moribus fingenda; verùm ex ipſis Apoſtolicis Scriptis animo conformanda.

VI. Sed è veteribus ſucceſſionum rectorum Eccleſiarum, à primis temporibus, Catalogis, éque forma Regiminis, initio ſecundi ſæculi, in omnibus Eccleſiis, & conſenſu veterum Chriſtianorum conſtat, [6] ſingularem fuiſſe ſingulis Eccleſiis præſidem; cui ſoli Epiſcopi nomen poſtea relictum eſt, cùm antea Eccleſiæ rectores promiſcuè *Epiſcopi*

4 *Quo Petrus & Paulus* &c.] Vide *Joan. Pearſonium* ad calcem Annalium Paulinorum, cujus ſententiam cum Chronologia Paulina optimè conſentientem ſequuti ſumus, & *Anton. Pagium* ad Ann. LXVII, 3, 4. quem tamen certa annorum vitæ Pauli digeſtio, ut vidimus, ejus mortem ad annum Æræ Vulg. LXV. referentem confutat.

5 *De primo ejus rectore* &c.] Conſulendi ſunt hac de re *Pearſonius* & *Dodwellus* in Diſſert. de ſucceſſionibus primorum R. E. Poſterioris Chronologiam, ad annos Epiſcoporum illorum quod adtinet, ſequuti ſumus; quod nobis, omnibus expenſis, adcuratior videretur. Verùm in rebus ejuſmodi quemque ſuum judicium ſequi facilè patimur, nemo enim Mathematicis Demonſtrationibus nititur.

6 *Singularem fuiſſe ſingulis Eccleſiis* &c.] Loquimur hìc de initio ſeculi ſecundi, quia res videtur extra controverſiam poſita, ut in ſequentibus dicemus. Vide & quæ hac de re habet *Joan. Pearſonius* Diſſert. I. de ſucceſſionibus primorum R. E. C. IX, 9. & ſeqq. & quæ addidit illic *Henr. Dodwellus*: De

ANN. LXVIII.

Epiſcopi & *Presbyteri* vocarentur. Quanam verò ſingulari poteſtate gaviſi fuerint Epiſcopi illi primævi, qui ſinguli eo nomine Eccleſiis præeſſe cœperunt, non ſatis nobis conſtat. Novi quidem Fœderis tabulæ, ea de re, nihil habent; ſed ſequentibus temporibus, ſolis eis fuit ordinandi Presbyteros conceſſa poteſtas, & in eo quidem potiſſimùm Epiſcopi à Presbyteris diſcriminabantur. Solis etiam eos, qui baptiſmum ſuſceperant, confirmandi certis ritibus, de quibus ſuo loco & tempore dicemus, jus eſt datum. [7] Initio omnia videntur communi conſenſu, ob rectorum Eccleſiæ humilitatem & mutuam caritatem, facta, nullis aut ſimpliciſſimis adhibitis rerum & verborum cærimoniis & formulis; quæ poſtea, augeſcente Chriſtianorum numero, adcuratiùs ſunt conſtitutæ. Verùm quibus gradibus hæc omnia facta ſint, & quid quibúſque temporibus, aut locis, novatum ſcire nos non patitur antiquorum monumentorum penuria.

VII. Non eſt tamen prætermittendum jam ab initio, præter Epiſcopos ac Presbyteros, ab Apoſtolis fuiſſe in numeroſioribus Eccleſiis [8] Diaconos, qui minora negotia Eccleſiarum curarent; qualis fuit Eleemoſynarum, in ſuſtentandis pauperibus, diſtributio, aliáque id genus, quæ ad publica Eccleſiæ commoda pertinebant; quibus in rebus, Epiſcopis & Presbyteris ſuberant ii Diaconi. Primam eorum inſtitutionem habemus Act. VI. unde liquet eos eleemoſynarum diviſioni, & menſarum, cùm Chriſtiani ſimul cibum caperent, miniſterio præfectos fuiſſe. Sed ſequentibus ſæculis, alia etiam eis miniſteria impoſita ſunt, quod ad hiſtoriam hujus ævi nihil facit. Paulus Philip. I, 1. litteras ſuas

De poteſtate Epiſcoporum, prout à Presbyteris diſtinguuntur, multis egit *Dionyſ. Petavius*, in Libris de Hierarchia Eccleſiaſtica & Diſſertationibus Eccleſiaſticis, quæ ſunt inſertæ IV. Tomo ejus Operis, de Dogmatibus Theologicis. Vide præſertim Lib. I. de Hierarchia Cap. II. *& ſeqq.*

7 *Initio omnia videntur* &c.] Videntur fuiſſe initio, qui *Presbyteri* & *Epiſcopi* promiſcuè dicerentur, & qui, etiam in una Eccleſia, utriuſque illius Ordinis muneribus, quæ poſtea in diverſos ſunt collata, functi ſint; ita ut omnes ex æquo ordinarent, quod deinde ſoli Epiſcopo, propriè ſic dicto, impoſitum, ceteráque omnia facerent quæ utrique Ordini communia erant. Hæc fuit ſententia *Dionyſ. Petavii*, cujus hæc ſunt verba Diſſert. Eccleſ Lib. I. C. II, 1. ,, Primis illis Eccleſiæ temporibus, quæ, quod ad formam & diſciplinam adtinet, quædam illius infantia dici queunt, exiſtimo Presbyteros vel omnes, vel eorum pleroſque ſic ordinatos eſſe, ut Epiſcopi pariter, ac Presbyteri gradum obtinerent. ,, Id eò fieri ſolitum eſſe veri ſimile eſt, quòd cùm Religio Chriſtiana progreſſionem in dies faceret, pérque civitates & populos propagaretur; increbeſcente multitudine, opus fuit paratam eſſe copiam Epiſcoporum, qui ad urbes & provincias Chriſtiano partas nomini, cum poteſtate, mitterentur; ut ea, quæ ab ſolis Epiſcopis adminiſtrabantur, præſtare poſſent; cujuſmodi ſunt Clericorum ordinatio, per manuum impoſitionem; Confirmationis ſacramentum & alia quædam, quæ ſimplices Presbyteri non adtingebant. Hac de cauſa, videntur plures, in eadem Eccleſia, velut Epheſina, Epiſcopi fuiſſe, qui Apoſtolis, tamquam majoris gradûs Pontificibus, adeóque ſummis obſequebantur. Hoc tum ſimplices recèns ortæ mores Eccleſiæ ferebant; nondum ambitione & honorum cupiditate, maliſque ceteris artibus, depravatis Chriſtianorum animis. Poſtea quàm verò Chriſtiana illa caritas & humilitatis refrixit amor; tum, quod Hieronymus ſcribit, ad tollendas ſimul- ,, ta-

ſuas *omnibus ſanctis, qui erant Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis*, inſcribit, & 1. Tim. III, 8. & ſeqq. docet quos eorum mores eſſe oporteret qui Eccleſiæ Diaconi eligendi erant. Quin & Rom. XVI, 1. meminit [9] Diaconiſſæ Eccleſiæ, quæ erat Cenchreis; & Diaconiſſarum quidem, in muliebribus negotiis, magnus fuit uſus. Ad alios inferiores Ordines quod adtinet, Anagnoſtarum, Acolythorum, Exorciſtarum, aliorúmque, nulla eorum, his temporibus, mentio. ANN. LXVIII.

VIII. Ceterum, in Scriptis Apoſtolicis, nulla uſquam certa regiminis forma Chriſtianis impoſita, quam neceſſariò, ſi ſalutem æternam conſequi vellent, ſequerentur. Mandat tantùm Corinthiis Paulus 1. Cor. XIV, 14. *ut omnia fierent decenter, atque ordine.* Deſcribit etiam mores & munia Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum, ac Diaconorum 1. Tim. III. & Tit. I. ſed verbis generalioribus, qualia ſunt etiam quæ Petrus habet 1. Ep. V, 1. & ſeqq. Sequenti ævo, cùm plures eſſent Eccleſiæ & numeroſior multò plebs, varia videntur, ordinis & decori causâ, addita, quæ à nobis hodie contemni par non eſt; ſi modò illibata maneat Chriſti & Apoſtolorum auctoritas, ita ut nulla nova fidei capita, quaſi neceſſaria, imponantur, quæ ab iis manaſſe non conſtet; imperiúmque nullum in *hereditatem Domini*, [10] ut loquitur Petrus, carnale quæratur; quod poſtea factum eſſe, multis in locis, multi ſunt conqueſti, nec falsò.

IX. Admodum credibile eſt, ab hiſce temporibus; cùm nulli ſuperſtites ampliùs eſſent, excepto Joanne, Apoſtoli, & infrequentiores in dies homines prophetico ſpiritu adflati; Jeroſolimæ, Alexandriæ, An-

„ tates & in *ſchiſmatis remedium*, unum „ aliquem, è turba Presbyterorum, eligi „ placuit, qui præeſſet reliquis; atque ita de- „ ſiere pari, non ſolum dignitate, ſed etiam „ ordine ac poteſtate, plures creari, trans- „ latâ in unum, tam honoris, quàm func- „ tionis prærogativâ. Quocirca numquam „ non fuit, in Eccleſia, poteſtatum, gra- „ duúmque diſcrimen; hoc eſt, Epiſco- „ patûs & Presbyteratûs ſimplicis; ſed in „ eadem capita paſſim ambo conferebantur.

8 *Diaconos, qui minora negotia* &c.] Prima occaſio inſtituendorum Diaconorum fuit, ut Jeroſolimæ, ubi Chriſtiani omnia in commune contulerant, *miniſtrarent menſis* Act. VI, 2. hoc eſt, ut dividerent cibos, aut certè pecuniam quâ emerentur menſis, quæ ſine dubio permultæ erant, ad quas Chriſtiani adcumbebant. Sed cùm, eo tempore, vulgarentur Spiritûs Sancti dona, collata etiam iis ſunt, impoſitione manuum Apoſtolorum Ib. verſ. 6. unde factum ut Stephanus & Philippus, ut docet Lucas, Evangelium prædicarent & Philippus etiam baptizaret, ut habet Lucas C. VIII. 5, 48. Sed poſtea, cùm cœleſtia illa dona defeciſſent, minoribus officiis adhibiti ſunt, nec Baptiſmum, nec Euchariſtiam adminiſtrarunt. Qua de re multa paſſim ſunt in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ut Lib. II. c. 29. & ſeqq. ad 32. & c. 44. Lib. VIII. c. 28. ad quæ loca multa congeſſit *Joan. Bapt. Cotelerius*, ſed quæ ad ævum inferius pertinent.

9 *Diaconiſſæ*] De *Diaconiſſis*, vide viros *doctos*, qui ſcripſere in Epiſt. *Plinii* ad Trajanum de Chriſtianis, & *Joan. Bapt. Cotelerium* ad Conſtit. Apoſt. Lib. III. c. 15. Multa erant negotia, ad mulieres pertinentia, quæ meliùs à fœminis, quàm à viris, adminiſtrari poterant; cùm in ſuſcipiendo Baptiſmo, in inviſendis & juvandis ægris ſororibus, tum in aliis multis, de quibus vir eruditus, quem ad teſtimonium vocavimus.

10 *In hereditatem Domini*] Græcè eſt κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, hoc eſt, Eccleſiis quæ ſingulæ ſunt κλῆροι θεοῦ. Vide *Grotium* ad 1. Pet. V, 3.

ANN. LXVIII. Antiochiæ, Romæ, aliiſque majoribus Eccleſiis eam fuiſſe regiminis formam, quâ ſub ſingulis Epiſcopis Presbyteri & Diaconi plebi Chriſtianæ præerant; quæ forma ubique, auctoritate etiam Joannis, invaluerit. Commodiſſima certè, ad vitanda diſſidia, videbatur. Huc accedebat, quòd pleræque Eccleſiæ tenues eſſent, nec multis Rectoribus indigerent; quibus præpoſiti ſunt ii, qui Evangelio, inter primos, fidem habuerant. Quod nos docet etiam horum temporum Scriptor *Clemens* in Ep. ad Corinth. C. XLII. ubi diſertè Apoſtolos *primitias* locorum, in quibus Evangelium nunciarant, *ut eſſent Epiſcopi & Diaconi*, *eorum*, *qui credituri erant*, non minùs ac qui crediderant, *conſtituiſſe* ait. Ac ſanè ita ſenſit, quamvis ſecus nonnullis videatur, univerſa Chriſtiana Antiquitas; quod deprehendent quicumque eam ſtudiosè & ſine præjudicio legent. Quin & idem *Clemens* C. XLIV. teſtatur *Apoſtolos cognoviſſe*, *per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum*, *futuram contentionem de Epiſcopatûs nomine. Propterea*, inquit, *plenâ rei præcognitione acceptâ*, *eos quos dixi conſtituerunt*, *& deinde ſucceſſionem futuram ediderunt*, *ut cùm illi decederent*, *miniſterium eorum alii probati viri exciperent.* [11] Qua de re ſunt tamen qui dubitent, fortè quòd in Scriptis Apoſtolicis nullum ejus rei veſtigium; & ſunt re verâ nonnulla Epiſtolæ *Clementis* malâ manu addita.

X. Hoc tempore, poſt Petri & Pauli mortem, Eccleſiæ Romanæ præfuit is, quem diximus, Clemens, & ſcripſit Epiſtolam, quæ prior ad Corinthios dici ſolet; propter fragmentum neſcio quod, cui poſterioris ad Corinthios inſcriptio præfigitur, ſed quod Homiliæ recentioris cujuſpiam eſt particula, non Epiſtolæ.

XI. Mox ad annum ſequentem pluribus de ea Epiſtola, aliiſque ejuſdem ævi Scriptis; ubi paucis Neronis mortem & quæ, in Republica Romana, poſtea contigerunt hoc anno & ſequente, dixero. Nero ergo, conſcientiâ ſcelerum turbatus, cùm nihil provideret, quo poſſet Galbam opprimere, ab omnibus relictus, Roma clam egreſſus eſt, & à Senatu damnatus, cùm ad ſupplicium quæreretur, ſibi ipſe manus adtulit, IX. Junii, quod pluribus narrat, ad finem ejus vitæ *Suetonius*; poſtquàm imperaſſet annos XIII. menſes VII. dies XXVIII. ut habet *Dio*, Lib. LXIII. Succeſſit ei Galba, qui ſeptem circiter menſibus regnavit.

XII. Vespasianus interim Cæſareæ, nunciis acceptis, de motibus, quos Vindex in Gallia concitaverat, vehementer optaſſet confectum eſſe in Judæa bellum, ut, pro rei eventu conſilium ſibi caperet. Itaque inſtante vere, milite Cæſareâ educto; Judææ partes quasdam perdomuit, ut & Idumææ, quam vaſtavit, & præſidiis firmavit. Tum in Judæam redux, initio Junii, Jerichuntem, ab incolis deſertam

11 *Qua de re ſunt tamen* &c.] Vide notas in Ed. Amſtelodamenſi, quibus ſubjecta eſt littera B. quâ ſignificatur *Eduardus Bernardus*, S. Th. D. Oxonienſis.

tam occupavit, ubi & Adidis caſtellis excitatis præſidia impoſuit, ut Jeroſolimitanos in dies magis coërceret. Atque ab eo quidem tempore, ad Romanos Jeroſolima egredi cupientibus, per Zelotas vias obſidentes, non licuit; uti nec iis ipſis, qui Romanis etiamnum adverſabantur, cùm ne in horum præſidia inciderent ſibi timerent. Quæ pluribus habet *Joſephus* de Bello Jud. Lib. IV. in Græcis, c. 26, 27 & 28. ANN. LXIX.

XIII. Tum Veſpaſiano Cæſaream, cum reliquis copiis, reverſo, & ipſam Jeroſolimam adgredi quamprimùm paranti nunciatur mors Neronis; quo nuncio impeditus eſt, ne quod animo conceperat exſequeretur. Mox ubi Galbam imperare cognovit, quieſcere ſtatuit, donec litteras ab eo accepiſſet. Interim miſit Titum Veſpaſianum filium, qui imperium ei gratularetur & mandata acciperet. Unà cum eo & Rex Agrippa, inſtante hieme, profectus eſt.

V. HISTORIA ECCLESIASTICA,

à Petri & Pauli morte ad finem Sæculi Primi.

Servio Sulpicio Galbâ Aug. T. Vinio Rufino COSS.
Othonis, Vitellii, Veſpaſiani Impp. I. Æræ Vulgaris Chriſti LXIX.

I. Dum Achaïam, cùm jam hiems eſſet, præternavigarent Titus Veſpaſianus & Agrippa, longis navibus; nuncii venerunt de cæde Galbæ à Prætorianis, fraude Othonis corruptis, facta a. d. XV. Januarii, cùm per menſes VII & totidem dies imperaſſet, ejúsque loco M. Salvio Othone ſuffecto. Agrippa, nihilo ſeciùs, Romam pergere ſtatuit; at Titus, de patris conſiliis incertus, è Græcia in Syriam rediit, nec diu poſtea eum Cæſareæ convenit; ubi quid futurum in Italia exſpectare, quàm quidquam in Judæos ampliùs moliri, tutius Veſpaſiano viſum. Nec Judæi in Romanos quidquam movere auſi ſunt; ſed inter ſe, furioſorum inſtar, concurrerunt. Simon quidam Geraſenus, Gioræ F. collecto latronum globo, qui in dies creſcebat, undequaque prædas agebat, ſed præſertim ex Acrabatena, & Idumæa, ſpoliáque vel in loca munita, vel in Pharanicæ vallis ſpeluncas auferebat. Quibus latrociniis, viſus eſt Joanni Giſchalenſi, homini callido, viam ad Jeroſolimam ipſam invadendam adfectare. Quare ejus moliminibus obviam ituri Zelotæ ſigna cum eo contulerunt, ſed victi & fugati in urbem ſunt. Nec

ANN. LXIX. tamen ita confidebat copiis Simon, ut Jeroſolimam ipſam adgredi auderet. Priùs Idumæam tentare placuit, & cum Idumæis primùm congreſſus incertâ victoriâ diſceſſit, ſed mox proditoris operâ territis gravis incubuit, Chebronem urbem munitam cepit, Idumæámque totam exercitu victore, ſine ſanguine, populatus omni cladis genere vaſtavit. Quæ victoria ſummopere Zelotas terruit, qui aperto Marte poſtea cum eo ſigna conferre non auſi, ad artes & ſubitas excurſiones converſi ſunt, nec tantùm familiares ejus, ſed & uxorem ceperunt, atque in urbem abduxerunt. Verùm omnes, qui portis urbis pedem efferre audebant, tam crudeliter habuit Simon; ut homini, præter omnem modum ferocienti, uxorem reſtituere coacti ſint. Tanto interim odio Joannes, ob rapinas & libidines, in urbe flagrabat; ut Idumæi nonnulli, ei antea dicto audientes, Simonem intromiſerint, qui Joannem in Templum, cum ſuis, confugere iterum coëgit; ſed, pro uno exitiali Tyranno, ab eo tempore miſera urbs duos habuit, à quibus omnis generis mala perpeſſa eſt. Quæ habet *Joſephus*, Lib. IV. in Græcis Cap. 29. & ſeqq. ad 34.

II. Interim non Othonem tantùm Romæ, ſed & A. Vitellium, qui à Galba inferiori Germaniæ præfectus fuerat, ab anni initio, Imperatorem ab exercitu eſſe ſalutatum auditum eſt. Mox Vitellius copias in Italiam præmiſit, quas ipſe ſequutus eſt; ſed antequàm adeſſet, à præmiſſis copiis Othonis exercitu victo, Otho ſibimet ipſe manus adtulit, Menſis Aprilis d. XVI. cùm per tres menſes & biduum imperium tenuiſſet, ut ait *Joſephus*, Lib. IV. c. 33. cui alii etiam adſentiuntur. Poſt mortem Othonis, Vitellius vixit, eodem teſte, menſibus octo, ac diebus quinque, hoc eſt, ad d. XXI. Decembris hujus anni; quo, juſſu Veſpaſiani, eſt interfectus. Auditâ morte Othonis, Ti. Alexander, Ægypti præfectus, in verba Veſpaſiani legiones, quibus præerat, adegit, Kalendis Julii, qui, ut [1] ait *Suetonius*, Principatûs dies in poſterum obſervatus eſt. Judaïcus deinde exercitus, V. Nonas Julii, apud ipſum juravit. Illico verò, dum Ægypti res ordinaret, Mucianum & Antonium, cum exercitu in Italiam miſit, qui Vitellianos d. XXIX. Octobris oppreſſere, Romámque à tyrannide Vitellii liberavere. Alia trium Imperatorum geſta non adtingo, quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam nihil faciunt.

III. Satius eſt hîc nos agere de libris, qui à Chriſtianis, circa hoc tempus, ſcripti dicuntur, aut reverâ ſcripti ſunt. Volunt [2] viri docti Apocryphos *Actus Pauli* hoc tempore ſcriptos; eum in finem, ut ſuppleretur quod deeſt Actorum Apoſtolicorum narrationi, quæ vitam Pauli ad primum dumtaxat ejus in Urbem adventum perducit. Sed cùm hic commentarius à Veteribus Chriſtianis rejectus fuerit, ſine dubio

1 *In Veſp. c. VI.*

2 *Viri docti* &c] *Joan. Millius*, in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum. De iis libris vide *Erneſt. Grabium* in Apoſtolicis Apocryphis.

bio quòd quæ in eo habebantur ceteræ Pauli vitæ & doctrinæ conſentanea non eſſent (cur enim alioqui non fuiſſet Apoſtolicis Actis ſubjectus & pare diligentiâ ac curâ ſervatus?) nulla cauſa eſt cur non ſeriùs ſcriptus putetur. Non ſolent enim impoſtores, recente rerum memoriâ, & teſtibus etiamnum vivis, talia comminiſci, ne illico mendacii arguantur. Nec ullum horum Actuum fragmentum ad nos pervenit, niſi quod exſtat in Opere *Origenis* de Principiis Lib. I. c. 2. è verſione *Rufini*, ubi *verbum* dicitur eſſe *animal vivens*; quod excuſari nequit, niſi fingendo verſa hæc malè fuiſſe, & quidem ſine ulla veriſimilitudine. Itaque librum hunc rejiciendum ſtatuimus, quaſi à mala manu profectum, & ſeriùs etiam multò in lucem emiſſum fuiſſe putamus. ANN. LXIX.

IV. Exstabant etiam olim *Actus Petri* πράξεις Πέτρȣ, item Κήρυγμα, *Præconium* & Ἀποκάλυψις, ejuſdem Apoſtoli nomine præfixo; quorum operum, & præſertim quidem *Præconii*, [3] fragmenta habemus apud *Clementem* Alexandrinum; quæ ſatis oſtendunt turpiſſima fuiſſe commenta Semi-pagani neſcio cujus Scriptoris, Petro indigniſſima. Quare non intelligo cur talia mendacia ad tantam antiquitatem adſurgere poſſe putentur, ut anno Chriſti LXIX. ſcripta cenſeantur. Non ſolent mendacia, ut jam dixi, fingi; cùm multi etiamnum vivunt teſtes, à quibus argui poſſunt. Sed neſcio quo conſilio, aut judicio, viri quidam eruditi ſeriò operam dederint; ut Scripta Genuina Apoſtolorum ſerò ſcripta, ſerò innotuiſſe, ſerò apud Chriſtianos auctoritatem obtinuiſſe contenderint, leviſſimis conjecturis ducti; & contrà omnem lapidem moverint, ut fictis & ſuppoſiticiis Scriptis quàm maximam antiquitatem tribuerent, eáque, quoad ejus fieri potuit, defenderent. Sed hæc omittamus, quæ tanti non ſunt ut nos morentur.

V. Gravior quæſtio & dignior, quæ expendatur, eſt quæ pertinet ad Auctorem Epiſtolæ ad Hebræos, de quo hodie diſſentiunt viri doctiſſimi, & olim etiam eſt dubitatum. *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c. 20. obſervat *Caïum*, qui temporibus *Zephyrini*, Epiſcopi Romani, vixit, tredecim tantùm Pauli commemorare Epiſtolas, nec Hebræis inſcriptam unà cum ceteris adnumerare; additque quoſdam Romanos eam, ſuo tempore, non admiſiſſe. *Hieronymus* verò, in Catalogo Scriptorum Eccleſ. *Epiſtola autem*, inquit, *quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter ſtyli, ſermoniſque diſſonantiam; ſed vel Barnabæ, juxta Tertullianum; vel Lucæ Evangeliſtæ, juxta quoſdam; vel Clementis, Romæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ipſi adjunctum ſententias proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone. Vel certè quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputaverit. Scripſerat, ut Hebræus Hebræis Hebraïcè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè, ut ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum, & hanc cauſam eſſe, quòd à ceteris Pauli Epiſto-*

3 *Fragmenta* &c.] De iis antea diximus, ad an. LXVIII.

ANN. LXIX. *Epiſtolis diſcrepare videatur.* Poſtrema hæc, de Epiſtola à Paulo Hebraïcè ſcripta, videtur hauſiſſe *Hieronymus* è verbis *Clementis* Alexandrini, quæ ex Hypotypoſibus profert *Euſebius* Lib. VII. c. 14.

1. Nos rem ipſam paucis expendemus, neque enim inſtitutum noſtrum patitur nos latiùs evagari; & ante omnia quidem non diſſimulabimus quæſtionis propoſitæ ſolutionem pendere partim è cognitione eorum, ad quos Epiſtola ſcripta eſt. Cùm verò omnibus Epiſtolis præfigi ſoleat non nomen tantùm ſcribentis, ſed & eorum, ad quos ſcribit, quemadmodum res ipſa poſtulat, ut ex reliquis Apoſtolicis Epiſtolis, inelligere eſt; hìc aut excidit inſcriptio Epiſtolæ, aut, certis de cauſis, ut nonnulli conjiciunt, omiſſa eſt. Hodierna inſcriptio, Παύλε τοῦ Αποςόλε ἡ πρὸς Ἑβραίες Ἐπιςολὴ, non eſt à manu Pauli, qui Epiſtolas ſuas ita inſcribere non ſolebat, ſed potiùs Librariorum, aut Criticorum, qui cùm ex re ipſa colligerent haſce litteras ad Judæos datas, qui Religionem Chriſtianam amplexi erant, & Judaïſmo tamen nimiùm quàm favebant; ac neſcirent ad quam Eccleſiam, aut quas Eccleſias miſſæ fuiſſent, eas ſimpliciter *ad Hebræos* inſcripſere. *Hebræos* enim Chriſtiani vocarunt non tantùm eos, qui Hebraïcè loquebantur, aut à Majoribus Hebræis oriundi erant ſed & [4] quoſvis Judæos, etiam Proſelytos, cujuſcumque eſſent gentis. Nec ſanè ad alios ſcribi hæc Epiſtola potuit, quàm ad Chriſtianos quoſdam, qui antea Judæi fuerant, & qui minimè Hebraïcè loquebantur, ut poſtea videbimus. Non tamen ſcripta eſt ad omnes Helleniſtas Judæos; ait enim Auctor Cap. XIII, 23. ſe ad eos reviſendos rediturum, cum Timotheo, ſi ſat citò ad ſe veniret; quod omnibus Helleniſtis non uno loco agentibus[5], ſed per Occidentem & Orientem latè diſſitis, polliceri non potuit. Judæos autem Helleniſtas, non ἑβραΐζοντας, intelligi oſtendit perpetuus uſus Verſionis LXX. Interpretum, etiam ubi ab Hebræo Textu, quem ſolum admittebant, diſcrepat, ut Cap. I, 6. ubi citatur Pſ. XCVII, 4. Cap. II, 7. ubi profertur Pſ. VIII, 9. & Cap. X, 5. ubi adducitur Pſ. XL, 7. ex verſione LXX. Intt. ab Hebræo Textu, iis in locis recedente. Quin & ratiocinatur ex ſignificatione Græca vocis διαθήκη, quâ *teſtamentum* ſonat, licèt vox Hebraïca ברית *brith*, quæ exſtat in locis V. T. ad quæ reſpicit, pro *fœdere* tantùm ſumatur, Cap. IX, 16. Numquam ita ratiocinatus eſſet, niſi apud Helleniſtas. Cúmque, ut dixi, omnes reviſere non poſſet Helleniſtas; crediderim ſcriptam hanc Epiſtolam ad Alexandrinos, aut ſingularis alìus tractûs incolas. Nec dubium eſt, quin nomen loci adſcriptum eſſet in inſcriptione, ſine qua, Epiſtola nullius eſt ponderis, aut uſûs, cùm neque à quo, neque ad quem ſcripta ſit conſtet; niſi fortè tabellarius, aut qui tabellarii loco eſt, vir ſit fide dignus, cujus

4 *Quoſvis Judæos* &c.] Erant enim Reip. Hebraïcæ veluti adſcriptitii cives, ac nominis Veterum Judæorum participes fiebant. Hinc Paulus Philip. III, 5. ut ſe ab iis ſecernat, non *Hebræum* tantùm, ſed *Hebræum ex Hebræis* eſſe ait. In Scriptis Patrum, *Hebræi* paſſim dicuntur quicumque Judaïcam Religionem profitebantur.

5 *Quod*

cujus prudentiæ, certis de cauſis, ſine ulla inſcriptione, commiſſa ſit; ut tradat litteras iis, quibus novit tradendas. Quod non debet, quaſi exploratum, ſine ratione adſumi. ANN. LXIX.

Scio *Clementem* Alexandrinum, apud *Euſebium* H. E. Lib. VI. c. 14. velle huic Epiſtolæ meritò non præſcriptum Pauli Apoſtoli nomen; quòd præjudicio in eum laborarent Hebræi, & ſuſpectum haberent, nec vellet eos à litterarum lectione alienos, nominis ſui additione, facere. Sed hoc merum eſt commentum. Paulus, multis antè annis Romanis & Galatis apertè oſtenderat quid de Legis Moſaïcæ præſtantia, ſi cum Evangelica conferretur, ſentiret, nec ſententiam ſuam umquam diſſimulavit; aut diſſimulare potuiſſet, ſine Evangelii proditione, [5] quod, ut moroſis Judæis gratificaretur, occuluiſſet, qualia de Paulo nemo ſanus cogitarit. Dudum, ſi quid æruginis in eum concepiſſent, ſublatum fuerat, aut ab Apoſtolo contemtum. Præterea cùm ſe viſurum eos polliceatur Epiſtolæ ſcriptor, annon quærendi quiſnam tandem eſſet juſtam occaſionem præbebat, & litteris anonymis Apoſtolicæ auctoritatis pondus, ejuſmodi diſſimulatione, detrahebat? Huc accedit, quòd, inſtante Jeroſolimæ & Templi exſcidio à Chriſto prædicto, nemo poterat tanti Judaïca præjudicia facere, ut iis palam adverſari vereretur; præſertim cùm tam multa ab Apoſtolis, & ab ipſo Paulo, eam in rem, jam dicta fuiſſent. Addit quidem *Clemens* Apoſtolum, præ modeſtia, cùm *Gentium Apoſtolus, non Hebræorum* eſſet, non addidiſſe nomen ſuum, ad Hebræos ſcribentem. Sed quamvis potiſſimùm inter Gentes verſatus ſit, non ita excluſum ſe umquam putabat jure Evangelii Judæis prædicandi, ut eos numquam adire ſuſtineret. Imò contrà ſemper, à Synagogis, prædicationem Evangelii inchoabat, Judæóſque ad ejus cognitionem vocabat, quamvis ſæpiùs malè ab iis habitus, antequàm ad Gentiles ſe converteret; quod è tota ejus hiſtoria, donec Romam primùm venit, liquet. Inanes ergo ſunt *Clementis*, undecumque petitæ ſint, conjecturæ; nec ex ejus dictis quidquam certi colligere licet, niſi quòd tunc temporis nulla exemplaria, quibus Pauli nomen præſcriptum eſſet, exſtarent.

2. Sed ſi Paulus haſce litteras non ſcripſit, inquiunt, quis tandem eorum auctor erit? Antequàm ulteriùs progrediamur, ſtatuendum eſt primùm graves rationes eſſe cur hanc Epiſtolam Paulo abjudicemus. Nam ſolet Paulus nomen ſuum omnibus Epiſtolis præfigere, pro more omnium; nec cauſa ulla alicujus momenti proferri poteſt, cur non idem hìc quoque feciſſet, ut vidimus. Deinde ſatis conſtat omnibus Græcæ Linguæ peritis, & in lectione Scriptorum Pauli verſatis, hujus Epiſtolæ ſtylum ſimilem Epiſtolarum Paulinarum dictioni non eſſe, ſed terſiorem

5 *Quod ut moroſis Judæis* &c.] Tum demum cœpiſſet Paulus ἐπαισχύνεσθαι Evangelium Chriſti, quod negarat à ſe fieri Rom. I, 16. ſi non auſus fuiſſet apertè ſe profiteri hujus Epiſtolæ Scriptorem, & doctrinæ, quam in ea tuetur, addictum. Quod qui animum inducet ut credat, Scripta & Hiſtoriam Pauli non ſatis expendit.

ANN. LXIX. ſiorem & elegantiorem; unde factum ut Veteres *Barnabæ*, aut *Clementi*, aut *Lucæ* tribuere maluerint. *Origenes*, apud *Euſebium* H. E. Lib. III. c. 25. negat ejus *charačteri*, ſeu dictioni ineſſe τὸ ἰδιωτικὸν, idioticam rationem loquendi Pauli; ſed vult ipſam rem eſſe ab Apoſtolo, quamquam alieno ſtylo expreſſam, nec proinde vituperandas Eccleſias, quæ eam, quaſi Pauli, legunt; non enim temerè ejus eſſe docuiſſe Veteres, quamvis ceteroqui ſolus Deus à quo ſcripta ſit certò norit. Qui dicunt non ſemper eamdem eſſe unius ejuſdémque viri dictionem, verè quidem loquuntur; ſi unus idémque vir argumenta diverſa tractarit, nam quævis non poſtulant eumdem dictionis ornatum, imò & nonnulla omnino reſpuunt; ſed hujus Epiſtolæ argumentum ejuſdem eſt generis, ac omnium Pauli Epiſtolarum, nec ſublimius hîc eſt, aut elegantiori eloquutioni, quàm quarumvis aliarum, aptius.

Sed ſunt, qui velint Hebraïcè à Paulo ſcriptam, Græcè verò à Luca verſam; ut vidimus ex *Hieronymo*, qui à *Clemente*, ab *Euſebio* prolato, eo quem indicavimus loco, rem acceperat. Sed quis vidit umquam Exemplar Epiſtolæ hujus Hebraïcum, aut alii inſpectum commemoravit? An quia ad *Hebræos* miſſa dicebatur, ideò Hebraïcè fuit ſcribenda? At plerique omnes Hebræi, per Imperium Romanum ſparſi, Græcè ſciebant. Deinde quæ licentia hæc fuiſſet Interpretis, ſi poſtquàm Paulus Hebraïcum Veteris Teſtamenti Codicem citaſſet, atque ex eo ſolo ratiocinatus eſſet, ut omnino ab Hebraïcè ſcribente & apud Hebraïcè loquentes fieri debuit; ſubſtituta eſſent verba LXX. Intt. & ratiocinationes additæ, quæ nonniſi ex eorum verſione deduci poſſunt, quod antea obſervavimus? Quo jure potuiſſet quæ Hebraïcè de voce διαθήκη dici non poterant, nec erant ullius ponderis, niſi apud Helleniſtas, ratiocinationibus Pauli adſuere? Ex hiſce, ut opinor, liquidum cuivis eſſe poteſt Hebraïcè ſcriptam hanc Epiſtolam numquam fuiſſe; ac proinde, cùm dictio ſit planè diverſa à Paulina eloquutione, Apoſtolo non poſſe tribui.

Sed [6] ſunt, qui velint Petrum 2. Ep. III, 15. & *ſeqq.* ad hanc Epiſtolam reſpicere, quam Paulo, ut putant, tribuit: *Domini noſtri longanimitatem*, inquit, *ſalutem arbitremini*; *ſicut & cariſſimus frater noſter Paulus*, *ſecundùm datam ſibi ſapientiam*, *ſcripſit vobis*, *ſicut & in omnibus Epiſtolis*, *loquens in eis de his*, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu*, *quæ indocti & inſtabiles depravant*, *ſicut & ceteras Scripturas*, *ad ſuam ipſorum perditionem* &c. Hinc colligunt Paulum ſcripſiſſe Epiſtolam ad eoſdem, ad quos ſcribit Petrus; hoc eſt, ad Judæos in Aſiæ Minoris variis provinciis degentes, ad quos Petrus alteram Epiſtolam, non minùs ac priorem, dedit. Sed cur Paulus nomen ſuum non præmiſiſſet Epiſtolæ ſcriptæ, ad Eccleſias, quarum conditor fuerat? Quidni etiam interpretari liceat verba Petri, de Epiſtola ad Galatas, qui & ipſi pertinebant

6 *Sunt qui velint Petrum* &c.] *Joan. Millius* in Prolegomenis in Novum Teſtamentum.

bant ad Aſiæ διασποράν ſeu diſperſionem Judæorum Aſiaticam? Verùm ſunt, qui hanc Epiſtolam ad Jeroſolimitanos, ſeu Judææ Chriſtianos ſcriptam putent. Quod ſi admiſeris, verum non erit ad eoſdem miſſam, ad quos ſcribebat Petrus. Itaque non eſt cur eamdem eſſe putemus. Videtur reſpicere ad Rom. II, 4. ubi de Dei *longanimitate* ſimilia habet his, quæ docet hìc Petrus; diceréque ad Aſiaticos ſcriptam Epiſtolam, quæ ad Romanos data, eò quòd Epiſtolæ Pauli quamquam ad ſingulas Eccleſias & homines ſingulos miſſæ, omnium Chriſtianorum illius ævi communes jure haberentur, & præſertim eorum qui ejus monitis quàm maximè indigebant. ANN. LXIX.

Mentio fit Timothei in vincula conjecti & dimiſſi Cap. XIII, 23. quod non contigerat ante poſteriorem ad Timotheum, ubi nulla ejus rei, uti nec in priore, vel minima mentio; quam tamen Paulus non prætermiſiſſet, ſi quid ſimile contigiſſet, cùm ad laudem Timothei & conſtantiam in eo augendam multùm faceret. Itaque in vincula, poſt conſcriptas demum ad eum Epiſtolas, aut etiam poſt mortem Pauli, conjectus fuerit.

Videtur & Scriptor Epiſt. ad Hebræos Cap. II, 3. ſe eorum numero cenſeri velle, qui Evangelium acceperant ab iis, à quibus auditus erat ipſe Chriſtus, memoratâ enim ſalute à Jeſu adlatâ; *quæ*, inquit, *cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum*, *ab eis*, *qui audierunt*, *in nos confirmata eſt*; quod in Paulum non quadrat, qui Evangelium ab ipſo Jeſu-Chriſto & Deo accepiſſe ſe non falsò gloriatur, Gal. I, 1. & ſeqq.

Nec videntur ulli Romanorum hanc Epiſtolam rejicere auſuri fuiſſe, ſi eam à Paulo, & quidem Romæ ſcriptam conſtitiſſet. Attamen teſtatur *Hieronymus* [7] in Ep. ad Dardanum, quamvis non ſolùm ab Orientis Eccleſiis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiaſticis Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſciperetur, *pleroſque* tamen *vel Barnabæ*, *vel Clementis arbitratos*; additque *nihil intereſſe cujus ſit*, *cùm Eccleſiaſtici viri ſit*, *& quotidie Eccleſiarum lectione celebretur*, nec *Latinorum conſuetudine recipi inter Scripturas Canonicas*. Idem habet de Latina conſuetudine in Eſaïæ [8] Cap. VI. Cùm hæc Epiſtola ſcripta ſit ex Italia, ſi Pauli eſſet, notior res fuiſſet Latinis, quàm Orientalibus; minúſque proinde à Romanis, quàm ab aliis quibuſvis, rejici potuiſſet.

His probè expenſis, ſi quæratur quiſnam ergo ejus auctor haberi queat, nihil certi eſt quod reſpondeatur & pro explorato cuiquam obtrudatur; niſi quòd fuerit Apoſtolici Viri, quod res ipſa teſtatur, compleCtatúrque doctrinam verè Apoſtolicam. De auctore Veteres dubitarunt, ut vidimus, proindéque & nobis dubitanter quid ſuſpicemur dicere liceat oportet. Non abſurdè videtur vir ſummus *Martinus Lutherus* Scriptorem ejus habuiſſe *Apollo* Alexandrinum, *virum eloquentem* & *potentem in Scripturis*, ut docet Lucas Act. XVIII, 24. Certè Græcè tantùm norat

7 *Tom. II. col.* 608. *Ed. Ben.* 8 *Ejuſdem Ed. col.* 60.

ANN. LXIX. norat hujus Epiſtolæ Scriptor, peritúſque erat rationis, quâ Judæi Alexandriæ ſolebant Scripturam allegoricè interpretari, cujus ſingulare ſpecimen in Scriptis *Philonis* Alexandrini habemus, ac proinde aptus ad eos ex ipſorum ratiocinationibus ad Chriſtum adducendos. Quin & *Hugo Grotius* ad Cap. IV. & alibi, varia adtulit, quæ ſunt ei cum *Philone*, quem dixi, communia; & nos inſigne ejus rei exemplum adduximus, ad Cap. I, 3. in Addit. ad *Hammondum*.

3. Nec videmus ullum firmum argumentum proferri, quo ex hac ſuſpicione deduci poſſimus. Potiſſimas rationes, quibus hæc Epiſtola Paulo adjudicatur, rectè pariter, ac modeſtè, confutaſſe nobis videtur *Phil. Limburgius*, doctiſſimus Theologus, in Prolegomenis ad hanc Epiſtolam, nec quæ habet repetemus.

Sed vir eruditiſſimus [9], cui eximiam Editionem Novi Teſtamenti debemus, quaſdam alias profert ratiocinationes, quibus hanc Epiſtolam Paulo vindicet, quas breviter expendemus. I. Vult nomine *Hebræorum* intelligi Jeroſolimitanos, apud quos ante biennium (Epiſtolam autem hanc ſcriptam putat anno Æ. Chr. LXIII.) fuerat Paulus, unde fit ut Hebræos oret ut precibus ſuis, apud Deum, efficiant *quò celeriùs iis reſtituatur*, Cap. XIII, 19. quod colligit etiam ex Hebræorum nomine; quo vocabantur propriè, ut ait, indigenæ Terræ Sanctæ, ut diſtinguerentur ab Helleniſtis, ſicut adparet ex Act. VI, 1. Sed Hebræi illic dicuntur qui loquebantur *Hebraïcè*, aut Chaldaïcè, quo nomine vocati eſſent ipſi Babylonii Judæi, qui Chaldaïca Lingua utebantur; nec video cur *Hebræi* dici nequeant ipſi Judæi Helleniſtæ, cùm Paulus Tarſenſis ſe vocet *Hebræum ex Hebræis*, Phil. III, 5. Ac re verâ Hebræos, ut diximus, Chriſtiani poſtea vocarunt quoſvis Judæos, ſi præſertim è prole Iſraëlitica eſſent. Huc accedit quòd ii, ad quos hæc Epiſtola data eſt, nuſquam in ea *Hebræi* vocentur. Nomen hoc debetur Librariis, qui titulum huic Epiſtolæ, quemadmodum aliis Pauli litteris, præfixerunt, ut jam diximus. *Hebræi* vocabantur *Hebraïcè*, aut Chaldaïcè loquentes ob loquelam, cùm opponebantur *Helleniſtis*; eodémque nomine adpellabantur, qui è veteribus Hebræis orti erant, aut eorum dogmata ſequebantur, qui & vulgò *Judæi*. Potuit etiam *Apollos*, ab Alexandrinis Chriſtianis petere, ut Deum orarent, *quò ſibi brevi reſtitueretur*. II. Vult vir eruditus Epiſtolæ hujus auctorem reſpicere ad Presbyteros Jeroſolimitanos, & præſertim ad Jacobi, fratris Domini, Martyrium, Cap. XIII, 7. ubi hortatur eos, ad quos ſcribit, ut *meminerint præpoſitorum ſuorum, qui iis loquuti fuerant verbum Dei, eorúmque intuentes exitum converſationis, fidem imitentur.* Sed ad martyria minimè reſpexiſſe Epiſtolæ hujus ſcriptorem liquet ex Cap. XII, 4. ubi eos ad quos eam dedit, *adhuc uſque ad ſanguinem reſtitiſſe* negat; quod nec in Jeroſolimitanam Eccleſiam quadrat, in qua *Stephani*, & *utriuſque Jacobi*,

9 Joan. Millius *in Proleg. N. T. p. X. c. 1.*

cobi martyria, & alia fortaſſe conſpecta fuerant. In Ægypto verò, ubi ANN.
tot Religiones ferebantur, non incredibile eſt, ad hæc tempora, non LXIX.
admodum vexatos fuiſſe Chriſtianos; adeóque hæc non abſurdè de Chriſtianis Ægyptienſibus intelligi queant. Ad eoſdem etiam Collegii Jeroſolimitani Presbyteros reſpici vult verſ. 17 & 24. ubi Hebræi jubentur *obedire & ſubjacere præpoſitis ſuis, eósque ſalutare.* Quod tamen non video cur non ad Eccleſiæ Alexandrinæ à Marco, ut aiunt, conditæ, Rectores referri nequeat. III. Sed Hebræos Paulus adloquitur, ut putat vir eruditus, quaſi vinculis ſuis συμπαθήσαντας, ita ut Apoſtolum vel inde agnoſcere liceat, & Jeroſolimitanos ipſos; qui graviter tulerant Pauli vincula, dum Cæſareæ manſit. Fateor Cap. X, 34. in Editionibus, quæ è Complutenſi manarunt, legi τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, ſed in antiquiſſimis Codicibus, Verſionibus & Interpretibus legi obſervat is, cum quo nobis res eſt, pro δεσμοῖς μου, δεσμίοις, quæ vox quoſvis in vincula conjectos ſignificat, ut & Cap. XIII, 3. éſtque mutata in δεσμοῖς μȣ ab iis, qui à Paulo hanc ſcriptam Epiſtolam volebant, ut fatetur ipſe *Millius*, ubi agit de Exemplaribus N. T. quibus uſus *Clemens* Alexandrinus. IV. Denique Paulum ejus auctorem eſſe liquere putat vir induſtrius, quòd ſic loquatur C. XIII, 24. *cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum, cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* Quod à nemine dici potuiſſe exiſtimat, niſi à Paulo. Sed hæc verba non ſunt neceſſariò hominis Timotheum diſcipuli loco habentis, nam quiſquis eum amicum habuit, & iter facturum ſe cum eo ſperavit, his aut ſimilibus verbis uti potuit. Certè Paulus, ut jam antea diximus, nuſquam vinculorum Timothei mentionem in ſuis ad eum Litteris fecit, quas tamen poſt Epiſtolam ad Hebræos ſcriptas putat is, cum quo nobis res eſt; qui plura hac de re non habet, quibus quidquam reponere neceſſe ſit, cùm jam ſint in ſuperioribus confutata.

4. Quærentibus quo tempore & unde ſcripta ſit Epiſtola ad Hebræos, nihil eſt quod reſpondeamus, niſi I. ſcriptam fuiſſe, cùm Judæi adhuc gloriarentur Templo Jeroſolimitano & Sacerdotio Moſaïco; de quibus ubique loquitur Scriptor, ut etiamnum ſtantibus; ſed poſt mortem Pauli, cùm vinculorum Timothei meminerit: II. datam eſſe ex Italia, ut liquet ex Cap. XIII, 23. ubi Hebræos (quicumque illi fuerint) *ſalutari* ait *à fratribus ex Italia*; ſed non eſſe miſſam per Timotheum, qui nondum aderat cùm abſolveretur Epiſtola, & Scriptoris comes futurus erat, non tabellarius. Notum eſt additamentis illis, de iis per quos Epiſtolæ latæ ſint, fidem nullam haberi poſſe, niſi cum ipſis Epiſtolis conſentiant.

5. Denique quæ materies & finis hujus Epiſtolæ ſint ex re ipſa ſatis liquet; tota enim eò ſpectat, ut oſtendat ſcriptor Legi & Sacerdotio veteri longè Legem novam & Sacerdotium Chriſti eſſe præferenda; ac proinde non eſſe deſerendos cœtus Chriſtianos, nec ad Judaïcos ritus iterum deficiendum, Cap. II, 1. & ſeqq. quæ defectio ejuſmodi futura

 erat

ANN. LXIX. erat, iis qui antea Chriſtianiſmum amplexi eſſent, ut difficillimum foret, tanti delicti pœnitentiam agere & veniam à Deo impetrare, quod diſertè docet Scriptor Sacer, Cap. VI, 4. *& ſeqq.* iterúmque Cap. X, 26. *& ſeqq.* & quidem iis verbis, quæ Judaïzantes Chriſtianos, ſi quid fuit in iis veri Chriſtianiſmi, abſterrere debuerunt, ne à perfectioribus ad jejuniora relaberentur.

I. Cap. I. oſtendit eò præſtantius eſſe novum Fœdus vetere, quò præſtantior eſt Filius, per quem novum, quàm Angeli, per quod vetus adlatum fuerat; unde colligit Cap. II. graviores pœnas daturos qui Evangelicum, quàm qui Moſaïcum Fœdus ſpreverint. Pergit Cap. III. demonſtrare excellentiam Chriſti Filii Dei, quâ longè Moſem, qui ſervus dumtaxat fuit, anteit; ac proinde Chriſto per omnia parêre nos oportere, ne, ut Judæi olim, ob incredulitatem, in promiſſam terræ Chananææ quietem non ſunt admiſſi: ſic nos à quiete cœleſti, quam promiſit Chriſtus, contumaciâ noſtrâ, excludamur; quod & Cap. IV. confirmat.

II. Cap. V. Sacerdotii Chriſti naturam & excellentiam exponere adgreſſus, vereri ſe oſtendit ut ii, ad quos ſcribit, tam ſublimis doctrinæ ſint capaces; & Cap. VI. poſtquàm dixit elementa Religionis ſe jam omiſſurum, de quibus tamen ſe aliàs acturum pollicetur, graviter monet ne in Judaïſmum relabantur; cùm ejuſmodi ad deteriora regreſſûs vix ſperari poſſit venia, & hortatur ut Abrahamum imitentur, qui Deo juranti credidit, ut eorumdem beneficiorum participes fiant. His præmiſſis probat Cap. VII. Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum, qui nec deceſſorem habuit, nec ſucceſſorem habebit; quemadmodum Melchiſedekus, cujus Sacerdotium propterea Levitico præſtantius fuit, ut & quòd ab Abrahamo Levis proavo decimas acceperit. Tum excellentius longè eſſe docet Sacerdotium Chriſti, quàm Leviticum, Cap. VIII. quòd eo munere in cœlo ipſo, cujus Templum levis adumbratio tantùm erat, Chriſtus functus ſit, & melioris fœderis internuncius fuerit, quod à Jeremia prædictum fuerat. Quod probat & Cap. IX. ubi victimarum Leviticarum uſum oſtendit non poſſe conferri, cum uſibus victimæ novi Fœderis Jeſu-Chriſti, qui ſimul Sacerdos fuit, animos à peccatis emundavit, &, inſtar Teſtatoris, Teſtamentum novum morte ſuâ ratum fecit. Quam rem, ut docet Cap. X. veluti, adumbratâ delineatione, Lex Moſaïca deſcripſerat; ſed repetitis ſacris, non potuerat repræſentare vim ſacrificii ſemel oblati, nec umquam iterandi; quamvis apud Prophetas non obſcurè Deus victimas ſibi per ſe nequaquam acceptas eſſe, ut ſanctitatem morum, ſignificaſſet. Quare oportere & Chriſtianos fide, ſpe, caritate & bonis operibus ornatos accedere ad participationem Sacrificii Chriſti; quod non poteſt ſperni, ſine graviſſimis pœnis, cùm ne Legem quidem Moſaïcam impunè contemni paſſus olim ſit Deus.

III Reliqua Epiſtolæ eò ſpectant, ut qui eam accepturi erant, ad omnis generis virtutes perducerentur, & primùm quidem ad fidem; hoc eſt,

eſt, ad eximiam de Deo opinionem, quam fidelis & conſtans obedientia comitatur, quod multis è Vetere Teſtamento exemplis illuſtrat Cap. XI. hujus Epiſtolæ Scriptor, quæ eo conſtantiùs ſequi oportebat Chriſtianos, quòd ii demum conſummationem divinorum erga humanum genus beneficiorum, vidiſſent. Cap. XII. gravis eſt adhortatio ad conſtantiam, ab exemplo Chriſti; à bonitate Dei, qui ſuos premi interdum patitur; à præſtantia denique Evangelii, cujus relicti majus erit, quàm abnegatæ Legis Moſaïcæ ſupplicium, quòd eâ multò præſtet. Denique Cap. XIII. proponuntur variæ virtutes Chriſtianis conſtanter colendæ, quas inter obſequium erga Eccleſiæ Rectores ab iis poſtulatur; clauditúrque precibus in gratiam eorum ad quos ſcripta eſt, à quibus & mutuæ preces petuntur, additis ab Italiæ Chriſtianis ſalutationibus. ANN. LXIX.

Quiſquis hæc adcuratè leget facilè per omnia Apoſtolicam doctrinam, de controverſiis Chriſtianos inter & Judæos aut Judaïzantes Chriſtianos eorum temporum, animadvertet; quibus vix ullus, everſo Jeroſolimitano Templo, exſtinctóque Levitico cultu, & magnâ parte Judææ Gentis ad internecionem deletâ, locus eſſe potuit. Nullum hîc recentiorum ævo Apoſtolico dogmatum, controverſiarum, aut rerum vel minimum veſtigium. Ratiocinationes ejuſdem ætatis ſunt, quibus ſæpe, è Scriptura allegoricè expoſita, illuſtrantur Evangelicæ doctrinæ; prout, per uſum ejus temporis Judæorum, ut ex *Philone* liquet, jus & fas erat; ita tamen ut, ſi quid conſuetudini Judæorum concedatur, aut concedi videatur, in ratiocinationis modo & forma, dogma ipſum per ſe & aliunde demonſtrari firmioribus argumentis poſſit. Verba quoque nihil habent, quod inferius ævum vel minimùm redoleat. Si quid ſit in dictione elegantius & floridius, quàm in ceteris Apoſtolicis Scriptis; elegantia tamen & vocum delectus ſunt cum ſumma gravitate & ſimplicitate conjuncta. Uno verbo, nec res, nec ratio quâ exponuntur, nec dictio quidquam ſpirant, quod non ſit Apoſtolicum & θεόπνευςον. Qua in re, & nos & omnes, qui de hac Epiſtola ſcripſerunt, quamvis de Auctore in diverſa abeamus, tamen conſentimus. Sed jam ſatis ſuperque de hac Epiſtola.

VI. 1. Eodem circiter tempore ſcripta cenſetur à *Clemente*, qui tum Eccleſiæ Romanæ præerat, Epiſtola ad Corinthios; quæ è Codice Alexandrino edita [10] eruditiſſimis quibúſque viris genuina viſa eſt. Ex tota Epiſtola liquet occaſionem ſcriptionis fuiſſe diſſidia quædam in Corinthia Eccleſia, per Pauli abſentiam, aut poſt mortem, orta. Unde intelligere licet non ejuſmodi fuiſſe Corinthios, cujuſmodi debebant eſſe Pauli diſcipuli, ſummâ curâ ab Apoſtolo, cùm ore, tum Scriptis, inſtituti, & caſtigati etiam aliàs ob contentionis ſtudium & diſſentiones,

10 *Eruditiſſimis quibusque viris* &c.] Eorum teſtimonia collegimus in fronte Editionis Epiſtolæ hujus Amſtelodamenſis, in collectione *Patrum Apoſtolicorum*.

ANN. LXIX. nes, quæ inter eos erant, 1. Cor. I, 10. XI, 18. & alibi. Amorem mutuum etiam ita laudarat, ut quibuſvis donis cœleſtibus longè eum præferret, Cap. XIII, 1. & ſeqq. Attamen ne ex ejus quidem dictis fraternum amorem, & pacis ſtudium didicerant. Quod illis exprobrat *Clemens* Cap. XLVII. *Turpia ſunt*, inquit, *ac valde turpia & indigna vitæ Chriſtianæ inſtituto, audiri firmiſſimam & antiquam Corinthiorum Eccleſiam propter unum & alterum hominem, in Presbyteros ſeditionem movere. Atque is rumor non tantùm ad nos pervenit, ſed ad eos quoque, qui à nobis alieni ſunt; adeò ut, propter veſtram inſaniam, convicia dicantur nomini Domini, & vobis periculum creetur.* Qui ita ſe gerebant digni non erant tanto Magiſtro; ſed ubique videmus, poſtquàm Deus curaſſet hominibus Evangelicam veritatem nunciari, eáque præberi argumenta & exempla, quibus ut ei parerent adduci poterant, libertati ſuæ eos permiſiſſe, quâ plerumque ſunt abuſi. Cujus rei cauſa hæc adferri queat, Deum providiſſe ne ſapientiâ & bonis moribus diſcipulorum Apoſtolorum conciliati ei homines, magis, quàm divinitate ipsâ doctrinæ, viderentur.

2. Ceterùm Epiſtolam *Clementis* ad Corinthios, quamvis ſine dubio genuinam, non immeritò viri docti auctam à neſcio quo impoſtore animadverterunt; qui cùm cariùs eam vendere, ut videtur, cuperet, multa è *Clemente* Alexandrino, huic noſtro, peſſimo exemplo, adſuit; [11] quod alibi etiam pluribus oſtendimus. Sed vereor ne & alia ſint loca, quæ non facilè nunc à genuinis ſecernere poſſimus, ab impoſtore addita. Inter hæc referenda videtur ratiocinatio de Phœnice, quæ habetur Cap. XXV & XXVI. Primùm enim falſam eſſe ipſa Ratio ſuadet, cùm è carne putrefacta animalis non poſſit naſci vermis, & qui quidem in eximiam illam avem convertatur. Tam poteſt hoc fieri, quàm potuit initio rerum è luto, ſolo calore Solis, ſine interventu Intelligentis ullius Naturæ, omne animalium genus naſci; ut probè norunt adcuratiores Phyſici, qui ne minimum quidem Inſectum ſic formari poſſe concedent.

11 *Quod alibi* &c.] *Art. Crit.* P. 3. *Sect. II.* C. V, 12. *& ſeqq.* Poſtea animadverti idem olfeciſſe virum illuſtrem, & Galliæ, ſuo tempore, decus *Hieronymum Bignonium* (cujus nepos *Joan. Paulus Bignonius*, ardum avi veſtigia feliciter ſequitur, laudem & amorem litteratorum omnium conſequutus eſt) in Epiſtola Gallica, quâ *Hug. Grotium* de Epiſtola Clementis recèns edita conſulebat anno MDCXXXIII. Quamvis non dubitanter quin hæc ſit vera & genuina Clementis Epiſtola, pro ſuo acumine, agnoſcat, attamen non diſſimulat „ in ea „ eſſe nonnulla, quæ à ſtylo ævi Apoſto- „ lici aliena aliquo modo videntur. Mihi „ videor, *inquit*, videre illic Epitheta „ frequentiora, & loquendi genera, am- „ pliationis cauſâ addita; quæ redolent „ rationem ſcribendi, quæ poſtea inva- „ luit, & ſimilia iis quæ in Liturgiis & „ Euchologiis Græcorum occurrunt. Ar- „ gumentum è Phœnice deſumtum, ejúſ- „ que avis deſcriptio non videntur eſſe „ Clementis, qui proximè Apoſtolis ſuc- „ ceſſit; quamvis poſteriores iis ſint uſi, „ ſed contra Ethnicos & Philoſophos, & „ in Scriptis alîus generis, non in Epiſ- „ tola ad Apoſtolicam Eccleſiam ſcrip- „ ta, & quæ aliquamdiu Canonicæ inſ- „ tar habita eſt. Tum quibuſdam additis, quibus reſpondit *Hugo Grotius*, in Epiſtola, quæ eſt poſterioris Ed. Epiſtola-

dent. Quare ejuſmodi fabulam à *Clemente*, Pauli diſcipulo, proferri confidenter, in re tam gravi, quaſi veram (nam ne verbulo quidem ſe de ea dubitare oſtendit qui hæc ſcripſit) potuiſſe à me non impetro ut credam. Deinde quod additur Phœnix oſſa progenitoris ſui, in aram Solis Heliopolitanam adferre, vix in Chriſtiano Scriptore ferri queat; cùm hoc neſcio quid complectatur, quod ad confirmationem cultûs Solis trahi poſſet. ANN. LXIX.

3. Meritò viri docti, non multò poſt Martyrium Petri & Pauli, ſcriptam hanc Epiſtolam volunt, cùm Cap. V. eos ἔγγιςα γενομένυς ἀθλητὰς, *athletas, qui proximè fuerunt*, vocet; & quidem ſtante Templo Jeroſolimitano, cujus ſacra, quaſi etiamnum in eo facta, memorat Cap. XL & XLI. Sunt quidem nonnulla inferioris ævi, qualia diximus, ſed ſi integram Epiſtolam diligenter expendamus, monumentum illius ætatis eſſe non dubitabimus; cujus rei rationes, in Editione Amſtelodamenſi, invenire licebit.

4. Obſervant [12] viri quidam eruditi, in *Clementis* Epiſtola, aliiſque antiquioribus Scriptis, cùm proferantur loca multa, etiam prolixiora, è Vetere Teſtamento; nullam tamen ex Evangeliis, aut Epiſtolis pericopen adcuratè citari. Quod putant ideò factum, quia nondum ab Eccleſia Chriſtiana conſtitutus erat Canon, ſeu index librorum Novi Teſtamenti, qui in tabulariis Eccleſiarum latebant, paucique ſingulis ſuppetebant, nec eorum erat auctoritas, quæ poſtea fuit, in Canonem ab Eccleſia relatis. Malim dicere ſcripſiſſe *Clementem* ad imitationem Pauli, & Petri, qui non niſi Veteris Teſtamenti libros citabant, illo initio, notiores iis quibus ſermones Chriſti continebantur; quia plerique è primis Chriſtianis aut Judæi, aut Proſelyti Religionis Judaïcæ fuerant. Nondum quidem in unum corpus collecti erant Libri Novi Teſtamenti, qui nec dum omnes exſtabant, nec erant uſque adeò ſparſi, ac Libri Veteris ab aliquot ſæculis Græcè verſi, & à Judæis Helleniſtis ubique lectitati. Attamen non dubito quin ii, qui Evangelia habebant, & probè norant à quibus eſ-

tolarum ad Gallos LXII. ſic ſententiam ſuam exprimit. „ Denique cùm librum „ genuinum exiſtimem; puto tamen varia „ loca & verba ab iis addita, à quibus „ exſcriptus eſt; quod multis paris antiqui- „ tatis Scriptis & ipſi *S. Clementi* contigit. Tandem *Grotii* ſententiam hiſce de rebus exquirit, qui ei anno ſeqûente repoſuit, & dubitandi rationes nonnullas ſolvit, ceteras omiſit. Nec *Epiſtolam modò genuinam arbitratus eſt, ſed & nulla adulteræ manûs veſtigia in ea agnovit.* Adquievit quidem *Bignonius* in reſponſo *Grotii*, quem jure maximi faciebat; ſed oſtendit tamen Hiſtoriam de Phœnice, aliáque ad amplificationem rhetoricam facientia ſibi etiamnum ſuſpecta eſſe; qua in re acutiùs de *Clementis* Epiſtola, qualis ad nos pervenit, judicavit quàm *Grotius*. Præfixæ ſunt ejus, hac de re, Epiſtolæ Editioni Formularum *Marculfi* anni MDCLXV.

12 *Viri quidam Eruditi* &c.] *Henr. Dodwellus*, Diſſert. Iren. I. & *Joannes Millius*, Prolegom. in Novum Teſtamentum. Priorem jam confutavimus in Diſſert. de Evangeliſtis, Harmoniæ Evangelicæ ſubjecta; mirúmque eſt à *Millio*, ſine adcuratiore examine, exſcriptam ſententiam prorſus everſam, & cum reverentia Librorum N. T. quam præ ſe ferunt Chriſtiani, minimè conſentientem.

ANN. LXIX.

eſſent ſcripta & quanta fide digna, quique Apoſtolicas Epiſtolas nonnullas aut pleraſque nacti erant, ſciebántque eſſe genuinas, iis Scriptis minimùm parem auctoritatem tribuerent, ac propheticis; quæ non magis ſunt iis conferenda, quàm Religio Judaïca Chriſtianæ; hoc eſt, quàm, crepuſculum luci meridianæ. Propter hæc Scripta, mortuis jam Apoſtolis pleriſque, aliiſque factorum & dictorum Chriſti teſtibus, erant Chriſtiani; non propter traditionem neſcio quam incertam, dubiámque & ratiocinationes Rectorum Eccleſiæ, quibus per omnia fidere non poterant. Gravem injuriam imprudentes faciunt Chriſtianis Veteribus, qui non putant eos ſermonum Chriſti, quàm omnium Prophetarum, ſtudioſiores fuiſſe.

5. Dubitant iidem viri docti, annon indidem, hoc eſt, ex incerta auctoritate librorum Apoſtolicorum, factum ſit ut primævi, poſt Apoſtolos, Scriptores, cùm aut Evangeliorum, aut Epiſtolarum quempiam locum referunt, neque libri ubi exſtat, neque Scriptoris nomen addant. Sed non ſatis adtentè eos legiſſe videntur, nam paſſim etiam, in Vetere Teſtamento citando, ſic ſe gerunt,[13] ut videre eſt in *Clemente* & *Barnaba*. Sed, inquiunt, loci ipſa verba raro proferunt, verùm ſententiam eorum exprimere ſatis habent. At ſæpe etiam, in Veteris Teſtamenti citationibus, ſententiæ rationem majorem habent, quàm verborum. Addunt eos nec ab Apocryphorum teſtimoniis abſtinere, ſed ea promiſcuè cum Apoſtolicis ipſis θεοπνεύςοις, à quibus nondum ullâ notâ ac cenſurâ Eccleſiæ publicâ diſtincta fuerant, pro re nata, adlegare. Si tamen adtentè legas *Clementem*, hæc omnia ficta deprehendes. Quædam ſunt non è Novo tantùm, ſed & Vetere Teſtamento, citationes non verbotenus prolatæ, ſed ad ſenſum quod adtinet aptæ & veræ; ut quæ fit *ſermonum Domini Jeſu* (quo nomine Evangelia à Clemente ſignificantur) Cap. XIII. è Luc. VI, 36. & ſeqq. & Cap. XLVI. è Matth. XXVI, 24. Marc. IX, 42. Luc. XVII, 2. Matth. XVIII, 16. ubi plura ſimul loca proferuntur è *ſermonibus Jeſu Domini noſtri*, quemadmodum [14] Paulus ipſe aliquando Vetus Teſtamentum laudat. Nihil hîc eſt Apocryphi, omnia inveniuntur in Evangeliis noſtris, ad rem ipſam quod ſpectat, quamvis eadem verba non ſint. Nec opus fuit auctoritate Eccleſiæ, ut conſtaret Chriſtianis genuina & fide digna eſſe Evangelia quæ habemus, itémque Epiſtolas Apoſtolicas eorum verè eſſe, quorum nomina præferunt; nam multi etiamnum vivebant, qui Auctores probè norant & eorum Autographa videre potuerant, quorum [15] etiam aliquot ſeriùs fortè ſervata fuerant. Quo admiſſo, ea Scripta nullam, ex Canonis conſtitutione Eccleſiaſtica, auctoritatem accipere poterant. Res ipſæ & auctores probè noti auctoritatem, quæ eis debebatur,

13 Vide margines utriuſque, in Editione Coteleriana, aut Amſtelodamenſi.

14 *Paulus ipſe* &c.] In Epiſtola ad Romanos ſæpiùs, & alibi, ut vel levi examine locorum citatorum liquebit.

15 *Quorum etiam aliquot* &c.] Hoc adfirmare videtur *Tertullianus*, de Præſcriptionibus c. XXXVI. *Age jam, qui voles curioſi-*

batur, pepererunt. Joannes ipſe Apoſtolus, qui tamdiu aliis omnibus ſuperſtes fuit, facilè genuina à ſpuriis ſecernere potuit, atque auctoritate ſuâ litem omnem dirimere. Quod etiam, ut puto, fecit; neque enim mihi perſuadere queam tam ſupinæ negligentiæ fuiſſe primævos Chriſtianos, aut tam bardos, nullâ ut curâ tenerentur cognoſcendi quid ipſe dixiſſet Dominus Jeſus, ab iis qui ſermones ejus Scriptis mandarant, quorum ipſi auditores fuerant; útque in eo ſtupore torperent, per triginta, aut quadraginta annos, vel etiam plures, ex quo conſcripta Evangelia fuerant; quæ, qualia habemus, pluris multò ſunt, quàm omnia aliorum omnium, quicumque ſint, dicta aut Scripta. Sed hac de re, jam egimus in Diſſert. de IV. Evangeliis. Quæ contrà dicta ſunt eò ſpectant, ut Scripturæ Novi Teſt. auctoritas omnis detrahatur, totáque pendeat è Traditionibus Sæculi II. quas fumo leviores fuiſſe conſtat. His & talibus figmentis, ſi obtinerent, Eccleſia Chriſtiana in factionem hominum carnalium, qui auctoritatem non Chriſto, ſed ſibi, ac proinde opes & delicias, non Veritatem Evangelicam & Virtutem quærerent, mutaretur.

ANN. LXIX.

6. Ceterùm quamvis nulla Apoſtolorum Epiſtola hîc laudetur, præter priorem Pauli ad Corinthios, de qua vide Cap. XLVII. ſunt manifeſtæ adluſiones ad Epiſtolam ad Hebræos, Capp. XI, XII, XVII, XXXVI, XLIII. unde liquet ejus Epiſtolæ antiquitas. Sunt & aliæ Cap. XXIII. ad ſententiam eorum, quæ leguntur Jac. I, 8. IV, 8. 2. Pet. III, 4. Nec dubito quin ſententia verborum Jacobi & Petri vocetur γραφὴ *Scriptura*, non minùs ac Scripta Prophetarum Veteris Teſtamenti. Sic & 2. Pet. III, 16. recenſentur Epiſtolæ Pauli, inter τὰς λοιπὰς γραφάς, *reliquas Scripturas*. Similiter & *Barnabas* Ep. c. IV. citat Matthæum, eo modo quo Scripturam laudare Judæi ſolebant: *Adtendamus ergo, ne fortè, ſicut ſcriptum eſt*, multi vocati, pauci electi *inveniamur*. Ex quibus omnibus liquet Apoſtolicos libros, jam ab iis temporibus, *Scripturam*, non minùs ac Vetus Teſtamentum, eſſe dictos.

7. Tota autem hæc *Clementis* Epiſtola eò ſpectat, ut diſſentionibus, æmulationibus, rixis, ſeditionibúsque in Presbyteros omiſſis, Corinthii ad concordiam, caritatem mutuam, obſequiúmque priſtinum, erga Eccleſiæ Rectores, redirent; quod factum eſſe credibile eſt, certè ex Apoſtolica doctrina fieri debuit. Dignum hîc eſt obſervatu *Clementem* ad Corinthios ſcripſiſſe, non jure quodam, quo ceteris Epiſcopis præeſſet, ſed ex mera Chriſtiana caritate, ſtudióque pacis in Eccleſia Corinthia, reſtituendæ; ne diſſidia ei nocerent, exemplúmque ad alias ſerperet. Ubique rationibus nititur è Scriptura petitis, nuſquam pro imperio quidquam Corinthiis imponit, neque ullas cenſurarum Eccleſiaſtica-

rioſitatem meliùs exercere, in negotio ſalutis tuæ; percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem unius cujuſque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum &c.

ANN. LXIX. ſiaſticarum minas miſcet. Sic & poſtea Sæculo II. ſe geſſit *Dionyſius* Corinthius, qui cùm ad alios, tum ad Romanum ipſum Epiſcopum Soterem litteras dedit, quibus eos ad pietatem & conſtantiam Chriſtianam hortaretur; qua de re, ad annum CLVI. dicemus. Nihil addam hîc de Epiſtola II. ad Corinthios, quæ potiùs Homiliæ fragmentum eſt, & quidem ab alio ſcriptæ. Nec memorabuntur à me *Clementinæ Homiliæ*, *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, aliáque Scripta *Clementi* perperam tributa, ut viri docti dudum oſtenderunt.

VII. 1. Hisce temporibus, ſcripti ſunt libri *Hermæ*, quem putant eum eſſe qui ſalutatur à Paulo Rom. XVI, 14. Certè Mulierem è cœlo miſſam, quæ erat Eccleſia, aut Angelum Eccleſiæ perſonam agentem, his verbis ſe adloquentem inducit Lib. II. Viſione 1.1, 3. *Scribes duos libellos & mittes unum Clementi & unum Grapte* (Γραπτῇ.) *Mittet Clemens in exteras civitates, illi enim permiſſum eſt. Grapte autem commonebit Viduas & Orphanos. Tu autem leges, in hac Civitate* (Romæ) *cum Senioribus, qui præſunt Eccleſiæ.* Volunt Viri Docti ea eſſe apud *Hermam*, quæ oſtendunt etiamnum ſtetiſſe Templum Jeroſolimitanum, cùm ſcriberet; [16] quod tamen minimè liquet. Sed opus eſt, ſine dubio, antiquiſſimum, Græcè ſcriptum, at cujus exſtat tantùm verſio Latina, eáque antiqua; ad quam acceſſerunt fragmenta quædam Græca, apud veteres Scriptores inventa.

2. Conſtat tribus libris, quorum primus complectitur *Viſiones*, quas interpretatur *Hermæ* in ſomnis Mulier quædam, quæ Eccleſiæ perſonam agit; ſecundus *Mandata*, vel præcepta ad pietatem pertinentia, tradita Hermæ à *Paſtore*, hoc eſt, ab Angelo cui cuſtodia ejus mandata fuerat; tertius *ſimilitudines*, eodem pertinentes. Sunt quidem nonnulla, in hujus Operis doctrina [17] ſingularia, ut quæ habentur de Angelo

16 *Quod tamen minimè liquet.*] Habet hoc *Millius* Prolegom. in N. T. ubi laudat Hermæ Lib. I. Vis. II, 2. ubi nihil legitur, quod eò pertineat; nec memini quidquam eam in rem alibi occurrere.

17 *Singularia* &c.] Angeli Pœnitentiæ præfecti meminit in fine Procemii Lib. II. ubi poſtquàm dixit paſtorali habitu ſibi conſpicuum factum eſſe & miſſum ut curam ſui gereret; *hæc omnia*, inquit, *præcepit mihi ſcribere Paſtor ille, nuncius pœnitentiæ*; & ſic inducit loquentem eodem Libro Mandato IV, 2. *Ego præpoſitus ſum pœnitentiæ & omnibus pœnitentiam agentibus ſenſum do.* Multùm eſſet negotii uni Angelo, quantacumque eſſet ejus potentia, ſi omnes pœnitentes ei eſſent curandi. De Pœnitentiæ verò tempore præſtituto, ſic loquitur Lib. I. Viſione II, 2. *Juravit dominator ille, per gloriam ſuam, ſuper electos ſuos, præfinitâ iſtâ die, etiam nunc, ſi peccaverit aliquis, non habiturum illum ſalutem. Pœnitentiæ enim juſtorum habent fines, impleti ſunt dies pœnitentiæ omnibus ſanctis; Gentibus autem pœnitentia uſque in noviſſimo die.* Si vellet hoc tantùm, Deum præſtituiſſe tempus, ad quod ſingulorum hominum pœnitentiam exſpectaret, quod tempus omnium morte clauditur, nihil eſſet quod carperetur. Si vellet etiam, ad Gentes integras quod adtinet, Deum interdum impœnitentium pœnas differre ad certum tempus, ultra quod non ampliùs exſpectat, ſed ſupplicium de iis ſumit; non deeſſent loca Scripturæ, quibus Deum ita ſæpe ſe geſſiſſe liquidum fieret. Fortè hæc loca ejus animo obverſabantur. Docet etiam Lib. II. Mand. IV, 3. pœnitentiam eſſe unicam, quæ in Baptiſmo agitur: *Alia pœnitentia non eſt, niſi illa cùm in aquam deſcen-*

gelo Pœnitentiæ Præfecto, déque Pœnitentia, cui certum tempus eſt præſtitutum; quam duplicem eſſe adfirmat, unam, quæ in Baptiſmo agitur, alteram, quæ poſt Baptiſmum, ſi quod peccatum admiſſum fuerit; & cujus ſpiritum dat Deus iis, quos eo rectè uſuros prævidet; at cetera, niſi malignior accedat interpretatio, à communibus Chriſtianorum placitis non multùm abeunt. Stylus eſt ſimpliciſſimus, primævam antiquitatem omnino redolet, nec quidquam habet quod ſequioris ætatis ſit. Si vera eſſent quæ de *Viſionibus* narrat ſibi ab Angelis oblatis, liber hic eſſet quaſi propheticus admittendus; quod fecit [18] *Irenæus*, qui eum *Scripturæ* nomine honeſtat. Sed ſi falſa ſint, in eorum numero erit habendus, qui *piis fraudibus*, ut vocant, plebem ad pietatem adduci poſſe credidit, quod conſilium nemini paullò prudentiori probari poteſt. Antiquiores, [19] ut *Irenæus*, & *Clemens* Alexandrinus, magno eum in pretio habuere, ſed à recentioribus ſpretus eſt; ut intelligere licebit è teſtimoniis à *J. B. Cotelerio* ejus Operis Editioni præmiſſis. ANN. LXIX.

3. Obſervarunt [20] Viri Docti, cùm ſenſus *Hermas* proferat Apoſtolicis conſimiles, nuſquam tamen Apoſtolorum diſerta verba ab eo adduci; unde colligunt Libros Novi Teſtamenti, antequàm Canon eſſet conſtitutus, eam auctoritatem non obtinuiſſe, quæ poſtea iis adtributa eſt. Sed ne ullum quidem Veteris Teſtamenti locum profert, nec poterat Novi auctoritatibus uti, quòd Viſiones, Angelica Monita, & Similitudines narret. Nullus hîc erat citationibus locus, ſive viſa ſcripſerit, ſive ſomnia ſua pro veris venditarit. Non eſt ergo cur propterea Librorum Apoſtolicorum venerationem & auctoritatem ad initium ſæculi ſecundi, præter omne jus & fas, & omnem etiam veriſimilitudinem differant. Iis libris debuerunt Rectores Eccleſiæ Chriſtianæ reverentiam, quæ iis exhibebatur, quali Judæi Prophetica Scripta, nullâ conſeſſûs

deſcendimus, & accipimus remiſſionem peccatorum noſtrorum, & inferiùs: *poſt vocationem illam magnam & ſanctam, ſi quis tentatus fuerit à Diabolo & peccaverit, unam pœnitentiam habet. Si autem ſubinde peccet & ſubinde pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti, difficilè enim vivit Deo.* Profectò eum verè non pœnitet peccati, præſertim gravioris, in quod ſubinde relabitur; è frequentioribus enim lapſibus liquet eum habitu peccandi etiamnum laborare, nec piè ſe gerere, niſi contra habitum, quem non exuit. Ideò, ut notat *Joan. Fellus*, hæc ſententia eſt à vetere Eccleſia adprobata. Tandem Lib. III. Simil. VIII, 6. docet pœnitentiæ Spiritum à Deo iis dari, qui *digni ſunt agere pœnitentiam*; hoc eſt, *quorum videt Dominus puras mentes futuras & ſervituros ei ex totis præcordiis. Illis*, inquit, *tribuit pœnitentiam; at quorum reſpexit dolum & nequitias & animadvertit ad ſe fallaciter reverſuros, negavit iis ad pœnitentiam regreſſum, ne quando rurſus legem ejus nefandis maledicerent verbis.* Iis temporibus, neque *prævidentia operum*, neque *arbitrii libertas*, errores habebantur. Itaque quamvis verum non ſit: ſolis, ad finem uſque vitæ, conſtanter pietati adhærentibus concedi ſpiritum pœnitentiæ; cetera damnari nequeunt, quaſi peculiaria *Hermæ*.

18 Lib. IV. c. 37. ex vet. diviſ. è nova 20.

19 *Ut Irenæus* &c.] Studioſè loca Veterum *Hermæ* honorifica collegit *Joan. Pearſonius* Ignatianarum Vindiciarum Parte I. c. 4. quæ vide.

20 *Viri docti* &c.] *Henr. Dodwellus*, Diſſert. I. Irenaïcâ & *Joan. Millius*, Prolegomenis in N. T.

ANN. LXX. ſeſſûs ullius auctoritate exſpectatâ, proſequuti ſunt; nec pondus ullum iis, aut dogmatibus quæ complectuntur, adſenſu ſuo addiderunt.

T. Flavio Veſpaſiano Aug. cum cognomine Filio COSS. *Veſpaſiani Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti* LXX.

I. Vespasianus, profecto in Italiam Muciano, Cæſennium Pætum Syriæ præfecit, auditáque ſuorum victoriâ Romam & ipſe navigavit; belli Judaïci conficiendi curâ Tito filio mandatâ, qui Alexandriæ ad omnia eam in rem paranda aliquamdiu manſit. Ubi dum moraretur, Jeroſolimæ nova exorta eſt factio. Simon quem Jeroſolimitani, ut eum Joanni opponerent, vocaverant, ſuperiorem urbem, & inferioris partem, quindecim armatorum millibus, tenebat; Joannes verò octo millibus Templum & alteram urbis inferioris partem tuebatur. Eo tempore, Eleazarus, qui antea Zelotarum Dux fuerat, ægrè ferens Joannem auctoritatem omnem ad ſe traxiſſe, & omnia pro arbitrio gerere; adjunctis ſibi nonnullis aliis, idem ſentientibus, interius Templi ſeptum invaſit, & Joannem, quamquam numero copiarum ſuperiorem, opportunitate loci confiſus, adgredi cœpit; nec ſibi defuit Joannes, & quamvis ancipiti oppugnatione preſſus, Templúmque exterius & Porticus, quibus cingebatur, contra geminum hoſtem defendit. Interim, cupidine nocendi adverſariis, frumentum & alia ad victum neceſſaria in longum tempus parata, ſtultè corruperunt, aut combuſſerunt, unde factum ut, à Romanis obſeſſi, mox exitiali fame laborarint.

II. Titus Alexandriâ Cæſaream venit, coactiſque copiis, quæ quatuor legionibus, auxiliiſque Syrorum & Regum vicinorum conſtabant, Jeroſolimam ire contendit, & caſtris quidem poſitis ad locum qui Jeroſolimâ XXX. ſtadiis aberat, cum ſexcentis equitibus delectis, progreſſus, ut mœnia urbis contemplaretur, dum ea obequitaret, fermè interceptus & nonniſi acri & periculoſo certamine evaſit. Advenerunt mox reliquæ copiæ, quæ ſeptimo ab urbe ſtadio, non ſine prælio & nonnulla clade, caſtra poſuerunt, paullò ante Paſchatis Feſtum; quo tempore, ingens Judæorum numerus in urbem, celebrandi Feſti causâ, ingreſſus erat, à quo brevi conſumtâ annonâ quæ ſupererat, miſera gens in horrendam famem incidit. Difficile eſſet intellectu, quî Judæi, imminente Jeroſolimæ obſidione, auſi fuerint feſtum illùc celebratum ire, cum tanto periculo; nî conſtaret eos putaſſe, numquam Deum paſſurum Templum & cultores ſuos, qui eò Religionis causâ convenerant, ab Ethnicis capi. Pravâ Religione decepti plures à Deo fieri cærimonias, quàm Virtutem ipſam, quæ eâ tempeſtate in ea Gente nulla fuit, exiſtimarunt; errorisque hujus ſui graviſſimas pœnas dederunt.

III. Cum verò Titus urbis aditus omnes cinxiſſet, ac præcluſiſſet, contigit, ipſo Azymorum die XIV. Aprilis, Eleazarum populo ſacra facere cupienti portas aperire, quâ occaſione uſus Joannes, homines

ſub

ſub veſte clam gladios gerentes, cum cetera turba, intromiſit, qui E-leazarum incautum invaſerunt & Templo interiore iterum potiti ſunt. Titus verò, cùm inter caſtra & urbem omnia complanari juſſiſſet, ut equitatus illac laborantibus ſuis ſuppetias ferre poſſet, fraude Judæorum, pacem ſe optare ſimulantium, aliquot milites amiſit. Dein caſtigatis militibus, cum parte exercitûs ad ſecundum ab urbe ſtadium acceſſit, atque è regione Turris Pſephinæ, quæ erat in ea parte muri, quâ ab Aquilone in Occidentem flectebat, caſtra poſuit. Alteram verò partem, ad oppoſitam Turrim Hippicam, quæ erat in orientali muro auſtrum versùs, ut diſtineret Judæos, caſtra metari juſſit. Legionem præterea in Oliveti monte reliquit, quæ poterat & eruptiones è Templo coërcere, & tendentibus ad Hippicam turrim auxilium ferre. Urbs erat triplici muro eóque firmiſſimo cincta, niſi quà profundioribus vallibus circumdabatur, ubi unicus erat murus. Totius munitionis rationem ſuppeditabit *Joſephus*, de B. J. Lib. VI. c. 13. quam ad eventum feſtinantes prætermittimus. Qua de cauſa, etiam obſeſſorum inter ſe diſſidia & oppugnationis pleraſque circumſtantias, apud eumdem legendas, præteribimus. ANN. LXX.

III. Titus ad Turrim Pſephinam aggere jacto, ariete murum quati juſſit, quo dejecto V. Nonas Maias in urbem irrupit & tota ſeptemtrionali urbis parte potitus eſt. Tum alterum murum adgreſſus turrim quamdam dejecit, & urbe nova inferiore potitus eſt, è qua tamen à Judæis paullò pòſt eſt expulſus. At, quarto pòſt die, recuperatâ, ad tertium murum dejiciendum ſe ſe accinxit. Igitur XII. Maii die, duos aggeres jaci juſſit, ad Antoniam Turrim, quâ Templum, totidémque ad Joannis Pontificis monumentum, quâ ſuperiorem urbem capere ſe poſſe putabat. Iis, XXIX. d. Maii, perfectis, cùm tertius murus jam quateretur, Joannes quidem, acto ex Antonia cuniculo, alterum aggerem disjecit & ſuccendit; Simon verò, eruptione ex urbe factâ, duos alios aggeres cum arietibus & machinis pariter combuſſit, Romanorúmque caſtra adgredi auſus à Tito acriter repulſus eſt.

IV. Dum materia aggeribus reficiendis conquirebatur, Titus urbem vallo cingere ſtatuit, ne quid jam gravi fame laborantibus clam ſuppeditari poſſet. Triduo id opus perfecit, quod XXXIX. Stadia complectebatur, & XIII. caſtellis per intervalla muniit. Interim uſque adeò fames in urbe invaluit, ut à XIV. die Aprilis, quo cœperat obſidio, ad Calendas Julias, elata fuerint per unam portam centies quindecies millies & octingenta cadavera pauperum, quæ ſumtu publico ſepulta, aut potiùs in profundiores valles inſepulta jacta ſunt; præter ea, quæ à propinquis humo mandata, ut à transfuga, qui ei rei præfuerat, cognitum eſt. Paullò pòſt, alii ſexcenta millia funerum portis elata dixere, cetera funera innumerabilia eſſe; cúmque pauperes efferri ampliùs non poſſent, congeſta in magnis ædibus vacuis cadavera, atque in iis clauſis relicta. Nec credibile eſt quas pertulerint miſerias, ac ærumnas, ante-

ANN. LXX.

antequàm fame, aut ferro interirent, quæve ſcelera ſint à ſeditioſis perpetrata, ut cibaria latentia invenirent. *Joſephus* teſtis fide dignus, & gentis ſuæ amans, qui oppugnationi patriæ adfuit, nec quidquam prætermiſit, ut cives ſuos ad ſaniorem mentem adduceret, copiosè hæc omnia narravit; quæ vix, ſi ab alio prodita eſſent, à nobis crederentur.

Interea nullus erat crudelitati factioſorum modus, aut finis, & Simon quidem Matthiam Sacerdotem, à quo fuerat in urbem admiſſus, cum tribus filiis & ſexdecim aliis, occidit; quaſi vellent ad Romanos transfugere, qua de cauſa, & alii perierunt. Joannes verò omnia vaſa ſacra, Templique Ærarium in profanos uſus convertit, vinúmque & oleum, ſacris deſtinata, militibus ſuis diviſit.

V. Titus collatâ undequaque materiâ, novos aggeres magno labore, intra XXI. dies exſtruxit, & circa Antoniam quidem quatuor, fruſtra repugnante Joanne; ut Calendis Juliis arietem muro turris admovere cœperint Romani, in quam quinto poſt die, irruperunt, & unde Judæos in Templum refugientes ſequuti ſunt, quamquam poſtea repulſi. Tandem XVII. die Julii, quo die quotidianum ſacrificium defecit, quòd deeſſent qui id curarent, Titus fruſtra Judæos ad deditionem hortatus, operâ Joſephi; promovit uſque adeò aggerem, ut per Antoniæ ruinas in porticus Septemtrionalem & Occidentalem exterioris Templi irruperit; quarum partem, quæ cum Antonia conjuncta erat, incenderant Judæi, alteram paullò pòſt ſimiliter abſumſere Romani. Julii die XXVII. Judæi ignem ſubjecere Occidentali porticui, in quam multi Romani, de induſtria fugientibus Judæis, ingreſſi erant, qui flammis hauſti ſunt. Poſtero verò die, Romani Septemtrionalem, ad Orientalem uſque, pariter in cineres redegerunt; ita ut ex iis partibus nullum ampliùs munimentum eſſet, quo ſe tuerentur Judæi, præter ipſum Templi interioris murum.

VI. Tandem VIII. Auguſti die, cùm Romani neque interiorem murum ariete labefactare, neque portarum fundamenta ſuffodere, propter magnitudinem lapidum, arctiſſimè inter ſe conjunctorum, quibus conſtabant; neque admotis ſcalis, ob repugnantes fortiter Judæos, in porticus adſcendere potuiſſent; Titus, quamquam invitus, interioris ſepti portis ignem injici juſſit; quibus incenſis, adjunctæ porticus ſimul conflagrarunt, ſpectantibus ac ſtupentibus Judæis; qui, niſi cæco quodam furore correpti fuiſſent, & ſibi & Templo conſulere potuiſſent, deditione, quàm tutò differre ampliùs non poterant, factâ. Statuerat quidem Titus Templum ipſum integrum ſervare, ſed cùm Romani à Judæis fuiſſent X. die Auguſti laceſſiti, iis repulſis in interius uſque Templum, miles quidam Romanus raptum torrem è porticu, cujus incendium nondum erat exſtinctum, & ſuſtentatus à commilitone, per feneſtram jecit, unde ignis per viciniam ſparſus Templum ipſum corripuit. Tum verò irrupere Romani, &, magnâ ſtrage editâ, loco potiti; nam occiſi ſunt, aut diffugerunt Joannis milites & ipſe ſe in cloacam

cam abdidit; quos aut priùs multò ſe dedidiſſe, aut pugnantes illic ad unum omnes cadere oportuiſſet. ANN. LXX.

VII. Titus, incenſo ac deleto Templo, ſigna in orientali porta conſtituit, moréque patrio ſacra fecit, & Imperator ab exercitu ſalutatus eſt. Tum ſeditioſos, qui aufugerant in ſuperiorem urbis partem, quam etiamnum tenebant, ad deditionem per interpretem, factâ ſpe vitæ, hortatus eſt; qui quaſi Romano duci, poſt tantas clades, reſiſtere potuiſſent, deficientibus etiam cibariis, poſtularunt ut ſibi, cum uxoribus & liberis, in ſolitudinem exire liceret. Ibi verò indignatus Titus & extrema omnia pervicacibus latronibus minatus, inferiore omni urbe & ſuperioris parte incenſâ, aggeres jaci juſſit, ad ſeditioſorum munitiones, d. XX. Auguſti, iiſque perfectis VII. Septembris, arietes muris admovit; quibus perruptis, diffugientibus ſeditioſis, Romani ingreſſi ſunt d. VIII. Septembris, qui erat Sabbathi dies, omniáque ferro & igne vaſtarunt. Urbem deinde totam funditus everti, ejúsque ruderibus, de more, aratrum induci juſſit Titus; exceptâ dumtaxat occidentalis muri parte, tribúsque turribus, Hippica, Phaſaëlis, & Mariamnes; quas ob elegantiam & inſignem firmitatem, veluti urbis everſæ ſpecimina, poſteris etiam ſpectandas manere voluit. Multos in urbis cloacis deprehenderunt poſtea Romani, & inter alios quidem Joannem; qui fame adactus eis ſe dedidit, & in perpetua vincula, leve ſanè tantorum ſcelerum ſupplicium, conjectus eſt. Simon etiam paullò ſeriùs, in occultiore cloaca; è qua, perfoſſâ terrâ, evadere ſe poſſe ſperaverat; captus eſt & triumpho ſervatus. Reliqua apud Hiſtoricum Judæum legentur. Is per totum bellum nonaginta ſeptem millia captivorum in Romanorum manus incidiſſe, & undecies centena millia, per obſidionis tempus, morbis, fame, aut ferro abſumta memorat; qui quidem homines Jeroſolimitani omnes non erant, ſed tamen omnes Judæi, qui ad Paſchatis feſtum celebrandum convenerant.

VIII. Relicto Jeroſolimæ præſidio, cui Terentius Rufus præfectus eſt, Titus Cæſaream eſt profectus; ubi d. XXIV. Octobris natalem fratris Domitiani, non ſine ſeditioſorum Judæorum ſupplicio, quorum alii cum beſtiis pugnarunt, alii cremati ſunt, alii denique, mutuis vulneribus, gladiatorum more, inter ſe pugnantes periere, celebravit. Eæque pœnæ, quamvis mille ducentos viros abſumſiſſent, mitiores Romanis videbantur & infra conſceleratorum hominum merita. Deinde Berytum cùm ſe contuliſſet Titus, magnificentiſſima & illic ſpectacula d. XVII. Novembris, qui Veſpaſiani Patris natalis erat, edidit, ubi multi etiam Judæi eodem modo cecidere. Tum Antiochiam & alias Syriæ urbes inviſit. Sic periit non tantùm Jeroſolima, ſed & maxima Judææ Gentis pars, calamitatibus & ſuppliciis, qualia nulla umquam Gens paſſa eſt; atque ita impleta ſunt Chriſti de exſcidio Templi, Urbis & populi Judæi vaticinia, quæ Matth. Cap. XXIV. habentur. Has pœnas Juſtitiæ Divinæ dedere, non tantùm rejecti

ANN. LXXI. Chriſti, quem ad eos Deus miſerat, occiſorúmque & vexatorum Chriſtianorum; ſed & omnis generis impietatis, ſævitiæ, ac intemperantiæ, quibus ſe Religione omni ac Virtute carere, imò & ipſam humanitatem planè exuiſſe etiam Gentilibus palam fecerunt. Hæc omnia, aliáque, apud *Joſephum*, de B. J. Lib. VI & VII. ex diviſione *Rufini* invenientur, eique adjungendus æqualis Scriptor *C. Cornelius Tacitus* Hiſt. Lib. V. c. 11. & ſeqq.

Veſpaſiano Aug. III. M. Cocceio Nervâ COSS. *Veſpaſiani Imp. III. Æræ Vulgaris* LXXI.

I. De rebus Chriſtianis, per hæc tempora, nihil eſt litterarum monumentis proditum; certè nihil, non ad nos tantùm, ſed ne ad Veteres quidem, qui Secundo, ac Tertio Sæculo vixerunt, ut ex eorum ſilentio liquet, pervenit. Credibile eſt Judææ Chriſtianos non tantùm Pellæ, ad ortum Jordanis, commoratos eſſe, ſed & per vicinas imò & remotiores Romani Imperii Provincias, in quibus tutiores eſſe poterant, ſparſos eſſe. [1] Conſtans certè fama fuit Joannem Apoſtolum, per multos annos, in Aſia, Epheſi, aut in vicinis urbibus vixiſſe.

II. Hoc ævo & quidem paullò poſt captam Jeroſolimam, volunt viri docti ſcriptam à *Barnaba* Epiſtolam, quæ nomen ejus præfert, ac ſanè ſub Cap. IV. finem videtur ad exſcidium Judæorum reſpicere, & clarè everſionem Templi memorat, C. XVI. Sunt multa pia in hac Epiſtola, ſtylúsque minimè fucatus & qualis ab homine Hebræo, Græcarum litterarum experte, exſpectari poterat. Quibus rebus factum eſt, ut *Clemens* Alexandrinus, *Origenes* & *Hieronymus* eam quaſi genuinam habuerint. Rurſus cùm in ea ſint coactæ allegoriæ, interpretationes Scripturæ parum probabiles, & fabulæ de naturis animalium, ob quas ſint à Deo olim Judæis interdicta; *Euſebius* aliique multi νοθεύειν, ſeu ſpuriam eam eſſe crediderunt. Sed fieri poteſt ut quod contigit Epiſtolæ *Clementis*, & ſeriùs Epiſtolis *Ignatii*, idem huic Epiſtolæ acciderit; hoc eſt, ut interpolata fuerit, jam à primis temporibus. Ac ſanè ſunt Codices MSS. ineptioribus etiam laciniis aucti, & verſio ipſa Latina depravata eſt. Qua de re, dixerunt Interpretes ad Capp. XII, & XIII. Græci Contextûs & Latinæ interpretationis, in Edit. Amſtelodamenſi. Brevem crediderim initio fuiſſe hanc Epiſtolam & ſimplicem, ſed ab interpolatore corruptam, ut longior facta cariùs veniret. [2] Viri docti obſervant quoque, in hac Epiſtola, quamvis ſint ſententiæ ſimiles nonnullis, quæ in Evangeliis & in Paulo leguntur; incertum tamen eſſe utrum *Barnabas* ex hiſce eas hauſerit, an ex libris potiùs Apocryphis, qui

1 *Conſtans fama fuit* &c.] Vide hac de re teſtimonia Veterum, apud *Sebaſt. Nanum Tillemontium*, in Joannis vita.

2 *Viri docti* &c.] *Joannes Millius* in Prolegomenis ad N. T. quem vide.

qui bene multi tunc temporis in promiſcuo uſu, cum verè Apoſtolicis, erant. Crediderim quidem multorum circumlatos, de factis ac dictis Chriſti, commentarios, in quibus erant ſimilia noſtris Evangeliis; ſed nihil vetat quin veritati conſentanea tradiderint nonnulli ejuſmodi Commentarii, cùm præſertim Lucas, ab initio Evangelii, quoſdam commemoret; quos non damnat, quaſi fallaces, quamvis nunc inviſo *Apocryphorum* titulo dehoneſtentur. Sed tamen non puto Evangelia, à Matthæo, Marco & Luca ſcripta, ita *Barnabæ* ignota, hiſce temporibus, fuiſſe; ut aliis potiùs, quàm hiſce, aut promiſcuè uteretur. Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum virorum genuina Scripta miſcere, cum ignotorum & incertæ fidei hominum libris, vir prudens & veri amans non potuiſſe videtur. Imò verbis Matthæi utitur, ut antea diximus, præfixo nomine *Scripturæ*. Velle ea verba deſumta eſſe ex alio Evangelio, quod non vidimus, cùm ea in Evangelio Matthæi legamus, eſt malle conjecturæ inani credere, quàm oculis. Sed hæc dicebantur, ut jam monuimus, eum in finem ut Scriptura Novi Teſtamenti caruiſſe auctoritate crederetur; antequàm Epiſcopi aliquot, initio Sæculi Secundi, genuinos libros à ſpuriis ſecreviſſent; quæ eò ſpectabant ut ſæculi ſecundi placitis idem pondus ac Scripturæ tribueretur. Quod imprudens fuit conſilium, Scripturæque & primævis Chriſtianis contumelioſum. ANN. LXXI.

III. Titus è Syria in Judæam rediit, unde in Ægyptum profectus eſt, Alexandriáque primo vere ſolvit, ut in Italiam navigaret, & Romam ſe conferret; ubi ſub finem Aprilis, unà cum Patre, de Judæa ſubacta triumphavit. Triumphum deſcripſit *Joſephus* de B. J. Lib. VII. c. 17. Inter ſpolia, conſpicua fuerunt quæ ex Templo Jeroſolimitano rapta fuerant, menſa aurea magni ponderis, candelabrum aureum, ſingulari arte confectum, & tandem Legis Judæorum exemplar; quorum etiamnum ſuperſunt quædam veſtigia inſculpta Arcui Triumphali Veſpaſiano decreto, qui Romæ viſitur, ad montis Palatini radices. Exſtant & nummi veteres multi, in quibus Judæa capta, ſpecie mulieris ſedentis & lugentis, ſcalpta eſt. Solus captivorum occiſus eſt Simon Gioræ F. poſtquàm in triumpho ductus eſſet, laqueo gulâ fractâ; quod leve fuit tam feri, támque impii viri ſupplicium. Obſervarunt viri docti, licèt titulum *Imperatoris* Veſpaſianus & Titus retulerint, *Judaïci* tamen cognomen neutrum adſumſiſſe.

IV. Interim miſſus eſt Legatus Cæſaris in Judæam Lucilius Baſſus, qui accepto à Cereali eo exercitu, qui Vitellio ſacramentum dixerat, in provinciam cùm brevi perveniſſet, munitiſſima caſtella, Herodium & Machæruntem ad deditionem adegit, ut narrat *Joſephus*, Cap. XX. & ſeqq. Lib. VII. de B. J. ubi etiam Cap. XXVI. ſeditioſorum aliam ſtragem memorat, cui non immorabimur. Eodem tempore, ſcripſit Veſpaſianus ad Liberium Maximum, Procuratorem Ju-

ANN. LXXII. Judææ, ut omnes Judæorum agros venderet; neque enim coloniam ullam eò duxit, cui agros proprios daret colendos. Solis octingentis militibus, illic relictis, vicum incolendum conceſſit, quem Emmaunta vocabant, quique multis annis, poſt hæc tempora, Nicopolis dictus eſt. Præterea Judæis, ubicumque degerent, tributum impoſuit, bináſque drachmas quotannis Capitolio pendere, quemadmodum antea Templo Jeroſolimitano ſolebant, juſſit. Hic eſt ille *fiſcus Judaïcus*, qui, Domitiano Principe acerbiſſimè actus eſt, ut narrat [3] *Suetonius*. Deferebantur ad Domitianum qui vel, ut profeſſi, intra urbem Judaïcam viverent vitam; vel, diſſimulatâ origine, impoſita Genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe etiam ſe adoleſcentem meminerat idem Scriptor, cùm à Procuratore, frequentiſſimóque Concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet; quo nihil turpius fieri potuit. Quamobrem res poſtea à Nerva ſublata, etiam nummis, celebrata eſt, in quibus hæc leguntur: IVDAICI FISCI CALVMNIA SVBLATA, qua de re etiam *Dion* meminit.

Veſpaſiano Aug. IV. Tito Cæſare III. COSS. Veſpaſiani Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti LXXII.

I. HISCE temporibus, orti dicuntur Nazaræi, de quibus *Epiphanius* Hær. XXIX. qui nullâ re differebant à ceteris Chriſtianis, niſi quòd Legis Moſaïcæ ritus etiamnum obſervari oportere contenderent; nec à Judæis, niſi quòd Jeſum Nazarenum Meſſiam eſſe crederent. Videntur ergo primi Nazaræi fuiſſe Judæi, qui Chriſtianam Religionem eatenus admiſerant, quatenus cum Judaïca conſiſtere poterat, quales multi fuerunt; contra quos Paulus, in Epiſtola præſertim ad Galatas, ſcripſit. Iis autem adhæſit nomen *Nazaræorum*, quo Judæi ab initio Chriſtianos vocabant, ut videre eſt Act. XXIV, ſ. unde etiam liquet errare eos, qui Juliani demum Cæſaris tempore natum id vocabulum cenſuerunt. Erant etiamnum, *Hieronymi* ævo, qui cùm in Synagogis latebant Judæorum, tum etiam ſeorſim ſacra habebant. Vocabantur &, alio nomine, *Ebionitæ*, non ab *Ebione* neſcio quo, nec quia eorum placita erant

3 *Cap. XII.*

1 Ep. LXXIV. Tom. IV. Ed. Ben. col. 623.

2 *Mineorum*] Quivis Hæretici, à Judæis, vocabantur מינים *minim*, ut multis exemplis docuit *Joan. Buxtorfius*, in Lexico Chaldaïco & Thalmudico. Quare parum commodè loquitur *Hieronymus*, nam *Hæreſis Mineorum*, pro Nazaræis, perinde eſt ac ſi quis diceret *ſectam Hæreticorum*, cùm *Hæretici* & *Sectarii* iidem ſint, velletque iis verbis ſignari genus ſingulare errantium. A *Manete* celebri Hæretico dictos volunt Rabbinorum nonnulli, alii nomen hoc *Manete* antiquius cenſent, derivandúmque à מאן *maen*, negavit, quòd Hæretici caput aliquod fidei negent. Vide *Buxtorfium*.

3 *Chobam villam* &c.] Verum hoc eſſe videtur nomen loci, quod exſtat Geneſ. XIV, 15. nec poteſt *Chochaba* vocari, quaſi eſſet a כוכב *chochab*, ſtella. Mera hæc eſt corruptio nominis, ab *Epiphanio* Hæreſ. XXX, 2, 18. qui multa quæ adtigit corrupit, niſi rei librarios imperitos inſimulare mavis. Mirè etiam corrupta ſunt verba

Afri-

erant πτωχὰ, ut loquitur Paulus, *egena elementa mundi*; ſed quia erant ANN.
ab initio אביונים *ebjonim*, hoc eſt, *pauperes*, qua in paupertate manſe- LXXII.
runt; quòd, cùm Ethnici non eſſent, nec à Judæis, nec à Chriſtianis admittebantur. Sic de iis *Hieronymus* [1] in Ep. ad *Auguſtinum*: *Si hoc verum eſt, in Cerinthi & Ebionis hæreſim delabimur, qui credentes in Chriſto propter hoc ſolum à Patribus anathematizati ſunt, quòd Legis cærimonias Chriſti Evangelio miſcuerunt, & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent. Quid dicam de Ebionitis, qui Chriſtianos eſſe ſe ſimulant? Uſque hodie, per totas Orientis Synagogas, inter Judæos Hæreſis eſt, quæ dicitur* [2] Mineorum, *& à Phariſæis nunc uſque damnatur, quos vulgò* Nazaræos *nuncupant; qui credunt in Chriſtum Filium Dei, natum de Virgine Maria & eum dicunt eſſe, qui ſub Pontio Pilato paſſus eſt & reſurrexit, in quem & nos credimus; ſed dum volunt & Judæi eſſe & Chriſtiani, nec Judæi ſunt, nec Chriſtiani.* Idem unà cum *Euſebio*, in Libro de Locis, auctor eſt [3] *Chobam villam* (pagum) *fuiſſe ad Damaſcum accolas habentem Hebræos, qui, credentes in Chriſtum, omnia Legis præcepta cuſtodiunt, & à principe Hæreſeos Ebionitæ nuncupantur.* Tum addit, *contra iſtiuſmodi dogma Paulum Apoſtolum ſcripſiſſe ad Galatas.* Idem habet in Cap. I & XV. Eſaïæ, item in Cap. V. ad Ep. ad Galatas. In Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ait *à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ volumine* (Hebraïco) *Matthæi utebantur, ſibi deſcribendi facultatem fuiſſe.* In Cap. XII. Matthæi teſtis eſt *Ebionitas, cùm ceteros reciperent Apoſtolos, Paulum, quaſi transgreſſorem Legis repudiaſſe.* Hinc ſatis colligere poſſe videmur, Nazaræos & Ebionitas initio eoſdem habitos, & re verâ eoſdem fuiſſe.

II. EPIPHANIUS, loco laudato §. VII. de obſervatione Legis Moſaïcæ conſentit cum *Hieronymo*, ut & de fide in Chriſtum. Addit legiſſe eos totum Vetus Teſtamentum Hebraïcè, & Hebraïcæ Linguæ peritiſſimos fuiſſe. De libris Novi Teſtamenti nihil habet, *niſi uſos non tantùm Novo Teſtamento, ſed & Vetere, quemadmodum faciebant Judæi.* Qua in re, ut paſſim, ſatis adcuratè non loquitur; nam oportuiſſet ab eo dictum an omnes libros Novi Fœderis admitterent, nécne. Certè non admittebant Pauli Epiſtolas, nec admittere poterant, cùm obſervatio-

Africani, apud *Euſebium* H. E. Lib. I. c. 7. ubi agens de Genealogia Chriſti, poſtquàm dixit Chriſti conſanguineos ſervaſſe Genealogiæ ſuæ memoriam, ſubjicit: ἀπό τε Ναζάρων καὶ Κωχαβὰ κωμῶν Ἰουδαϊκῶν τῇ λοιπῇ γῇ ἐπιφοιτήσαντες καὶ τὴν προειρημένην γενεαλογίαν ἔκ τε τῆς βίβλου τῶν ἡμερῶν εἰς ὅσον ἐξικνοῦντο ἐξηγησάμενοι. *Qui è Nazaris & Cochaba, Judææ vicis, in reliquam terram advenientes & prædictam generis ſeriem ex Ephemeridum Libris, quoad potuerunt, expoſuerunt.* Videtur *Africanus* hóc voluiſſe (nam quod dicit abſurdum eſt) conſanguineos Chriſti, qui primùm Nazarethâ prodierant, deinde etiam Chobâ, in quam tempore belli Judaïci profugerant, in alias terras iverant, rationem Genealogiæ Jeſu-Chriſti ſic expoſuiſſe, quemadmodum fecit. Nec quidquam vetat inter temporum Apoſtolicorum Chobenſes fuiſſe quoſdam Nazarenos, qui ſe δεσποσύνους dicerent, & fortaſſe eſſent. Ceteroqui nullus erat vicus Judææ, qui *Nazara*, aut *Chochaba* diceretur; ſed Nazaretha fuit Galilææ, Choba verò Syriæ.

ANN. LXXIII. vationis Legis immunes eſſe Chriſtianos apertè doceat. Ceterùm non diſſimulat *Epiphanius*, ab iis *unum Deum & Filium ejus Jeſum Chriſtum eſſe prædicatos*; ſed *neſcire ſe* ait *an eum hominem crederent*, *an*, *ut veritas habet*, *per Spiritum Sanctum de Virgine Maria genitum adfirmarent*. De ea tamen Secta loquitur, quaſi etiamnum in Cœle-Syria, viciniſque tractibus ſuo tempore viguiſſet. *Eſt hæc*, inquit, *Secta in Berœenſium agro*, *in Cœle-Syria & in Decapoli*, *circa Pellam*, *& in Baſanitide dicta Cocaba*, *& Hebraicè Chochaba*. Videtur reſpicere ad pagum *Choba*, de quo antea, ex *Euſebio* & *Hieronymo*. Sed prorſus idioticè loquitur, ut ſolet, cùm ita ſcribit, niſi locus ſit corruptus; quaſi Baſanitidis pars dicta fuerit *Cocaba*, & Hebraïcè *Chochaba*, quod commenticium eſt. Addit *illinc fuiſſe initium* (Sectæ) *poſtquam Jeroſolima diſceſſiſſent*, *cùm omnes Diſcipuli Pellæ domicilium fixiſſent*; *quia dixerat Chriſtus relinquendam Jeroſolimam & recedendum*, *quando ejus immineret obſidio*. *E qua occaſione*, *cùm in Peræa ſedes poſuiſſent*, *in ea manſiſſe*. Quibus, quia cum reliqua Hiſtoria Eccleſiaſtica conſentiunt, non ægrè adſentimus, qui alioqui ſolius *Epiphanii* auctoritati fidem nullam habemus.

III. Fuere & alii, Secundo Sæculo, Ebionitæ, qui multis in rebus à ſuperioribus diſceſſerunt, de quibus hîc non agemus. *Epiphanius* tamen Hæreſ. XXX, §. 2. eamdem originem, ac ſuperioribus, adſignat. Vult enim Ebionem, cùm Chriſtiani omnes, imminente obſidione Jeroſolimitanâ, in Peræam ſe contuliſſent, *in pago quodam Cocabe*, *in partibus Carnaïm*, *Arnem* (f. Arnon) *& Aſtaroth*, *in regione Baſanitide*, *habitare cœpiſſe*; *ut fama*, inquit, *quæ ad nos pervenit*, *habet*. Malè quidem hîc videmus prolatum nomen vici, de quo antea; ſed vicum tamen agnoſcit, non tractum Baſanitidis. At *Ebion* commenticius eſt Hæreticus, qui numquam in rerum natura fuit.

T. Flavio Domitiano Cæſare II. M. Valerio Meſſalino COSS. Veſpaſiani Imp. V. Æræ Vulg. Chriſti LXXIII.

I. Mortuo in Judæa Lucilio Baſſo, Cæſaris legato, ſucceſſit *Publius* aut *Flavius* Silva, qui Provinciam accepit pacatam, excepto caſtello uno, cui Maſſadæ nomen fuit, ad ripam occidentalem lacûs Aſphaltitæ ſito. Id tenebat Eleazar, è proſapia Judæ Gaulanitæ, cum manu ſicariorum, cui præerat. Ita arcem deſcribit *Joſephus*, de B. J. Lib. VII. c. 31. & ſeqq. ut intellectu difficile ſit, quî capi potuerit; aut eò præſidium adduci, ut ſibi manus adferre, nî vellet in hoſtium poteſtatem venire, neceſſe haberet. Quorum tamen poſterius contigit, nam Sicarii, deſperatâ pariter caſtelli defenſione & ſpe veniæ, occiſis uxoribus & liberis, in enſes incubuerunt; nec evaſerunt, niſi una aut altera muliercula, cum paucis puerulis, qui in latebras neſcio quas, inſpecto cædis initio, confugerant, quod contigit XV. d. Menſis Xanthici,

thici, cujus nomine Romanum Menſem Aprilem ab Joſepho ſignificari viri eruditi volunt; quo die Romani vacuam arcem ingreſſi ſunt. ANN. LXXIV.

II. Cum nihil tuti ſupereſſet, in Judæa, Sicariis, aliiſque ſeditioſis hominibus, aliquammulti in Ægyptum confugerunt; ubi, ne poſt tot quidem clades & calamitates, quietis patientes, novas res etiam moliri cœperunt; Judæos nihilo deteriores Romanis eſſe, nec dicto iis audientes eſſe oportere, ſed ſolum Deum Dominum eſſe habendum, pro Judæ Gaulanitæ doctrina, dictitantes. Quos ſermones cùm nonnulli ex nobilioribus Judæis averſarentur, ſunt à Sicariis occiſi, qui ad ſeditionem alios concitare non deſierunt. Sed ſeniores Judæorum Alexandrinorum, intellecto maturè periculo, quod ſibi imminebat, niſi initiis obſtarent, eò plebem adhortationibus ſuis perduxerunt, ut, ne particeps ejuſmodi conſiliorum haberi poſſet, Sicarios invaderet, traderétque Romanis. Quòd plebs Judæa gnaviter exſequuta eſt. Sexcentos quidem Sicarios vinctos ad Lupum Ægypti Præſidem adduxit. Nonnulli in Thebaïdem & alios Ægypti Nomos profugere conati brevi ex fuga retracti ſunt. Omni verò tormentorum & ſuppliciorum genere tentati, ut Cæſarem *dominum* adpellarent, non viri tantùm, & grandiores natu, ſed & ipſi pueri, ad extremum negarunt; ut vita eos, priùs quàm pervicacia, defecerit. Hæc *Joſephus* de B. J. Lib. VII. c. 36, & 37.

III. Hæc autem cùm ad Veſpaſianum perlata fuiſſent, ob rerum novarum ſtudium, quod Judæis ineſſe norat, veritus, ne concurſus fierent ad Onieum ([1] templum id fuit, ante trecentos triginta annos ab Onia Sacerdote in Ægypto conditum, quaſi æmulum Jeroſolimitano futurum) & ne Judæi, numero freti, arma iterum caperent, dirui Ædem juſſit. At Lupus, neſcio qua de cauſa (nam Hiſtoria eam reticuit) ablatis nonnullis donariis, Templum claudere ſatis habuit, ut docet *Joſephus* ejuſdem Libri Cap. XXXVII. Mortuo verò Lupo, Paulinus, qui ei ſucceſſit, coëgit Sacerdotes minis omnia donaria proferre, & ita clauſit Templum, ut nulla pars divini cultûs poſtea ſit in eo celebrata.

T. Flavio Veſpaſiano V. cum filio cognomine III. COSS. Veſpaſiani Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti LXXIV.

I. Cyrenaica etiam, in qua Judæi magno erant numero, non fuit morbi immunis. Jonathas quidam Judæus, qui textrinâ vitam tolerabat, eò cùm veniſſet, pauperes ita decepit, ut multos in ſolitudinem ſeduxerit, quaſi illic miracula & prodigia, coram iis, perpetraturus. Sed Cyrenenſium Judæorum primores Catullum, qui Libyæ Pentapolitanæ præerat, maturè ea de re monuerunt. Is ergo, peditibus & equitibus eò miſſis, inermes non difficulter oppreſſit, & plerique

[1] *Templum id fuit* &c.] Vide *Joſephi*, de B. Jud. Lib. VII. c. 37.

ANN. LXXV. que quidem ſunt occiſi, reliqui ad Præſidem perducti. Elapſus tamen eſt ſeceſſionis auctor Jonathas, nec, niſi poſt adcuratam inquiſitionem, inveniri potuit. Captus & adductus ad Catullum, ut pœnas meritas differret, aut etiam vitaret, locupletiſſimos quoſque Judæorum Cyrenenſium accuſavit, quaſi conſilii auctores. Qua occaſione gnaviter uſus Catullus, homo improbus & avarus, non tantùm accuſatos bonis ſpoliavit & occidit, ut perduellionis reos; ſed & nomina eorum, quos accuſari cupiebat, ſeditioſis ſubjecit, ac tria quidem hominum millia trucidavit; quam cædem eo ſecuriùs fecit, quòd occiſorum patrimonium fiſco Cæſaris adjungeret, iis tamen exceptis, quæ in uſum ſuum clam convertebat. Nec contentus eo calumniæ genere in Provincia ſua graſſari, curavit etiam ab iiſdem accuſari Judæos Romanis fidiſſimos & acceptiſſimos, qui Alexandriæ & Romæ degebant, & inter ceteros *Joſephum*, qui hanc hiſtoriam ſcripſit, quaſi rerum novarum cupidos. Verùm Veſpaſianus aut monitus, aut ſponte ſuâ, ſuſpicari cœpit confictam eſſe hanc accuſationem, ut miſeri homines bonis ſpoliarentur, & Titi filii precibus permotus eos abſolvit, Jonathámque virgis cæſum vivum comburi juſſit. Catullus quidem nullas Veſpaſiano pœnas dedit; ſed, ſi *Joſepho* credimus, qui hac hiſtoriâ libros de Bello Judaïco claudit, graviſſimo morbo, quo in furorem actus, non diſſimulabat Deum de ſe hoc ſupplicium ſumere, quòd innocentes ſpoliaſſet & occidiſſet, poſt longos & atroces cruciatus, periit.

T. Flavio Veſpaſiano Aug. VI. cum cognomine filio IV. COSS. Veſpaſiani Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti LXXV.

I. Ab eo tempore, quo Titus in Judæa cum Patre fuerat, amare cœperat, ſi rumoribus *Tacito* Hiſt. Lib. II. c. 2. memoratis credimus, Berenicen Reginam primùm Chalcidis, deinde Ciliciæ, Agrippæ Majoris filiam; quæ impensè favebat Veſpaſiano, cùm imperium eſt adeptus, ut idem docet, c. 81. florens ætate, formáque & ſeni quoque Veſpaſiano, magnificentiâ munerum, grata. *Dio* verò ad hunc annum, in Epitome *Xiphilini*, maximè floruiſſe his temporibus eam prodidit, proptereáque cum Agrippa fratre Romam veniſſe; & Agrippam quidem prætoriis honoribus auctum, Berenicen verò habitaſſe in Palatio, & cum Tito, uxoris inſtar, vixiſſe; ſed Titum, cùm intelligeret rem Populo Romano vehementer diſplicere, ut propterea conviciis proſcinderetur, eam in loca, è quibus venerat, amandaſſe. *Suetonius* addit in ejus Vita c. VII. ab invito invitam dimiſſam. Agrippa ultimus Regum ab Herode M. oriundorum vitam, ut ſuo loco videbimus, ad tertium Trajani annum, à Chriſto nato, ex Æra Vulg. centeſimum, produxit.

ANN. LXXVI.

T. Flavio Veſpaſiano Aug. VII. cum filio cognomine V. COSS. Veſpaſiani Imp. VIII. Æræ Vulg. Chriſti LXXVI.

I. Cum hiſce temporibus nihil memoretur, quod ad certos annos, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, referri queat; de Hæreticis quibuſdam agemus, qui hac ætate prava dogmata ſparſiſſe dicuntur. De quibus tamen, cùm nullos habeamus æquales teſtes, nec quidquam proferre poſſimus ex eorum Scriptis, quæ interciderunt, nec ſuperſit nobis eorum Hiſtoria, niſi in infenſiſſimorum proximè ſequentis ſæculi, aut etiam poſteriorum adverſariorum teſtimoniis; nihil fermè, quaſi prorſus exploratum, proferre poſſumus. Abſit tamen ut mendacii datâ operâ confiсti quemquam inſimulatum velimus, è rectè ſentientibus Chriſtianis! Sed fieri poteſt, ut de iis, quibus meritò infenſi erant, multa faciliùs æquo crediderint, aut ut mentem eorum non ſatis adſequuti ſint, útque falſa de iis imprudentes prodiderint, non quidem mero nocendi, aut mentiendi ſtudio, ſed adfectu nonnullo præpediti; quod & ex hodiernis Chriſtianorum controverſiis intelligere licet. Quin & fieri queat ut quidam ex iis, quos ut bonos & veri amantes benevola Poſteritas conſecravit, non ii fuerint, qui debuerant eſſe & creduntur fuiſſe; eruditione, æquitate, diligentiâ, aliiſque dotibus inſignes; unde multi errores, de aliter ſentientium opinionibus, orti ſint. Confido etiam non defuturos, qui rem ita re ipsâ habere cenſeant, quamvis profiteri fortè conſultum omnes non putent.

II. Ad hæc tempora ergo, aut proximè ſequentia, referuntur *Gnoſticorum* initia, quos volunt Simonis Magi & Judæorum, qui ſe Chriſtianos fingebant, cùm non eſſent, propaginem fuiſſe. Ut à nomine ordiamur, notum quidem eſt γνῶσιν quamvis *cognitionem* à Græcis vocari, & γνωςικοὺς dici *cognitione præditos.* Sed à temporibus Apoſtolicis, apud Hebræos Græcè loquentes, indéque apud ætatum ſubſequentium Chriſtianos, γνῶσις pro recondita quadam capitum ſublimiorum Religionis, aut ſententiarum occultiorum Scripturæ Sacræ, vel etiam earum interpretatione ſumitur, [1] ut ex multis *Barnabæ* & *Clementis* Alexandrini locis intelligere eſt. Qui ea cognitione præditum ſe putabat, is Græcè γνωςικὸς vocari amabat; nam utraque vox initio in meliorem partem ſumebatur, ut è Scriptoribus memoratis conſtat. Quin & apud Paulum & Petrum Apoſtolos, ejus loquendi generis ſuperſunt nonnulla veſtigia. Sic Paulus priorem ad Timotheum claudit: *ô Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ* (ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμȣ γνώσεως) *quam quidam promittentes circa fidem exci-*

1 *Ut ex multis Barnabæ* &c.] Vide notata ab Hammondo & à nobis ad 1. Tim. VI, 20. & 2. Pet. I, 5.

ANN. LXXVI. *exciderunt.* Ad quæ verba *Henr. Hammondus*, vir doctiſſimus, putat ad Gnoſticos reſpici, quales ab *Irenæo* & *Epiphanio* deſcribuntur Simonis diſcipuli. Sed nihil vetat Gnoſticos Apoſtolicorum temporum, ut ad eum locum animadvertimus, fuiſſe Judæos quoſdam, qui recondita dogmata & arcanas Scripturæ interpretationes à Majoribus, non ſcripto, ſed vivâ voce, per manus, accepiſſe ſe gloriabantur. Ac ſanè pleraque omnia loca, quæ ad Simonianos Gnoſticos ſpectare vir eruditus putat, ad Judæos potiùs pertinere oſtendimus. Ergo horum quoque *falsò dictam cognitionem* notaverit Paulus; quamvis hinc liqueat γνώσεως ſingularem ſignificatum, ab eo tempore, cœpiſſe obtinere. Eodem ſenſu Petrus 1. Ep. I, 5. docet *adjungendam eſſe virtuti cognitionem* (γνῶσιν) *cognitioni abſtinentiam* &c. quod rectè intelligi queat de doctrina reconditiore, quam Judæorum doctores, quos dixi, jactabant, quæ ſine virtute prorſus inutilis erat, ut nos ad eum locum pariter oſtendimus. Poterant ergo, eo tempore, qui erant verè & qui falsò credebantur docti jactare γνῶσιν quamdam & ſe *Gnoſticos* vocitare; antequàm eſſet ſingularis ulla Secta, quæ hoc nomine præ ceteris inſigniretur.

III. Gnosticos autem, propriè dictos, ita deſcribit *Irenæus* [2] Lib. I. c. 29. & ſeqq. ut adpareat Græcos potiùs fuiſſe, qui, ſi vera narrat, ſummam eruditionem ſitam eſſe putabant, in confingendis neſcio quibus Genealogiis & Syzygiis; quibus Divinam Naturam deſcribere, ejúsque adtributa innuere voluiſſe videntur, ut poſtea, initio Sæculi ſecundi Valentiniani, qui & in varias minores ſectas, aliter mentem exprimentes, diviſi erant. Speciminis causâ, pauca tantùm proferemus, ex quibus liquebit aut inſanos fuiſſe Gnoſticos, aut eos, quos adibant, eodem morbo laborare ſtatuiſſe. Nam talia nec comminiſci, nec credere, niſi emotæ mentis homines, poſſunt; ſi modò intelligantur, ut jacent. Myſticas verò interpretationes horum quærere eſſet hominis otio ſuo abutentis, qui non niſi vulgaria, ſi quid veri inſit, hîc latere, ſub involucris verborum, inveniret; quod fuit Agyrtarum, non hominum Veritatis ſtudioſorum: aut ſi quæ inaudita hinc exſculperet, nihil, niſi mendacia & nugas extundere ex hiſce poſſet; quod fuit impoſtorum, & indoctorum, non eruditorum virorum, quales Gnoſtici haberi cupiebant. Crediderim, ſi hæc, quæ mox dicam, verè docuerint, eos, cùm viderent numerum Chriſtianorum in dies augeri, Rectoréſque Eccleſiarum Chriſtianarum in pretio apud ſuos habitos, invidiâ exarſiſſe & novas Sectas ſimiliter condere adgreſſos, quarum Principes haberentur, & honoribus fruerentur. Fuit ergo confingenda nova doctrina, quæ neque Ethnica, neque Judaïca, neque Chriſtiana eſſet, ſed ex

2 *Ex Diviſ. Edit. Benedictinorum.*

3 *Imperitis* &c.] *Hieronymus* Ep. LIII. ad Theodoram de Lucinio: *Fidei Eccleſiaſticæ tenuit puritatem, nequaquam ſuſcipiens* Armagil, Barbelon, Abraxas, Balſamum, *&* *ridiculum* Leuſiboram, *ceteráque magis portenta, quàm nomina; quæ ad imperitorum & mulierculorum animos concitandos & quaſi de Hebraïcis fontibus hauriunt, barbaro ſimplices quoſque terrentes ſono.*

ex iis omnibus doctrinis aliquid traheret, cùm præſertim alias non noſſent; cujus ſublimitate, aut potiùs obſcuritate quæſitâ, ſimpliciores adlicerent. ANN. LXXVI.

IV. Sic ergo *Irenæus: Ex his qui prædicti ſunt Simoniani, multitudo Gnoſticorum Barbelo exſurrexit, & velut è terra fungi manifeſtati ſunt, quorum principales, apud eos, ſententias enarramus. Quidam enim eorum Æonem quemdam, numquam ſeneſcentem, in virginali ſpiritu, ſubjiciunt, quem Barbelon nominant.* Cùm vellent Gnoſtici fucum facere [3] imperitis, nomina quædam barbara, quaſi ingentia myſteria occultarent, adhibuerunt, deſumta è lingua Hebræa, aut Chaldaïca, quæ à Judæo fortè quopiam acceperunt. Hinc nomen *Barbelo*, quod ſi Hebraïcis characteribus ſcribas, ſtatim intelliges quid ſit, ברבלא, quod eſt idem cum בלבלא *balbelo*, & *confuſionem* ſonat, à radice בלל balal, *confudit*, *miſcuit*. Sic in *Aruch* legitur ברבלתא *barbelitha*, pro בלבליתה *balbelitha*, quæ eſt *ſuffuſio oculorum*; & ſolent ſæpe hæ liquidæ inter ſe miſceri. Si in hiſce ſomniis ſententiam quamdam certam quærere neceſſe eſſet, ſuſpicari poſſemus nomine *Barbelo* ſignificatum Chaos, in quo omnia confuſa erant.

V. Ubi, pergit *Irenæus*, *eſſe Patrem quemdam innominabilem dicunt* (qui videtur eſſe ſummus Deus) *voluiſſe autem hunc ſe manifeſtare ipſi Barbeloni* (ſeu agere in materiam omnium rerum confuſam.) *Ennœam autem hanc ſtetiſſe in conſpectu, ejus* (Barbelonis, cui hæc Dei ἔννοια, ſeu *cogitatio* patefacta eſt) *& poſtulaſſe Prognoſin* (Præcognitionem.) *His rurſus petentibus, prodiit Incorruptela, poſt deinde Vita Æterna; in quibus gloriantem Barbelonem & proſpicientem in magnitudine & conceptu delectatam hanc, generaſſe ſimile ei Lumen.* (Crediderim legendum *lucem*, propter ſequens pronomen *hanc*, aut emendandum *hoc*) *Hanc initium & luminationis & generationis omnium dicunt; & videntem Patrem Lumen hoc, unxiſſe illud ſuâ benignitate, ut perfectum fieret. Hunc autem dicunt eſſe Chriſtum* (Vide Joan. I, 4, 8. unde fortè hæc ſumta, cùm potuerit Evangelium Joannis ante hæc tempora exſtare, quamvis ſeriùs editum vulgò cenſeatur) *qui rurſus poſtulat, quemadmodum dicunt, adjutorium ſibi dari Nun* (Νοῦν, intellectum) *& progreſſus eſt Nus. Super hæc autem Pater emittit Logon* (Λόγον, Rationem.) *Conjugationes* (Συζυγίαι, conjugia) *autem fiunt Ennoïæ & Logi, & Aphtharſias & Chriſti, & Æonia autem Zoe Thelemati* (*Voluntati*, quæ proinde anteceſſiſſe debuiſſet, & fortè excidit) *conjuncta eſt, & Nus Prognoſi, & magnum Lumen & Barbelon.* Λόγος eſt è *Joanne*, aut è Platonicis deſumtum; conjugia autem inter Ideas meras inventa ſunt, more Heſiodeo, quem in Theogonia videre licet; quod etiam *Valentino* ſimilia conjugia poſtea commento, aut qui hæc interpolavit, objecerant [3] Veteres.

VI.

no, ut quod non intelligunt magis mirentur. Similia habet in LXIV. Eſaiæ, III. Amoſi, in Nahumum & ad Hedibiam.

4 *Veteres*] *Irenæus* Lib. II. c. XIV, 5. *Quod autem Salvatorem ex omnibus factum eſſe Æonibus dicunt, omnibus in eum deponentibus veluti florem ſuum, non extra* Heſiodi *Pandoram novum aliquid adferunt.* Vide & Cap. XXI, 2. De conjugiis vide *Epiphanium* Hæreſ. XXXI, 3.

ANN. LXXVI. VI. Ex his, quæ prognata ſint docet *Irenæus*, ex ſententia Gnoſticorum, his verbis: *Poſt deinde de Ennoia & de Logo Autogenem* (per ſe natum) *emiſſum dicunt, ad repræſentationem magni Luminis, & valde honorificatum dicunt, & omnia huic ſubjecta. Coëmiſſam ei Alethiam* (Veritatem) *& eſſe conjugationem Autogenûs & Alethiæ. De Lumine autem, quod eſt Chriſtus, & de Incorruptela quatuor emiſſa Luminaria, ad circumſtantiam Autogeni, dicunt, & de Thelemate rurſus & Æonia Zoë quatuor emiſſiones factas, ad ſubminiſtrationem quatuor Luminaribus, quas nominant Charin, Theleſin, Syneſin, Phroneſin* (Gratiam, Volitionem, Intelligentiam, Prudentiam;) *& Charin quidem magno & primo Luminario adjunctam; hunc autem eſſe Sotera* (Servatorem) *volunt & vocant eum Harmogenes* (Lege *Oromaze*,) *Theleſin autem ſecundo, quem & nominant Raguel; Syneſin autem tertio Luminario, quem vocant David; Phroneſin autem quarto, quem vocant Eleleth.* Primo Luminari nomen impoſuerunt *Oromaze*, quod fuit ſummi Dei, apud Chaldæos, indigitamentum, & huc adprimè facit, nam אוראמזא, *lucem fulgentem* ſonat. Sic autem ſcriptum credimus, quia duo Codices, Editori Benedictino laudati, habent *Harmoze*, duo alii *Armoze*. Secundum dictum *Raguel*, רעואל, hoc eſt, *amicus ejus eſt Deus*; tertium *David*, דויד, *dilectum*; quartum *Eleleth* crediderim eſſe pro *Elphelet*, quod eſt nomen filii Davidis, 1. Par. XIV, 5. & *Deus liberatio* ſignificat.

VII. Confirmatis *igitur ſic omnibus, ſuper hæc emittit Autogenes hominem perfectum & verum, quem & Adamantem vocant, quoniam neque ipſe domatus eſt, neque ii ex quibus erat, qui & remotus eſt cum primo Lumine ab Harmoge* (l. Oromaze.) *Emiſſam autem cum Homine ab Autogene Agnitionem perfectam & conjunctam ei: (unde & hunc agnoviſſe eum, qui eſt ſuper omnia) virtutem quoque ei invictam datam à virginali Spiritu, & refrigerant in hoc omnia hymnizare magnum Æona. Hinc autem dicunt manifeſtatam Matrem, Patrem, Filium; ex Anthropo autem & Gnoſi natum lignum, quod & ipſum Gnoſin vocant.* Luſus eſt in voce *Adam*, quaſi idem eſſet Hebraïcè ac Græce ἀδάμαςος, unde deducunt Grammatici vocem ἀδάμας. *Lignum*, quod & *Gnoſin* vocabant, videtur referendum ad ξύλον τοῦ γνώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν, *arborem cognitionis boni & mali.* Reliqua ſunt febricitantium ſomniis deteriora. Addemus tamen pauca, ex quibus de omnibus judicare liceat.

VIII. Deinde *ex primo Angelo, qui adſtat Monogeni, emiſſum dicunt Spiritum Sanctum, quem & Sophiam & Prunicum* (προύνικον) *vocant. Hunc igitur videntem reliqua omnia conjugationem habentia, ſe autem ſine conjugatione, quæſiſſe cui adunaretur; & cùm non inveniret, adſeverabat, extendebatur & proſpiciebat ad inferiores partes, putans hîc invenire conjugem; & non inveniens exſiliit, tædiata quoque, quoniam ſine bona voluntate Patris impetum fecerat. Poſt deinde, ſimplicitate acta, generavit opus in quo erat ignorantia & audacia. Hoc autem opus ejus eſſe Proarchontem dicunt, fabricatorem conditionis hujus; virtutem autem magnam abſtuliſſe eum*

à

à matre narrant & abſtitiſſe ab ea in inferiora & feciſſe firmamentum cœli, in quo & habitare dicunt eum. Et cùm ſit ignorantia, feciſſe eas, quæ ſub eo ſunt Poteſtates & Angelos & firmamenta & terrena omnia. Deinde dicunt adunatum eum Authadia genuiſſe Kakian, & Zelon, & Phthonon & Erinnyn & Epithymian. Generatis autem his, mater Sophia contriſtata refugit & in altiora ſeceſſit & fit deorſum numerantibus octonatio (1. Prunicus, 2. Proarchon, 3. Superbia, 4. Malitia, 5. Æmulatio, 6. Invidia, 7. Contentio, 8. Cupiditas) *Illâ igitur ſecedente, ſe ſolum opinatum eſſe, & propter hoc dixiſſe:* Ego ſum Deus zelator & præter me nemo eſt. *Et hi quidem talia mentiuntur.* In his nonnulla animadvertenda & I. quidem προύνικον haberi vocem laſcivam ab *Epiphanio* Hæreſ. XXV, 4. πρȣνικεύειν perinde ei eſſe ac *deflorare*, & eo ſenſu κάλλος προύνικον, *defloratam virginem formoſam*, dici. Quod an ſpectarint Gnoſtici neſcio, cùm ea vox ſignificet etiam *antè victorem:* II. Pro *Proarchonte*, apud *Theodoretum*, legi πρωτάρχοντα, eodem fermè ſenſu; nam ſignificatur is qui ante Archontas, hoc eſt, Angelos fuit, aut qui Primus Angelorum: III. Ogdoadem hanc fuiſſe proluſionem quamdam Ogdoadis Valentinianæ, quæ aliud nihil eſt, præter hujus interpolationem. ANN. LXXVI.

IX. Exponit *Irenæus*, in ſequentibus, aliorum quorumdam Gnoſticorum ſimilia deliria, quæ prætermittemus; cùm neſcire liceat cur inter ſe diſſenſerint, & quid ſibi velint; quandoquidem, ſi talia monſtra protulerunt, ne ipſi quidem quid ſibi vellent ſciverunt. Mirum hæc tam abſurda potuiſſe cùm inveniri, & quaſi profundæ cujuſdam γνώσεως ſpecimina proponi, tum etiam ab ullo credi. Sed ſi reputemus Cabbaliſticas Rabbinorum nugas, hiſce non prorſus diſſimiles, non tantùm inventores ſed & admiratores nactas eſſe; res minùs incredibilis videbitur, & humanum ingenium à recta Ratione, Revelationéque Divina aberrans quævis portenta proferre, ac prolatis adſentiri poſſe fatebimur: Verùm talia diuturna eſſe, aut latè ſpargi apud cultiores Gentes, præſertim illatâ Evangelii face, nequibant.

X. Sed præter abſurda hæc Theoremata, quæ memorat etiam *Epiphanius* in Hæreſi XXVI. quæ eſt Gnoſticorum, eos inſimulat graviſſimorum in moribus flagitiorum, qualia ſunt communes fœminas habere, promiſcuè cum quavis concumbere, & deteriora alia, ſi ſpurcitiem ſpectes; quibus vix fidem habere poſſimus, quòd ſint non voluptariorum, ſed furioſorum, & quæ turpe ſit vel ex *Epiphanio* exſcribere. Adeatur is Scriptor, qui putavit ſibi pudori eſſe non debuiſſe narrare, quod facere Gnoſticos non puduit. Hoc unum proferam, quod pudor quidem dici non vetat, ſed quod indignationem, nauſeam & faſtidium creare poſſit. Ait ergo ſi quæ mulier, certâ quadam ratione gravida facta ſit, „ eos [5] informem adhuc fœtum ex utero detractum, quo„ cumque iis tempore viſum eſſet, infantem, inquam, abortione pro„ jectum in mortario piſtillo tutudiſſe. Huic, ad vitandam nauſeam, „ mel-

5 §. V.

ANN. LXXVII. „ mel & piper, cum aliis aromatibus & unguentis admiſcuiſſe. Tum „ in unum coacto porcorum ac canum illo ſodalitio, unum quemque è „ comminuto infantuli corpuſculo digito delibaſſe, & ſic humanis car„ nibus paſtos ad orandum Deum ſe convertiſſe; quòd, ut aiebant, Cu„ piditatis Princeps nequaquam ſibi illuſiſſet, ſed quod exciderat fratri „ ſuo collegiſſent; atque id perfectum eſſe baptiſma exiſtimaſſe. Facilè intelligo voluptatem, quacumque ratione, ab impuris hominibus quæſitam, & multa etiam, ſpecie Religionis, turpiſſima eſſe inſtituta ac facta, ſeu ab impoſtoribus, ſeu ab hominibus deceptis; ſed hæc & alia, naturâ ſuâ nauſeam & faſtidium creare apta, ſine ulla voluptate, & cum maxima hominum infamia, ſi reſciſcerentur, in vulgus ſpargenda, inventa & in uſum deducta vix ac ne vix quidem mihi perſuadeo. Quare fides ſit penès *Epiphanium*, credulum jùxta & acrem adverſarium, aut eos è quibus talia hauſerat. Scio quædam ſimilia [6] eſſe Manichæis exprobrata, ſed cùm ab adverſariis tantùm ea habeamus, in medio etiam relinquenda cenſeo. Notum eſt bene ſentientibus Chriſtianis & olim & nuper ea objecta eſſe, per calumniam, à quibus alieniſſimi erant; cum quibus quidem nolim inſanos homines ac ſceleratos, ut putantur, ullâ ratione conferri; ſed tamen neceſſe eſt malorum etiam nos æquos judices eſſe. Ait, fateor, [7] *Epiphanius* ſe juvenem in eam Hæreſin incidiſſe, inſtitutum fuiſſe ab ejus doctoribus, & tentatum à fœminis eâ infectis. Sed non eſt credibile, ſub Principibus & Magiſtratibus Chriſtianis, talia faſſos eſſe Gnoſticos & ea dixiſſe, quæ infamare eos poterant & alienos omnium animos ab iis reddere. Ab aliis, ut puto, talia audiverit *Epiphanius*, ut innumera alia, quæ paſſim habet, parum fide digna.

XI. Qui plura, hac de re, cupierint *Irenæum* & *Epiphanium* adire poterunt. Pauca addemus de quibuſdam ſingularibus Gnoſticorum doctoribus, qui partibus nonnullis ejus Sectæ nomina fecerunt, & ad ſingulos annos; quoniam nihil eſt aliud quod agamus, & ignota ſunt tempora, quibus floruerunt, niſi quòd ſub finem ſæculi primi fuerint; de ſingulis agemus.

T. Flavio Veſpaſiano Aug. VIII. & T. Cæſare VI. COSS. *Veſpaſiani Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti* LXXVII.

I. Postquam *Irenæus* ea dixit de Simonianis, quæ antea ad ann. XLII. recitavimus, ſic de primario Simonis Diſcipulo loquitur: [1] *Hujus*

6 Vide *Auguſtinum* in Lib. de Hæreſibus, ubi de Manichæis.

7 §. XVII.

1 *Hujus ſucceſſor*] Græcè διάδοχος, quæ vox proximum ſucceſſorem, ubi de Philoſophorum diſcipulis ſermo eſt, ſignificat. Sic *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 26. de Menandro agens: Σίμωνα τὸν μάγον Μένανδρος διαδεξάμενος. Unde colligere licet Menandrum ſeriùs non vixiſſe, cùm Simon ante quadraginta annos jam inclaruiſſet.

2 *Hereſ.* XXII.

1 Lib. I. c. 24. è diviſ. Bened.

2 *Exiſtimaſſe mundum* &c.] Quæſtio ardua

jus (Simonis) *ſucceſſor fuit Menander*, *Samarites genere*, *qui & ipſe ad ſummum Magiæ pervenit. Qui primam quidem Virtutem incognitam ait omnibus*, *ſe autem eum eſſe*, *qui miſſus ſit ab Inviſibilibus Salvatorem*, *pro ſalute hominum. Mundum autem factum ab Angelis*, *quos & ipſe ſimiliter ut Simon*, *ab Ennœa emiſſos dicit. Dare quoque per eam*, *quæ à ſe doceatur*, *Magiam*, *ſcientiam ad id*, *ut & ipſos*, *qui Mundum fecerunt*, *vincat Angelos. Reſurrectionem enim per id*, *quod eſt in eum baptiſma* , *accipere ejus diſcipulos* , *& ultra non poſſe mori*, *ſed perſeverare non ſeneſcentes & immortales.* Hunc [2] *Epiphanius* aſtutiorem fuiſſe putat, quàm Magiſtrum, ſed non ſunt hæc credibiliora , quàm quæ dixerat Simon; ſi modò immortalitatem in terris cuiquam promiſerit, & alia dixerit, quæ hîc habentur.

ANN. LXXVIII.

L. Ceionio Commodo, *D. Novio Priſco* COSS. *Veſpaſiani Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti* LXXVIII.

I. E Diſcipulis Menandri fuit *Saturninus*, ut ab [1] *Irenæo*, aut *Saturnilus*, ut ab *Epiphanio* & *Theodoreto* adpellatur. Antiochenus, ex Antiochia ad Daphnen, fuit & in Syria docuit. Quot verò annis poſt Magiſtrum, ſectam condiderit, non conſtat. Nam qui rem differunt ad Sæculum Secundum nullâ certâ ratione nituntur, & ſatis liquet ad eos, aut ſimiles certè homines reſpexiſſe in Epiſtolis ſuis Petrum, Judam & Joannem, & quaſi jam venena ſua ſpargentes deſcripſiſſe, ut ſuis locis oſtendemus. 1. *Similiter ut Menander*, inquit Irenæus, *unum Patrem incognitum omnibus oſtendit*, *qui fecit Angelos*, *Archangelos*, *Virtutes*, *Poteſtates*. 2. *A ſeptem autem quibuſdam Angelis mundum factum & omnia quæ in eo.* 3. *Hominem autem Angelorum eſſe facturam*, *deſurſum à ſumma Poteſtate*, *luridâ imagine adparente*, *quam cùm tenere non potuiſſent*, *eò quod ſtatim recurrerit ſurſum*, *adhortati ſunt ſemet ipſos dicentes*: faciamus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem. *Qui cùm factus eſſet*, *& non potuiſſet erigi plaſma*, *propter imbecillitatem Angelorum*, *ſed quaſi vermiculus ſcarizaret* (palpitaret ἀπὸ τοῦ σκαρίζειν) *miſerantem ejus deſuper Virtutem*, *quoniam in ſimilitudinem ejus eſſet factus*, *emiſiſſe ſcintillam vitæ*, *quæ erexit hominem & articulavit & vivere fecit. Hanc igitur ſcintillam vitæ*, *poſt defunctionem*, *recurrere ad ea*, *quæ ſunt ejuſdem generis*, *& reliqua ex quibus facta ſunt* [in] *illa reſolvi.*

II. Hæc de creatione, è Moſaïcis, ut videtur, perperam intellectis & ſomniis ſuis adauctis Menander & Saturnilus philoſophabantur. Videntur autem hi & alii [2] exiſtimaſſe Mundum & Hominem ipſum ab

dua de origine Mali ſemper Philoſophos exercitos habuit, atque in errores graviſſimos Hæreticos veteres conjecit. Vide quæ hac de re habeat *Irenæus* Lib. I. c. XXX, 5. Lib II c. XVII, 10. *Renatum Maſſuetum* Diſſert. I, 48. in *Irenæum*, & Simonis deliria à nobis adlata ad annum XLII, 5. Exſtat etiam fragmentum Diſſertationis Valentini, ubi Mali originem in Materia quærit, pag. 354. Editionis *Irenæi* à *Maſſueto* curatæ, qui id *Grabio* debet.

ANN. LXXVIII. ab Angelis creatum; quòd, propter Virtutum & Vitiorum, Dolorisque & Voluptatis, quibus omnes promiſcuè ſubjacent, miſturam in rebus creatis, veſtigia imperfectionis eorum, à quibus factæ eſſent, videre ſe putarent. Quod etiam antiquioribus Philoſophis in mentem venerat, qui inferioribus Diis creationem hominis & reliquorum animalium, quaſi à ſummo Numine iis mandatam, tribuunt; [3] ut *Plato*, in Timæo. Sed in creaturis, quæcumque ſint, nihil eſt Deo indignum, ſi reputemus unamquamque in ſuo genere perfectam è manibus Dei, pro conſilio Creatoris, prodiiſſe. Si Deus cùm homines creavit, Angelos facere voluiſſet immutabili animi adfectione perpetuæ ſanctitati addictos, conſequutus non fuiſſet quod facere ſtatuerat; ſed homines mutabiles facere voluit, & quod intellectu conceperat re ipsâ exſequutus eſt, nec quidquam eum fefellit. Si ab iis plus poſtularet, quàm eorum natura ferret, minùs hoc eſſet Juſtitiæ conſentaneum; verùm nihil ſupra vires ab iis exigit. Miſtura illa etiam Vitii & Virtutis, Calamitatis & Felicitatis quæ cernitur in terris, non inde orta eſt, quòd à Deo homines non ſint facti, ſed quòd id creaturarum genus perfectius non ſit. Alioqui ſi nihil, niſi ſummopere perfectum à Deo creari debuit; à Deo oportuiſſet Deos prodire, quod repugnat, nam Deus eſt ſuâ naturâ æternus, nec naſci magis poteſt, quàm mori; adeóque res eò rediret, ut negaretur quidquam à Deo poſſe creari, cùm quidquid creaturus eſſet, infinitis vicibus minùs perfectum eo eſſet futurum. Non opus erat ergo ut ad Angelos creatores, aut inferiores Deos Platonicorum confugeret Saturnilus, ut imperfectionis naturæ humanæ, ſi cum ſuperioribus Naturis conferatur, rationem redderet, & cur mala bonis in terris miſta eſſent oſtenderet.

III. Pergit verò *Irenæus* deſcribere hominis dogmata his verbis: *Salvatorem autem innatum* (ἀγέννητον, hoc eſt, ex homine non genitum, non hominem) *demonſtravit & incorporalem & ſine figura, putativè autem viſum hominem* (δοκήσει, qui videretur homo, cùm non eſſet) *& Judæorum Deum unum ex Angelis eſſe dixit. Et propter hoc quòd diſſolvere voluerint Patrem ejus omnes Principes*, (Ἄρχοντες, Angeli, qui à Deo Judæorum ſtabant, ex Saturnili ſententia) *adveniſſe Chriſtum ad deſtructionem Judæorum Dei, & ad ſalutem credentium ei; eſſe autem hos, qui habent ſcintillam vitæ ejus. Duo enim genera hic primus hominum plaſmata* (formata) *eſſe ab Angelis dixit; alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Et quoniam dæmones peſſimos adjurant* (homines) *veniſſe Salvatorem ad diſſolutionem malorum hominum & dæmoniorum, ad ſalutem autem bonorum.* Quæ mera ſunt deliria ex hoc, puto, orta, quòd [4] *legem per Angelos prolatam* legiſſent, eámque minùs perfectam crederent; cùm reputare debuiſſent Angelos, ea in re, legatos Dei egiſſe, Legémque indoli

3 *Ut Plato, in Timæo*] Vide Ed. Stephani T. III. p. 41.

4 *Legem per Angelos datam*] Vide Act. VII, 38. Heb. II, 2. & ad ea loca Interpre-

indoli Populi Hebræi adtemperatam fuiſſe, nec propterea inde ſequi à Deo non eſſe; præſertim cùm antiquanda, rebus & hominibus mutatis, aliquando eſſet. ANN. LXXIX.

IV. Nubere *autem & generare*, ait Irenæus, *à Satana dicunt eſſe. Multi autem ex iis, qui ſunt ab eo* (à Saturnilo) *& ab animalibus abſtinent, per fictam ejuſmodi continentiam ſeducentes multos. Prophetias autem quaſdam quidem ab iis Angelis, qui mundum fabricaverint, dictas; quaſdam autem à Satana; quem & ipſum Angelum adverſarium mundi fabricatoribus oſtendit, maximè autem Judæorum Deo.* Cùm Satanas malum Angelum & Dei adverſarium, apud omnes, ſignificet, cúmque *Judæorum Deum* inter malos Angelos haberet Saturnilus, quid hæc ſibi velint difficile eſt intellectu; niſi fortè repugnantia docuerit, quod in ſomniis ejuſmodi facilè fieri potuit.

T. Flavio Veſpaſiano Aug. IX. T. Cæſare VII. COSS. *Titi Imp. I. Æræ Vulgaris* LXXIX.

I. Hoc anno, Veſpaſianus Imp. fato functus eſt, die XXIV. Junii. *Dion*, qui à Cal. Juliis anni Æræ Vulg. LXIX. initium ejus imperii duxit, regnaſſe eum ait decem annis, ſi ſex dies detrahas. Alii verò, qui id initium arceſſunt à d. V. Nonas Julias ejuſdem anni, aiunt eum imperaſſe IX. annos XI. menſibus, XXII. diebus. Succeſſit ei Titus filius, laudatiſſimus atque humaniſſimus Imperator.

II. Quod fecit Saturnilus in Syria, idem à Baſilide in Ægypto factum; quamvis de tempore non conſtet. In Saïtico & Alexandrino Nomo verſatus cùm eſſet, ut ait *Epiphanius* Hæreſ. XXIV. in Proſopitico & Atribitico potiſſimùm eſt moratus. Is *ut* Saturnilo *altius aliquid & veriſimilius inveniſſe videretur*, ut loquitur Irenæus, *in immenſum extendit ſententiam doctrinæ ſuæ, oſtendens Nun primò ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, deinde à Logo Phroneſin, à Phroneſi autem Sophiam & Dynamin, à Dynami autem & Sophia Virtutes & Principes & Angelos, quos & primos vocat, & ab iis primum Cœlum factum. Dehinc ab horum derivatione alios factos, aliud cœlum ſimile priori feciſſe, & ſimili modo ex horum derivatione cùm alii facti eſſent, antitypi* (ſimiles) *eis qui ſuper eos eſſent, aliud tertium deformaſſe cœlum; & à tertio deorſum deſcendentium quartum, & deinceps, ſecundùm unum modum, alteros & alteros Principes & Angelos factos eſſe, & cœlos CCCLXV. Qua propter & tot dies habere annum, ſecundùm numerum cœlorum.* Primarum Syzygiarum rationem, [1] ex adfinitate rerum, Heſiodeo more confictarum, intelligere licet; at Angelorum & Cœlorum productio nullo, ne minimo quidem fundamento, nititur.

III.

pretes.

1 *Ex adfinitate rerum* &c.] Vide quæ de hiſce conjugiis diximus ad Theogoniam *Heſiodi* verſ. 123 & 212.

ANN. LXXIX.

III. Sed ſequentia, de ſeditione Angelorum, adventúque Chriſti, ad deſtruendum Deum Judæorum, ejúſque minimè crucifixi, multò ſunt abſurdiora. *Eos autem, qui poſterius continent cœlum, Angelos, quod etiam à nobis videtur, conſtituiſſe ea, quæ ſunt in Mundo, omnia, & partes ſibi feciſſe Terræ, & earum, quæ ſuper eam ſunt, gentium. Eſſe autem principem ipſorum eum, qui Judæorum putatur eſſe Deus. Et quoniam hic ſuis hominibus, id eſt, Judæis voluit ſubjicere reliquas Gentes; reliquos omnes Principes contrà ſtetiſſe ei & contrà egiſſe. Quapropter & reliquæ reſiluerunt Gentes ejus Genti.* Mutua hæc partim ſumſit Baſilides ab iis, qui ſingulis Gentibus præfectum Angelum putarunt, qua de re diximus ad Deut. XXXII, 8. & in Indice Pentateuchi ad vocem *Angeli.* Videtur etiam abuſus loco Danielis Prophetæ Cap. X, 20, 21. ubi mentio fit Angelorum quorum unus *Princeps Perſarum*, alter *Græcorum*, tertius denique *Judæorum* dicitur, & ſibi adverſantes deſcribuntur. Quem ad locum, conſulendi Interpretes.

IV. Aiebant porrò Baſilidiani *innatum & innominatum Patrem, videntem perditionem ipſorum, miſiſſe primogenitum Nun* (νοῦν, mentem) *ſuum (& hunc eſſe, qui dicitur Chriſtus) in libertatem credentium ei, à poteſtate eorum, qui Mundum fabricaverunt. Et Gentibus ipſorum adparuiſſe eum in terris hominem & virtutes perfeciſſe. Quapropter, neque paſſum eum, ſed Simonem quemdam Cyrenæum angariatum portaſſe crucem ejus pro eo; & hunc, ſecundùm ignorantiam & errorem, crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipſe eſſe Jeſus; ipſum autem Jeſum Simonis accepiſſe formam, & ſtantem irriſiſſe eos. Quoniam enim Virtus incorporalis erat & Nus innati Patris, transfiguratum quemadmodum vellet, & adſcendiſſe ad eum qui miſerat eum, deridentem eos, cùm teneri non poſſet & inviſibilis eſſet omnibus.* Atqui licèt in Chriſto, non Angelus aliquis, qualis erat *Nus*, Νοῦς, ſed Deus ipſe ingenitus, nec ullo nomine proprio indigitandus, creaturarum inſtar, ut à ſui ſimilibus diſtinguantur, habitaret; non opus fuit fingere Chriſtum non fuiſſe reverâ crucifixum, quaſi ſupplicium & mors infra dignitatem & naturam ejus eſſent, neque enim Natura Divina talia paſſa à Chriſtianis dicitur, ſed Humana tantùm; earúmque perpeſſionum graviſſimas rationes fuiſſe oſtendimus, in Prolegomenis Sect. III. C. III, 8. & ſeqq. Sed Philoſophi, quorum ſententiam exponere adgreſſi ſumus, non impoſtores modò, qui commenta ſua, pro divinis dogmatibus, venditabant; ſed imperiti etiam erant & rerum ipſarum, & artis ratiocinandi. Quare non immeritò κτηνώδεις, ſeu *pecudes* ab *Epiphanio* vocantur, ſi id ſenſerunt, quod ſenſiſſe narrantur.

V. Docebant, ut habet Irenæus, *liberatos eos, qui hæc ſciant, à Mundi Fabricatoribus Principibus, & non oportere confiteri eum, qui ſit crucifixus, ſed eum, qui in hominis forma venerit, & putatus ſit crucifixus & vocatus ſit Jeſus & miſſus à Patre, ut per diſpoſitionem hanc opera mundi fabricatorum diſſolveret. Si quis igitur*, aiebat Baſilides, *confitetur Crucifixum, adhuc hic ſervus eſt & ſub poteſtate eorum, qui corpora fecerunt;*

qui

qui autem negaverit, liberatus eſt quidem ab iis, cognoſcit autem diſpoſitionem innati Patris. Cùm de Chriſto nihil ſcirent Baſilidiani, niſi ex narrationibus teſtium vitæ & mortis ejus, qui contraria prorſus adfirmabant; extremæ fuit dementiæ vim inferre toti eorum narrationi, ut conſentanea videretur meris figmentis, quæ ſolâ negatione evertebantur. ANN. LXXIX.

VI. CREDEBANT *animæ ſolius eſſe ſalutem, corpus enim naturâ corruptibile exſiſtere. Prophetias autem & ipſas à Mundi fabricatoribus fuiſſe* aiebant *Principibus; propriè autem Legem à principe ipſorum, qui eduxerat Populum de Terra Ægypti. Contemnere autem Idolothyta, & nihil arbitrari, ſed ſine aliqua trepidatione uti eis. Habere autem & reliquarum operationum uſum indifferentem, & univerſæ libidinis.* Antea diximus cur videantur incidiſſe in abſurdam opinionem, de Angelo Judæorum Deo; ſed idolothyta quod adtinet, reverâ nulla fuit ratio cur ab iis abſtineretur, niſi quæ petita è ſcandalo fuit; ſi modò comederentur, inſtar cujuſvis alius carnis; ut ſat perſpicuè docet Paulus 1. Cor. VIII. Verùm ſi omnia putarent indifferentia, & quamvis libidinem licitam, nullâ ratione defendi poterant.

VII. UTUNTUR *autem*, inquit eodem loco Irenæus, *& hi Magia, & imaginibus, & incantationibus, & reliqua univerſa Periergia. Nomina quoque quædam adfingentes, quaſi Angelorum, adnunciant hos quidem eſſe in primo cœlo, hos autem in ſecundo, & deinceps nituntur CCCLXV. ementitorum cœlorum & nomina & principia & Angelos & Virtutes exponere. Quemadmodum & mundus nomen eſſe, in quo dicunt deſcendiſſe & adſcendiſſe Salvatorem, eſſe Caulacau.* Corrupta ſunt hæc poſtrema verba. Fortè legendum: *mundi nomen, in quo — eſſe Caulacau*; ut hæc vox ſit mundi nomen, aut certè Angeli primarii, quem præeſſe ei putabant. Docet *Epiphanius* Hæreſ. XXV, 3. unum ex Principibus ab iis dictum *Caulacauch*, quod nomen deſumtum putat ex Eſ. XXVIII, 10. ubi occurrunt verba קו לקו *Kau lakau*, linea ad lineam; quorum quidem ſenſus non eſt perſpicuus, ſed certè nomen proprium non ſunt. Quod ſi Καυλαυχαὺχ eſſet ſcribendum, ut legitur in Exemplaribus *Epiphanii*, poſſet eſſe pro קול לכוח *Kol lacchoach*, & reſpici ad Pſ. XXIX, 4. Sed quocumque modo legas, voluit Baſilides imperitis, Barbarorum nominum ſono, fucum facere, ut rectè *Epiphanius.*

VIII. ATTAMEN audebat planus ille dicere, *qui hæc didiciſſet & Angelos omnes cognoviſſet, & cauſas eorum, inviſibilem & incomprehenſibilem eum Angelis & Poteſtatibus omnibus, quemadmodum & Caulacau futurum. Et ſicut Filius incognitus omnibus eſſet, ſic & ipſos à nemine oportere cognoſci; ſed cùm ſciant ipſi omnes, & per omnes tranſeant, ipſos omnibus inviſibiles & incognitos eſſe. Tu enim, inquiunt, omnes cognoſce, te autem nemo cognoſcat. Quapropter & parati ſunt ad negationem, qui ſunt tales, imò magis ne pati quidem, propter nomen poſſunt, cùm ſint omnibus ſimiles. Non autem multos ſcire poſſe hæc, ſed unum à mille & duo à myriadibus.* &c.

ANN. LXXX. Si talia dicerent, nec erant Chriſtiani, nec homines ſani; qui ſic mentiebantur & Chriſtum abnegabant.

IX. Trecentorum *autem ſexaginta-quinque cœlorum locales poſitiones diſtribuunt, ſimiliter ut Mathematici. Illorum enim Theoremata accipientes, in ſuum characterem doctrinæ tranſtulerunt. Eſſe autem principem illorum* Ἀβράξας *& propter hoc CCCLXV numeros habere in ſe.* Hoc eſt, litteras illas Græcas, arithmeticâ poteſtate, eum numerum conficere; qua de cauſa, principem Angelorum commenticio illo & ſine ſignificatu nomine eſſe vocatum, quòd præſit CCCLXV. cœlis. [2] Exſtant etiamnum Gemmæ, in quibus nomen hoc legitur, quæ amuletorum inſtar à ſuperſtitioſis geſtatæ.

Tito Auguſto VIII. Domitiano Cæſare VII. COSS. Titi Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti LXXX.

I. Nihil, hoc quoque anno, de rebus Chriſtianis memoriæ mandatum eſt, quod quidem ad poſteros pervenerit. Quapropter quæ de Cerintho, horum temporum æquali, dicuntur adſcribemus: *Cerinthus quidam in Aſia*, [1] inquit Irenæus, *non à primo Deo factum eſſe mundum docuit; ſed à Virtute quadam valde ſeparata & diſtante ab ea principalitate, quæ eſt ſuper Univerſa, & ignorante eum, qui eſt ſuper omnia, Deum.* Valde credulos oportet fuiſſe eos, qui crediderunt Cerintho Deum, qui Creatori Mundi ignotus fuerat, ipſi innotuiſſe, quaſi Creatore Mundi potior fuiſſet. *Jeſum autem ſubjecit, non ex Virgine natum (impoſſibile enim hoc ei viſum eſt) fuiſſe autem Joſephi & Mariæ filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines, & plus potuiſſe juſtitiâ & prudentiâ & ſapientiâ ab hominibus. Et poſt baptiſmum deſcendiſſe in eum, ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, Chriſtum figurâ columbæ & tunc adnunciaſſe incognitum Patrem & virtutes perfeciſſe; in fine autem revolaſſe iterum Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum & reſurrexiſſe; Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe exſiſtentem ſpiritalem.* I. De natalibus Jeſu-Chriſti, teſtes ſunt fide digniores Matthæus & Lucas; nec quidquam vetat, quod ſolitis naturæ Legibus fieri nequit, id miraculo divino factum; ac ſanè Divina Sapientia dignum fuit, unicum illum Hominum Servatorem, ſingulari ratione, naſci. Niſi *Cerinthus* divinam omnipotentiam negaverit, rem fieri poſſe inficiari non poterat; qui etiam, niſi Servatorem ſpreverit, miraculo eum è Virgine intacta naſci, dignum eo fuiſſe, qui tantam perſonam ſuſtinuit, fateri debuit. III. Chriſti nomen alii, quàm Jeſu, Mariæ filio, convenire nemo dixerit, niſi qui Chriſtum, ſeu Meſſiam, è ſanguine Davidis oriri debuiſſe oblitus ſit, ejúsque loco commenticium neſcio quem Principem ſuppoſuerit, quæ ſunt mera deliria. III. Interim

2 *Exſtant etiamnum Gemmæ* &c.] Vide Diſſert. *Pet. Joan. Chiffletii* de Num. Baſilidianis, & *Jac. Sponii* Miſcell. Erud. Ant. Sect. IX. ubi de Amuletis.

1 *Lib.*

rim vel ex *Cerintho* Jeſum verè eſſe paſſum, non δοκήσει, oſtendere poſſumus, cùm ea in re à ceteris Simonianis diſſenſerit. ANN. LXXXI.

II. Caius, qui ſub finem II. aut initio III. Sæculi floruit, prodidit in Dialogo, cujus locum profert *Euſebius* Hiſt Eccl. Lib. III. c. 28. „ Cerinthum, qui per revelationes, quaſi à magno Apoſtolo ſcriptas, portenta finxerat, velut ab Angelis ſibi oſtenſa, intromiſiſſe „ hanc doctrinam; quâ adfirmat, poſt reſurrectionem, regnum Chriſti „ in terris futurum, & rurſus cupiditatibus & voluptatibus carnem Jero- „ ſolimæ verſantem ſervituram. Quin & dixiſſe inimicum illum Scrip- „ turarum Divinarum, fallere volentem, in nuptialibus feſtis mille an- „ norum ſpatium tranſactum iri. Cujus erroris etiam *Dionyſius* Alexandrinus eum incuſabat, ut eodem loco docet *Euſebius*. Quod ſi verum ſit, Chiliaſtarum hic conditor haberi poſſit.

III. Ait etiam *Irenæus* Lib. III. c. 3. *fuiſſe qui dicerent ſe audiviſſe Polycarpum dicentem, quoniam Joannes Domini diſcipulus in Epheſo iens lavari, cùm vidiſſet intus Cerinthum, exſiliiſſet de balneo non lotus, dicens, quòd timeret ne balneum concideret, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis.* Hanc ipſam Hiſtoriolam, ſed paullò ornatiorem, de Ebione narrat *Epiphanius* Hæreſ. Ebionæorum, quæ XXX. eſt, §. 25. Veræne, an falſæ ſint hujuſmodi narratiunculæ nemo hodie dixerit; nec quidquam prudentiùs facere poſſimus, quàm ſi eas in medio relinquamus.

Sex. Annio Silvano, T. Vero Pollione COSS. Titi Imp. III. Domitiani I. Anno Æræ Vulgaris Chriſti LXXXI.

I. His Conſulibus, Titus Veſpaſianus exceſſit, Idibus Septembris; poſt biennium, ut ait *Suetonius* C. XI. & menſes duos, diéſque viginti, quàm ſucceſſerat Patri. Vir optimus teterrimum mortalium ſucceſſorem habuit fratrem Domitianum.

II. Cum conſtet Clementi, in Romanæ urbis Epiſcopatu, ſucceſſiſſe Euareſtum,[1] cúmque ſint probabiles rationes, quæ ſuadeant hoc anno ſedere cœpiſſe Euareſtum; ad eumdem, aut ad proximè antecedentem referenda videtur mors Clementis. Huic multa ſunt ſuppoſititia opera adtributa, ubi innumeræ fabulæ de Petro, Clemente & aliis habentur, quibus fidem jam nemo habet. Ea collegit *Joan. Bapt. Cotelerius* 1. Volumine Patrum Apoſtolicorum Edit. Amſtelod. ubi Veterum & Recentiorum de iis judicia legere licebit.

III. Habemus, in eodem Volumine, *Martyrium S. Clementis*, è Codice Regio Pariſienſi, ſed fabuloſum, ut ſunt pleraque. Narratur in

1 *Lib. I. c. 26. è diviſ. Bened.*

1 *Euareſtum*] Vide *Henr. Dodwelli* Diſſert. ſingularem de Succeſſionibus primorum R. E.

ANN. LXXXII. in eo libello Clemens in exſilium miſſus à Trajano, in ſolitudinem Tauricæ Cherſoneſo adjacentem; ubi multi erant Chriſtiani, effodiendo & cædendo marmori damnati. Eo in loco, miracula cùm multa feciſſet, & magnam multitudinem hominum ad Chriſtianam fidem adduxiſſet, querelæ ea de re ad Trajanum pervenere. Is verò miſit Aufidianum, qui locis illis præeſſet, à quo fruſtra Clemens ad deficiendum tentatus, in mare, ancorâ collo adligatâ, projectus eſt & ſubmerſus. Nec propterea deſiere miracula, quæ illic narrantur, nec digna ſunt, quæ hîc repetantur; cùm præſertim ſerioribus ſæculis, quibus de ſanctis viris ficta miracula comminiſci & narrare laudi fuit, in lucem prodierint, antiquioribus Chriſtianis prorſus ignota. Longa contexi poſſet, ſolâ narratione & confutatione ejuſmodi mendaciorum, Hiſtoria; quam adgredi noſtri non eſt otii.

Domitiano Aug. VIII. T. Flavio Sabino COSS. Domitiani Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXII.

I. Hoc anno memorabile nihil contigit Chriſtianis, quod quidem litteris mandatum ad nos pervenerit. Itaque hîc agemus de Nicolaïtis, de quibus hæc habet Irenæus: [1] *Nicolaïtæ magiſtrum habent Nicolaum, unum è ſeptem, qui primi ad Diaconium ab Apoſtolis ordinati ſunt, qui indiſcretè vivunt* (hoc eſt, miſcentur inter ſe, pecudum inſtar) *Pleniſſimè autem per Joannis Apocalypſin, manifeſtantur, qui ſint, nullam differentiam eſſe docentes in mœchando & idolothyton edere. Quapropter dixit & de iis ſermo*: Sed hoc habes, quòd odiſti opera Nicolaïtarum, quæ & ego odi. *Apoc.* II, 6.

II. Ex verbis Joannis, liquet quidem malos fuiſſe, eo tempore, homines, qui *Nicolaïtæ* vocarentur; ſed de eorum doctrina, aut de Nicolao, qui ſectæ auctor fuerit, nihil certi hinc colligere licet. Nec olim ſatis conſtabat an ſectæ ullius conditor fuiſſet Nicolaus, qui Diaconus ab Apoſtolis eſt conſtitutus. *Clemens Alexandrinus* Stromat. III. [2] atque ex eo *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 29. narrant Nicolaum, „ cùm „ haberet formoſam uxorem, poſt adſcenſum Domini, objurgantibus „ Apoſtolis, & zelotypiam exprobrantibus, productam in medium uxo- „ rem ei, qui vellet ducere, permiſiſſe; γῆμαι τῷ βȣλομένῳ ἐπέτρεψεν. Atqui hoc non licebat homini Chriſtiano, poſtquàm dimittere uxorem, niſi adulteram, aut dimiſſam ducere vetuit Chriſtus. Quare nonnihil ſuſpectam me hanc hiſtoriam habere fateor. „ Hoc factum adfirmant, *inquit Clemens*, planè conſentire cum illo ejuſdem dicto, *oportere carnem contemnere*, ὅτι παραχρᾶσθαι τῇ σαρκὶ δεῖ. Quæ ratio loquendi ambigua eſt, cùm

1 Lib. I. c. 26.

2 Pag. 436.

1 *Modò ne malis moribus* &c.] *Athenagoras* in legatione pro Chriſtianis p. 4. Οὕτω καὶ τοὺς ἀπὸ φιλοσοφίας κρινομένȣς ὁρῶμεν, οὐδεὶς αὐτῶν πρὸ κρίσεως, διὰ τὴν ἐπισήμην ἢ τέχνην, ἀγαθὸς ἢ πονηρὸς τῷ δικαςῇ εἶναι δοκεῖ· ἀλλὰ δόξας μὲν εἶναι ἄδικος κολάζεται, οὐδὲν τῇ φιλοσοφίᾳ προστριψάμενος ἔγκλημα· ἐκεῖνος γὰρ πονηρὸς, ὁ μὴ, ὡς νόμος, φιλοσοφῶν, ἡ δὲ ἐπιςήμη

cùm enim παραχρᾶσθαι ſignificet *contemnere* & quaſi re vili *abuti*, vel ita uti, ut ſpernere intelligaris; poteſt etiam intelligi, quaſi ſit *malè uti*, ſeu *prava ratione*, & quæ ſit vituperanda, *uti*, quemadmodum ex *Suida* intelligere licet. „ Hoc igitur factum, dictúmque, ait *Clemens*, temerè atque imprudenter pro exemplo ſibi proponentes Nicolai ſectatores (*qui, nimirum, ſe eum ſequi, ſed falsò, dicebant*) ſine pudore in omne genus ſtupri feruntur. Atqui de Nicolao ſic accepimus, nullius eum mulieris, præterquàm illius, quam uxorem duxerat, concubitu uſum fuiſſe; & ex ejus liberis filias quidem, uſque ad extremam ætatem, virgines permanſiſſe, filium verò ipſum Veneris expertem vixiſſe. Quæ cùm ita ſint, illa uxoris, ob quam zelotypiæ arguebatur, coram Apoſtolis productio, adfectûs erat abjectio, & verbis illis *abuti carne* abſtinentiam docebat ab iis voluptatibus, quæ ſummopere expetuntur &c. Quin & Matthias idem docuiſſe dicitur, *carni quidem bellum indicendum, eáque abutendum* (παραχρᾶσθαι) *neque ullam ei permittendam voluptatem; animam verò fide ac ſcientiâ augendam eſſe.* Hæc *Clemens*, ex quibus intelligimus, non Nicolaum ſectæ auctorem fuiſſe; ſed eos, qui ejus nomine abutebantur. ANN. LXXXIII.

Domitiano Aug. IX. Q. Petillio Rufo II. COSS. Domitiani Imp. III. Æræ Chriſti Vulg. LXXXIII.

I. Potissimos ſectarum conditores, qui Apoſtolicis temporibus, aut non multò pòſt, vixiſſe perhibentur, eorúmque placita, aut quæ certè eorum fuiſſe dicuntur, luſtravimus; nam in *Gnoſticæ Hereſeos*, quæ omnes hujus ſæculi videtur complexa, ſingula diverticula, inquirendum adcuratiùs non eſſe exiſtimavimus; cùm quòd ad ſummam rei, cum iis, quos diximus, conſentiant, ut *Irenæus* & *Epiphanius* docebunt; tum etiam quòd, in re dubia & obſcura, ſubtilioribus eſſe non licuerit. Nunc, cùm propter veterum monumentorum penuriam, nihil ſit quod narremus; nonnulla, quæ adtentione Lectorum indigna non videntur, de Hæreticis illis, ſummatim ſpectatis, huc congeremus.

II. Ut à nomine Αἱρέσεως initium faciamus, notum eſt eo propriè *electionem* quamvis ſignificari, quæ in meliorem, æquè ac in ſequiorem partem, ſumitur, & de rebus etiam dubiis uſurpatur. Sic dictæ ſunt apud Græcos αἱρέσεις, ſeu *ſectæ* Philoſophorum, quâ voce ſignificabantur rationes variæ philoſophandi, quarum eam cuivis amplecti licebat, quæ magis adriſerat, ſine ulla infamiæ nota; [1] modò ne malis moribus Philoſophiæ genus, quod profitebatur, aut ſe ipſum potiùs dehoneſtaret. Sic & Judæi, Græcè loquentes, Judæorum ſectas, ſine ulla

μη ἀναίτιος: *Sic etiam eos, qui Philoſophi ſunt, judicari videmus. Nemo eorum, ante dictam cauſam, bonus aut malus Judici videtur eſſe, propter ſcientiam, aut artem; ſed cùm viſus eſt eſſe malus, pœnas dat, nec ullius criminationis in Philoſophiam cauſa eſt. Ille enim malus eſt, qui non legitimè philoſophatur, ſed ſcientia crimine vacat.*

ANN. LXXXIII. ulla contumelia, *αἱρέσεις* vocitabant. Sic in Actis Apoſtolicis mentio fit *Hæreſeos Sadducæorum* Cap. V, 17. & *Phariſæorum*, XV, 5. XXVI, 5. ſine ullo alterutrius probro, imò & cum nonnulla laude poſterioris, in qua educatus fuerat Paulus. Sic & *Joſephus*, ſine convicio, memorat *tres Hæreſes Judæorum*, ubi de iis agit, aut ſingulas memorat. Chriſtianam Philoſophiam *hæreſin Nazaræorum* vocant Judæi Act. XXIV, 5. nec puto velle eos conviciari.

III. Sed quia fuerunt graves diſſentiones inter Sectas, quæ non modò in diverſa dogmata diſcedebant, ſed etiam ſe viciſſim contumelioſis dictis proſcindebant, & acerbè damnabant; inde factum eſt ut *hæreſis* paullatim factionem, eámque vituperandam interdum ſignificaret. Sic *hæreſes* ſumuntur, apud Paulum, Gal. V, 20. 1. Cor. XI, 19. & apud Petrum 2. Ep. II, 1. Hinc & *αἱρετικὸς*, *hæreticus* pro homine factioſo occurrit Tit. III, 10. Poſtea etiam *Hæreſes* dictæ vulgò, apud Chriſtianos, opiniones ipſæ, eæque à recta doctrina abhorrentes, & *Hæretici* vocati, qui eas tuebantur; quamvis peculiarem nullam ſectam, quæ ſeorſim à ceteris Chriſtianis ageret, condere adgrederentur; quo tamen ſenſu, in Apoſtolorum Scriptis, eæ voces non occurrunt.

IV. Revera poſſunt, in una eadémque Religione, plures Sectæ intelligi, quarum nulla, quaſi exitialis factio, aut quæ peſtifera dogmata tueatur, damnari queat. Poſſunt enim diſſidia opinionum oriri, & frequenter orta, ſúntque etiamnum hodie fermè ubique, de capitibus, quæ ad Religionis ſummam nihil faciunt. Sæpe & contentionis ſtudio exardeſcunt animi, ita ut vix communes cœtus celebrare poſſint diſſentientes; unde fit ut una, eadémque Societas Chriſtiana in partes ſcindatur, quas *Sectas* dicunt, & *Hæreſes* poſſemus more priſco vocare; quamvis partes illæ de capitibus diſſideant, de quibus, ſine ſalutis jactura, varia ſentire licet. Tum verò Sectæ illæ, ſi modò ſe invicem æternis pœnis non addicant, propter res levis momenti, neque ſe hoſtiliter inſectentur, rectè poſſunt haberi, quaſi Chriſti corporis varia membra. Sic tempore Apoſtolorum, Chriſtiani Judaïſmo nimiùm addicti, & Chriſtiani qui à Judaïſmo abhorrebant, ambo erant Chriſtiani & ſe viciſſim ferre ex doctrina Apoſtolica debebant; quia de ſumma rei conſentiebant. Jeſum, nempe, eſſe Chriſtum, eique per omnia credendum & parendum profitebantur; quamvis Judæi intactas ab eo cærimonias Moſaïcas, quaſi etiamnum obſervandas fruſtra contenderent, Gentiles verò nemini ampliùs impoſitas meritò dictitarent. Sic in ſimilibus diſſentionibus fieri poſſet ubique, imò & deberet.

V. Sed non talia tantùm diſſidia, eo tempore exorta ſunt. Ab Apoſtolorum ævo fuerunt re verâ *Hæreſes*, & *Hæretici* homines, eo ſenſu qui ſolus poſtea invaluit; nimirum, tetræ opiniones, & factioſi homines qui eas ferebant, ut capita novarum partium fierent, & emolumenta, quæ inde naſcuntur, ſibi decerperent. Neque res Apoſtolos fugit, qui prædixerunt futuras Hæreſes & homines Hæreticos ſuis co-

loribus

loribus pinxerunt; ut oſtendimus, cùm de ſingulis Pauli & Petri Epiſtolis ageremus, útque ex Epiſtolis etiam Joannis & Judæ poſtea liquebit. Videntur plerique [1] è Judaïſmo initio orti, ad quos in Epiſtolis adludit Paulus, quales erant & Nazaræi & Ebionæi poſtea dicti. Deinde acceſſerunt deliria à Gentilibus, qui, odio Judæorum cærimonias ſuas eis imponentium, ut videtur, accenſi aliter de Deo loqui cœperunt, quàm Judæi ſolebant, negarúntque, ut vidimus, ſummum Deum eſſe eum, qui omnia creaſſet, aut ab eis coli; contendebant enim Gnoſtici fermè omnes, quatenus nobis ſunt ex *Irenæo* noti, à ſummo Numine creatos tantùm Angelos neſcio quos, qui alios & ipſi genuiſſent; quorum Angelorum unus eſſet Judæorum Deus. Quibus commentis ſi addiderunt prava dogmata de moribus, quæ iis exprobrantur; neceſſe eſt libros omnes Veteris & Novi Teſtamenti ab iis reverâ rejectos, quidquid fortè interdum diſſimularent, & doctrinam ſuam, quaſi Judaïca & Chriſtiana potiorem, venditatam. Interim cùm flagitiosè viverent, & probioribus Ethnicis deteriores longè eſſent, ſi eorum adverſariis credimus; neceſſe fuit ſegreges eos cœtus habere, qui ſpernerent alios, atque ab aliis indigni meritò cenſerentur, quibuſcum ſocietas ulla religioſa coleretur. ANN. LXXXIII.

VI. Hinc jam intelligimus cur Paulus Tito ita præcipiat: *Hæreticum hominem, poſt unam & alteram correptionem, devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Homines qui nec Moſem, nec Prophetas, nec Jeſum Chriſtum, nec Apoſtolos re verâ admittebant; qui non diſſimulabant, ſibi perſuaſum eſſe ſe meliora & ſublimiora habere; qui alium Deum palam colebant & ſic inter ſe vivebant, ut Ethnicos ipſos turpitudine vitæ multùm ſuperarent; qui cœtus ſeorſim habebant, in quibus dogmata promebantur ab iis ipſis qui ea tradebant conficta, quod ipſi omnium optimè norant; homines, inquam, ejuſmodi *ſemel*, *iterúmque*, hoc eſt, aliquoties moniti, ab omnibus bonis neceſſariò fugiendi erant; cùm præſertim jam *ſemet ipſi damnaſſent*, qui norant ſe dignos eſſe, quos aliter ſentientes fugerent. Si Chriſtiani ſocietatem religioſam cum iis coluiſſent, non ſuæ tantùm Religioni valedixiſſent, ſed etiam ſe ſe Ethnicorum ſannis & odio objeciſſent; nec ſiniſtra de ſe judicia ab iis ferri queri jure potuiſſent, qui tam improbos haberent ſodales. Si tales exorirentur hodie Sectæ, inter Chriſtianos, bonis omnibus meritò fugerentur & inviſæ eſſent. Verùm qui Scripturam Sacram fidei & morum unicam normam admittunt; qui unum Deum omnium Creatorem colunt, unum Jeſum ſervatorem, magiſtrum & dominum agnoſcunt; atque ita vitam inſtituunt, ut nemo morum turpitudinem ullam exprobrare iis poſſit, ferúntque diſſentientes alios, ut ab iis ferri volunt, *vitari* non poſſunt, aut Societate Chriſtianâ excludi, ſine gravi in Chriſtianam Religionem delicto; quamvis in theoreticis nonnullis dogmatibus, aut ritibus minimè neceſſariis ab

1 Vide 1. Tim. I, 6. Tit. I, 10.

ANN. LXXXIII. aliis diffideant, quòd ea nequaquam à Deo revelata putent; libentiſſimo alioquin animo admiſſuri, ſi à Deo manaſſe iis conſtaret. Hæc obiter, ſi non ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam, certè ad ejus uſum vel maximè pertinentia, adtingi à nobis poſſe exiſtimavimus.

VII. Credibile tamen eſt Gnoſticos & ſi qui iis ſimiles fuere, ab Ethnicis cum Chriſtianis meritò ſic dictis, quòd ſolam Jeſu-Chriſti ejúſque Apoſtolorum doctrinam ex animo ſequerentur, aliquando permiſtos; cùm iis ſimilia exprobrarent. Hinc Cæcilius, apud [2] *Minutium Felicem*, Chriſtianis objectat, *inter eos veluti quamdam libidinum Religionem; promiſcuam adpellationem fratrum & ſororum, ut etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fieret inceſtum*; tum infantis trucidationem, cujus guſtato ſanguine initiarentur, & exſtinctis lucernis promiſcuos concubitus. Quæ nonnullis Gnoſticorum à Chriſtianis objecta vidimus. Sic & ipſe [3] *Celſus* Epicureus, quem confutavit *Origenes*, quoſdam è Gnoſticis, imò & commenticios neſcio quos Hæreticos, *Origeni* prorſus ignotos, cum Chriſtianis confudit.

VIII. Vix dubium eſt quin is Ethnicorum error progreſſibus Religionis Chriſtianæ, nondum ſatis notæ, ſummopere nocuerit; cùm optimis quibúſque Ethnicorum non inviſi eſſe non poſſent, qui eorum ſcelerum rei habebantur, quorum causâ olim vel Senatus Romanus de iis, qui Bacchanalia Romam intromiſerant, [4] graviſſimas pœnas non immeritò ſumſerat. Nec tamen eſt cur miremur à Divina Providentia pravis omnibus Hæreſibus præverſum non eſſe, ne calumnia ulla ſuboriri inde, in Chriſtianam Religionem, poſſet. I. Ex ipſa collatione improborum ac impurorum hominum, cum verè Chriſtianis, magis Evangelii præſtantia enituit; cùm homines, qui ſe eruditos jactabant (nam hæc eſt *Gnoſtici* ſignificatio) & imperitiam, ſcilicet, Apoſtolorum ſpernebant, uſque adeò à communi ſenſu, probitatéque, vel humanæ Societati tuendæ neceſſaria, aberraſſent; dum indocti illi Jeſu-Chriſti Apoſtoli de Deo, déque moribus ſapientiſſimè & caſtiſſimè eſſent loquuti; unde hæc Deo accepta referri debuiſſe facilè colligi poterat. Nec certè ab eo tempore, ad hæc noſtra, ſectarum novarum conditores, & ignotarum antea revelationum jactatores, quidquam ſimile Religioni Apoſtolicæ, ſapientiâ, ſanctitate, & pietate, invenire potuerunt. Imò ne latum quidem unguem à Religione Chriſtiana, ſine lapſu, qui rectam Rationem offenderet, recedere potuerunt. II. Sed Paulus

2 *Cap. IX.*

3 *Celſus Epicureus.*] Vide *Origenem* contra Celſum Lib. III. p. 119. Lib. V. p. 271. Ed. Cantabrig.

4 *Graviſſimas pœnas* &c.] Vide *Livium* Lib. XXXIX. c. 18.

5 *Certè ſi omnium* &c.] *Origenes* Lib. III. p. 118. contra Celſum, multitudinem Sectarum Chriſtianis objicientem, negat magis hoc Religioni Chriſtianæ nocere poſſe, quàm Medicinæ, aut Philoſophiæ, quarum multæ erant ſectæ. Quin & prodeſſe demonſtrat. Ὡς γὰρ δόκιμος ἐν ἰατρικῇ, ὁ διὰ τὸ γυμνάσασθαι ἐν ποικίλοις αἱρέσεσι, καὶ εὐγνωμόνως ἐξητακέναι τὰς πλείονας ἑλόμενος τὴν διαφέρουσαν· καὶ ὡς ὁ πάνυ προκόπτων ἐν φιλοσοφίᾳ ἀπὸ τοῦ πλείονα ἐγνωκέναι ἐγγυμνασμένος αὐτοῖς, καὶ τῷ κρατήσαντι

Paulus, qui, ut diximus, probè norat Hæreſes, ſeu Sectas novas exoritu- ANN. LXXXIV.
ras, rationem aliam ejus rei aperuit. *Oportet*, inquit, 1. Cor. XI, 19. *& Hæreſes eſſe, ut qui probi ſunt manifeſti fiant in vobis.* [5] Certè ſi omnium, qui Chriſtiani ab initio dicti ſunt, una ſemper fuiſſet atque eadem per omnia ſententia; non fuiſſet apud Chriſtianos locus iis virtutibus, quibus in Religionis negotio diligenter nobis cavemus ab erroribus doctrinæ Apoſtolicæ contrariis; à ſeceſſionibus & damnationibus injuſtis ac temerariis; ab ambitione, quâ plerumque duces partium transverſi aguntur; à cæca ac ſtupida fide, quâ ſine examine magiſtris creditur; à cupiditate lucri, quæ tum maximè homines exagitat, cùm Religionis ſpecie tutò ei indulgere poſſunt; à voluptatibus, commodiſque vitæ, quibus, exortâ præpotente Sectâ, nuncium remittere neceſſe eſt, ut Veritatem tueamur, contra plures & validiores; à neglectu Veritatis, cujus præſtantia ſæpe non ſentiretur, & amor paullatim in nobis refrigeſceret, aut prorſus tandem exſtingueretur, niſi eſſent qui eam opprimere conarentur. Igitur ſectæ, licèt vituperandæ, clarè oſtendunt quinam ſint *probi*, δόκιμοι, qui in multitudine hominum Chriſtianam Religionem, etiam ore tenus, profitentium laterent; ſi nulla umquam eſſent diſſidia. *Probus* ſit oportet, qui non tantùm ſedulam operam dat ut Veritatem norit, ſed qui neque metu, neque ullâ aliâ perturbatione, ab ea avelli ſe patitur. Sic Deo viſum eſt Virtutem Chriſtianorum excitare, acuere & exercere, dum patitur incitamenta etiam ad Vitium iis proponi; ut libertate, quâ eos donavit, rectè uti adſueſcant, eáque, in quibuſvis delinquendi periculis, ut par eſt, uſi majora in altera vita præmia conſequantur. Quæ tametſi non ſunt hiſtorica, tamen cùm maximæ utilitatis ſint Hiſtoriam legentibus, prætermittenda non putavimus.

Domitiano Aug. X. C. Oppio Sabino COSS. Domitiani Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXIV.

I. Hoc anno mortuus dicitur Anianus, quem anno Neronis VIII. Epiſcopum Alexandrinum conſtituiſſe narratur Marcus Evangeliſta Alexandrinæ Eccleſiæ conditor; quod tamen, ut reliquæ Eccleſiarum origines, obſcurum eſt. Succeſſit ei *Avilius* vel *Abilius*, qui per annos tredecim ei Eccleſiæ præfuit.

Domi-

τι προσθέμενος λόγῳ· οὕτως εἴποιμ' ἂν καὶ τὸν ἐπιμελῶς ἐνιδόντα ταῖς Ἰουδαϊσμοῦ καὶ Χριστιανισμοῦ αἱρέσεσι σοφώτατον Χριστιανὸν γενέσθαι, καὶ τὰ ἑξῆς: *Quemadmodum Medicus is demum probatus eſt, qui quia exercitatus in variis ſectis & pleraſque ſapienter examinavit, elegit optimam; & quemadmodum qui multùm profecit in Philoſophia, quòd plura in iis exercitatus norit, & ſuperioribus rationibus adſenſus eſt: ita dixerim, qui ſtudiosè perſpexerit Judaïſmi & Chriſtianiſmi ſectas, eum ſapientiſſimum Chriſtianum fieri* &c. Plura Veterum, hanc in rem, loca collegit *Joan. Caſparus Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſtico.

ANN. LXXXV & LXXXVI.

Domitiano Aug. XI. T. Aurelio Fulvo COSS. Domitiani Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXV.

I. Hisce temporibus, jam grandis natu, & in ſumma erat exiſtimatione Apollonius Tyaneus, ſi *Philoſtrato*, vitæ ejus Scriptori, fidem habemus; non tantùm eruditionis & ſanctitatis morum cauſâ, ſed etiam ob multa edita miracula, quæ divinum neſcio quid in eo homine oſtendebant. Fuiſſe quidem Apollonium, magicis artibus celebrem, nemo negaverit; ſed quæcumque in ejus vita narrantur vera eſſe nemo, niſi fatuus, ſibi facilè perſuaſerit. Videtur nobis quoque, ut viris doctiſſimis viſum eſt, fabula hæc eſſe à *Philoſtrato*, centum pòſt annis, ea de cauſa, conſcripta; ut haberent Ethnici, quem Jeſu-Chriſto, cujus doctrinam & diſcipulos invaleſcere in dies, non ſine invidia, videbant, opponerent. Impoſtor fuit Apollonius, Magus quippe; mendax verò Sophiſta, & qui ne pueros quidem fallere queat, Hiſtoricus ejus *Philoſtratus*. [1] Rectè eſt à viris doctis obſervatum Pythagoreos ſemper fuiſſe fabulis deditos & multa anilia confinxiſſe, inter quæ vita *Apollonii* non poſtremum locum obtinet.

II. Attamen tam putida fabula poſtea avidè ab ejuſmodi hominibus eſt adrepta, niſi ea quoque in re, ſuo more, hiſtrioniam egerint; éſtque Chriſto collatus Apollonius, vitæque Tyanei Philoſophi ſcriptores cum Evangeliſtis comparati, ab *Hierocle* Ægypti Præfecto, quem confutavit *Euſebius* Cæſareenſis. De Chriſto quidem nihil opus eſt quidquam à nobis dici, præter ea quæ diximus. Apollonius verò Tyaneus talis deſcribitur à *Philoſtrato*, qualis eſſet tumidus Sophiſta, plenus mendaciis & ineptiis, quæ nauſeam illico creant; hoc eſt, qualis fuit ipſe, ut puto, *Philoſtratus*. Teſtis potiſſimus factorum & dictorum Apollonii fuit neſcio quis *Damis*, Ninivita, cujus commentarii in manus *Philoſtrati*, ut ait, inciderant; qui fortaſſe *Damis* nullus umquam fuit, aut ſi fuit, *Philoſtrato* nihilo fide dignior erat. In Apoſtolis verò omnia occurrunt, ut jam alibi oſtendimus, bonæ fidei indicia; qui ſi tenui ſtylo uſi ſunt, in re ejuſmodi tam gravi támque ſeria; longe is, longéque aptior eſt Sophiſticâ dictione *Philoſtrati*, calamiſtratâ & coactâ. Itaque nihil *Hieroclis* comparatione abſurdius eſſe potuit.

Domitiano Aug. XII. Ser. Cornelio Dolabella COSS. Domitiani Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXVI.

I. Nihil hoc anno contigit, quod quidem ad poſteros propagatum ſit, Chriſtianæ Religioni memorabile. Obiter tantùm monebimus

1 *Rectè eſt à viris doctis* &c.] Vide *Pet. Danielem Huëtium* Dem. Evangel. Dem. IX. c. 147. *Gulielmum Lloydium* in Præfatione ad Chronol. Pythagoricam, & *Gotfridum Olearium* in Præf. ad Apollonii vitam.

mus Annalium Eccleſiaſticorum Auctorem ad hunc annum Chriſti, quem, ſollemni errore, connectit cum Conſulatu Domitiani & Sabini, qui duobus annis antiquior fuit, referre ſupplicium ſumtum de tribus Virginibus Veſtalibus ſtupratis; quod contigit anno Chriſti, ut habet *Euſebius*, LXXXII. Domitiano & Petillio Coſſ. quem ſequi ſatius eſt. Idem etiam retulit *Sethus Calviſius* ad annum Chriſti LXXXIV. ſine ratione. Eodem pertinere uterque putavit, quod habetur apud *Plutarchum* Quæſt. Rom. LXXXII. Æmiliam, Liciniam & Marciam Veſtales, ſub hoc tempus, vitiatas pœnas dediſſe. ANN. LXXXVII, & LXXXVIII.

II. Addit idem *Plutarchus* viſum eſſe à Sacerdotibus libros Sibyllinos, ut in re atroce, oportere conſuli; inventáque dici oracula, quæ eventura hæc in malum Reipublicæ prædixiſſent, & juberent Geniis quibuſdam alienis & peregrinis, averruncandi id, quod futurum alioquin erat, causâ, duos Græcos, totidémque Gallos vivos in eo loco infodi. Inde verò colligit *Baronius*, &, qui eum ſequitur, *Calviſius*, pro Ethnicorum more, qui odio habebant Chriſtianos, eóſque malorum omnium cauſam putabant, duos illos Gallos & Græcos Chriſtianos fuiſſe. Sed levior eſt conjectura, quàm ut ei fidem habeamus; cùm notum ſit ejuſmodi ſacrum, etiam antequàm Chriſtus veniret, Romæ eſſe factum. *Livius* certè exemplum ejus rei habet Lib. XXII, 53. ad annum U. C. DXXXXVI. è calculo Catoniano, ante Chriſtum Natum, CCXVI. Verùm hæc obiter, neque enim *Baronium* confutare ſuſcepimus.

Domitiano Aug. XIII. A. Voluſio Saturnino COSS. Domitiani Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXVII.

I. Hoc anno, in Religionis omnis contumeliam, Domitianus Dominum ſe & Deum vocari juſſit, & ipſe, cùm formalem Epiſtolam, ut prodidit *Suetonius* C. XII. Procuratorum ſuorum nomine, dictaret, ſic cœpit: Dominus et Deus noster *ſic fieri jubet.* Unde inſtitutum poſthac, ut, ne ſcripto quidem ac ſermone, cujuſquam adpellaretur aliter; quomodo etiam ab adſentatoribus Poëtis *Martiale* & *Statio* vocitatur. Neceſſe fuit hominem, ab hoc tempore, in Judæos & Chriſtianos ingentes iras concepiſſe; cùm neque in ſermone, neque in libellis ſupplicibus, iis ſic eum vocare fas eſſet.

Domitiano Aug. XIV. L. Minucio Rufo COSS. Domitiani Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti LXXXVIII.

I. Hoc anno Domitianus ſeptimos Sæculares ludos celebravit, ut docet *Cenſorinus* de Die Natali C. XVI. computatâ ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat, ut loquitur *Suetonius*, Cap. IV. qua tamen in re, minimè adcuratus fuit, cùm ſex anni defuerint. Quæ adnotamus, temporis & ſeriei anno-

ANN. LXXXIX. & XC. rum gratiâ, quòd nihil hoc anno de Chriſtiana re memoriæ proditum ad nos pervenerit.

T. Aurelio Fulvo II. A. Sempronio Atratino COSS. *Domitiani Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti* LXXXIX.

I. Hisce temporibus, Domitianus, ut loquitur [1] *Tacitus*, *per intervalla*, *ac ſpiramenta* quædam, occiſis viris illuſtribus, *Rempublicam exhaurire* cœpit. Sed cùm perierit *Dio*, qui per annos geſta Principum pulcrè digeſſerat, nec ſuperſit niſi arida *Xiphilini* Epitome; difficillimum eſt ad certos annos ſingula referre, neque hoc ad inſtitutum noſtrum pertinet.

Domitiano Aug. XV. M. Cocceio Nerva II. COSS. *Domitiani Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti* XC.

I. Hoc anno, [1] ex probabilibus virorum eruditorum conjecturis, Euareſto, poſtquàm per novem annos Romanam ſedem tenuiſſet, ſucceſſit Alexander. Quæ de eorum geſtis & martyriis dicuntur omittimus, propter fidem incertam eorum, qui pluribus poſtea Sæculis vitas Epiſcoporum Romanorum ſcripſerunt, & quidvis, pro arbitrio, finxerunt.

II. Ad hunc annum referunt [2] viri docti Epiſtolam Judæ, fratris Jacobi, quem eumdem putant eſſe ac *Thaddæum*, ſive *Lebbæum*, Cleopæ filium; quia qui vocatur à Matthæo & Marco *Thaddæus*, is Lucæ eſt in Actis & in Evangelio *Judas Jacobi*; nempe, frater. Alii dubitant, quòd ſe minimè *Apoſtolum* vocet, ſed tantùm *ſervum Jeſu-Chriſti*; verùm non ſatis expediunt cuinam Judæ hæc Epiſtola ſit adjudicanda; nam quod ſuſpicantur intelligendum Judam Epiſcopum Jeroſolimitanum, qui Hadriani tempore vixerit, id mera eſt conjectura; cui, quævis alia, quæ prorſus abſurda non ſit, opponi queat. Quidni alium quemdam Apoſtolicum Virum *Judam*, *Jacobi fratrem*, fingere queamus, qui fuerit è conſanguineis Jacobi Jeroſolimitani Epiſcopi? Frequens certè fuit nomen *Judæ*, apud Judæos, & vox *frater* quemvis conſanguineum, apud Hebræos, ſignificat. Sed malim in priore ſententia adquieſcere.

III. Hanc Epiſtolam à paucis Veterum memoratam ſcripſit *Euſebius* H. E. Lib. II. c. 23. [3] Attamen *Origenes*, vir Scripturarum peritiſſimus, Comment. in Matthæum, dixerat *Judam ſcripſiſſe Epiſtolam brevem quidem*, *ſed plenam verbis cœleſti gratiâ roboratis*, cujus ſit procemium:

1 *Vit. Agricolæ c. XLIV.*

1 *Ex probabilibus* &c.] Vide Diſſert. *Joan. Pearſonii* & *Henr. Dodwelli* de ſucceſſionibus primorum Romæ Epiſcoporum.

2 *Viri docti* &c.] *Joan. Millius* in Prolegomenis ad N. T

3 Vide & Lib. III. 25.

4 *Qui olim*] Οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς

ANN. XCI.

mium: *Judas Jeſu-Chriſti ſervus* &c. *Origenis* judicium ſequutæ ſunt poſtea Eccleſiæ Chriſtianæ. Parum adcuratè loquutus eſt *Hieronymus*, qui in Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo ſcripſit, *Judam, fratrem Jacobi, parvam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquiſſe, & quia de Libro Enoch, qui apocryphus eſt, in eâ adſumit teſtimonium, à pleriſque rejici.* Levis ſanè ratio fuit, quidni enim potuit Judas Apocryphum libellum ad teſtimonium vocare, cùm res ei eſſet cum hominibus, à quibus is liber admittebatur? Nec puto *à pleriſque rejectam*, ſed *non à multis memoratam* voluiſſe dicere, ut habet *Euſebius*, quem vertere videtur, ut ſequentia verba ſuadent: *Tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter Scripturas Sacras computatur.* Quæ paullò licentiùs exprimunt hæc *Euſebii*, de Epiſtolis Jacobi & Judæ loquentis, ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις.

IV. Scripta autem videtur ad Chriſtianos, è Gente Judæa; qui per Palæſtinam, Ægyptum & Syriam ſparſi erant, apud quas provincias Gnoſtici, aliique Hæretici fortè nobis non noti graſſabantur; à quibus Chriſtianos monet, ut ſibi diligenter caveant. Prædixerat Petrus 2. Epiſt. c. II. ejuſmodi homines exorituros; jam exſtitiſſe docet Judas, eóſque non abſimiliter deſcribit. Hortatur ergo Chriſtianos, ut fidem ſemel ſanctis traditam propugnent, quia ſubintroierant quidam homines ([4] qui olim à Petro pœnas propterea debitas Deo luituri ſcripti fuerant) impii Dei gratiam transferentes in luxuriam & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes. Tum eorum ingenium & mores pluribus deſcribit, &, *vos cariſſimi*, inquit, *memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu-Chriſti* (reſpicit, ut videtur 1. Tim. IV, 1. & ſeqq. 2. Tim. III, 1. & ſeqq. 2. Pet. II, 1. & ſeqq.) *qui dicebant vobis in noviſſimo tempore venturos illuſores, ſecundùm cupiditates ſuas ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſe ipſos* (hoc eſt, à cœtibus Chriſtianorum diſcedunt, ſponte ſuâ) *animales, ſpiritum non habentes.* Quibus omnibus verbis Gnoſtici memorati, aut iis ſimiles Hæretici optimè deſcribuntur; ut ex iis, quæ de eorum Sectis diximus, intelligere eſt.

M. Ulpio Trajano, M. Acilio Glabrione COSS. Domitiani Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti XCI.

I. Hoc circiter tempore, non immeritò, [1] viri docti ſcriptam putant 1. Joannis Epiſtolam, quæ ſine controverſia ſemper Joanni Apoſtolo adtributa eſt, & re verâ optimè, cùm ſtylo, tum rebus ipſis, cum ejus Evangelio conſentit. In Græcis exemplaribus, nulla eſt inſcriptio, ſed

εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα, quæ, re adcuratiùs expenſa, crediderim potiùs ad Petri prædictionem referenda, quàm ad Dei judicia; quod cenſueram, in Additionibus ad *Hammondum.*

1 *Viri docti*] *Joan. Millius* in Prolegomenis in Novum Teſtamentum.

ANN. XCI.

ſed verſio Italica olim habebat *ad Parthos*, [2] quod Veterum nonnulli confirmant; [3] unde Viri Docti colligunt Joannem Evangelium primùm prædicaſſe, in ſuperiore Aſia; ubi, in Imperio Parthico, ingens erat Judæorum numerus; deinde poſt mortem Petri ac Pauli, veniſſe in inferiorem Aſiam, Eccleſiarúmque, quæ in ea erant, regimen ſuſcepiſſe, eo tempore, quo Hæretici antea memorati pravam ſuam doctrinam ſpargebant, & impuris moribus Chriſtianos inficere conabantur, atque inde ad Chriſtianos qui Parthis parebant, ut ſibi ab iis caverent ſcripſiſſe. Quæ cùm abſurda non ſint, attamen ex ſola Latinorum Codicum auctoritate, unáque inſcriptione *ad Parthos*, adfirmari à nemine quaſi explorata poſſunt.

II. Hoc unum conſtat, Joannem multa habere prorſus contraria iis, quæ ſentiebant memorati antea à nobis Hæretici. I. Ait ſe docere quæ vidit, de Jeſu Chriſto Servatore, ejúsque ſanguine nos à peccatis purgari, unde ſequitur ut verè ſanguinem effuderit; docétque nullam nobis cum Deo, aut cum Chriſto communionem eſſe poſſe, niſi in luce ambulemus, quemadmodum Jeſus fecit, & fateamur nos peccaſſe, niſi velimus eum mendacem facere. Quæ habentur Cap. primo. II. Idem pluribus docet, dehortatúrque Chriſtianos ab omni odio proximi, & à mundi amore. Tum monet, ut prædictum fuerat, poſteris temporibus venturos Antichriſtos, hoc eſt, Chriſti adverſarios: re verâ eos veniſſe, & è numero quidem Chriſtianorum prodiiſſe, quia non erant ex animo Chriſtiani. Tales eſſe qui negent Jeſum eſſe Chriſtum, [4] quem alium fuiſſe docebat diſertè Cerinthus, ut vidimus; negare verò & Patrem & Filium, qui alterutrum negat eum eſſe quem ſe dixit, quod idem faciebat. Iterum ad virtutem hortatur Chriſtianos, ſine qua nemo eſt verè Chriſtianus. Atque hæc habet Cap. ſecundo. III. Pluribus repetit, ſine ſanctitate neminem eſſe poſſe Chriſtianum, hortatúrque ad amorem mutuum, omniúmque divinorum præceptorum obſervationem. Quæ ſumma eſt eorum, quæ Capite tertio habentur. IV. Monet non eſſe temerè cuivis ſpiritui, hoc eſt, homini qui ſe à ſpiritu divino adflatum jactat credendum, ſed ejuſmodi viros probè explorandos; eos à Deo eſſe, qui docebant *Jeſum, qui in carne veniſſet*, hoc eſt, eum qui verus homo fuiſſet; contrà alienos à Deo eſſe, qui *non confitebantur Jeſum, qui in carne veniſſet; hoc enim eſſe Antichriſti, quem audiverant venturum, & qui jam in mundo erat*; ſe ex Deo eſſe, & qui Deum noſſet, eum audire Apoſtolos; ab iis qui non eſſent ex Deo, eos non audiri, qua in re, ſpiritus Veritatis diſtingui poſſet à ſpiritu Erroris. Deinde multa addit ad amorem mutuum pertinentia. Quæ Capite quarto habentur. V. Docet iterum eum, qui credit, ex animo, nimirum, Jeſum

2 *Quod Veterum nonnulli* &c.] Vide apud *Millium*, quæ hanc in rem habeant.

3 *Unde Viri docti*] Vide eumdem *Millium*, eodem loco.

4 *Quem alium fuiſſe* &c.] Ad annum Æræ Vulgaris LXXX, 1.

ſum eſſe Chriſtum, non eum qui Chriſtum à Jeſu diſtinguit, natum eſſe à Deo. Tum alia miſcella addit, de victoria quam fideles & ante eos Chriſtus de mundo retulere; de teſtimonio, quod Chriſto eſt perhibitum à terreſtribus, & cœleſtibus etiam, [5] ſi recentiores Codices ſequimur, teſtibus; de fide ei habenda, quâ ad vitam æternam via aperitur, de precibus, quas Deus exaudit, aliiſque paucis, quibus non immorabimur. ANN. XCII.

III. Multa ſunt in hiſce, quibus Hæreticorum expoſitam antea à nobis doctrinam oppugnat; nec dubito quin plura Antichriſtis illis contraria hîc eſſe intelligeremus, ſi adcuratiorem, & ab æquali Scriptore contextam eorum Hiſtoriam haberemus. Multa enim potuit omiſiſſe *Irenæus*, quæ ad ejus cognitionem non pervenerant; multa etiam fortè Hæretici, ad ejus tempora, mutarunt, aut addiderunt dogmatibus, quæ tempore Joannis tuebantur.

Domitiano Aug. XVI. Q. Voluſio Saturnino COSS. Domitiani Imp. XII. Æræ Vulgaris Chriſti XCII.

I. Non multò poſt ſuperiorem Joannis Epiſtolam, de qua diximus, ſcriptæ putantur duæ aliæ breviores, quibus nomen ſuum non præſcripſit, ſed tantùm Πρεσβυτέρȣ titulo ſemet ipſe deſignavit; ſive propter ætatem provectam, ad quam pervenerat; ſive etiam quòd Eccleſiarum Aſiæ curam gereret; vox enim *Senis*, aut *Senioris*, [1] ut alibi diximus, honoris potiùs nomen interdum erat, quàm ætatis. Nomen ſuum reticuit, ob diritatem temporum, ne, ſi in pravas manus Epiſtolæ inciderent, pœnas curæ Chriſtianorum, quam gerebat, lueret. Eadem, ut videtur, de cauſa Matronam, ad quam II. Epiſtolam miſit, nomine non adpellat, ſed *Electam*, hoc eſt, Chriſtianam tantùm vocat. I. Poſtquàm eam ſalutavit, oſtenditque quàm ejus, liberorúmque Chriſtianæ virtutes ſibi gratæ eſſent & jucundæ, monet eam de amore proximi & Dei, quem ab initio Evangelii Chriſtus ſuis impoſuit. II. Rationem addit, *quoniam multi ſeductores exierant in mundum, qui non confitebantur Jeſum-Chriſtum, qui venerat in carne*; qui autem hoc negaret, *eum eſſe ſeductorem & antichriſtum.* Quæ verba ad Cerinthianos, ac ſimiles planos reſpiciunt, qui rem negabant; moribúſque ſuis ſatis oſtendebant ſe neque hominum, neque Dei amantes eſſe. III. Hortatur deinde Joannes Chriſtianos ad doctrinam Apoſtolicam, ab initio acceptam, conſtanter retinendam; tum ſubjicit: *ſi quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave* (χαίρειν) *ei dixeritis. Quicumque enim dicit illi ave communicat operibus ejus malignis.* Quibus

5 *Si recentiores Codices ſequimur* &c.] Vide notata, in Additionibus Hammondianis ad 1. Joannis C. V, 6.

1. *Alibi diximus*] Ad annum Æræ Vulg. XLIV, 1.

ANN. XCII. bus verbis ſignificat amicitiam nullam eſſe colendam, cum hominibus, qui cùm Ethnici non eſſent, nihilo minùs doctrinam & auctoritatem Jeſu-Chriſti & Apoſtolorum aſpernabantur, ſimúlque flagitioſè vivebant; quales erant primi ſæculi Hæretici. Reverâ cùm ejuſmodi hominibus nulla verè Chriſtianis eſſe potuit amicitia; quæ ſi fuiſſet, flagitia eorum aliquo modo adprobaſſent. Alia ratio eſt eorum, qui auctoritatem Chriſti & Apoſtolorum æquè reverentur, doctrinámque omnem admittere ſe profitentur, & mores ſuos ad eam exigunt; ſed de ſententia verborum Chriſti aut Apoſtolorum, inter ſe, diſſentiunt. Tam pudendum eſt hos ſe ſe in vicem fugere: quàm cum Cerinthianis amicitiam colere, temporibus Joannis, turpe fuiſſet.

II. Tertiam Epiſtolam ſcripſit Joannes Gaïo cuidam, qui quis fuerit non conſtat; niſi fortè fuerit Gaïus Derbenſis, de quo Act. XX, 4. I. Hominis liberalitatem laudat, qui præcones quoſdam Evangelicos, è Judæa gente, qui à Gentilibus nihil accipere voluerant, opibus ſuis adjuviſſet. II. Graviter queritur de Diotrephe neſcio quo; abſque quo fuiſſet, *ſcripturus fortè erat* Joannes *Eccleſiæ*; *ſed is*, inquit, *qui amat primatum gerere in eis Diotrephes*, *non recipit nos*; hoc eſt, auctoritatis noſtræ nullam, in hoc negotio, rationem habet. Videtur is Diotrephes primas obtinere voluiſſe in ea Eccleſia, (quænam fuerit ignoratur) ac re ipsâ obtinuiſſe, ita ut præter ejus voluntatem nihil illic impetrari potuerit. Nolebat autem Chriſtianos circumciſos, ab incircumciſis, ſeu Gentilibus, in Eccleſiam admitti. *Propter hoc ſi venero*, inquit Joannes, *commonebo ejus opera*, *quæ facit*, *verbis malignis garriens in nos*; *& quaſi non ei iſta ſufficiant*, *neque ipſe ſuſcipit fratres* (è circumciſione) *& eos*, *qui ſuſcipiunt*, *prohibet & de Eccleſia ejicit*. Unde colligere poſſe videmur Epiſcopum fuiſſe, vix enim inter pares Presbyteros, alia ſentientes, ſe ſe ita gerere potuiſſet. Nec unus ille Græculus fuerit, qui nimiæ auctoritatis cupidus aliena jura invaſerit. Ita eſt ingenium humanum, ut, occaſione datâ, inſitam imperandi cupiditatem prodat. III. Ejuſmodi facta Joannes vetat Gaïum imitari, additque *qui bene facit*, eum *ex Deo eſſe*; *qui verò malè facit*, eum *non vidiſſe Deum*, vel Deum ei non ſatis eſſe notum, qui ante omnia mutuam caritatem ab hominibus exigat. Denique egregium teſtimonium Demetrio cuidam exhibet.

III. Si res & ſtylum harum Epiſtolarum ſpectemus, perſimiles ſunt primæ

2 *Ut quidam putarunt* &c.] Vide *Henr. Dodwellum* Diſſert. Irenaicâ I. & vitam Joannis Presbyteri Gallicam à *Seb. Nano Tillemontio* collectam.

3 *Rémque ex prima* &c.] Ὁ Πρεσβύτερος, *Senior*, quam perperam putarunt Joanni Apoſtolo non convenire. *Hieronymus* in Catalogo, memoratâ primâ Joannis Epiſtolâ: *reliquæ duæ*, inquit, *quarum principium eſt* Senior — *Joannis Presbyteri adſeruntur*, *cujus & hodie alterum ſepulcrum apud Epheſum oſtenditur*. Vide & *Euſebium* Lib. III. c. 39. Sed alterum illud ſepulcrum rem dubiam fuiſſe, ut intelligere eſt ex ſequentibus verbis, oſtendit: *& nonnulli putant duas memorias Joannis Evangeliſtæ eſſe. Papias*, apud

Eu-

primæ Epiſtolæ, quæ eſt ſine dubio Joannis Apoſtoli. Itaque nihil eſt cur haſce ei abjudicemus, nam vox quidem Πρεσβύτερος & ætatem Joannis & auctoritatem, ut diximus, ſignificat; quæ auctoritas ex his ipſis litteris elucet, cùm ſe, ſi in Eccleſiam, cui præerat Diotrephes, veniſſet, ſat apertè eum in ordinem redacturum fuiſſe oſtendat; quod auſus non eſſet minari alîus Eccleſiæ Epiſcopus, qui collegâ ſuperior non erat, nedum Eccleſiæ Epheſinæ, aut cujuſvis alîus *Presbyter*. Itaque commenticium eſſe Joannem illum *Presbyterum* harum Epiſtolarum, [2] ut quidam putarunt, auctorem, cujus ſepulcrum Epheſi oſtenſum fuerit, ſeorſim à Joannis Apoſtoli ſepulcro; [3] rémque, ex prima duarum harumce Epiſtolarum vocula confictam exiſtimarim, & quidem à *Papia*, homine ſubleſtæ fidei, qui duos hoſce Joannes [4] primus diſtinxit, ut intelligere eſt ex *Euſebio* Lib. III. c. 39. ANN. XCII.

IV. EODEM anno, ſi fides *Philoſtrato* habetur, Apollonius Tyaneus Romam venit, cúmque à Domitiano in carcerem fuiſſet conjectus, ut narrat Libro de ejus vita VII. ad Cæſarem adductus, ut eſt initio Libri ſequentis, quæſitis ejus reſpondit, atque ab eo abſolutus gratias egit, nec eo ſeciùs objecit, dum imperaret, *propter improbos homines urbes periiſſe, inſulas plenas eſſe exſulibus, continentem gemitu, exercitus formidine, Senatum ſuſpicionibus. Si vellet, ſibi etiam monenti locum daret; ſin minùs, mitteret à quo corpus ejus comprehenderetur, cùm animus non poſſet, ſed ne corpus quidem ab eo capi fas eſſe.* Quibus dictis, ſubjecit verſum *Homeri*, quo ſignificavit à Domitiano ſe occiſum non iri, quia fatale tempus nondum aderat:

Οὐ γάρ με κτενέεις, ἐπεὶ ὅ τοι μορσιμός εἰμι,

& oculis Domitiani, ceterorúmque, qui aderant, inconſpicuus factus, abiit. Fabulæ addit *Philoſtratus* eum ſe Puteolos, ubi à Demetrio & Damide, prout juſſerat, exſpectabatur, contuliſſe, à quibus conſpectus Umbra Apollonii creditus eſt, donec ſe iis tangendum præberet; atque illinc Græciam petiiſſe, ibi per biennium commoratum in Ioniam vela dediſſe. Pluribus hæc legentur Libro *Philoſtrati*, VIII. c. 14. & ſeqq. pro Lipſienſis Editionis diſtinctione. Multis de putidis fabellis non agemus; ſed ſatis liquet hîc eſſe hiſtoriæ Chriſti pravam imitationem. Habet & eodem libro *Philoſtratus* orationem, quam conſcriptam eſſe ait ab Apollonio, in ſui defenſionem, ſed non habitam, ſo-

Euſebium, diſtinctè Joannem Apoſtolum & Joannem Presbyterum memorat. Attamen *Irenæus*, qui pluris Papiam fecit, quàm neceſſe erat, unius Joannis Evangeliſtæ meminit, cui & Secundam Epiſtolam Lib. III. c. XVI, 8. & Apocalypſin Lib. V. & alibi paſſim tribuit. *Polycrates* etiam unius Joannis Evangeliſtæ meminit. Quæ obſervavit *Henr. Dodwellus*, Diſſert. Irenaïcâ I. quamvis ab iis diſſentiat.

4 *Primus diſtinxit.*] Qua in re, ut dixi, fidem ei non habuit admirator ejus *Irenæus*, cui unus Joannes idémque Evangeliſta memoratur.

ANN. XCIII. ſophiſticiſque nugis adeò refertam, & eloquentiam *Philoſtrati* uſque adeò redolentem, ut nemo non videat ejus genuinum hunc fœtum eſſe, quem Apollonio ſupponere conatus ſit. Qui verò orationem conſcripſit, cùm meliora dicentem inducere nequiret, quàm comminiſci ipſe poterat; pro viro non ſapiente tantùm, ſed planè divino, Sophiſtam ineptientem in ſcenam produxit. Qua in re, quantùm ab eo differrent Jeſû Diſcipuli intelligere licet, cùm à Magiſtro accepta longè ſupra captum, non ipſorum dumtaxat, ſed doctiſſimorum etiam Judæorum & Philoſophorum protulerint, ex quibus de eo mentitos nihil eſſe liquidum eſt; ſi enim, ex ingenio ipſi ſuo orationes Magiſtro tribuiſſent, piſcatorum aut certè rudium hominum ſermones, non divina prorſus dicta, nobis reliquiſſent.

Sex. Pompeio Collegâ, Cornelio Priſco COSS. Domitiani Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti XCIII.

I. Hoc anno, [1] Domitianus, poſt multos viros illuſtres occiſos, aut in exſilium actos, non ſatis habuit imitatum ſe, eo ſævitiæ genere, Neronem eſſe; ſed Chriſtianos pariter vexare cœpit. At nec diuturna fuit, nec ad multos ea perſequutio pertinuit, ut teſtatur *Tertullianus*, Apol. c. V. ubi *tentaverat*, inquit, *& Domitianus, portio Neronis de crudelitate; ſed quâ & homo facilè cœptum repreſſit, reſtitutis etiam quos relegaverat.* Ex quibus verbis, aliiſque, quæ poſtea proferemus, non tantam perſequutionem fuiſſe, quàm multi putarunt, non immeritò collegerunt [2] viri docti; quamvis in exſulum reſtitutione erraſſe videri poſſit. *L. Cæcilius* de Mortibus Perſequutorum C. III. cùm dixiſſet Domitianum, tyrannum licèt, quàm diutiſſimè tutum regnaſſe, donec impias manus adversùs Dominum tenderet; *poſtquàm*, inquit, *ad perſequendum juſtum populum, inſtinctu Dæmonum, incitatus eſt; tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas.* Quæ nec gravem, nec longam perſequutionem deſignant. Idem tamen, in ſequentibus, narrat, *reſciſſis demum actis tyranni*, poſt ejus cædem, *in ſtatum priſtinum reſtitutam Eccleſiam eſſe.*

II. No-

1 *Euſebius* Lib. III. c. 17.

2 *Viri docti*] *Henr. Dodwellus* Diſſert. Cyprianicâ XI, 16. Vide etiam quæ ei repoſuit *Theod. Ruinartus* Præf. in Acta Martyrum §. 27. & ſeqq.

1 *Romam vocatus*] Tertullianus de Præſcriptionibus Hæretic. c. 36. de urbe Roma: *ubi Apoſtolus Joannes, poſtea quàm in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur.* Quaſi hoc non ſatis mirabile eſſet, rem adauxit *Hieronymus* Lib. I. contra Jovinianum col. 169. Tomi. IV. Ed. Ben. *Refert autem Tertullianus quod Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit, quàm intraverit.* Idem ad Matth. c. XX. col. 97. Tomi III. *Si legamus Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur, quòd & ipſe propter Martyrium ſit miſ-ſus*

ANN. XCIV, & XCV.

L. Nonio Aſprenate, M. Aretino Clemente COSS. Domitiani Imp. XIV. Æræ Vulgaris XCIV.

I. In hac perſequutione, Joannes Evangeliſta, ob teſtimonium, quod Evangelio perhibebat, [1] Romam vocatus in dolium oleo fervente plenum immerſus, cùm illæſus exiſſet, in inſulam Patmum dicebatur eſſe relegatus. Quod XIV. anno Domitiani contigiſſe diſertè teſtatur *Euſebius* in Chronico, ut & *Hieronymus*, in Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo.

Domitiano Aug. XVII. T. Flavio Clemente COSS. Domitiani Imp. XV. Æræ Vulgaris Chriſti XCV.

I. His temporibus, ut prodidit *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 8. doctrina fidei Chriſtianæ tantopere florebat, ut Scriptores etiam à Chriſtiana fide alieni gravati non ſint, in ſuis Hiſtoriis, & perſequutionem & quæ contigerant in ea Martyria tradere. Qui quidem etiam tempus perſequutionis adcuratè notarant. Scripſerant enim, ſi *Euſebio* fidem habemus, Flaviam Domitillam Flavii Clementis, ejus qui tunc temporis Conſul fuit, ſororis filiam, unà cum aliis multis, ob teſtimonium Chriſto perhibitum, in inſulam Pontiam fuiſſe deportatam. Similia habet in Chronico, ubi & auctorem edit *Bruttium* Hiſtoricum, qui hæc prodiderit. Ejuſdem Hiſtorici, quaſi idem narrantis, nomen etiam exſtât in *Chronico Paſchali* & in *Georgii Syncelli* Chronographia.

II. Utinam verò verba ipſa *Bruttii*, aut *Euſebius*, aut *Hieronymus* protuliſſent, ut ea cum *Dione*, rem paullò aliter narrante contendere poſſemus! Ait enim *Dion* Lib. LXVII. cùm multos alios, tum verò Flavium (non *Fabium*) Clementem Conſulem, etſi conſobrinus ejus erat (quod *Flavii* nomen oſtendit) & Flaviam Domitillam, ipſam quoque conſanguineam ſuam, uxorem habentem, occiſos à Domitiano. Illatum enim ambobus [1] crimen Atheïſmi (quòd Romana Numina Deos eſſe negarent) cujus cauſâ multos, qui in Judæorum mores tranſierant, damnatos fuiſſe; quorum alii morte pœnas dediſſent, alii facultatibus ſpoliati eſſent, Domitilla verò in Pandatariam inſulam dumtaxat relegata eſſet. Jam ut cetera narrationis diſcrimina, quæ tanti non

ſus in ferventis oleï dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti Athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Inſulam Patmon (non Pathmos, quod eſt barbarum & ſolœcum, ſæpiùs in Ed. Benedictini Martianæi repetitum) *ſit, videbimus martyrio animum non defuiſſe.* Nihil tamen de dolio habet *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 18. nec in Chronico, cui nec ipſe *Hieronymus* quidquam addidit.

1 *Crimen Atheïſmi*] Chriſtianis vulgò objiciebatur Atheïſmus, ut liquet ex *Polycarpi* Martyrio, apud *Euſebium* Lib. IV. c. 15. & antiquis aliis multis monumentis. Idem etiam poterat objici Judæis, qui Gentium Deos non minùs rejiciebant, quàm Chriſtiani; hæc enim erat una criminationis ratio.

ANN. XCV. non ſunt, omittam, ſi *Bruttius* dixerat multos à Domitiano, Judaïſmi causâ, fuiſſe damnatos, ut *Dion* habet; Chriſtiani Scriptores rem ita interpretati fuerint, quaſi Judæorum nomine Chriſtianos, quos cum iis perperam confundebant Ethnici, intellexiſſet, [2] quod & aliàs contigit. Ac ſanè Judæi, Religionis causâ, pœnas non dabant, cùm anno Chriſti XCIII. *Joſephus* Hiſtoricus Origines Judaïcas ſcribere abſolveret, aliáque opera, ad Judaïcam Religionem pertinentia, meditaretur, ut ad calcem ejus operis teſtatur; & gratiâ apud Domitianum floreret, ut in fine vitæ ſuæ ait. Sed, nequid diſſimulem, quamvis Judæis à natalibus parceret Domitianus, illuſtres viros Romæ in eorum ſacra tranſire fortaſſe nolebat. Itaque fieri poſſet ut paullò ſecuriùs *Euſebius* hæc, ad Judaïcam Religionem potiùs pertinentia, ad Chriſtianam traxiſſet. Attamen à recepta Chriſtianorum Scriptorum ſententia, hac in re, abire religio eſt.

III. Addit etiam *Dion* Glabrionem, qui cum Trajano Conſul fuerat anno Chriſti XCI. accuſatum, cùm de aliis, tum de illis quorum multi alii; violatæ, nimirum, ut videtur, Religionis; occiſum eſſe. Clariùs loqui potuiſſet *Dion*, cujus ævo notior fuit Chriſtiana Religio apud Ethnicos, quàm ut cum Judaïca confundi potuerit; niſi datâ operâ rem diſſimularit.

IV. Nescio quid tamen videtur Domitianus ſibi à Judæis, hiſce temporibus, timuiſſe, qui regiæ Judæorum ſtirpis reliquias conquiri & ad ſe adduci juſſerit. Supererant autem etiamnum iis temporibus, ut auctor eſt *Hegeſippus*, apud *Euſebium* H. E. Lib. III. c. 20. viri duo è cognatione Chriſti, nepotes illius Judæ, qui frater Chriſti vocabatur. Hos autem ad ſe delatos, quippe qui è regia Davidis ſtirpe eſſent, Romam adduci juſſit; ubi interrogati an re verâ è Davide genus ducerent, rem minimè negarunt. Tum ſciſcitatus Domitianus quænam prædia ac pecuniæ iis eſſent, reſponſum accepit ambobus novem tantùm denariorum millia ſuppetere; nec eas facultates ſibi in parata pecunia eſſe, ſed in æſtimatione agrorum, qui novem ac triginta jugerum eſſent; ex quorum fructibus tributa perſolverent & neceſſaria ſibi compararent, quippe quos ſuis ipſi manibus colerent. Simul manus oſtendere, & callum labore contractum videndum præbere. Poſtremùm interrogati de Meſſia, déque ejus regni natura, tum de tempore & locis quibus manifeſtum fieri, ex eorum ſententia, oportebat, non terrenum id imperium, ſed cœleſte, & quod in fine ſæculorum futurum, cùm Meſſias è cœlo redux vivis ſimul & mortuis jus dicturus & præmia ſingulis, pro factis, tributurus eſſet, reſponderent. Quibus auditis, Domitianus, vilitate hominum ſpretâ, liberos dimiſit, miſſóque in Judæam edicto, perſequutionem in Chriſtanos commotam compeſcuit. Illos verò ad

2 *Quod & aliàs contigit*] Vide ad ann. Ær. Vulg. XLI, 2. LXV,

1 *Quamvis Hegeſippo*] Vide ad annum LXII, 9. Quin & hanc ipſam Hiſtoriam ſuſ-

ad hunc modum dimiſſos Eccleſiis poſtea, ut pote Chriſti Martyres ſimul, & propinquos, præfuiſſe; & pace demum Eccleſiæ redditâ, ad Trajani uſque tempora, vitam produxiſſe ferunt. Cui hiſtoriæ res ipſa & candida narrationis ſimplicitas fidem facere poſſunt; [1] quamvis *Hegeſippo* non ſemper fides haberi tutò non poſſit. ANN. XCVI.

C. Fulvio Valente & C. Antiſtio Vetere COSS. *Domitiani Imp.* XVI. *Nervæ* I. *Æræ Vulgaris Chriſti* XCVI.

I. Hoc anno XIV. Cal. Octobres, anni Imperii XVI. die quarto, aut quinto, ut numerat *Dion*, Domitianus, conſpiratione miniſtrorum crudelitatem hominis non ampliùs ferentium, occiſus eſt. Feſtinanti ad corporis curam, ut auctor eſt *Suëtonius* Cap. XVI. Parthenius cubiculo præfectus nunciavit eſſe, qui magnum neſcio quid adferret, nec differendum. Itaque, ſubmotis omnibus, in cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt. Stephanus, ſic enim divulgatum idem Scriptor docet, Domitillæ procurator & tunc interceptarum pecuniarum reus, ſiniſteriore brachio, velut ægro, lanis, faſciiſque per aliquot dies, ad avertendam ſuſpicionem, obvoluto, ad ipſam horam dolum interjecit, profeſſúsque conſpirationis indicium & ob hoc admiſſus, legenti traditum à ſe libellum & adtonito ſuffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus Cornicularius & Maximus Parthenii libertus & Saturius Decurio cubiculariorum & quidam è gladiatorio ludo vulneribus ſeptem contrucidarunt.

II. Nonnihil ab his diſcrepat *Philoſtratus*, Vitæ Apollonii Lib. VIII. c. 25. ubi perperam Domitillam vocat Domitiani *ſororem*. Eam ait triduo, aut quatriduo poſt virum etiam occidendam fuiſſe, cùm eſt Imperator ipſe occiſus; unde ſequeretur Clementem perpaucis diebus, ante Domitiani mortem, fuiſſe trucidatum, nec verum eſſe quod habet *Dion* & ex eo *Euſebius* conſulem fuiſſe occiſum, aut *tantùm non in Conſulatu*, ut loquitur *Suëtonius*; hoc eſt, conſulatûs ordinarii tempore exacto, ſed nondum anno elapſo. Quibus fidem potiùs habuerim, quàm *Philoſtrato*.

III. Narrat idem, in ſequentibus, Apollonium, cùm eo ipſo tempore meridiano, quo occidebatur Domitianus Romæ in Palatio, Epheſi in Xyſto diſputans ambularet, rem totam vidiſſe quaſi adfuiſſet; & primùm quidem vocem ſubmiſiſſe, tum, quaſi aliis de rebus cogitantem loquutum, ac tandem conticuiſſe, & exclamaſſe paullò pòſt; *feri tyrannum, feri*, *παῖε τὸν τύραννον, παῖε.* Quod cùm mirarentur Epheſii, Apollonium tyrannum eo momento Romæ occidi dixiſſe; rémque ita peractam eſſe, uti dixerat, nuncios adtuliſſe, ſimúlque Nervam, Apol-

ſuſpectam ſibi eſſe oſtendit *Joſ. Scaliger* ad Chronicon *Hieronymianum*; ſed eam tuetur *Henr. Valeſius* in *Euſebium*.

ANN. XCVI. pollonii amicum, à quo etiam Romam eſt vocatus, imperare. Similia quoque habet *Xiphilinus* è *Dione*. Quibus tamen fidem nemo facilè habuerit, cùm tot alia confiĉta de Apollonio narrata ſint.

IV. APOLLONIUS quidem Romam ire noluit, ſi *Philoſtrato* credimus, ſed litteras ad Nervam, de ratione adminiſtrandi Imperii, dedit, quas à Damide ad eum ferri voluit; ne, ut putat Hiſtoricus, mortis ſuæ teſtis eſſet, quam Tyaneus ſibi inſtare probè norat. Itaque Romam profectus Damis, Apollonium poſtea non vidit, nec quidquam de eo ſcripſit. *Philoſtratus* verò nihil, niſi incertos rumores, de ejus exceſſu colligere ſe potuiſſe fatetur; alios enim Epheſi mortuum, alios in Lindo, alios in Creta dictitare, & à poſtremis quidem rem ſic narrari. Dictynnæ Dianæ templum in ea inſula fuit, quod à canibus ſervabatur, quos fidiſſimos cuſtodes habebant Cretenſes, latratibus quippe & morſibus ignotos à Templo arcentes. Noctu tamen eò ſe conferentem Apollonium non aliter exceperunt, quàm notos. Cùm ergo ingreſſus eſſet, ab Antiſtibus Templi deprehenſus, illico in vincula conjectus eſt, quaſi Magus; qui offam canibus, ne latrarent, objeciſſet. Sed circa mediam noctem, ſolutis vinculis, vocatos ab eò Neocoros, iiſque inſpectantibus ad Templi januam cucurriſſe, apertámque inveniſſe; ingreſſo verò, valvas ſponte clauſas, & auditum veluti virginum concentum hæc verba canentium: *veni è terra*, *veni in cœlum*, *veni*: ϛεῖχε γᾶς, ϛεῖχε εἰς οὐρανὸν, ϛεῖχε. A quo tempore, nuſquam inventum Apollonium. Hæc de ejus exceſſu, ſine ullo certo auctore, fabulatur *Philoſtratus* Lib. VIII. c. 30. quibus ne ipſe quidem fidem habebat. Nec fingendi libido aut ars mentiendi Sophiſtæ, qui tot alia mentitus eſt de Apollonii itineribus per Orientem, deerat; ſed timuiſſe videtur ne, ſi teſtes fingeret, fabulámque circumſtantiis ornaret, in rem curioſiùs aut Philoſophi aliarum ſectarum, aut Chriſtiani inquirerent, totámque ejus hiſtoriam è veſtigio infamarent.

V. IMPOSTORE ergo omiſſo, ad res Chriſtianas redeamus. Cùm Joannes Apoſtolus in inſulam Patmon à Domitiano, ut diximus, relegatus eſſet, *propter verbum Dei & teſtimonium Jeſu-Chriſti*, ut ipſe ait Apoc. I, 9, 10. & ſeqq. viſum divinitus ei oblatum eſt, *die Dominicâ*, quod poſtea ſcriptis mandare & ad ſeptem Aſiæ Minoris Eccleſias mittere juſſus eſt, Epheſinam, Smyrnenſem, Pergamenam, Thyatirenſem, Sardenſem, Philadelphenſem & Laodicenſem. Quod factum à Joanne videmus, in eo Libro, qui *Apocalypſis* dicitur; de cujus auctoritate & ſententia multæ olim, ut & hodie, fuerunt controverſiæ. At nemo de auctoritate ejus dubitarat, ante *Caium* Romanum Presbyterum qui circa finem II. Sæculi vixit. Cùm Cataphryges eo libro abuterentur,

1 *Sine ullo certo auctore*] Damis, è quo fingit ſe cetera hauſiſſe, nihil habebat de morte Apollonii, ut ait c. XXIX. Lib. VIII. Narrationem de ratione mortis ejus, οἱ μὲν ſic, ut diximus, inſtituebant, οἱ δὲ aliter. Nullos alios habet Auctores *Philoſratus*, quæ clara ſunt fabulæ indicia.

2 *Viri Docti*] *Joan. Millius* Prolegomenis

tur, ut pios per mille annos in omnis generis voluptatibus vitam actu- ANN. XCVI.
ros probarent, poſſétque, ſpiritualibus adhibitis interpretationibus, nihil ejuſmodi à Joanne intellectum oſtendere; fœtum hunc eſſe Apoſtoli negare, atque à Cerintho, præſcripto ejus nomine, editum dicere maluit. At *Juſtinus* & *Irenæus* eo antiquiores, & qui cum Joannis Diſcipulis verſati erant, Apoſtolo hoc opus tribuerunt. Similiter cùm medio ſæculo III. *Nepos*, in Ægypto Epiſcopus, Chiliaſtarum deliria eodem libro tueretur; *Dionyſius* Alexandrinus, eadem de cauſa, Joanni eum abjudicavit. Sed aliter ſenſerant quicumque Apocalypſeos antea mentionem fecerant, excepto *Caio*, quos ſequuti ſunt etiam poſteri omnes ad unum. Nec ullas aliter ſentiendi firmas rationes habuit *Dionyſius*, quas profert *Euſebius* H. E. Lib. VII. c. 25. & quas [2] viri docti adcuratè confutarunt. Multò fide dignior *Irenæus*, qui paſſim hunc librum quaſi Joannis Apoſtoli, ad teſtimonium vocat, & diſertè Lib. V. c. 30. *Οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνȣ ἑωράθη (ἀποκάλυψις) ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς: neque enim ante multum tempus viſa eſt, ſed fermè noſtrâ ætate, ſub finem imperii Domitiani.* Quæ ejus verba Græca habet *Euſebius* Lib. V. c. 8.

VI De ſententia, ſeu impletione hujus Prophetiæ multò difficilius eſt judicatu. Viri doctiſſimi, etiam inter eos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, pertinere eam ad Romam Ethnicam, perſeſequutionésque, & liberationem Veterum Chriſtianorum exiſtimarunt. Quos inter eminent *H. Grotius* & *H. Hammondus*, qui interpretationum ſuarum rationes non abſurdas protulerunt, quamquam per omnia non æquè ſpecioſas. Ceteri fermè omnes earumdem partium Theologi de Roma Chriſtiana, poſterioribúſque ſæculis agi hîc cenſuerunt, nec multa non abſimilia vero ab iis, eam in rem, prolata negarim. Sed cùm de ſingulis Prophetiæ partibus inter ſe vehementer diſſentiant, cúmque nemo unus, inoffenſo pede, res & tempora expedierit, nec quidquam, quod magis adrideat occurrat; in eorum ſententiam, [3] qui maluerunt librum hunc non interpretari, concedimus. Fuerunt ſine dubio Joanni graves rationes, cur tantâ obſcuritate ſcriberet, & fortaſſe etiam æqualibus ejus, unà cum vera libri ſententia, ſunt ab Apoſtolo patefactæ. Sed cùm hodie quidquid eſt ejus rei ſit altâ tectum caligine, ſilere præſtat, quàm audacioribus, aut coactioribus conjecturis, ludibrium prudentioribus debere.

M. Coc-

nis in N. T.

3 *Qui maluerunt librum hunc* &c.] *Joan. Calvinus* præſertim ab ejus interpretatione abſtinendum ſibi eſſe cenſuit. Quod probatum *Joſ. Scaligero*, ſi ſecundorum *Scaligeranorum* collectoribus fidem habemus; qua eos, hac in re, dignos eſſe puto.

ANN. XCVII.

M. Cocceio Nervâ III. L. Verginio Rufo III COSS. Nervæ Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti XCVII.

I. Mortuo Domitiano ſucceſſit Nerva, cujus Principatûs initio revocati ſunt Senatûs-Conſulto, qui à Domitiano in exſilium miſſi fuerant, inter quos etiam Joannes fuit, ut narrat *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 20, 23. ac in Aſiam Minorem reverſus ejus Eccleſias, ad Trajani uſque tempora, rexit, [1] ut teſtatur *Irenæus* Lib. II. c. 39. III. c. 3. Dum verò commoratur Epheſi, Evangelium ſuum edidit, quod idem teſtatum reliquit Lib. III. c. 1. qui Lib. II. c. 11. ait Joannem *voluiſſe, per Evangelii adnunciationem, auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat, hominibus errorem, & multò priùs ab his, qui dicuntur Nicolaïtæ, qui ſunt vulſio ejus, quæ falsò cognominatur, ſcientiæ* (γνώσεως, quo nomine ſectam Gnoſticorum deſignat) *ut confunderet eos & ſuaderet, quoniam unus Deus, qui omnia fecit, per Verbum ſuum; & non, quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini, & alium fabricatoris filium, alterum verò de ſuperioribus Chriſtum.* Quod nolim quidem prorſus negare, quamquam vero ſimilius videatur, initio Evangelii, Joannem ad *Philonem* Alexandrinum reſpexiſſe; ut doceret quo ſenſu admitti poſſent quæ Philoſophus Judæus de Ratione docuerat, ne Chriſtianos, ſimilitudine quadam ſermonis, falleret; quod ſingulari Diſſertatione demonſtrare conati ſumus; quæ eſt, in altera *Hammondianarum Adnotationum* in N. T. Editione, Evangelio Joannis præfixa.

II. At *Hieronymo*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſi credimus, noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis adversùs Cerinthum, alioſque Hæreticos & maximè tum Ebionitarum dogma conſurgens, qui adſerebant Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem ediſſerere. Sed & aliam cauſam, ut idem docet, hujus Scripturæ ferunt; quòd cùm legiſſet Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probaverit quidem textum Hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmaverit; ſed unius tantùm anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Joannis, Hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cujus acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, antequàm Joannes clauderetur in carcerem, geſta narravit, ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ videtur Joannis eſſe cum ceteris,

1 *Ut teſtatur Irenæus*] Lib. II. c. 21. è diviſione Bened. Tradit eo loco Irenæus Chriſtum, cùm ſermonem haberet cum Judæis, qui exſtat Joan. VIII. quadrageſimum ætatis annum ſuperaſſe, additque *ſic teſtari omnes Seniores, qui in Aſia apud Joannem diſcipulum Domini convenerunt, id ipſum tradidiſſe eis Joannem. Permanſit enim*, inquit, *cum eis, ad Trajani tempora.* Poſterius credo, at prius, cùm repugnet Lucæ Evangeliſtæ, non admitto; hæc traditio firmior non eſt ratiocinatione *Irenæi*, quæ antecedit, & ſequitur.

2 *Ut putant viri docti*] Vide *Anton. Pagium*

teris, tollit. Hæc *Hieronymus*, quæ, hoc uno excepto, quòd Joannes potiſſimùm à ceteris omiſſa ſupplere voluerit, mera eſſe commenta norunt, qui adcuratiores Evangeliorum Harmonias legerunt. Interim judiciis Veterum, de antiquiorum Scriptis, quàm periculoſum ſit nimiùm fidere hinc intelligere licebit.

III. Hoc anno, & quidem, [2] ut putant viri docti, a. d. V. Calendas Novembres, Nerva in Capitolium adſcendit, ubi M. Ulpium Trajanum adoptavit, poſteáque in Senatu Cæſarem pronunciavit, tum etiam Collegam Imperii creavit, Proconſularique Imperio & Tribunitiâ poteſtate donavit; quod liquet è *Dionis* Lib. LXVIII. & *Plinii* Panegyrico Capp. VIII & IX.

Nervâ Aug. IV. M. Ulpio Trajano Cæſare COSS. Trajani Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti XCVIII.

I. Obiit Nerva a. d. Calendas Februarias, ſeu Januarii XXVII. cùm regnaſſet annum I. menſes IV. dies IX. ut ait *Dion.* Quo mortuo, ſolus rerum habenas tenuit Trajanus.

II. Hoc ipſo tempore, Joannes, ſi vera narrat, ut quidem ait, *Clemens* Alexandrinus in Lib. *Quis dives ſalvetur*, cùm, poſt mortem Domitiani, è Patmo inſula Epheſum rediiſſet, vicinas gentes rogatus inviſit; partim ut Epiſcopos, ubi opus erat, conſtitueret, partim ut integras Eccleſias ordinaret, partim denique ut unum quemque eorum, [1] quos Spiritus deſignabat, in Clerum cooptaret. Cùm verò in urbem quamdam veniſſet (Smyrnam nonnulli fuiſſe volunt) Chriſtianóſque eſſet ſolatus, ad extremum egregium corpore juvenem, vultu formoſo & indole fervidâ, converſus ad Epiſcopum, quem conſtituerat, *hunc*, inquit, *coram Eccleſia & Chriſto teſte, tibi ſtudioſiſſimè commendo.* Rem eo ſuſcipiente & omnia pollicente, eadem iterum Joannes mandavit & conteſtatus eſt. Tum Epheſum diſceſſit, & Presbyter quidem (ſic enim [2] antiquo more vocatur Epiſcopus) adoleſcentem domo ſuâ excepit, aluit, in officio continuit & fovit ac tandem baptizavit. Poſtea majorem curam non adhibuit, ut qui ſigillum Domini, quaſi egregium quoddam amuletum, ut putabat, ei impoſuiſſet. Præmatura verò libertate fruentem, æquales quidam deſides, diſſoluti & nequiter vivere adſueti, corruperunt. Primùm quidem opiparis conviviis illexerunt, tum noctu ad ſpoliandos obvios egreſſi ſecum traxerunt, poſteáque ad majus quidpiam ſecum deſignandum adduxerunt. At

gium ad hnnc annum.

1 *Quos ſpiritus deſignabat*] Idem habet *Clemens* Romanus Epiſt. C. XLII. Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίςανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιςεύειν: *per regiones & urbes prædicantes conſtituebant primitias ſuas quas ſpiritu probaverant, Epiſcopos & Diaconos crediturorum.* Vide & Cap. XLIV.

2 *Sic enim, antiquo more* &c.] Vide ad ann. Æræ Vulgaris LVIII, 9. LXVIII, 6.

ANN. XCVIII. At ille nequitiæ ſenſim adſuefiebat, & propter indolem acriorem, inſtar equi duri oris & robuſti, rectâ viâ digreſſus & admorſo freno, per præceps magis indies ferebatur. Deſperatâ poſtea ſalute à Deo, nihil exiguum animo agitabat, ſed magno quopiam perpetrato facinore, quandoquidem ſemel perierat, ſimilia reliquis pati non recuſabat. Colligit ergo homines, globóque latronum coacto, dux eorum fit paratiſſimus, violentiſſimus, crudeliſſimus & aſperrimus. Nonnullo pòſt tempore, Joannis opera oppidi ejus Chriſtiani indigentes, Apoſtolum vocant; qui compoſitis iis, quorum causâ venerat, *agedum*, inquit, *Epiſcope, redde nobis depoſitum, quod tibi ego & Servator commendavimus, teſte Eccleſiâ, cui praes.* Ad hæc ille primùm ſtupefieri, cùm pecunias, quas non acceperat, à ſe, per calumniam, repeti putaret; nec credere poſſe, ſibi eſſe, quod non habebat, neque rurſus Joanni fidem detrahere. Ubi verò Joannes *ſe juvenem & fratris animam repetere dixit*; ibi ſenex, ducto ex imo pectore gemitu, & illacrimans, *ille*, inquit, *mortuus eſt.* Joannes verò: *quomodo & quo genere mortis interiit?* At ille, *Deo*, inquit, *mortuus eſt; improbus enim & perditus, ad ſummam latro factus, nunc pro Eccleſia, cum ſimili latronum globo,* [3] *montem occupavit.* Quibus auditis, Apoſtolus laceratâ veſte & percuſſo, non ſine magno gemitu, capite, *egregium verò*, inquit, *animæ fratris cuſtodem reliqui! Sed jam mihi præſto ſit equus & dux viæ.* Iis è veſtigio adductis, ſicut erat & ab ipſa Eccleſia equum ad montem agit. Quò cùm perveniſſet, à ſtatione latronum capitur, nec fugam molitus, nec capi recuſans, ſed clamitans *ad id ipſum ſe veniſſe, & ad ducem ſe deduci* jubens. Is verò, ut erat armatus, exſpectabat; ſed accedentem ubi vidit Joannem, præ pudore, in fugam converſus eſt. At Joannes totis viribus, ætatis ſuæ oblitus, hominem ſequutus, vociferatur: *quid me, fili, patrem tuum, inermem & ſenem fugis? Miſerere mei, fili, noli timere. Adhuc tibi ſupereſt vitæ ſpes. Ego pro te Chriſto rationem reddam, pro te mortem, ſi opus ſit, libens oppetam, quemadmodum Dominus pro nobis. Pro te, animam meam, tuæ loco, dabo. Conſiſte, crede, Chriſtus me ad te miſit.* Hæc cùm audiſſet, primùm vultu in terram demiſſo conſtitit, dein tremore correptus acerbè flevit. Senem verò, qui propiùs venerat, complexus, gemitibus, ut poterat, ſe ſe defendit & lacrimis veluti denuo baptizatus eſt, ſolam dextram occultans. Ibi Apoſtolus ſpondens ac dejerans ſe à Servatore ei veniam impetraſſe, ſupplex & in genua prolapſus, adoleſcentiſque dextram, veluti pœnitentiâ jam expiatam, exoſculatus eum in Eccleſiam reduxit. Deinde crebrò Deum orans, continuatis jejuniis ſimul decertans, variis denique ſermonum illecebris animum ejus demulcens non priùs deſtitit, quàm eum Eccleſiæ reſtituiſſet. Hæc narrat

3 *Montem occupavit*] Τὸ ὄρος κατείληφε μεθ' ὁμοίε ςρατιωτικοῦ. Sic apud *Apuleium* Metam. Lib. IV. non procul ab initio deſcribitur latibulum latronum in monte: *Mons horridus, ſilveſtribúsque frondibus umbroſus, & in primis altus fuit* &c.

1 *Privati privatos*] Vide quæ de Peregrino ad ann. Æræ Vulgaris CLXV. di-

narrat *Clemens*, quæ neſcio an ſatis cum Joannis decrepita ætate conſentiant. Sed & fortè circumſtantiis commenticiis exornata eſt vera alioquin hiſtoria. ANN. XCIX.

C. Soſio Senecione II. Cornelio Palma COSS. Trajani Imp. II. Æræ Vulg. XCIX.

I. Joannes, ſi fides eſt *Hieronymo*, in Cap. VI. Epiſtolæ ad Galatas, cùm, ut ait, Epheſi moraretur, uſque ad ultimam ſenectutem, & vix, inter Diſcipulorum manus, ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet plura vocum verba contexere; nihil aliud per ſingulos ſolebat proferre cœtus, niſi hoc: *Filioli, diligite alter alterum.* Tandem Diſcipuli & fratres qui aderant, tædio adfecti, quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: *Magiſter, quare ſemper hoc loqueris?* Qui reſpondit dignam Joanne ſententiam: *quia præceptum Domini eſt & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Sanè, exceptis iis officiis pietatis, quæ Deum rectà ſpectant, aut quæ ad nos ſolos pertinent, reliqua fermè omnia amore proximi continentur. Imò verò nemo poſſit proximi amans eſſe, prout par eſt, niſi Deum ipſum amet, quo jubente, eo amore alios homines proſequitur; & quo præeunte, omnibus bene vult, & quà licet, facit. Præterea iis temporibus, propter diſſidia, quæ jam erant, aut quæ mox eruptura videbat Joannes, proptérque Ethnicorum vexationes, nihil opportunius Chriſtianis præcipi poterat, quàm ut inter ſe amarent.

II. Amore mutuo fiebat primùm ut Chriſtiani inter ſe diligenter vitarent, ne ſibi invicem dolorem ullum vel moleſtiam crearent, aut nocerent; quippe qui proximi non minorem, quàm ſui ipſorum, rationem habebant; quo pacto multa flagitia vitabantur, in quæ vulgò homines incurriſſent, ſi ſe & ſua tantùm, neglectis alienis, curaſſent; nam dum cogitarent quem dolorem ſuis eſſent creaturi, ſi omiſsâ Virtute, in Vitia ruerent, Virtuti conſtantiùs adhærebant. Secundò, cùm ſe mutuò, etſi nullâ conſanguinitate, aut adfinitate conjunctos, conſilio, operâ, atque opibus adjuvarent, prout poterant, tam in rebus ad Virtutem, alterámque potiſſimùm vitam pertinentibus, quàm in iis quæ hujus vitæ uſibus clauduntur; in adverſis, non minùs quàm in ſecundis, & multò etiam ſtudioſiùs cùm ab Ethnicis vexabantur; ne Chriſtianæ Societates, ſeu Eccleſiæ dilaberentur ac perirent impediebant. Chriſtiani enim, apud ſuos, omne auxilii genus cùm paratum ſemper haberent, & certiſſimos amicos; hæc apud Ethnicos nequaquam quærebant, ubi non inveniſſent; ac proinde conjunctiores multò inter ſe erant. Privati [1] privatos, [2] Eccleſiæ Eccleſias adjuvantes efficiebant ut Societates illæ Chriſtianæ firmio-

dicemus.

2 *Eccleſiæ Eccleſias* &c.] Egregium ea de re habemus *Dionyſii* Corinthii teſtimonium de Eccleſia Romana, apud *Euſebium* Lib. IV. c. 23. & *Dionyſii* Alexandrini ejuſdem Eccleſiæ laudes Lib. IV. c. 7. Eorum verba non referemus, quæ ſuis temporibus & locis non omittentur.

ANN. XCIX. firmiores in dies fierent. Tertiò, cùm [3] Ethnicis ipſis etiam benefacerent Chriſtiani, quà poterant, multos ad ſe adliciebant, & Chriſtianiſmi cognoſcendi cupiditate accendebant; quem cognitum mox amplectebantur, ita ut Eccleſiæ augerentur, & magis ac magis florerent. Apud Ethnicos verò, nihil erat ſimile, nam cùm Religio ipſa bonos mores non doceret, vitiis homines nequaquam offendebantur. Unuſquiſque ſibi conſulebat, aliorum negligens, quamvis eorumdem ſacrorum participes eſſent; & cùm ne Ethnicis quidem benefacerent, multò minùs Chriſtianos beneficiis devinciebant. Hinc paullatim Ethniciſmum quidem, aut *Helleniſmum*, ut à *Juliano* [4] vocatur, minui & collabi; Chriſtianitatem verò augeri & invaleſcere neceſſe erat. Quod ut præviderant Apoſtoli, re ipsâ, ſequentibus præſertim ſæculis, contigit. Atque hi fuere Chriſtianæ caritatis fructus eximii, Deóque & hominibus digni. Quare non debuit mirum videri Chriſtianis à Joanne tam frequenter tradi & inculcari Chriſti, de mutuo amore, præceptum; quod ſolum omnia re verâ aliquo modo complectitur Chriſtianæ vitæ officia, quódque unum ad rem Chriſtianam condendam, confirmandam, ampliandam & perpetuam faciendam longè fuit aptiſſimum. Probè hoc poſtea ſenſit is, quem dixi, *Julianus*, Chriſtianiſmi hoſtis infenſiſſimus, qui ita eum creviſſe docet, in fragmento quodam, [5] quod in Operibus ejus exſtat, atque Helleniſmum collapſum; quod videre eſt etiam in ejuſdem Epiſt. XLIX. Omnem etiam lapidem movit ut Ethnicorum Sacerdotes eò adduceret, ut ea in re Chriſtianos imitarentur, Xenodochiáque, & publicas inſtituerent Eleemoſynas. Sed ad Joannem redeamus.

III. Hic

3 *Cùm Ethnicis ipſis benefacerent*] *Julianus* Imp. in Fragmento Orationis vel Epiſtolæ, in quo Ethnicos ad imitationem Chriſtianorum hortatur ut virtuti & præſertim beneficentiæ erga pauperes, quæ prorſus, inter Ethnicos, negligebatur, operam dent, rationes à Chriſtianis mutuatus: *Dicam*, inquit, *etſi præter vulgarem opinionem loquar, etiam hoſtibus ipſis veſtes & alimenta largiri ſanctum eſſe; non enim moribus, ſed humanitati tribuimus*: φαίην δ' ἂν καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ὅτι καὶ τοῖς πολεμίοις ἐσθῆτος καὶ τροφῆς ὅσιον ἂν εἴη μεταδιδόναι· τῷ γὰρ ἀνθρωπίνῳ, καὶ οὐ τῷ τρόπῳ δίδομεν. Sub finem Fragmenti, poſtquàm Sacerdotes ad beneficentiam, erga pauperes, multis eſt hortatus, ait majore adtentione rem indigere, quòd ita res Chriſtiana creſceret: *Etenim*, inquit, *quoniam ita contigit, ut pauperes Sacerdotibus neglectui eſſent, hoc animadverſo, impii Galilæi* (Chriſtiani) *in hoc humanitatis genus incubuerunt, peſſimúmque facinus, hac officii ſpecie, corroborarunt.* Poſtea eos homo perditæ ſuperſtitionis confert cum Mangonibus, qui pueros placentis adlectos navibus imponebant & avectos vendebant: *Sic iſti*, inquit, *ab ea quam vocant Agapa, & convivio, menſarumque miniſterio* (*eſt enim uti factum ipſum, ita & vocabulum apud eos frequens*) *initio facto fideles* (Diis) *ad impietatem perducunt.* Ἐπειδὰν γὰρ, οἶμαι, συνέβη τοὺς πένητας ἀμελεῖσθαι παρορωμένους ὑπὸ τῶν ἱερέων, οἱ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι κατανοήσαντες ἐπέθεντο ταύτῃ φιλανθρωπίᾳ· τὸ γὰρ χείριστον τῶν ἔργων διὰ τοῦ δοκοῦντος τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐκράτυναν —— Τὸν αὐτὸν καὶ αὐτοὶ τρόπον ἀρξάμενοι διὰ τῆς λεγομένης παρ' αὐτοῖς ἀγάπης ταὶ διακονίας τραπεζῶν (ἔστι γὰρ, ὥσπερ τὸ ἔργον, οὕτω δὲ καὶ ὄνομα παρ' αὐτοῖς πολὺ) πιστοὺς ἐνήγαγον εἰς τὴν ἀθεότητα. Quæ ſunt egregium ab infenſiſſimo hoſte, & cùm maximè nocere cupiente, exhibitum Chriſtianiſmo teſtimonium; unde liquet non tantùm quanta eſſet Chriſtianorum beneficentia, ſed etiam Ethnicam Religionem ejúſ-

III. Hic prætermittendum non eſt quod de eo prodidit Polycrates, Epiſcopus Epheſinus, ſub finem II. Sæculi, in Epiſtola ad Victorem Romanæ Urbis Epiſcopum, cujus Epiſtolæ particulam profert *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 31. & Lib. IV. c. 24. *Joannes*, inquit Polycrates, *qui ſupra Domini pectus recubuit, fuitque Sacerdos Dei laminam geſtans & Martyr & Doctor; hic, inquam, Joannes in urbe Epheſo conditus jacet.* Si hæc verba τὸ πέταλον πεφορεκὼς idem ſignificent, quod ſignificarent, ſi de Judæorum Pontifice Maximo ſermo eſſet; oporteret Joannem, in cidari, ad frontem, geſtaſſe laminam auream, cui inſcripta eſſent verba: *ſanctitas Domino.* Verùm cùm Apoſtoli nuſquam in Novo Teſtamento, ἱερεῖς, præcipuo jure, dicantur, cúmque ſpirituale eorum Sacerdotium eſſet, nec adparatu ejuſmodi ornamentorum indigeret, quæ nec eorum paupertatem & modeſtiam decebant; vix crediderim hæc propriè intelligenda. Vero ſimilius videtur *Polycratem* tralatitio loquendi genere uſum, atque hoc aut ſimile quiddam voluiſſe, Joannem, qui ceteris omnibus Apoſtolis ſuperſtes fuit, apud Chriſtianos, inſtar Pontificis Maximi, habitum fuiſſe. Sic certè malim Polycratis verba interpretari, quàm ea dicentem, [6] quæ fabulam redolent, inducere. ANN. C.

Trajano Aug. III. M. Julio Frontone COSS. Trajani Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti C.

I. Ad hunc Trajani annum, adnotat *Euſebius*, in Chronico, Joannem Apoſtolum, uſque ad Trajani tempora, ab *Irenæo* ſcribi permanſiſſe. Unde viri docti collegerunt hunc annum Joannis emortualem ab *Euſebio*

ejúsque Miniſtros publicos ad Virtutem nihil pertinuiſſe.

4 *Epiſt. XLIX.*

5 *Pag.* 128. *& ſeqq.* Edit. Petavianæ.

6 *Quæ fabulam redolent*] Alteram fabulam peperit, quæ exſtat apud *Epiphanium* in Hæreſi Nazaræorum, quæ eſt XXIX. §. 4. ubi poſtquàm dixit Jacobum fratrem Domini filium Joſephi fuiſſe, ex alia uxore quàm Maria, adeóque è proſapia Davidis, addit perabſurdè: *imò & Sacerdotem fuiſſe, ſecundùm vetus Sacerdotium, comperimus; quamobrem ei quotannis in Sancta Sanctorum conceſſum eſt ingredi, quemadmodum Pont. Maximos juſſit Lex, prout ſcriptum eſt.* Hoc quàm ſit falſum vidimus ad ann. Æræ Vulg. LXII, 3. Attamen *rem multos ante ſe, Euſebium, Clementem & alios memoriæ prodidiſſe* ait. *Euſebius* ex ſolo *Hegeſippo* eam habet, nec *Clemens* ullus, niſi ſuppoſiticius, commemorare potuit. Ac tandem: *Sed & bracteam ei*, inquit, *in capite geſtare licebat, ut prædicti viri, fide digni, in commentariis ſuis teſtati ſunt:* ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν, καθὼς οἱ προειρημένοι ἀξιόπιστοι ἄνδρες, ἐν τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν ὑπομνηματισμοῖς, ἐμαρτύρησαν. Similia etiam habet, in Hæreſi Antidicomarianitarum, quæ eſt LXXVIII, 13, 14. ubi *Petavius*: *Quod de ſummi Pontificis* πετάλῳ *accepiſſe videtur. Perperam id quidem; quod alioqui de Pontificum Chriſtianorum inſigni credibile eſt, & de Joanne Evangeliſta teſtatum reliquit Polycrates. De Jacobo haud ſcio, an quiſquam prodiderit; nam quos Hæreſi XXIX. citat Epiphanius, de Joanne, non de Jacobo, iſta ſcripſerunt.* Unde intelligere eſt viro doctiſſimo ſuboluiſſe hanc eſſe fabulam, quamvis apertè profiteri, pro Societatis ſuæ prudentia, noluerit. Rem de Joanne veriorem, quàm de Jacobo, ſi πεταλὸν propriè ſumatur, non puto.

ANN. C. *Euſebio* habitum fuiſſe. Sic certè mentem ejus interpretatus videtur *Hieronymus*, qui in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ſcripſit *Joannem confectum ſenio, ſexageſimo octavo, poſt paſſionem Domini, anno, mortuum juxta eamdem urbem ſepultum eſſe.* Similia habet, Lib. I. contra Jovinianum. Paſſum autem eſſe Dominum putavit *Euſebius* anno Æræ Vulgaris XXXII. cui ſi LXVIII. annos addideris, ad C. ejuſdem Æræ pervenies.

II. Testatur *Polycrates*, in verbis ad annum ſuperiorem adlatis, ſepultum eum Epheſi fuiſſe; quæ ſemper fuit Chriſtianorum, ſequentibus ſæculis, ſententia. De ratione mortis ejus, nihil Veteres, quod quidem ſit fide dignum. [1] Quidam putarunt non eſſe mortuum, alii ſpiraſſe per multos annos in ſepulcro, atque emiſiſſe neſcio quem album pulverem farinæ inſtar, quem *manna* vocant, & quo inde ſublato, quotidie novus emitti cerneretur, alii reſurrexiſſe; quæ ſunt poſteriorum ætatum commenta, apud alios quærenda; neque enim Hiſtoriæ noſtræ molem eorum commemoratione, aut confutatione augere ſuſtinemus. Pudendum eſt ſequentium ſæculorum Chriſtianos aut tam parvi Veritatem feciſſe, ut ejuſmodi fabulas confingere, & pro veris venditare auderent; aut tam credulos, ut ſibi fucum, eo modo fieri paterentur.

III. Cum Joannes reliquis Apoſtolis ſuperſtes fuerit, & ultimus Evangeliſtarum dicta & facta Chriſti memoriæ, ut diximus, mandarit; dubium eſſe non videtur quin ejus ævo quatuor Evangelia manibus Chriſtianorum trita fuerint, eamdémque auctoritatem obtinuerint, quam illis, medio Sæculo Secundo, *Juſtini* & *Irenæi* ævo, fuiſſe videmus. Quare non eſt cur ad Sæculum Secundum conſtitutionem Canonis Evangelici rejiciamus, ut [2] viri quidam docti facere amant. Nuſquam quidem legimus Collegium Apoſtolicum, aut cœtum ullum Rectorum Eccleſiarum Chriſtianarum coactum eſſe, qui pro auctoritate definierint hunc numerum Evangeliorum eſſe admittendum; non majorem, nec minorem; ſed nec opus fuit, cùm omnibus conſtaret, ex teſtimonio & conſenſu æqualium, quatuor hæc Evangelia eorum verè fuiſſe, quorum nomina præferunt; cúmque nihil in iis legatur, quod ſcriptoribus dignum non ſit, vel revelationi Veteris Teſtamenti, rectæve Rationi vel minimùm adverſetur: aut quod inferius ævum, recentiorúmque Scriptorum manus, ullo modo, reſipiat. Non opus fuit Synodo Grammaticorum, qui, pro imperio, pronunciarent ea Scripta, verbi causâ, *Ciceronis* & *Virgilii*, quæ eorum eſſe non dubitamus, re verâ tantorum ingeniorum fœtus

1 *Quidam putarunt* &c.] Vide *Sebaſt. Nanum Tillemontium* in vita Joannis, ubi veteres fabulas ſtudioſè collegit & expendit. Nos Augiæ ſtabulum purgare adgreſſi non ſumus.

2 *Viri quidam docti* &c.] *Henr. Dodwellus*, I. Diſſert. *Irenaïca* §. 34. & ſeqq. & *Joan. Millius* Prolegomenis in N. T. Quid ſpectaverit *Dodwellus*, cùm adfirmavit *nullam ſolidam eſſe rationem, cur Canoni N. T. adſentiamur, præter Traditionem, nec firmiorem eſſe eam, quâ Canonem accepimus, quàm ſunt Traditiones Irenæi*, norunt qui ſciunt eum Epiſcopalem Ordinem, ex ſolo Novo

ANN. C.

fœtus fuiſſe; ut poſteritati, ea in re, conſulerent. Omnium conſenſus, non quæſitus, nec rogatus, ſed ſponte ſignificatus, prout occaſio tulit, résque ipſæ omnibus, qui poſtea vixere, dubitationem omnem anteverterunt; ita ut inſanire ſemper viſi eſſent, quicumque *Ciceronis* eſſe Catilinarias, aut Verrinas, *Virgilii* Æneïdem, aut Georgica, ceteráve Scripta, quæ iis ab initio adtributa ſunt, aut negaſſent, aut in dubium revocaſſent. Sic & Evangeliorum auctoritas meritò conſtituta eſt & invaluit, perpetuo conſenſu, ſine ullo Rectorum Eccleſiæ decreto.

IV. Idem dixerimus de Epiſtolis Apoſtolicis, quæ nullius Eccleſiaſtici conventûs judicio, ſed conſtanti omnium Chriſtianorum teſtimonio, rebúsque ipſis, quas complectuntur, auctoritatem omnem ſuam debent. Non diffitemur quin de Epiſtola ad Hebræos, de duabus poſterioribus Joannis, de poſteriore Petri, déque Epiſtola Judæ, diutiùs ſit dubitatum. Sed cùm dubitandi rationes nullæ ſat firmæ eſſent, ſenſim ſunt ab omnibus admiſſæ, antequàm ullum Rectorum Eccleſiæ intercederet decretum. Idem etiam de Apocalypſi Joannis ferendum judicium, cujus obſcuritas, & Chiliaſtarum perverſæ interpretationes tanti eſſe numquam debuerunt, ut propterea an genuinus ſit Joannis fœtus dubitaretur. De quibus rebus, cùm de ſingulis ſeorſim antea dixerimus, pluribus hîc non agemus.

V. Postea etiam Apoſtolis Canones Apoſtolicos, & Conſtitutiones Apoſtolicas, ut vocantur, nonnulli aut fallendi causâ, aut imprudentes tribuerunt. Sed quamvis in iis multa ſint, quæ complectuntur doctrinam & mores Apoſtolici ævi, attamen altum Scriptorum II. Sæculi, iis de Scriptis, ſilentium, dogmatáque & inſtituta recentiora, ne errores memorem genuinis Apoſtolorum Scriptis contrarios, doctioribus & candidioribus omnibus fidem fecerunt Canones quidem Apoſtolicos, vix ante Sæculum Tertium collectos & editos, Conſtitutiones verò Apoſtolicas ſeriùs etiam in lucem prodiiſſe. Quare nihil eſt, cur diutiùs iis immoremur.

VI. Maneat ergo oportet librorum Novi Teſtamenti illibata auctoritas, quibus nihil umquam par, aut ſecundum prodiit, ad rem ipſam quod adtinet; neque tot & tantis teſtimoniis, ſi de eorum veris auctoribus quæras, confirmatum eſt. Traditiones quidem II. Sæculi jactantur, ſed quæ multa palam falſa admiſta habent, & nonniſi rumoribus, & auditionibus nituntur, iiſque collectis ab hominibus exigui judicii, aut parum ſinceræ fidei; quales *Papias* & *Hegeſippus*, quorum frag-

vo Teſtamento, probari non poſſe crediſſe; ac proinde ne cauſam prodere videretur, non certiorem eſſe auctoritatem librorum N. Teſtamenti, quàm traditiones Sæculi II. quibus ſolis, ex ejus ſententia, Epiſcopalis Ordinis Apoſtolica inſtitutio demonſtrari poteſt. Vir doctiſſimus paſſim quæſivit non quid verum eſſet, ſed quid defendendis iis, quæ vera putabat, aptum videretur, & conjecturis, ut omnes norunt, pluſquàm licet, indulgebat. Atqui multò ſatius erat Epiſcopalem Ordinem è Novo Teſtamento probare, ut alii fecerant, hujúsque divinam auctoritatem tueri.

ANN. C. fragmenta oſtendunt, nihil eſſe cur eorum Scriptorum jacturam defleamus. Nemo eſt cui, ſi ſinceram Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, ſine ulla inſtitutorum humanorum miſtura, cognoſcere cupiamus, credere tutò poſſimus, præter Novi Teſtamenti libros; à quibus ſi vel minimùm diſcedas, in errorum inextricabilium mæandros te conjicis, dum fallaces duces ſequeris.

VII. Ut ad alia tranſeam, quibus hoc Sæculum claudam, vixit & ſcripſit, hiſce temporibus, *Juſtus* Tiberiadenſis, *Joſephi* Hiſtorici Judæi æmulus & inimicus. Ediderat Chronicon, ut Cod. XXXIII. teſtatur *Photius*, qui id legerat, quo complexus erat Hiſtoriam Judaïcam à Moſe, uſque ad mortem Agrippæ, ſeptimi è familia Herodis Magni. Is Agrippa, qui regnum à Claudio acceperat, & Neronis ac Veſpaſiani, ut ſuis locis diximus, liberalitate ampliaverat, tandem tertio Trajani anno obiit, ejúſque morte *Juſti* Hiſtoria claudebatur. Nimis brevem fuiſſe, & neceſſaria etiam prætermiſiſſe queritur *Photius*; inter quæ fuit Jeſu-Chriſti Hiſtoria, de qua, Judaïco odio adductus, ne verbum quidem dixerat. *Joſephus*, in vita ſua & alibi, quaſi parum fido Scriptori conviciatur; ſed de inimico non magis ei crediderim, quàm *Juſto* de *Joſepho* crederem, ſi Hiſtoria ejus exſtaret, atque in ea æmulo ab eo detractum viderem. Utinam verò, quæcumque fuerit, ad nos uſque perveniſſet!

VIII. *C. Plinius Secundus* hoc anno Conſul ſuffectus fuit, cùm *Cornuto Tertullo*, in duos menſes, à Calendis Septembribus. Conſulatus autem officium ei injunxit, ut ipſe ait Libri III. Ep. 18. ut, Reipublicæ nomine, optimo Principi gratias ageret; quod in Senatu cùm ad rationem & loci & temporis, ut loquitur, feciſſet; bono civi convenire credidit, ut eadem illa ſpatioſiùs & uberiùs volumine complecteretur, quod deinde magno hominum concurſu recitavit. Is Panegyricus, qui etiamnum ſupereſt, dum laudes Trajani perſequitur, docuit futuros Principes quâ potiſſimùm viâ poſſent ad eamdem gloriam niti. De *Plinio*, ejúſque in Bithynia Proconſulatu ad annos CX & CXI. dicemus, ubi de Epiſtola, quâ Trajanum de Chriſtianis conſuluit. Nunc nihil eſt quod addamus, niſi, quamvis non ſine nævis fuerint Apoſtolorum Diſcipuli, ut ſuis locis oſtendimus; non eſſe tamen cur ſequentia ſæcula primo paria exſpectemus. Apoſtolis par fuit poſteriorum ætatum nemo, & ſi quæ inerat adhuc rudioribus eorum Diſcipulis inſcitia, nullo modo poteſt cum ſubſequentis ævi moribus comparari. Nos verò laudatis, quæ verè laude digna ſunt, vituperatiſque, ſine diſſimulatione, delictis & vitiis, unicuique ſuum è legibus Hiſtoriæ, non minùs quàm Juſtitiæ, reddemus.

PRIMI SÆCULI
FINIS.

HIS-

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

SAECULUM SECUNDUM.

Trajano Aug. IV. Sex. Articuleio COSS Trajani Imp. IV. Æræ Chriſti Vulgaris CI. ANN. CI.

I. PERTEXTA, ad mortem uſque Joannis, Apoſtolicâ Hiſtoriâ, ad ea tempora pervenimus; quibus cùm nulli eſſent ampliùs in vivis Chriſti Diſcipuli, hominésve, quemadmodum fuerant, adflati, multa ſunt dicta & facta; quæ difficulter à nobis, per omnia, probari queant. Nec eo ſeciùs ad conſervandam Eccleſiam Chriſtianam, latiúſque ejus proferenda pomœria, Divina Providentia invigilavit; quippe quæ, licèt eam in rem tam eximiis viris non ampliùs uteretur, tamen ne quidquam in ſumma Religionis Chriſtianæ mutaretur impediit; incolumem, per hominum inſcitiam & errores, præſtitit; & in dies credentium numerum, quamvis Judæi atque Ethnici totis viribus adverſarentur, auxit. Quod ut meliùs intelligatur, videndum nobis eſt, in ipſo Secundi Sæculi limine, quantum diſcrimen inter Apoſtolos Chriſti, eorúmque Diſcipulos, aut qui è Diſcipulorum Schola prodierunt, interfuerit. Eadem operâ, rationem mutationum, quæ poſtea contigere, faciliùs adſequemur; nec in eorum errorem, qui aut Magiſtris Diſcipulos æquarunt, aut Magiſtrorum præſtantiam minuerunt, ne Diſcipuli iis inferiores viderentur, incidemus.

II. TRES ſunt veluti fontes, è quibus Apoſtolos quidquid docuerunt hauſiſſe conſtat. Primus fuit Scriptura Sacra Veteris Teſtamenti, cujus Verſione Græca non indigebant, cùm eſſent Linguæ Hebraïcæ periti. Alter fuit uberior multò & limpidior fons ſermonum Chriſti, quos ipſi audierant & probè intellexerant, accepto Spiritu Sancto; qui, ex promiſſo Chriſti, [1] iis ſuggeſſit & in memoriam revocavit omnia quæ

1 *Iis ſuggeſſit* &c.] Joan. XV, 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* (quaſi Spiritum Filii ſui, déque ejus nomine vocandum) *ille vos docebit omnia & ſuggeret* (ὑπομνήσει in memoriam revocabit) *vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Vide & Cap. XVI, 13, 14, 15.

ANN. CI.

quæ eos docuerat Dominus; ne ſuam ipſorum doctrinam, pro ſummi Magiſtri decretis, traderent. Tertius fuit revelationes, quibus, præter ordinem, Apoſtolos dignatus eſt Deus, [2] ut cùm Petro dubitanti an ſibi liceret Ethnicis Evangelium nunciare, viſo cœleſti dubitationem omnem exemit; vel ut cùm [3] Paulum ad Apoſtolatum è cœlo vocavit, neceſſariiſque cognitionibus, ut eo defungi poſſet, inſtruxit.

III. His cœleſtibus auxiliis, factum eſt ut Apoſtoli neque eruditione Judaïca, neque Philoſophorum placitis, neque difficilioribus, aut incertis ullis ratiocinationibus indigerent, ut munus ſuum prædicandi Evangelii rectè atque ex fide obirent. [4] *Neque doctas*, ut profitetur Petrus, *fabulas ſequuti notam fecerunt Domini noſtri virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* [5] *Quod fuerat*, ut ait Joannes, *ab initio, quod viderant oculis ſuis, quod perſpexerant, quod tractaverant manibus ſuis, de verbo vitæ* (nam iis *vita manifeſtata fuerat, quæ erat* antea *apud Patrem*) *quod viderant*, inquam, *& audiverant adnunciabant* Diſcipulis ſuis, *ut & ipſi ſocietatem haberent ſecum, & ſocietas* utrorumque *eſſet cum Patre & cum Filio ejus Jeſu-Chriſto.* Eam in rem traditionibus, argutiiſque Judaïcis nequaquam uſi ſunt, aut neceſſe erat eos uti, quemadmodum res ipſa docet. Inutilis pariter iis erat Græcanica eruditio, quæ numquam ad cognitionem veræ Religionis adſurrexerat; quamvis ſcintillas quaſdam Divinæ lucis, per Rationem hominibus conceſſæ, ſed multis tenebris obſcuratas, complecteretur. Nec opus etiam fuit multâ ratiocinatione, ut ex abſtruſis, occultiſque principiis, per connexas ac remotiores conſequentias, quæ ex iis deduci poterant, more Philoſophorum, colligerent. Sat clarè & ſat copioſè omnia è Scripturis, Chriſtique ſermonibus & revelationibus acceperant, nullis ut ratiocinationibus difficilioribus indigerent. Omnia ad ſalutem neceſſaria diſertè revelata fuerant, aut claris, & proximis conſectariis ex revelatione ipſa ſponte ſuâ fluebant. Quod ſi aliquando ratiocinandum iis fuit, contra adverſarios; quod factum præſertim videmus à Paulo, in Epiſtola ad Romanos, itémque ab Apoſtolico viro, à quo conſcripta eſt Epiſtola ad Hebræos; ſunt illæ ratiocinationes deductæ vel ex rebus per ſe perſpicuis & indubitatis, vel ex principiis ipſis Judæorum, & quidem neceſſariis & proximis conſectariis nixæ. Verùm in doctrina ipſa,

2 *Ut cùm Petro* &c.] Act. X, 10. & ſeqq.

3 *Paulum* &c.] Act. IX. 3. & ſeqq. 2. Cor. XII, 2. & ſeqq.

4 *Neque doctas* &c.] 2. Pet. II, 16. Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐπακολουθήσαντες —— ἀλλ᾽ ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος.

5 *Quod fuerat ab initio* &c.] 1. Joan. I, 1, 2. Verè ergo Chriſtiani gloriari poterant *ſe non inanibus credidiſſe fabulis, aut ſermonibus nullâ demonſtratione comprobatis, ſed plenis ſpiritu divino, potentiâ ſcatentibus, & gratiâ florentibus:* Οὐ κενοῖς ἐπιστεύσαμεν μύθοις, οὐδὲ ἀναποδείκτοις λόγοις, ἀλλὰ μεστοῖς πνεύματος θείου, καὶ δυνάμει βρύουσι, καὶ τεθηλόσι χάριτι. Quæ ſunt verba *Juſtini* Dialog. cum Tryphone p. 226. Ed. Par.

6 *Ita eidem Scripturæ* &c.] *Irenæus* Lib. III. c. 1. *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea verò, per Dei voluntatem, in Scripturis nobis tradiderunt, funda-*

ipſa, quam tradunt, non in velitationibus illis, ſita eſt Religio Chriſtiana. Doctrinæ autem ſuæ fidem faciebant frequentibus miraculis, ex quibus à Deo miſſos, ac proinde fide dignos eſſe omnibus conſtare poterat; ita ut, apud æquos homines, aliter veritatem Apoſtolicæ doctrinæ probari neceſſe non eſſet.

IV. Ut unicus Magiſter Chriſtus Apoſtolos, quamquam ſingularibus donis inſtructos, longè ſuperabat: ſic & Apoſtoli Diſcipulos ſuos, qui nec à Chriſto edocti, nec eâ copiâ Spiritûs Sancti inſtructi umquam fuerunt. Ut Apoſtoli Veteri Teſtamento & Chriſto: [6] ita eidem Scripturæ & Apoſtolis, à quibus doctrinam Chriſti audierant, non à Chriſto, accepta omnia referebant. Sed à Spiritu [7] *in omnem veritatem non deducebantur*, nec ſemper oſtendere poterant quæ ab Apoſtolis accepiſſe ſe dictitabant, reverâ eorum fuiſſe doctrinam; ſeu quòd poterat fieri, ut eam non ſatis adſequuti eſſent: ſeu quod ab aliis verba eis data fuiſſent. Quæ aliquot exemplis, ex quibus certum de re judicium ferri poterit, demonſtrabimus.

V. Cum fermè Judæi Helleniſtæ, aut Græci eſſent, qui Sæculo Secundo Eccleſias Chriſtianas rexerunt ac docuerunt; contigit multa ab iis de Vetere Teſtamento, quod Hebraïcè legere non poterant, dici, quæ cum Veritate omnino non conſentiebant. [8] *Juſtinus* Martyr, Dialogo cum Tryphone Judæo, inſimulat Judæos quaſi *multa Scripturæ loca prorſus abſtuliſſent ex interpretationibus factis à Senioribus, qui fuerant apud Ptolemæum, ex quibus diſertè hic ipſe, qui eſt crucifixus, oſtenditur eſſe prænunciatus, ut Deus & Homo, & in crucem ſublatus.* Si ſuſtuliſſent Judæi ejuſmodi loca in verſione LXX. Intt. oportuiſſet ea fuiſſe in fonte Hebraïco; nam fraus fuiſſet in LXX. Intt. addere in ſua verſione verba, quæ ipſi eſſent commenti; quod cum prophetico ſpiritu, quem LXX. Intt. tribuit *Juſtinus* non conſiſteret. Ideóque quandoquidem non ſunt in Hebraïco fonte, oporteret, ex ſententia *Juſtini*, non minùs ex Hebraïcis, quàm ex Græcis Codicibus ſublata. Jam quis, Hebraïcæ Linguæ peritus talia umquam, à tempore Chriſti, Judæis exprobravit? Nec Chriſtus, nec Apoſtoli ejuſmodi flagitii umquam eos inſimularunt, nec ullus reos peregit.

VI. Sed profert *Juſtinus* verba ex Eſdra de Paſchate: [9] *Et dixit Eſdras*

fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum &c. Paſſim in eodem libro & ſequentibus è Vetere & Novo Teſtamento argumentatur. Sic & alii omnes.

7 *In omnem veritatem*] Joan. XVI, 13. ubi dicitur Spiritus Sanctus Apoſtolos ὁδηγήσειν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.

8 *Juſtinus* &c.] Dialogo cum Tryphone p. 297. Ed. Par. ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων Πρεσβυτέρων, ἐξ ὧν διαῤῥήδην ὗτος αὐτὸς ὁ ςαυρωθεὶς ὅτι θεὸς καὶ ἄνθρωπος καὶ ςαυρούμενος καὶ ἀποθνήσκων κεκηρυγμένος ἀποδείκνυται.

9 *Et dixit Eſdras*] Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ· τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ καταφυγὴ ἡμῶν, καὶ ἐὰν διανοηθῆτε καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν, ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ (lege σήματι) καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίσωμεν ἐπ᾽ αὐτὸν, ὁ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος ὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, λέγει ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων· ἐὰν δὲ μὴ πιςεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούητε τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι. Ibidem.

ANN. CI.

Eſdras populo: hoc Paſcha ſervator noſter & perfugium noſtrum eſt, ſique in animum veſtrum induxeritis & adſcenderit in cor veſtrum, humilem redditurος eſſe nos in ſepulcro (σημείῳ, *ſigno*, ſine ſenſu, pro quo lego σήματι, *ſepulcro*) *& poſtea ſperaturi in eo; non deſolabitur hic locus in omne tempus, dicit Deus potentiarum, ſin autem ei non credideritis, neque præconio ejus auſcultaveritis, eritis ludibrium gentibus.* Hæc ſanè verba nuſquam exſtant apud Eſdram, & ſicubi exſtarent, oporteret legerentur Cap. VI, ante verſum 19. ubi de celebrato à Judæis Paſchate. Sed non tantùm à Verſione Græca abſunt, verùm & à Textu Hebræo; quapropter in utroque oportuiſſet à Judæis deletum, quod nemo dixerit. In Eſdræ Apocryphis nuſquam etiam legitur, nec Judæi umquam admiſerunt.

VII. Adfert deinde duo Jeremiæ loca, quorum prior exſtat etiamnum Jerem. XI, 19. tam in Hebraïcis, quàm in Græcis Codicibus, niſi quòd initium paullò aliter habet: [10] *ego ut agnus, qui ad ſacrificandum fertur; in me malum cogitarunt, dicentes: jaciamus lignum in panem ejus, auferamus eum è terra viventium, nec nomen ejus ampliùs memoretur.* Fatetur tamen *Juſtinus* hæc verba, in exemplaribus nonnullis, quæ adſervabantur in Synagogis Judæorum, lecta fuiſſe, quia non ita pridem locus deletus fuerat. Sed quis credat deleta in Verſione Græca, ſtudio certè & datâ operâ, dum Hebraïcè legebantur? Súntne verba adeò clara & propria Chriſto, nulli ut alii convenire ullo modo poſſint? Atqui de Jeremia ſat perſpicuè dicuntur.

VIII. Alter Jeremiæ locus ita habet: [11] *recordatus eſt Dominus Deus ex Iſraël mortuorum ſuorum, qui obdormierunt in terra aggeris,* (in ſepulcro) *& deſcendit ad eos, ut evangelizaret iis ſalutem ſuam.* Ille quidem nuſquam, neque in Hebraïcis, neque in Græcis Codicibus, comparet; nec mirum, cùm ſit confictus à malè feriato Chriſtiano, qui *deſcenſum Chriſti ad Inferos*, de quo poſtea agemus, in Jeremia reperiri voluit.

IX. Tum ait Pſ. XCV. (hoc eſt, Hebraïcâ diſtinctione XCVI, 10.) in verbis hiſce: εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλȣ, reſectas à Judæis poſtremas tres voculas; quæ ſunt potiùs additæ [12] è gloſſa margini adlita à Chriſtiano quopiam. Nec ſunt in Hebræo Textu, nec in Codicibus LXX. Intt. qui ſuperſunt, nec in iis quibus multi olim Patres ſunt uſi. Perperam ergo & imprudenter reſecta hîc à Judæis verba objecit *Juſtinus.* Qua in objectione, ut & in ſuperioribus,

10 *Ego ut agnus*] Ἐγὼ ὡς ἀρνίον φερόμενον τοῦ θύεσθαι, pag. 298. Apud LXX. Intt. ὡς ἀρνίον ἄκακον ἀγόμενον τοῦ θύεσθαι, meliùs.

11 *Recordatus eſt Dominus*] Ibidem: ἐμνήσθη Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσεσθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Quæ reſpiciunt κατάβασιν εἰς ᾅδȣ malè ab Hebraïcæ Linguæ imperitis intellectam. Attamen hunc ipſum locum æquè ſecurè citavit *Irenæus* Lib. IV. c. 39. ex diſtinctione Grabiana, vel c. 22. è Maſſuetiana. Tribuit eum Eſaiæ Lib. III. c. 23. aut 22. citátque iterum Lib. V. c. 31. non addito Prophetæ nomine. Exiſtimat *Maſſuetus* ad Lib. III. c. 22. ex Apocryphis quibuſdam *Juſtino* & *Irenæo*

ribus, non animum fallendi ei tribuimus. Abſit! Non cadit in ejuſmodi virum ea ſuſpicio; nec fallere potuiſſet, cùm facilè refelli poſſet, ſi, non tantùm ad Hebraïca, ſed & ad Græca exemplaria pleraque & vetuſtiora provocaſſent Judæi; quâ confutatione ludibrio fuiſſet expoſitus *Juſtinus*. Erravit, gloſſemate margini adſcripto vir ſanctus, quod bonâ fide Textûs partem omiſſam, complecti, ob Linguæ Hebraïcæ imperitiam, putavit. ANN. CI.

X. Si Linguam Hebraïcam intellexiſſent [13] *Juſtinus* & alii Græci ac Latini Patres, qui ante *Hieronymum* vixere, numquam LXX. Interpretes, è ſuppoſiticio *Ariſteæ* libello, adflatos credidiſſent; cùm paſſim, in Linguæ Hebraïcæ verbis & loquutionibus, delinquant. Simile nihil in Apoſtolicis Scriptis deprehendere licet, qui hanc verſionem paſſim deſerunt, nec ea utuntur, niſi ut Judæis Helleniſtis, apud quos, Linguæ quippe Hebraïcæ ignaros, nec ullam aliam Verſionem ad manum habentes, in pretio erat, hac in re, ſe ſe adtemperent; quod in Epiſtola præſertim ad Hebræos factum videmus; eò quòd res ad Religionis Judaïcæ, aut Chriſtianæ ſummam nihil faceret. Non diſſimulandum *Philonem* in vita Moſis & *Joſephum*, Ant. Jud. L. XII. c. 2. paria ſenſiſſe. Sed prior Hebraïcè neſciebat, poſterior Helleniſtis gratificatus videtur.

XI. Patres, qui Hebraïcè neſciverunt, ſibi fucum fieri à Græcis Interpretibus paſſi ſunt Geneſ. VI, 4. ubi pro *filiis Dei*, hoc eſt, Sethi poſteris, ut docent doctiſſimi quique Interpretes, verterunt *Angelos Dei*; [14] unde perperam collegerunt Angelos, mulierum amore captos, connubia cum iis junxiſſe, è quibus nati ſint Gigantes, aut Dæmones. Quod ſpiritualis Angelorum natura minimè patiebatur. Res tamen ſummo conſenſu ab omnibus fermè, quaſi certa, admiſſa eſt. Ejuſmodi hallucinationibus obnoxii non erant Apoſtoli Hebraïcè docti; quamquam non diffitear [15] *Joſephum* ſomnium hoc etiam probaſſe, ne, ut opinor, LXX. Intt. famam minueret, Helleniſtáſque, qui eorum Verſione utebantur, offenderet. Alia multa ſimilia proferre poſſemus, è quibus liqueret Græcos & Latinos Patres Veteris Teſtamenti, ſi ſummam rei excipias, parum idoneos Interpretes fuiſſe; quod *Juſtini* & *Irenæi* multis locis probare facilè poſſemus, ſed res eſt omnibus nota.

XII. Non eſt difficile intellectu eos, qui Verſionem Græcam, nec adcu-

Irenæo fucum factum. Ceterùm pro ἀπὸ Ἰσραὴλ, meliùs habet *Irenæus*, *Sanctus Iſraël*, ἅγιος Ἰσραήλ.

12 *E gloſſa* &c.] Rectè hoc ad hunc locum adnotavit *Lud. Ferrandus*, Pariſienſis Juriſconſultus, quem vide.

13 *Juſtinus & alii omnes* &c.] In Adhortatione ad Græcos p. 12. & ſeqq. Ed. Par. & cap. XIII. Ed. Oxon. Vide aliorum teſtimonia, apud *Humfredum Hodium*, de Biblior. Textibus Origin. Lib. III. Res eſt omnibus nota.

14 *Unde perperam collegerunt*] Juſtinus in Apol. II. p. 44. Ed. Par. & c. VI. Ed. Oxon. ubi vide notat.

15 *Joſephum* &c.] Antiq. Jud. Lib. I. c. 4.

ANN. CI. adcuratam, nec claram, Veteris Teſtamenti, non potuiſſe id commodè interpretari; & multò minùs eos, qui Verſionis Græcæ prava Verſione Latina utebantur, quod in Latinis Eccleſiis ad ætatem uſque *Hieronymi*, & ulteriùs factum eſt. Sed ne pluribus ea de re agamus, nec Græci, nec Latini Hebraïcæ Linguæ imperiti, loquendi genera, vel idiomata Hebraïca, in Scriptis Apoſtolorum, ſatis adſequi poterant. Notum eſt Hebraïcè doctis vocem שאול *ſcheol*, quæ conſtanter aut ſepulcrum, aut ſtatum in quo ſunt homines mortui, quicumque ſit, ſignificat, verti à Græcis Interpretibus ᾅδης, quæ vox quidem ſatis aptè ſtatum mortuorum deſignare poteſt. Sed Chriſtiani eâ voce intellexerunt locum, in quo eſſent Animi mortuorum, ſub terra; ſive eſſet locus, ut loquuntur, *refrigerii*, ſeu pœnarum; à ſignificatione, nimirum, quam apud Græcos obtinebat, qui ſic vocabant Plutonem, & Plutonis domum, ſeu regnum, quod Tartarum & Elyſium complectebatur. Poſteriores Latini *infernum*, nempe, *locum*, vocarunt. Cúmque Chriſtiani vulgò crederent, ex priſcis Ethnicorum opinionibus, Animos pœnas ſub terra dare; & ᾅδης & *infernus* in ſequiorem partem ſumi cœpere, ita ut ubicumque occurrerent, Cacodæmonem innui putarent. Quod ad noſtra tempora propagatum, quibus in Septemtrionalibus Linguis *Hell*, quâ voce ᾅδης vertitur, ut in iis quæ Latinæ ortum debent, *Enfer*, *Inferno*, vel *Infierno*, locum tantùm ſuppliciorum ſignificant.

XIII. POSTREMA quidem nihil faciunt ad uſum Veterum; ſed addenda fuere, ut meliùs mens noſtra intelligeretur. Vox Hebraïca שאול *ſcheol* nuſquam, in toto Vetere Teſtamento, aliud quidquam ſignificat, præter ea quæ diximus; nam veteres Hebræi, quorum doctrina de altera vita obſcura eſt, non tantùm de præmiis poſt mortem futuris, ſed & de pœnis tacent. Certè, [16] ut alibi diximus, inter graviſſimas pœnas, quas Moſes commemorat, ut Iſraëlitis metum Divinæ Juſtitiæ incutiat, alterius vitæ ſupplicia nulla recenſentur. Si loca, in quibus ea vox occurrit, ſtudioſè expendantur, res liquida fiet. Quæ cùm ita ſint, nec vox ᾅδης latiùs patere exiſtimanda eſt, in LXX. Intt. Verſione,

16 *Ut alibi diximus*] Prolegom. Sect. I. c. VIII, 17. & alibi.

17 *Iis Evangelium prædicaſſe*] *Irenæus* Lib. IV. c. vulgo 39. in Ed. Maſſueti 23. *Quapropter & recumbentibus eis miniſtrabat eſcam, ſignificans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vitam; ſicut Hieremias ait:* recommemoratus eſt Dominus &c. Locus eſt antea à nobis laudatus. Poſtea ait c. 49, aut 27: *Propter hoc Dominus in ea, quæ ſub terra, deſcendiſſe, evangelizantem & illis adventum ſuum; remiſſionem peccatorum exſiſtente his, qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes, qui ſperabant in eum; id eſt, qui adventum ejus prænunciaverunt, & diſpoſitionibus ejus ſervierunt juſti & Prophetæ & Patriarchæ, quibus ſimiliter ut nobis remiſit peccata* &c.

18 *Præterea finxerunt* &c.] *Hermas* in Paſtore, Lib. III. Simil. IX, 16. ad quem locum vide quæ habet *Joan. Bapt. Cotelerius*, ubi Patres multos ſimilia ſentientes memorat, etiam ex antiquiſſimis.

19 *Ex eorum dum viverent* &c.] Quod gloriatur *Papias*, apud *Euſebium* H. E. Lib. III. c. 38. ubi ejus verba, è *Dominicorum oraculorum interpretatione*, laudantur, in quibus poſtquàm dixiſſet ſe percunctatum à Seniori-

ſione, quàm vox Hebraïca, in Hebraïco Contextu. Itaque cùm Pſal. XVI, 10. ſic loquitur David: *non relinques animam meam* לשאול *liſcheol* (τῷ ᾅδῃ) *non patieris ſanctum tuum videre corruptionem*; hoc unum vult, non paſſurum Deum ſe ab inimicis occidi, ac ſepeliri. ANN. CI.

XIV. Attamen cùm Petrus Act. II, 27. hunc locum de Chriſto myſticè interpretaretur, ut oſtenderet oportuiſſe Chriſtum reſurgere; voculas εἰς ᾅδου imperiti Linguæ Hebraïcæ ita intellexerunt, quaſi hinc liqueret Chriſti animum, dum corpus in ſepulcro jaceret, *deſcendiſſe in inferos*; hoc eſt, in locum ubi erant animi piorum, ſub V. T. mortuorum, quod in ipſum, ut vocatur, Apoſtolorum Symbolum ſeriùs intruſum eſt. Cui commento favet *Irenæus*, vúltque animum Chriſti [17] iis Evangelium prædicaſſe, & remiſiſſe peccata. Quia verò, ut putabant, ſine baptiſmo, non remittuntur; alii [18] præterea finxerunt eos animos à Chriſto in Inferis baptizatos fuiſſe; quod & novo figmento auxerunt, dum Chriſtum quidem prædicaſſe Judæis tantùm volunt, Apoſtolos verò etiam Ethnicis. En quo progreſſa eſt conjicientium licentia, ex prava unius voculæ Hebraïcæ & paucorum locorum obſcurorum interpretatione primùm orta, deinde inanibus conjecturis aucta. Plura hac de re non addemus, de qua Symboli Apoſtolici Interpretes ſunt adeundi. Nos hîc tantùm exemplum hallucinationis antiquiſſimorum Patrum, ex ignorantia Linguæ Hebraïcæ, proferre voluimus.

XV. Cum verò homines eſſent, qui præter Scripta Apoſtolorum, traditiones quaſdam veluti [19] ex eorum, dum viverent, ſermonibus acceptas venditarent; etiam ex hac re, aucta fingendi licentia, ſive à ſcientibus & prudentibus quædam Apoſtolis tribuerentur, quæ ab iis numquam dicta fuerant, ſive eorum ſermones non rectè eſſent intellecti. Hinc natæ multæ ſunt & pugnantes ſecum invicem traditiones; qualis fuit traditio de ætate Chriſti, quadrageſimum inter & quinquageſimum ætatis annum, in crucem ſublato, de regno ejus Millenario, déque die celebrationis Paſchatis, de quibus, ubi ad tempora *Irenæi* deventum erit, videbimus.

XVI. [20] Doctissimi viri animadverterunt primævos illos Patres, cùm

nioribus, numquid ab Apoſtolis ipſis dici audiviſſent, hæc habet: *neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere poſſe exiſtimabam, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum viva voce.* Οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς, καὶ μενούσης. Sed an tantus uſus decerpi poterat ex narrationibus incertis, quantus capiebatur è libris indubitatis? Quanto judicio hæc dicantur, ex eo liquet quòd pleraque omnia, quæ ſingularia habet, palam falſa ſint, & bonum *Irenæum* deceperint. Idem etiam intelligere licet è controverſia de celebratione Paſchatis Chriſtiani, quam in rem traditiones contrarias proferebant Itali & Aſiatici Epiſcopi; de quibus ſuo loco agemus.

20 *Doctiſſimi Viri*] *Pet. Daniel Huëtius* Demonſt. Evang. Lib. II. c. III, 17. *Henr. Dodwellus* in Præf. Epiſtolarum de ſtudio Theologico Anglicè ſcriptarum. *Renatus Rapinus* in Comparat. Gallica *Platonis* & *Ariſtotelis* Part. IV. c. 3. *Lud. Thomaſſinus*, in Dogmat. Theologicis, ubi, ut ait Scriptor ejus Vitæ, Gloſſario ejus Univerſali præfixæ, *idonea planè ad ſcrutanda penitiùs Patrum ſenſa Philoſophiæ ſublimioris, hoc eſt*, *Pla-*

ANN. CI. cùm eo tempore Philoſophia Platonica maximè floreret, minúſque à Chriſtianæ Religionis placitis diſſidere putaretur, quàm ceterarum Sectarum dogmata; eam partim, in iis, nempe, quæ favere Chriſtianiſmo videbantur, in ipſam Theologiam Chriſtianam admiſiſſe. Sic [21] *Juſtinus* quæ de *Ratione*, ſeu Λόγῳ, docebat *Plato* non obſcurè probavit, multáque, quæ de Tribus Principiis Platonici docebant, S. Trinitati non ſatis prudenter aptata ſunt; cùm potiùs verbis, quàm rebus, ei ſimilia eſſent. De Animi etiam immortalitate, non tam è revelationis divinæ norma, quàm ex eadem Philoſophia, ſunt loquuti; quod videmus ex initio *Dialogi cum Tryphone.* Nec his ſunt objicienda SS. Patrum loca in quibus interdum Platoniſmum vituperant; neque enim per omnia probare eum potuiſſent, niſi Chriſtianæ Religioni nuncium remiſiſſent.

XVII. Si qui caruerunt adflatu Spiritûs Sancti, adcuratæ ratiocinationis canones ſciviſſent & diligenter obſervaſſent; numquam à Vero aberraſſent, aut certè rariùs multò. Sed cùm non ſatis, in hac arte, eſſent verſati, nec regularum ejus obſervantes; paſſim factum eſt ut quaſi vera & explorata ratiocinando ſumerent, quæ erant aut falſa, aut incerta & obſcura; tum etiam, cùm conſequentias nectere neſcirent, multa è poſitis deducerent, quæ ex iis non conſequebantur. Ad quæ acceſſit neglectus ordinis, in pleriſque Scriptis, unde non exigua obſcuritas intelligendique difficultas nata eſt; quæ Lectores nunc cruciat, & olim etiam, ut puto, torſit. Hinc [22] viri docti non majus pondus eorum ratiocinationibus tribui poſſe, quàm Dialecticæ leges patiuntur, faſſi ſunt, nec eas ratiocinationes ad vivum reſecandas monuerunt. Multa è Vetere præſertim Fœdere, nec non etiam è Novo, non ſatis intellecta ſtatuunt veluti conſectariorum ſuorum fundamentum, quibus tamen ferendis apta non ſunt. [23] Multa de Deo, exempli causâ, & Mente Humana dixerunt, quæ nec cum Revelatione, nec cum recta Ratione conſentiunt. Nec mirum à Chriſtianis rectæ Dialecticæ leges ignoratas, aut parum obſervatas fuiſſe; cùm ſimilia poſſint jure Ethnicis Philoſophis objici, à quibus Dialecticam didicerant, quæ, ut nunc omnes norunt, parum adcurata, aptiórque ad litigandum, quàm ad Veritatem inveniendam, erat.

XVIII. Fuit & altera ars, cum Dialectica arctè conjuncta, quam ſum-

Platonica Theoremata Thomaſſinus expoſuit, quibus refertos Patrum libros non modò dicit, ſed referendo probat, quaſi in antecesſum contra poſteriores quorumdam, in Patribus prorſus hoſpitum, cavillationes. Sic & alii multi. Qua de re qui legerit *Clementem* Alexandrinum & *Euſebium* de Præparatione Evang. dubitare non poterit.

21 *Juſtinus*] In Apol. I. & initio Dial. cum Tryphone. Vide & quæ diximus in Vita Gallica *Euſebii* Tomo X. *Biblioth. Univerſalis* inſerta.

22 *Viri docti non majus eſſe pondus* &c.] *Henr. Dodwellus* Diſſert. Iren. I, 44, 45. ubi hæc verba §. 44. *Ut enim, vel unius ætatis intuitu, poterant geſta antiqua, meliùs quàm noſtri quantumvis acuti recentiores cognoſcere: ſic de ratiociniis judicare, non ætatis munus eſt, ſed ingenii, ſed acuminis, atque judicii.* Verùm & in factorum veritate dijudicanda, opus eſt acumine & judicio, quibus ſi ſubſtituantur nimia credulitas & imprudens-

ſummopere neglexerunt ejus ætatis Chriſtiani; Critica, nimirum, quâ in ſignificationes vocum & loquutionum; in lectionum, quæ in vetuſtiorum librorum exemplaribus occurrunt, veritatem; & in Scriptorum ipſorum genuinos ac ſpurios fœtus inquirimus. Ea autem utuntur quicumque Veterum ſcripta interpretari, ratiocinarívc ex iis adgrediuntur; quod niſi faciant, innumera dubia ac incerta fiunt, imò & falſa loco verorum admittuntur. [24] Quod ita hoc præſertim ævo noſtro demonſtratum eſt, ut nemini ampliùs res dubia eſſe poſſit. Sæculo verò Secundo, ne unus quidem fortè fuit, inter Chriſtianos, qui reputaret, ad intelligendum Vetus ac Novum Teſtamentum, neceſſariam eſſe Linguæ Hebraïcæ peritiam, magnámque curam adhibendam eſſe, ut emendata exemplaria utriuſque haberentur. Perpauci etiam ſatis ſibi caverunt à Libris ſuppoſiticiis, quamvis periculoſiſſimum ſit ulli Libro fidem habere, de cujus vero Scriptore non conſtat; ubi præſertim hiſtoria traditur, aut res majoris momenti agitur. Jam antea diximus Veteres, ſuppoſiticio *Ariſteæ* libello credulitatem ſuam addicentes, perperam habuiſſe LXX. Intt. quaſi adflatos; qui ne bonorum quidem numero Interpretum, niſi eorum Tranſlatio, jam ante tempora *Philonis* & *Joſephi*, præter omnem modum corrupta fuerit, quod vix credibile eſt, haberi poſſunt. Monuimus etiam temerarium planè fuiſſe interpretari Verſionem libri aliâ Linguâ conſcripti, quam nullo modo intelligas, niſi ſummæ tantùm rerum adhæreas. Attamen Patres Sæculi Secundi, qui quidem ſuperſunt, numquam Hebraïca exemplaria conſuluerunt, quæ ne legere quidem poterant. Non diffiteor *Aquilam*, *Symmachum* & *Theodotionem* Interpretes Veteris Teſtamenti cœpiſſe interdum conſuli; ſed leviter hoc factum eſſe & quidem ab hominibus, qui quiſnam eorum meliùs vertiſſet, divinare non poterant, omnibus eſt notum. A temporibus quidem *Origenis*, diligentiores paullò eſſe cœperunt, qua de re, cùm eò devenerimus, agemus. Verùm hîc quoque ne res ſolis Chriſtianis vitio vertatur; Judæos ipſos iis præiviſſe obſervatu dignum eſt, nam *Philo* æquè credulus fuit, in admittenda LXX. Intt. fabula; nec Linguæ Hebraïcæ peritior, nec melior Criticus erat, quamvis ſe quaſi egregium Veteris Teſtamenti Interpretem gereret, qui nihil, præter inanes & contortas allegorias, habet. *Joſephus* quidem Hebraï-

ANN. CI.

prudens ſimplicitas, fabulæ, pro factis exploratis, facilè admittuntur; quod ex Papia conſtat, ſi modò nihil datâ operâ finxerit.

23 *Multa de Deo* &c.] Quem corporeum, ut & Mentes Humanas, crediderunt nonnulli. Vide *Dionyſ. Petavium* Theol. Dogm. Lib. II. c. I, 4. & Librum *Tertulliani*, de Anima. Hinc nata nuper controverſia, cui occaſionem præbuit vir alioqui doctus *Henr. Dodwellus*, libris de naturali mortalitate Mentis, quaſi Apoſtolica doctrina, & à Patribus tradita, editis; quos plures jam confutarunt, cùm in Anglia, tum alibi.

24 *Quod ita, hoc præſertim ævo* &c.] Hac de re datâ operâ egimus, in *Arte Critica*. De ſuppoſiticiis Libris adeundi *Erneſt. Grabius* & Apocryphi *Joan. Alb. Fabricii*.

ANN. CI.

Hebraïcè ſciebat, ſed torrente veluti abreptus fabulam de Alexandrinis Intt. pro vera habuit, aut habere ſe ſimulavit, nec feliciorem ſe Criticum præſtitit, ut omnes norunt, qui ejus opera legerunt.

XIX. Sæculo Secundo potiſſimùm, ut videbimus, cœperunt erumpere variorum generum Hæretici, quos non difficulter locis Scripturæ confutarunt rectiùs ſentientes Chriſtiani; quod factum videmus ab *Irenæo*, qui Valentinianorum placita omnia evertit. Sed ſumma abſurditas ejuſmodi commentorum facilem ei victoriam fecit, ad ſummam rei quod adtinet, & in ſingularibus quoque multis capitibus. Diffiteri tamen non poſſumus, quin ſubinde [25] infirmis argumentis utatur; quod de *Juſtini* Martyris confutatione Judæorum, in Dialogo cum *Tryphone*, nemo etiam negaverit, à quo paullò ſtudioſiùs is libellus lectus ſit.

XX. Cum autem Chriſtiani plerique ab Ethnicis orti eſſent, libros Philoſophorum, aliorúmque multi lectitarent, & perpetuò cum iis verſarentur; non mirum eſt eos quæpiam ex illis traxiſſe, quæ Chriſtianæ Religioni adverſari non videbantur. [26] Huc accedebat quòd putarent ſibi licere ad Ethnicos adliciendos, aliquo modo ſe ſe eorum innocuis placitis adtemperare, & loquendi genera non abſurda ad interpretandam Chriſtianam Theologiam adhibere. Nec poterat pium ejuſmodi obſequium vituperari, ſi in ſe ſpectetur. Verùm inde ortum eſt incommodum, quòd unà cum novis vocabulis ſenſim & ſine ſenſu intromiſſæ ſunt notiones novæ, pro amplitudine poteſtatis vocibus illis ſubjectæ. Sic cùm ſingula Religionis Chriſtianæ capita priùs occultà eſſent, quàm revelarentur, [27] μυστήρια meritò à Chriſto & Apoſtolis dicta ſunt, quod eâ voce res *arcanæ* ſignificarentur; ſed poſt revelationem iis, qui eam norunt, non ampliùs ſunt μυστήρια, ſeu *arcana*. Attamen Chriſtiani vocarunt μυστήρια Baptiſmum & Euchariſtiam, quòd prior quidem eſſet, ut putabant, veluti *initiatio* Chriſtianiſmi: poſterior verò veluti interior admiſſio, quâ Chriſtiani fierent ἐπόπται, hoc eſt, ſpectatores arcanorum. Quo ſemel poſito, quod nec falſum erat, ſi res ſummatim ſpectetur, iis aptarunt deinde multa loquendi genera, quæ Ethnici de ſuis *initiis* uſurpare ſolebant; & quia non initiatis occulta erant Cereris, aliáque

25 *Subinde infirmis argumentis*] Non apud *Juſtinum* tantùm, ſed & apud *Irenæum* multa ſunt ejuſmodi. Vide, exempli gratiâ, Cap. XI. Libri III. ubi quatuor Evangelia, non plura, oportuiſſe eſſe probat, quòd ſint *quatuor climata*, *quatuor præcipui venti* &c. Quod excuſare conatur *Ern. Grabius*, quòd *Irenæus* hæc non protulerit, quaſi demonſtrationes, ſed quaſi rationes probabiles, quódque mos fuerit illius ævi ejuſmodi ratiocinationibus uti; quod veriſſimum eſt. Sed talibus ignoſcere debemus, non ea laudare, aut imitari, nec conſectaria admittere, quæ nonniſi ejuſmodi ratiocinationibus nituntur.

26 *Huc accedebat quòd* &c.] De tota re eruditè & copioſè egit *Iſaac. Caſaubonus* in *Baronium* Exercitat. XVI, 43.

27 *Μυστήρια.*] Vide eumdem, eodem loco, ubi datâ operâ rem tractat.

28 *Diſciplina Arcani*] De qua multis egerunt *Guil. Erneſt. Tentzelius*, qui eam oppugnat P. II. Diſſertationum Selectarum, & *Emanuel à Schelſtrate*, qui eam tuetur, & cui copioſè *Tentzelius* repoſuit.

29 *Προσφορά*] Hac de re copioſè & eruditè nuper egit vir doctiſſimus *Chriſt. Matthæus Pfaffius*, in fragmenta inedita *Irenæi*, &c.

que id genus *Myſteria*; Chriſtiani etiam occulere ſua cœperunt, indéque [28] *Diſciplina Arcani*, ex qua de Euchariſtia clarè loqui non licebat, coram iis, qui ejus participes nondum erant, nec coram quibuſvis eam celebrare. Quæ jam erant præter mentem Chriſti, qui nihil ſimile juſſerat. Inde quæſita in illis neſcio quæ arcana, de quibus Novi Teſtamenti tabulæ nihil habent. Euchariſtia indidem dici cœpit [29] προσφορὰ *oblatio*, quamvis ſit tantùm, ex inſtituto Chriſti, oblationis ejus commemoratio, & multæ, ut ſic loquar, adventitiæ notiones primitivis ſunt adjunctæ. ANN. CI.

XXI. Sic paullatim, dum alia aliis adduntur, crevit Theologia Chriſtiana, ſimplicitatémque primævam amiſit, & inextricabilibus mæandris impedita eſt; ut ſi plerorumque Chriſtianorum Syntagmata Theologica cum Scriptura comparentur, multò plura in iis, quàm in Apoſtolorum Scriptis, inveniantur. Attamen ſingulari Dei Providentiâ, quæ ad finem omnium rerum Chriſtianam Religionem incolumem ſervari voluit, ſarta tecta remanſit Apoſtolicæ Theologiæ ſumma, nec umquam ſpinis humani ingenii ſuffocari prorſus potuit. Cùm ſit naturâ ſuâ res ſimplex, ſæpiùs in Libris Sacris repetita, experientiâ vitæ partim confirmata, & omnium etiam indoctorum ingeniis expoſita; contrà verò Theologicæ eorum, qui docti exiſtimati ſunt, argutiæ & tricæ ſint ſupra vulgi captum; plebs paſſim ſolis iis, quæ intelligebat, animum adjiciens, & cetera, quæ obſcuriora ſunt, prætermittens, ſaniùs ſenſit de Religione, meliúſque ad eam mores ſuos exegit, quàm qui eam publicè docebant. Sic *unum Deum*, proprio ſenſu, admiſit & adoravit plebs, dum ſubtiliores æquo Theologi, inter ſe, de *unitatis* Dei ratione contenderent, rémque ipſam, quam Religionis magiſtri rectâ viâ non inveſtigabant, incolumem conſervavit. Quo pacto factum eſt, ut evaneſcentibus tricis, res ipſa ad poſteros pervenerit, fidéſque Chriſtiana, ea in re, ad priſtinam veritatem inſcia redierit.

XXII. Interim, Secundo Sæculo, multiplici ratione Religio Chriſtiana, non tantùm ſervata, ſed etiam ſummopere propagata eſt. Confirmabatur [30] 1. reliquiis quibuſdam miraculorum, quæ à poſtremis Apoſto-

& in Diſſert. ſingulari de Oblatione Veterum Euchariſtica.

30 *Reliquiis quibuſdam*] Sic maluimus loqui, quàm poſteriorum ſæculorum figmentis credere, quamvis non conſtet de copia miraculorum hujus ævi; quia periculum majus erat, in augendo, quàm in minuendo eorum numero. Minor numerus majore certè continetur, non major minore. Sic loquutus *Origenes* medio Tertio Sæculo, contra Celſum Lib. I. p. 5. Ed. Cantab. ubi poſtquàm dixit miraculis probari veritatem Evangelii, ait ea poſſe demonſtrari ἐκ πολλῶν μὲν ἄλλων καὶ ἐκ τοῦ ἴχνη δὲ (f. τινὰ) αὐτῶν ἔτι σώζεσθαι παρὰ τοῖς κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου βιοῦσι: *cùm ex multis aliis, tum ex eo quòd veſtigia quædam eorum ſuperſint apud eos, qui ſecundùm Verbi voluntatem vivunt.* Sic & Lib. VII. p. 337. σημεῖα δὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατ᾽ ἀρχὰς μὲν τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας, μετὰ δὲ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο, ὕστερον δὲ ἐλάττονα, πλὴν καὶ νῦν ἔτι ἴχνη ἐστὶν αὐτοῦ παρ᾽ ὀλίγοις τὰς ψυχὰς τῷ λόγῳ καὶ ταῖς κατ᾽ αὐτὸν πράξεσι κεκαθαρμένοις: *ſigna verò Spiritûs Sancti initio quidem Jeſu prædicationis, & poſt ejus adſcenſionem plura oſtenſa ſunt; verum tamen nunc quoque ejus ſunt veſti-*

ANN. CII & CIII.

Apoſtolorum Diſcipulis perpetrabantur; 2. confutatione Ethniciſmi, quæ facillima erat, animóſque vacillantium Ethnicorum percellebat, quamvis fortè Chriſtiana Religio [31] non eo modo exponeretur, quo debuiſſet, neque aptis argumentis ſemper firmaretur; 3. morte Chriſtianorum, [32] quam alacriter obibant, potiùs quàm, Religione Chriſtianâ violatâ, Ethnicorum cultûs divini participes fierent; 4. denique [33] vitâ & moribus Chriſtianorum, qui quamvis olim, ut hodie, in multis delinquerent, Ethnicis tamen multò meliores erant, & mutuâ præſertim caritate ſe ſe invicem ita complectebantur, ut adverſariis mirabiles eſſent, & ſe viciſſim per omnia adjuvarent. Hæc autem, cùm ſingulare nihil eſſet in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quod ad hunc annum referatur, initio hujus Sæculi, dici poſſe exiſtimavimus. Nec ut carpamus Veteres, aut contemtui exponamus, à nobis dicuntur; ſed ut Hiſtoriæ legibus pareamus, quæ nihil diſſimulari patiuntur, néve nimia auctoritas iis tribuatur; quâ temere admiſsâ, inania multa, quaſi Religionis Chriſtianæ dogmata, proponuntur; quod iis, qui Religionem divinitus revelatam amant, pati nefas eſt.

C. Soſio Senecione III. & L. Licinio Sura II. COSS. *Trajani Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti* CII.

I. Hoc anno, [1] è virorum doctorum ſententia, Alexandro, in Romana ſede, ſucceſſit Sixtus, aut Xyſtus; de quo nihil certi ad poſteros pervenit. Fabuloſa autem alto ſilentio premere ſtatuimus, ne in confutandis ſomniis otio noſtro abutamur.

Trajano Aug. V. & L. Appio Maximo II. COSS. *Trajani Imp. VI. Æræ Vulg. Chriſti* CIII.

I. Trajanus Aug. hoc anno priorem triumphum de Decebalo Dacorum Rege egit, [1] ut ex nummis conſtat, éſtque propterea Dacicus adpellatus; ut narrat *Dion* Lib. LXVIII.

II. Ad

veſtigia, apud paucos; quorum animi ſunt Verbo & actionibus ei convenientibus purgati. Veſtigia verò quæ eſſent memorat Lib. I. p. 34. καὶ ἔτι ἴχνη τοῦ ἁγίȣ ἐκείνȣ πνεύματος —— παρὰ Χριστιανοῖς σώζεται· ἐξεπάδȣσι δαίμονας καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσί τινα κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγȣ περὶ μελλόντων. *Etiamnum veſtigia Sancti illi Spiritûs, apud Chriſtianos, ſuperſunt. Excantant Dæmonas, multas curationes perficiunt & vident quædam ſecundùm voluntatem Verbi, de futuris.* Similia etiam habet Lib. II. p. 62. Lib. III. p. 124. Lib. VII. p. 334. Unde colligere licet plura ejuſmodi facta miracula, Secundo Sæculo, ſic volente Deo, ut Chriſtiana Religio magis ac magis ſtabiliretur; quamvis Chriſtiani ὑπερβολικῶς aliquando rem adauxerint, & quidem iis ſæculis in quibus miracula non uſque adeò neceſſaria fuerunt. *Auguſtinus* de Vera Religione §. 47. Tom. I. col. 767. Ed. Ben. Paris. *Accepimus Majores noſtros, eo gradu, quo à temporalibus ad æterna conſcenditur, viſibilia miracula, non enim aliter poterant, ſequutos eſſe; per quos id actum eſt, ut neceſſaria non eſſent poſteris. Cùm enim Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa atque fundata ſit, nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret & rerum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quarum novitate flagravit.* Quo in loco, ex animi ſententia & ex vero loquutum *Auguſtinum* eſſe exiſtimo; ſed cùm miraculis etiam opus eſſe alii judicaſſent, ipſéque, Eccleſiaſticâ quadam prudentiâ, multa protuliſſet,

II. Ad hunc annum refert *Dionyſ. Petavius* neſcio quem Hæreticum, qui *Elxai* [2] ab *Epiphanio* vocatur, & Oſſenis neſcio quibus Hæreticis Judæis, Trajano imperante, ſe ſe adgregavit. Eorum ſuo tempore, in Nabatæa & Peræa, Moabitidis vicina regione, reliquias ſuperfuiſſe ait, idque hominum genus Sempſæos vulgò dictos, [3] à voce Hebraïca שמש *ſchemeſch*, Sol, quaſi *Solares*. Quod genus hominum, neque Ethnicum, neque Chriſtianum, neque Judæum dici potuit, quamvis inter Judæos Hæreticos ab *Epiphanio* recenſeantur. *Elxai* verò ipſe ſic adpellatus eſt, ut ait, quaſi חילכסי *hhelchſai*, quod *vim occultam* interpretabantur. Librum ſcripſerat, quaſi prophetico ſpiritu adflatus, quo deliria perabſurda continebantur, quæ apud *Epiphanium* Hæreſ. XIX & LIII. legentur; neque enim ad Hiſtoriam Chriſtianam quidquam faciunt, neque, ſolo prodente *Epiphanio*, nimis credulo, augendi Hæreticorum numeri præter modum cupido & parum adcurato Scriptore, quidquam exploratum ſtatui poteſt. ANN. CIII.

III. Vult idem Elxæo magiſtro uſas quatuor Hæreſes, Oſſenos, Ebionæos, Nazaræos poſteriores, & Sampſæos, quos tamen quaſi diſſidentes deſcribit; quod in medio relinquemus. Hîc tantùm de Nazaræis aut Ebionæis (nam confunduntur ut vidimus ad ann. LXXII, 1.) agemus, non ex *Epiphanio*, ſed ex eorum libris; hoc eſt, è *Clementi* adtributis Homiliis, quæ neque Judæi, neque genuini Chriſtiani fœtus eſſe poſſunt, ſed ejus qui aliquid ex utriſque traheret, verùm Chriſtianiſmo paullò propior eſſet; quod faciebant Ebionæi Sæculi Secundi, ut res ipſa oſtendet. De antiquioribus Nazaræis, ſeu Ebionæis egimus ad Sæculi Primi Ann. LXXII. qui videntur fuiſſe Chriſtiani Judaïzantes, quales ab initio prædicationis Apoſtolorum fuere, ut diximus Poſtea & alii exorti ſunt, qui Chriſtianis propiores erant, & multa ſeorſim à Judæis ſentiebant, quæ Judaïzantes Chriſtiani non ſenſerant. Unde factum ut *Epiphanius* [4] duas Hæreſes eorum conſtituerit, quamvis non

liſſet, ſub finem Operis de Civitate Dei, conſultum ei viſum eſt, hunc locum retractare, Retract. Lib. I. c. XIII, 7.

31 *Non eo modo* &c.] Facilè Ethniciſmum confutarunt, exempli causâ, *Arnobius* & *Lactantius*, quorum tamen prior turpiſſimè in expoſitione Chriſtianæ Doctrinæ de creatione hominis, non à Deo, ſed à neſcio qua alia potentia, Lib. II. erravit; nec poſterior per omnia bene ſenſit, & Manichæis, niſi ſint illa adſuta, nimiùm conceſſit. Vide Inſtit. Divin Lib. II. c. 6. & de Opificio Dei, Cap. XIX.

32 *Quam alacriter obibant*] Quam in rem teſtimonia *Epicteti* & *M. Antonini* poſtea proferemus.

33 *Vita & moribus* &c.] Cùm à fornicatione, Pæderaſtia, injuriáque aliis inferenda abſtinerent. Vide *Tertulliani* Apol. Cap. XLIV, XLV, & alibi. Unde & ad Scapulam C. II. negat Chriſtianos *aliunde noſcibiles* fuiſſe, *quàm de emendatione vitiorum priſtinorum*. De mutuo Chriſtianorum amore, vide Apolog. c. XXXIX.

1 *E virorum doctorum* &c.] *Henr. Dodwelli* Diſſ. de Rom. Pont. primæva ſucceſſione, C. XII. §. 6.

1 *Ut ex nummis conſtat*] Vide *Anton. Pagium*, ad hunc annum.

2 *Ab Epiphanio*] Hæreſi XIX, 1, 2.

3 *Sempſæos*] Hæreſi LIII.

4 *Duas hæreſes*] Vide Hæreſes XIX, & XXIX. Quod tamen non perſuaſit *Petavio*, ut ex notis ad Hæres. XXIX. videre eſt. Sed fallitur, ut ex rebus ipſis liquet.

ANN. CIII. non ſatis earum diſcrimen intellexerit; pro ſollemni indiligentia, quâ divellit conjuncta, & divulſa conjungit.

IV. Posteriores Nazaræi, de quorum ſententia paullò pluribus agemus, quòd res ſit minùs ab aliis animadverſa, quoad cognoſci ex Homiliis Clementinis poteſt, 1. Libros Moſis nomen præferentes ab eo ſcriptos negabant, multa enim falſa in iis eſſe putabant, quæ à Moſis, quem ceteroqui Prophetam fuiſſe agnoſcebant, manu eſſe, iis judicibus, non poterant. Homil. II, 51. poſtquàm induxit Ebionæus, Operis Scriptor, Petrum dicentem multa eſſe in Libris illis, de Deo, quæ minùs vera ſunt, ſic porrò loquentem nobis exhibet : „ Si ergo
„ Scripturarum quædam quidem ſunt vera, alia verò falſa; verè Ma-
„ giſter noſter (*Jeſus* [5] *Chriſtus*) dixit, *eſtote probi Trapezitæ*; cùm
„ quædam eorum, quæ ſunt in Scripturis, ſint bona, alia verò adul-
„ terina; & hominibus, qui propter Scripturas errabant, aptè oſten-
„ dit erroris cauſam, his verbis, *propterea erratis*, [6] *neſcientes ea quæ*
„ *ſunt vera in Scripturis*; *quapropter ignoratis etiam potentiam Dei.* ——
„ Meritò igitur nihil credo contra Deum, neque contra juſtos, qui
„ memorantur in Lege, impiè de iis ſentire auſim. Ut enim mihi
„ perſuadeo, neque Adamus transgreſſor fuit, quem Dei manus pepe-
„ rerunt; neque Noachus ebrioſus fuit, qui pluſquàm totus mundus juſ-
„ tus deprehenſus eſt; neque Abrahamus tres ſimul habuit uxores, qui
„ propter caſtitatem multitudine liberorum donatus eſt; neque Jacobus
„ quatuor duxit, quarum & duæ ſorores, qui duodecim tribuum pro-
„ genitor fuit, & Magiſtri noſtri futuram præſentiam ſignificavit &c.

V. 2. Hæc & alia, cùm non ſatis caperent, protervè quaſi mendacia rejiciebant, quod alibi repetitur aliquoties, ut Hom. III, 48. & ſeqq. Ideò negabant ea Moſis manu ſcripta fuiſſe, ut teſtatur Homiliarum ſcriptor eadem Homil. III, 46 & 47. „ Lex Dei per Moy-
„ ſem Septuaginta ſapientibus viris, ſine ſcriptis, data eſt; ut tradere-
„ tur aliis, útque per ſucceſſionem obſervari poſſet. Poſt Moyſis verò
„ adſumtionem, ſcripta eſt à quodam homine, non à Moſe. In ipſa
„ enim Lege ſcriptum eſt: *& obiit Moſes & ſepelierunt eum juxta Do-*
„ *mum Phogor*, *nec quiſquam ſepulcrum ejus*, *ad hodiernum diem*, *novit.*
„ Potuitne mortuus Moyſes ſcribere, *& obiit Moyſes*? Deinde (*lego*
„ ἔπειτα, *non* ἐπεὶ, *quod ſenſu hìc caret*) [7] tempore poſt Moyſem quin-
„ gentorum annorum, aut eo ampliùs, in exſtructo Templo poſita
„ Lex

5 *Jeſus-Chriſtus*] Qui paſſim, in iis Homiliis, præcipuo quodam jure, dicitur Διδάσκαλος ex Matth. XXIII, 8, 10. nam Καθηγητὴς & Διδάσκαλος unum, idémque ſonant. Græca verba legentur in Edit. Coteleriana, cujus recudendæ Amſtelodami auctores fuimus.

6 *Neſcientes ea quæ ſunt vera* &c.] Μὴ εἰδότες τὰ ἀληθῆ τῶν γραφῶν, οὗ ἕνεκεν ἀγνοεῖτε καὶ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. Quæ magna corruptio eſt, pro iis quæ ſunt apud Matthæum XXII, 29. μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ, ut habet etiam Marcus XII, 24.

7 *Tempore poſt Moyſem*] Falſa eſt tota hæc Chronologia Legis. Moyſes mortuus eſt An. Mundi 2487. inventa eſt Lex ſub Joſia in Templo An. 3317, combuſtum Tem-

„ Lex reperitur, & poſt alios quingentos annos remanſit & ſub Nabuchodonoſoro incendio periit. Et tamen poſt Moſem ſcripta, & ſæpe deperdita, etiam Moſis præſcientiam profeſſa eſt; quia ille abolitionem ejus prævidens, eam non ſcripſit; qui autem ſcripſerunt, cùm abolitionem ejus non præviderent, in ignorantia ſunt deprehenſi, ideóque Prophetæ non erant. ANN. CIII.

VI. 3. Postea quærentibus quî falſa à veris ſecerni, in Scriptura, poſſint, reſpondent vera eſſe, quæ cum Jeſu-Chriſti doctrina conſentiunt, ejuſdem Homiliæ §. L. & ſeqq. quæ non exſcribemus; uti nec ſuperiora confutabimus, quæ è Sacræ Scripturæ imperitia nata ſunt, & quòd temerè putarent Virtutem, ſub Vetere Teſtamento, parem eſſe Evangelicæ, aut Chriſtianæ debuiſſe, ut laudari poſſet; cùm laudes ſemper [8] ad tempora referantur, neque intelligendæ ſint, niſi pro ætatis, quâ viri laudati vixere, captu & modo.

VII. 4. Iidem unum Prophetam eſſe Chriſtum docebant, ut liquet è toto Opere & præſertim Homil. II, 17. II, 6. & ſeqq. aiebantque, ut videre eſt Homil. III, 10. „ Prophetam verum eum eſſe, „ qui omnia omnino, prætereáque omnium cogitationes novit, qui „ peccare non poteſt, quippe qui de Dei judicio eſt certiſſimus. Tum oſtendunt Chriſtum præſciviſſe, quæ nullâ arte præſciri poſſunt. Apoſtolos etiam Chriſti agnoſcebant, certè ubique in his Homiliis, quas Clementi adfinxerant, Petrum loquentem inducunt, Simonémque Magum, non minùs ac Ethnicos, confutantem, ſæpe non malè. Sed de Paulo nihil habent, à quo vetuſtiores Nazaræi, aut Ebionæi alieniſſimi fuerant.

VIII. 5. Optandum eſſet veterum illorum Ebionæorum exſtare Evangelium Hebraïcum, de quo *Hieronymus* & *Epiphanius* quædam habent, [9] quæ non ſatis ſibi conſtant. Verterat id *Hieronymus* Græcè, ut teſtatur ad Cap. XII. Matthæi, nonnulláque de eo habet Lib. III. contra Pelagianos. In Homiliis Clementinis, paſſim Matthæi Evangelium citatur, ſed & alia etiam, ut leviter Editionis Cotelerianæ, aut Amſtelodamenſis margines luſtrantibus liquebit. Fortè Evangelium habuerunt è quatuor noſtris confectum poſteriores Ebionæi.

IX. 6. De Deo interdum optimè loquebantur, ut Homil. II, 45. ubi ſic Petrus Clementem docens inducitur. „ Quare, ô fili Clemens, cave tibi, ne aliud quidquam de Deo ſentias, niſi ſolum Deum „ &

Templum An. 3352. In eo Legem periiſſe falſum eſt, quamvis multi Veterum ita ſenſerint. Cetera omnia inania ſunt.

8. *Ad tempora referendæ* &c.] Hac de re pluribus egimus *Artis Criticæ* P. II. Sect. II. C. 4.

9 *Quæ non ſatis ſibi conſtant*] Πληρέςατον fuiſſe ait *Epiphanius*, qui tamen negat ſe ſcire annon quædam reſecta fuerint, ut diximus infra §. XV. Erat etiam in quibuſdam ὑπερπλῆρες, ſi ita loqui licet, ut adparet ex additamento relato, & aliis quæ collegit *Ern. Grabius* in Spicilegio Patrum Sæculi I. Vide & ejus Præfationem in Evangelium ſecundùm Hebræos, quod idem fuit, ac Nazaræorum.

ANN. CIII.

„ & Dominum & Patrem, bonum ac juſtum, creatorem, lentè indignantem, miſericordem, nutritium, beneficum, humanitatis legiſlatorem, caſtitatis conſiliarium, æternum, æternitatis auctorem, incomparabilem, in bonorum animis habitantem, incomprehenſibilem & comprehenſum; qui in infinito magnum ævum, quaſi centrum fixit, qui cœlum expandit & terram compegit, aquam recondidit, aſtra in cœlo diſpoſuit, terram effecit ſcatere fontibus, fructus produxit, montes in altum ſuſtulit, mari terminos poſuit, ventos ac flumina ordinavit, quique corpori ambienti in immenſo pelago, per ſpiritum conſilii ſui, ipſe ſecurus ſecuritatem tribuit &c.

X. 7. Verum pulcrè dicta dehoneſtarunt, pravâ opinione de humana forma Dei, quam tuentem inducunt Petrum Homil. XVII, 7, 8. & ſeqq. „ Formam habet, *inquiunt*, propter primam & ſolam pulcritudinem. Habet omnia membra, non propter uſum; non enim ideò habet oculos, ut inde videat, nam undequaque videt; corpore, ſine comparatione, lucidior ſpiritu noſtro quo videmus, & omni luce ſplendidior. Sed nec habet aures, ut audiat, quia omni ex parte audit, intelligit, movet, operatur, facit. Pulcherrimam autem habet formam, propter hominem, quò *mundi corde eum videre* poſſint (*ex Matth. V*, 8.) ut pro iis, quæ paſſi ſunt lætentur; nam ad ſuam formam, velut ad maximum ſigillum, hominem effinxit; ut omnibus imperaret ac dominaretur, & cuncta ei ſervirent. Quare arbitratus eum eſſe omnia, ejúſque imaginem eſſe hominem (ille autem eſt inconſpicuus, imago verò illius homo) qui eum vult colere, adſpectabilem ejus imaginem honore proſequitur. Ceteroquin Idololatræ non erant, & Idololatriam paſſim, in Homiliis Clementinis, confutant.

XI. 8. Cultus autem divini hanc deſcriptionem tradunt Homil. VII, 8. „ Ab eo (*Deo, nempe*) definita Religio hæc eſt: Eum ſolum colere ac ſoli credere Prophetæ Veritatis, (*Jeſu Chriſto*) in remiſſionem peccatorum baptizari, & ſic per immerſionem puriſſimam, renaſci Deo in aqua ſalutari; nihil ſumere è menſa Dæmonum, hoc eſt, ex Idolothytis, morticinis, ſuffocatis, à beſtia captis, & ſanguine; impurè non vivere; lavari poſt concubitum cum muliere; fœminas obſervare legem de purgatione; omnes temperantes eſſe, bene facere, non adficere injuria; à Deo omnipotente exſpectare vitam æternam, precibus, & ſupplicationibus perpetuis ut eam accipiamus petentes. Hæc prædicaſſe Petrum Sidone, ubi Eccleſiam condidit, aiunt. In quibus veſtigia Judaïſmi nonnulla videmus, ſed nullam circumciſionem, nulla ſacrificia, uno verbo Legis Moſaïcæ mentionem nullam; unde intelligere licet Ebionæos hoſce ab antiquioribus planè diverſos fuiſſe.

XII.

10 *Nazaræi ordine*] Verba Græca ſunt: Ναζωραῖοι καθεξῆς ἕπονται, ἅμα τε αὐτοῖς ὄντες, ἢ καὶ πρὸ αὐτῶν, ἢ σὺν αὐτοῖς, ἢ μετ' αὐτοὺς ὅμως σύγχρονοι, οὐ γὰρ ἀκριβέστερον δύναμαι ἐξειπεῖν τίνες τίνας διεδέξαντο, κατὰ γὰρ ἔφην, σύγχρονοι ἦσαν ἀλλήλοις καὶ ὅμοια κέκτηνται.

XII. Eos confudit & diſtinxit tamen *Epiphanius*, qui de Nazaræis bis egit, primùm Hæreſi XVIII. inter Judaïcas Sectas, & quidem perperam; à patria enim Chriſti ſic dicti ſunt Sectarii, quibus hoc nomen impoſitum, & Jeſum Meſſiam eſſe crediderunt. Deinde de Nazaræis Hæreticis iterum, inter Chriſtianiſmi Hæreſes, Hæreſ. XXIX. poſt Cerinthianos agit, & ſic quidem orditur: „ [10] Nazaræi ordine hoſce „ ſequuntur, ſeu unà cum illis fuerint, ſive ante eos, ſive cum iis, ſive „ poſt eos, attamen æquales; neque enim adfirmare poſſum utri utris „ ſucceſſerint. Fuerunt enim, ut dixi, ſibi invicem æquales & ſimilia „ ſenſerunt. E quibus verbis ſummopere, hac de re, æſtuaſſe *Epiphanium* liquet, & vix quid ſibi vellet ſciviſſe. Multa alia habet nequaquam meliora, aitque fuiſſe alios Nazaræos, qui Chriſtum ignoraverunt; quippe qui ante eum fuerant. Quales Hæretici numquam in rerum natura fuere. ANN. CIII.

XIII. Sunt tamen in *Epiphanio* clara veritatis veſtigia, ſed valde confuſa. Ait de antiquioribus Nazaræis, quæ nonniſi de poſterioribus vera ſunt; & de poſterioribus, quæ prioribus tantùm conveniunt. De antiquiore Secta, prodidit Hæreſi XVIII, 1. cùm è Gente Judaïca eſſet, „ eam per omnia Judaïzaſſe, & fermè nulla in re diſſenſiſſe ab „ aliis memoratis Judæorum Sectis. Nam & circumciſionem, *inquit*, „ habuit, Sabbathúmque ipſum ſervavit, & iiſdem feſtis adhæſit. Quæ de veteribus Nazaræis, qui ceteroquin erant Chriſtiani vera ſunt, de novis non item; qui quàm maximè à Judæis diſſidebant, de quibus ſequentia *Epiphanii* verba ſunt intelligenda. „ *Patres* quidem (*ea Secta*) „ admittebat, qui ſunt in Pentateucho memorati, ab Adamo ad Mo- „ ſem — ſed Pentateuchum non admittebat. Profitebatur quidem „ Moſem, credebátque leges eum (*à Deo*) accepiſſe; verùm has (*quas* „ *habemus*) eſſe negabat, alias volebat, unde fiebat ut Judaïca omnia „ quidem ſervarent (*Nazaræi*) ut pote Judæi; ſed ſacra non facerent, „ neque animalium participes eſſe vellent; nefas erat, apud eos car- „ nibus veſci, aut ſacrificare. Dicebant enim confictos eſſe libros, ne- „ que eorum quidquam à Patribus profectum. Quæ vera ſunt de recentioribus Nazaræis, niſi quòd Judaïcos ritus multò plures rejicerent, ut ex Homiliis docuimus, nec carnem comedere dubitarent, ſi modò non eſſet morticina, aut à feris rapta, aut ſuffocata, aut Idolis conſecrata, ut antea vidimus.

XIV. At de Veteribus debuit dici quod idem habet de recentioribus Hæreſi XXIX, 7. „ In omnibus, *inquit*, ſunt Judæi, neque aliud „ quidquam. Utuntur hi non tantùm Novo Fœdere, ſed etiam Vete- „ re, quemadmodum Judæi. Neque enim negantur ab iis Lex, Pro-

„ phetæ

κέκτηνται τὰ φρονήματα. De quibus & aliis multis, quæ apud eumdem leguntur, rectè dixeris:

Æſtuat & rerum diſconvenit ordine toto.

ANN. CIV. „ phetæ & quæ vocantur à Judæis Graphea (*γραφεῖα*, *hoc eſt*, כתובים *chthoubim*, *aut Hagiographa*) „ ut nec apud antè memoratos; nec quid- „ quam aliud ſentiunt, ſed ex præconio Legis, & ut Judæi omnia „ bene confitentur, niſi quòd Chriſto credunt. Apud eos enim re- „ ſurrectio mortuorum agnoſcitur, ut & omnia à Deo facta. Unum „ eſſe Deum, & ejus filium Jeſum Chriſtum agnoſcunt. Poſtrema erant recentiorum Nazaræorum dogmata, ſed non agnoſcebant Legem, ut antea diximus.

XV. Ait etiam *Epiphanius* §. 9. „ penès illos fuiſſe Evangelium ſecundùm Matthæum Hebraïcè ſcriptum *& quidem pleniſſimum*. Hoc „ enim, *inquit*, certò, prout Hebraïcis litteris initio ſcriptum eſt, ad- „ huc apud eos eſt incolume. At umquam Hebraïcè ſcriptum eſſe à Matthæo parum eſſe veriſimile, in Diſſertat. de IV. Evangeliis, cùm res nonniſi *Papiæ* traditionibus debeatur, oſtendimus. Potuit verſum eſſe à Nazaræis, è Græco Matthæi exemplari; quod & corruperint, traditionibus atque additionibus. *Epiphanius*, qui dixit id *σαφῶς πληρέστατον* ſervatum, apud Nazaræos, numquam legerat, ſatiſque cavit ne ſibi fides haberetur, cùm addidit „ ſe neſcire an Genealogias il- „ las amputaſſent, quæ ab Abrahamo ad Chriſtum uſque perductæ ſunt. In ſequente Hæreſi XXX. de Ebionitis agit, quos interdum eoſdem facit cum Nazaræis, interdum ab iis diſtinguit. Sed diſcutiendis repetitionibus, & repugnantiis hominis ampliùs immorari tædet, & quòd ſatis ſit, hac de re, antea diximus ad Ann. LXXII.

Surâ II. & Marcello COSS. Trajani Imp. VII. Æræ Chriſti Vulgaris CIV.

I. Ab hoc circiter anno auditum eſſe, ab *Arriano* Hiſtorico, celeberrimum Philoſophum Stoïcum *Epictetum*, [1] oſtenderunt non abſurdis conjecturis viri Chronologiæ periti. Româ, cum ceteris Philoſophis, à Domitiano ejectus *Epictetus* Nicopoli, [2] in Epiro, ſedem fixit, ubi eum

1 *Oſtenderunt* &c.] *Henr. Dodwellus*, Diſſertatione de ætate Peripli Maris Euxini ab *Arriano* ſcripti §. XII. Quinta eſt inter Diſſert. præfixas 1. Volumini Geographiæ Scriptorum Græcorum Minorum, à *Joan. Hudſono* editorum.

2 *In Epiro*] Sic *Suidas* in Epicteto: ἐν Νικοπόλει τῆς νέας Ἠπείρου ᾤκησε, nam *A. Gellius* Lib. XV, 11, memorat tantùm Nicopolin. Sæpe hujus urbis mentio fit, in *Epicteti* ſermonibus, ab *Arriano* conſcriptis, ut Lib. I, 19, 25. II, 6. IV, 1.

3 *Inſignis Philoſophi*] *Gaſpar Barthius*, doctus quidem vir & magnæ lectionis, ſed non uſquequaque felix Criticus, pollicebatur ſe oſtenſurum *Epictetum* Stoïcum non fuiſſe, diſcipulum neminem prudentiorem habuiſſe Luciano, hiſque additurum ſe fortaſſe & tertium, Chriſtianiſmi fuiſſe & peritum & ſectatorem, tam vitâ, quàm ſcriptis. Sic loquutus eſt Adverſariorum Lib. LI. c. 16. ad calcem, & ſimilia habet de *Chriſtianiſmo Epicteti*, Lib. LIII, c. 10. Sed rectiùs fecit, quòd hæc ſomnia in lucem numquam emiſerit. Eorum ſummam confutavit non ita pridem vir doctus, *Mich. Roſſal*, in Diſſert. quâ oſtendit *Epictetum* Chriſtianum non fuiſſe.

4 *Quomodo quiſque* &c.] Οὐχ ὁρᾷς πῶς ἕκαστος λέγεται Ἰουδαῖος; πῶς Σύρος; πῶς Αἰγύπτ-

eum audivit *Arrianus*, qui poſt ejus mortem quæ dicentem audiverat ANN.
litteris mandavit, ut liquet ex frequenti ejus urbis, in hiſce Sermonibus, mentione. Sed nec Epicteti, nec *Arriani* vitam hîc ſcribimus. CIV.
Unum tantùm aut alterum locum [3] inſignis Philoſophi, de Judæis & Chriſtianis, qui ad eorum hiſtoriam pertinent, proferemus atque expendemus; cùm hujus Sæculi Hiſtoria Chriſtiana jejunior ſit, quàm ut ex ea ad ſingulos annos narrare quidpiam poſſimus.

II. Igitur *Arrianus* Lib. II. c. 9. ubi *Epictetus* invehitur in eos, qui Stoïci videri volebant, nec poterant tamen perſonam, quam agere ſuſceperant, ſuſtinere, ſic loquentem inducit: „ Cur te Stoïcum di-
„ cis? quid fallis multitudinem? Quid te, cùm Judæus ſis, Græcum
„ eſſe ſimulas? Non vides [4] quomodo quiſque dicatur Judæus, quo-
„ modo Syrus, quomodo Ægyptius? Cùm quempiam alternare vide-
„ rimus, ſolemus dicere: non eſt Judæus, ſed ſimulat. Poſtquàm
„ verò [5] induit adfectum, qualem eſſe oportet baptizati, ejúſque qui
„ ſectam elegit; tunc reverâ eſt & vocatur Judæus. Sic & nos fruſtra
„ baptizati, verbo quidem Judæi, factis aliud quiddam ſumus. Non
„ adficimur [6] ratione (*philoſophandi*) multùm abeſt ut facere velimus,
„ quæ dicimus, & propter quæ, quaſi eorum periti, efferimur.

III. Hic quidem προηγȣμένως, ut Philoſophica hacce voce utar, non loqui *Epictetum* de Judæis obſcurum non eſt; ſed velle tantùm Philoſophiam & quidem Stoïcam profeſſum, nec tamen ex ejus lege viventem, ſimilem eſſe iis hominibus, qui nunc ſe Græcos, cùm Judæi eſſent, ſimulabant: nunc ſe Judæos, cùm eſſent Græci, hoc eſt, plurium Deorum cultores; eo, nimirum, animo ut periculum quodpiam effugerent, aut ut vicibus Judæos, & Græcos pecuniâ emungerent; qualis fuit Peregrinus ille, qui *Proteus* propterea dictus eſt, de quo agemus ad annum CLXV. Qui ſunt nonnihil ſtylo Epicteti adſueti facilè vident hîc eſſe contractiorem comparationem, quæ mirum in modum βραχυλογίαν *Epicteteam* decet. Confert ergo hominem, nunc Philoſophum Stoïcum, nunc Idiotæ perſonam agentem, cum Judæo, qui ἐπαμ-

Αἰγύπτιος; hoc eſt, eos Judæos, Syros, Ægyptios verè cenſeri, qui conſtanter vivere ſolent, quemadmodum vivunt, qui earum Gentium opinionibus ex animo addicti ſunt; ſeu ſemper colunt earum Deos, pro more apud eas recepto, & ab iis cibis abſtinent, qui ſunt ex ſingularum Religione vetiti, qua de re aliquid habet *Epictetus* Lib. I. c. 11 & 22.

5 *Induit adfectum, qualem eſſe oportet* &c.] Ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένȣ καὶ ᾑρημένȣ, τότε καὶ ἐςι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰȣδαῖος. Hic ὁ βεβαμμένος eſt Proſelytus, qui Judaïcam Religionem, Baptiſmo ſuſcepto, amplexus erat; nam notiſſimum eſt hunc ritum à Judæis uſurpatum. Vide *Joan. Seldenum* de Jur. Nat. & Gentium è Diſciplina Judæorum Lib. II. c. 2. Noverat Judæorum mores, non aliter ac Syrorum, homo Hierapolitanus; frequentes enim per Syriam, erant Judæi.

6 *Non enim adficimur ratione philoſophandi*] Ἀσυμπαθεῖς πρὸς τὸν λόγον, nempe τῶν Στωικῶν, nam λόγον hîc ſectam ſignificare exiſtimo. Frequenter apud *Origenem*, contra Celſum, hoc ſenſu legitur, & paſſim etiam *Cicero rationem Epicuri* & aliorum Philoſophorum dixit, pro ſecta & ratione philoſophandi; quod oſtendere non eſt hujus loci.

ANN. CIV. ἐπαμφοτερίζει, hoc eſt, qui alternis Moſem ſequi Magiſtrum videtur, & Græco more vivit; quem meritò non eſſe Judæum ex animo, ſed ſimulatorem omnes judicant, cùm nefas ſit vero Judæo Græcorum mores imitari; æquè ac Philoſopho, inſtar plebeculæ vivere. Quod fiebat *Epicteti* temporibus [7] ab iis, qui videbant Judæos Domitiano inviſos eſſe, ob nuperas rebelliones, & tributum circumciſis impoſitum, circumciſionis causâ, pendere; ut, ſuo loco, diximus.

IV. At poſtquàm verè induerant adfectum, qualem oportebat eſſe *baptizati*, & ejus qui non ampliùs alternis Judæus erat, aut Græcus, ſed qui *ſectam elegerat* Judaïcam, quam moribus exprimebat; tum verò meritò vocabantur Judæi, quippe qui re verâ erant Moſaïcæ Legi addicti. Sic & qui ſe profitebatur Stoïcum, eum ut Stoïcum, per omnia, decebat ſe ſe gerere, quod ſi faceret, genuinus Zenonis & Chryſippi habebatur diſcipulus; cujus conſtantiæ eximium exemplum erat ipſe *Epictetus*. Vocat autem adfectionem animi veri Judæi [8] τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ἡρημένου, quia Judæi Proſelyti ἐβάπτοντο, in aquam *mergebantur*, ut alibi diximus; quo ritu ſignificabant ſe ſe ablutos & purgatos eſſe cupere, à Græcorum impuris moribus; nec ſe fluctuare ampliùs, in Religionis electione, ſed jam ἡρῆσθαι *elegiſſe* Judaïcam, quam nullâ ampliùs erant mutaturi.

V. Verum erant homines parum conſtantes, qui erant [9] παραβαπτισταὶ, aut παραβαπτισάμενοι, qui *ſe baptizari fruſtra curaverant*, cùm eſſent *verbo* tantùm *Judæi*, *factis verò aliud quiddam*; ſive quòd ſibi metuerent, ſive quòd Ethnicorum gratiam ambire, & Judaïcæ Religionis opprobrium à ſe amovere cuperent. Nec miretur quiſquam dictos homines παραβαπτιστὰς, non παραβαπτισθέντας, eadem enim formâ dicebantur ἡμεροβαπτισταὶ neſcio qui apud Judæos Hæretici, quòd quotidie ſe aquâ mergerent, παρὰ τὸ καθημέραν βαπτίζεσθαι, ut docet *Epiphanius*, ad eam Hæreſin quæ eſt XVII. quaſi criminibus ſuis purgarentur, dum aquâ ſe ſe abluebant. Ait ergo *Epictetus* ejuſmodi παραβαπτισταῖς ſimiles eſſe eos, qui ſe Stoïcos profeſſi, in vulgarium hominum mores prolabebantur.

VI. Est alter locus *Epicteti* Lib. IV. c. 7. eorumdem Sermonum, ubi

7 *Ab iis qui videbant Judæos* &c.] Vide ad ann. LXI, 4. Inde artes inventæ occultandæ circumciſionis, de quibus vide Intt. ad 1. Cor. VII, 18.

8 Τὸ πάθος] Eſt adfectio animi ſectæ peculiaris, aut quæ ſectam decet; quo ſignificatu, pro ſectæ ratione, πάθος in bonam & malam partem ſumi queat. Inde & *Epictetus* eum qui animo adfectus non eſt, erga Stoïcam diſciplinam, prout deberet, vocat ἀσυμπαθῆ πρὸς τὸν λόγον. Καὶ ἡρημένου non poteſt aliter intelligi, quàm ſenſu activo, quo frequentiſſimè ſumitur verbum αἱρέομαι, pro eo *qui elegit*. Exemplum adtulit *Suidas*, & *Guil. Budæus* Comment. p. 9. de electione Sectæ dici obſervavit & exemplis probavit. Itaque nihil opus eſt legi περιηρημένου, ut ſuſpicabatur *Petavius* ad Orat. V. Themiſtii, p. 403. Ed. *Harduini*.

9 Παραβαπτισταὶ] Notum eſt præpoſitione παρὰ, in compoſitione, ſignificari corruptionem aut abuſum rei, quæ ſignificatur verbo, aut nomine, cui præfigitur. Hîc res ipſa poſtulat ut παραβαπτιστὴς ſit qui fruſtra, aut perperam eſt baptizatus, quaſi

ubi de Chriſtianis agit, ut putant viri docti, & dum eos contumelioſè proſcindit, imprudens oſtendit Chriſtianorum doctrinam ejuſmodi fuiſſe, ut ab iis vulgò impetraret, quòd Schola Zenonis nemini perſuadere poterat; ut nimirum, æquo animo mortem obirent, ne in Veritatem, ac Virtutem delinquerent. Agit eo loco *Epictetus* περὶ ἀφοβίας, ſeu de ea animi firmitate, quâ nihil timeri debere adfirmabant Stoïci, queritúrque neminem ratione perſuaderi, ut tyrannorum gladios, ceteráque terriculamenta ſpernat; dum Galilæi, furore quodam & conſuetudine, ea riderent. [10] Furore quidem, inquit, „ & conſuetudine ſic adversùs „ hæc adfectus eſſe poteſt, ut Galilæi; ratione verò & demonſtratio„ ne diſcere nemo poteſt, Deum omnia feciſſe, quæ ſunt in mundo, „ & ipſum mundum totum liberum & perfectum, partes autem ejus „ ad uſum univerſorum. Atqui hæc haud paullò meliùs norant Galilæi, ſeu Chriſtiani, qui ſic à patria Chriſti vocabantur; qui ut ſolum Creatorem omnium rerum colerent, útque, conſtantiâ ſuâ, non Chriſtianis tantùm, ſed etiam ipſis Ethnicis prodeſſent, & ab erroribus eos revocarent, mortem æquo animo oppetebant. Eſt non omnino abſimilis locus *M. Antonini*, de quo ad ejus tempora dicemus. ANN. CV.

VII. Ne quid tamen diſſimulemus, poſſet non abſurdè quis ſuſpicari *Galilæos* hîc dici Judæ Gaulanitæ, aut Galilæi diſcipulos, de quibus egimus in Prolegomenis Sect. I. C. VI, 8. ubi è *Joſepho* oſtendimus nullis ſuppliciis ſuis, aut ſuorum, potuiſſe eos adduci, ut quemquam *Dominum*, præter Deum, vocarent. Vide & ad ann. LXXIII, 2.

Ti. Julio Candido II. & A. Julio Quadrato COSS. Trajani Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti CV.

I. Cum Chriſtianarum rerum nihil proditum ſit, quod ad hunc annum referri queat, ordinis, & temporis ſervandi causâ, dicemus cùm priore bello Dacico annis CI. & duobus ſequentibus confecto, Daci non quieſcerent; hoc anno cœpiſſe, [1] è virorum doctorum ſententia, ſecundum bellum Dacicum, quod & per duos ſequentes annos geſtum.

L. Ceio-

quaſi Judæus futurus, cùm factus reverâ non ſit; qui potuiſſet etiam dici παραβαπτὸς, aut παραβεβαμμένος; ſed fortè uſus Judæorum ejuſmodi vocabulum finxerat.

10 *Furore quidem*, &c.] Εἶτα ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις ὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθȣς, ὡς οἱ Γαλιλαῖοι. Noverat Epictetus quid de Chriſtianis Martyribus narraretur, imò & morientes fortè viderat. Notum eſt à Juliano Apoſtata vocatos Chriſtianos *Galilæos*, imò, ſi *Suidæ* credimus, æquè vocabantur *Galilæi* ac *Nazaræi*, antequàm Antiochiæ vocarentur *Chriſtiani*. In conſtantia Chriſtianorum, qui malebant mori, quàm quidquam dicere, aut facere, quod Deo non probaretur, nihil erat quod dementiam redoleret. Mirabilior multò erat, quàm Stoïci, nihil poſt mortem ſperantis, mors, quaſi partis Univerſi. Ejuſmodi conſtantia etiam in Judæis fuerat, ſed non temporibus *Epicteti*, quibus nemo Judæus, ſolius Religionis causâ, occidebatur.

1 *E doctorum virorum* &c.] Vide *Ant. Pagium* ad ann. CIII, 19.

ANN. CVI, CVII, CVIII, & CIX.

L. Ceionio Commodo Vero, L. Titio Cereali COSS. Trajani Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti CVI.

I. Hoc anno mirabilem Pontem exſtruxit Trajanus, in Iſtro, ubi erant pilæ XX. ex lapide quadrato. Singulæ, præter fundamenta altitudine CL. pedes æquabant, diſtabant inter ſe pedibus CLXX, erántque fornicibus conjunctæ. Fecit hunc Pontem Trajanus, ne Danubio glacie concreto, præſidia Romana, quæ trans Iſtrum erant, à Barbaris invaderentur; quod ſi contingeret, facilè erat copias per eum Pontem trajecturus. Eo verò perfecto, Trajanus commodiùs bellum cum Dacis geſſit, quod non niſi anno ſequente conficere potuit. Poſtea tamen Hadrianus, cùm metueret ne præſidium, Pontis ſervandi causâ relictum, à Barbaris opprimeretur; quod ſi fieret, facilè eſſent in Myſiam tranſituri; ſuperiores ejus partes dejici curavit. Pilæ tantùm, magnitudinem operis oſtentantes, relictæ ſunt; ut liqueret nihil eſſe, quod Romanorum induſtria perficere nequiret. Hæc habet *Xiphilinus*, è *Dionis* Lib. LXVIII.

C. Soſio Senecio IV. L. Licinio Sura III. COSS. Trajani Imp. X. Æræ Vulg. Chriſti CVII.

I. Tandem confectum eſt à Trajano bellum Dacicum. Decebalus, poſtquàm Regiam captam, regnúmque à Romanis ſubactum vidiſſet, timerétque ne & ipſe à victoribus caperetur, ſibi manus adtulit. Caput ejus Romam eſt ablatum, theſauri ejus effoſſi & pretioſa ſupellex ablata.

Ap. Annio Triboniano Gallo, M. Atilio Metilio Bradua COSS. Trajani Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti CVIII.

I. Alterum Dacicum triumphum egit Trajanus, magnificentiſſimáque ſpectacula, per dies CXXXIII, Populo Romano exhibuit, quæ deſcripſerat *Dion* Lib. LXVIII.

A. Cornelio Palma II. C. Calviſio Tullo II. COSS. Trajani Imp. XII. Æræ Vulg. Chriſti CIX.

I. Cum ii, qui *Dionem* in Epitomen redegerunt, Conſulum paria omiſerint, ſub quibus ſingulas res geſtas collocarat Hiſtoricus; à nobis non poſſunt nunc ad annos ſuos referri. Itaque hîc memorabimus nonnulla, quæ magnanimitatem & munificentiam Trajani oſtendunt, &

quæ

quæ circa hæc tempora contigerunt. Per Pomptinas paludes vias lapidibus ſtratas juſſit muniri, juxta quas ædificia exſtruxit, Pontéſque pulcherrimos, ubi opus fuit, ædificavit. Tum etiam nummum omnem tritum & deminutum, ut juſtum pondus ei deeſſet, publicis ſumtibus conflari juſſit; quod ſub Gulielmo III. in Magna Britannia, maximo ardente bello, non ita pridem, cum omnium admiratione, fieri vidimus. ANN. CX, & CXI.

II. Licinium Suram, qui triennio antè Conſulatum geſſerat, publico funere efferri voluit, ſtatuámque ei collocavit. Uſque adeò ejus amicitiæ fidebat Trajanus, ut quamvis Sura ab invidis, apud eum, adfectati Imperii eſſet inſimulatus, ad hominem minimè vocatus cœnatum iverit, totóque ſatellitio dimiſſo, primùm Suræ Medicum ad ſe acciverit, ac per eum ſupercilia, tum & per tonſorem barbam totonderit. Poſtea lotus cœnavit, poſteróque die amicis, qui Suræ detrahere ſolebant, *ſi voluiſſet*, inquit, *Sura me interficere; heſterno die, occidiſſet.* Egregiæ ſanè fiduciæ animi ſibi bene conſcii facinus fuit. Quin etiam cùm primâ vice Præfecti Prætorio munere functuro, gladium, quem cincturus erat, porrigeret, eo nudato atque erecto, *hunc*, ait, *ſi rectè impero, pro me; ſin verò, contra me utere.* Magnificam verò vocem hominis, injuſtè imperanti pareri nolentis! Soſio quoque & Palmæ Conſularibus ſtatuas poſuit, quos viros, virtutis causâ, præ ceteris in honore habuit. Eos tamen quos conſtabat ſibi inſidiatos, causâ ad Senatum delatâ, puniri juſſit.

III. Bibliothecas, ut litteris favere ſe oſtenderet, exſtruxit. Fori partem montoſam effodit, ut illic columnam inſignem, ſui ſepeliendi causâ, poneret, útque opera, quæ circa forum fecerat, magis conſpicua, complanato loco redderet. *Dion* Lib. LXVIII.

Criſpino Priſciano, Soleno Orfito COSS. Trajani Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti CX.

I. Ad hunc annum *Euſebius*, in Chronico, tres Galatiæ urbes, motu terræ dirutas, & Pantheum Romæ fulmine tactum narrat.

C. Calpurnio Piſone, M. Vettio Bolano COSS. Trajani Imp. XIV. Æræ Vulgaris Chriſti CXI.

I. Hoc anno, [1] ut è nummis conſtat, Trajanus *Optimi* cognomen ſibi delatum admiſit; nec certè eo indignus erat, ſi Chriſtianis, à Nervæ temporibus, vexationis omnis immunibus, pacem & tranquillitatem, quam moribus ſuis meriti erant, præſtitiſſet. Verùm hiſce temporibus, & hoc quidem anno, cœpit *tertia*, quæ vocatur, *perſequutio*, ut

1 *Ut è nummis* &c.] Vide *Ant. Pagium* ad hunc annum.

ANN. CXI.

ut liquet ex Epiſtola *Plinii*, [2] qui Bithyniæ Proconſul erat, ad eum, nunc ſcripta, ut viri docti oſtenderunt. Epiſtola eſt XCVII. Lib. X. quam integram recitabimus, quòd ſit unicum perſequutionis illius tertiæ monumentum, tempori æquale; tanta fuit Chriſtianorum, eo ævo, in ſcribenda Religionis ſuæ hiſtoria, negligentia, aut Scriptorum illius ætatis jactura! Dein animadverſiones nonnullas, in ſingulas ejus partes, addemus. Adparet ex Epiſtola *Plinii*, jam antequàm in Provinciam iret, vexatos quidem eſſe ab Ethnicis Chriſtianos; ſed nondum ullum fuiſſe Edictum, aut Reſcriptum Cæſarum, ex quo, qua de ratione quæſtiones de iis habendæ eſſent, liqueret. Quare *Plinius* Trajanum, ea de re, hiſce verbis conſulere neceſſe habuit.

II. COGNITIONIBUS *de Chriſtianis interfui numquam; ideoque neſcio quid & quatenus, aut puniri ſoleat, aut quæri. Nec mediocriter hæſitavi, ſitne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robuſtioribus differant; detúrne pœnitentiæ venia, an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, deſiiſſe non proſit; nomen ipſum, etiam ſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur.* Cognitiones ergo antea de Chriſtianis habitæ fuerant, ſaltem temporibus Domitiani, ſed intermiſſæ poſtea videntur. Alioqui ſi frequentiores fuiſſent, quidpiam Plinio innotuiſſet, homini erudito, & in jure civili verſato. Nec negarim, fuiſſe extraordinarias quaſdam cognitiones à Prætoribus Romæ, aut à Provinciarum Rectoribus exercitas. Nihil tamen inſignius in Chriſtianos factum oſtendere omnino videntur ignorantia & hæſitatio *Plinii*, de pœna, de ratione quærendi, de reorum pro ætatibus varietate, déque nominis invidia.

III. MIRUM eſt, temporibus Neronis & Domitiani, nihil conſtitutum fuiſſe hiſce de rebus; ſi Chriſtiani, ideò tantùm quòd eſſent Chriſtiani, pœnas dedere. Sed fortè ut, tempore Neronis, quaſi incendiarii, ficto crimine periere: ſic, tempore Domitiani, quaſi in ſeditioſos animadverſum, pœnarúmque & cognitionis ratio Magiſtratibus permiſſa eſt, quòd nondum res ſat magni momenti videretur. Hoc verò tempore, quærebatur in Chriſtianos, tamquam in homines, qui Religiones publicè receptas ſpernebant. Quod mirum fortè primo intuitu videri queat, reputantibus fuiſſe Epicureos & alios Philoſophos, qui meliùs de Diis non ſentiebant; tum etiam Judæos, qui omnem cultum eis negabant, cœtúſque ſeorſim, Religionis causâ, habebant, nec ſacrorum publicorum, apud Ethni-

2 *Qui Bithyniæ Proconſul* &c.] Vide *Ant. Pagium* ad ann. CII.

3 *Quamvis philoſophando* &c.] Vide dicta hac de re Prolegom. Sect. II, 10. C. VI, 5, 6.

4 *In aliis criminibus, ratio ætatis* &c.] *Tryphoninus* L. *Auxilium.* §. *in delictis*, D. *de Minoribus: in delictis autem, minor annis viginti quinque non meretur in integrum reſtitutionem; niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* L. Prætor §. Vi bonorum D. *Vi bonorum raptorum actio in impuberem, qui doli mali capax non eſt, non dabitur.* L. Prima verba. D. de ſepulcro violato: *Doli non capaces (ut admodum impuberes, item omnes, qui non animo violandi accedunt) excuſati ſunt.* Quæ Legum æquitas, multò potiore jure ad impuberes pertinere debet, qui Parentum Religionem, in qua educati ſunt,

Ethnicos, participes fieri ſuſtinebant. Verùm Philoſophi [3] quamvis ANN. philoſophando Deos negarent, attamen, in cultu externo Religionis, CXI. non ſecus ac plebecula ſe gerebant; nec ullos novos Deos, quos aliter colerent, inducebant. Ad Judæos quod adtinet, jam dudum, ut alibi diximus, Edicta Magiſtratuum Romanorum, tum etiam Cæſarum, gratiâ, aut nummis, impetrarant; quibus liber eis Religionis ſuæ cultus permittebatur. Præterea licèt è Gentilibus Proſelytos ad ſua placita adduxiſſent, non erant ii tanto numero, ut invidiam Judaïcæ Religioni, alioqui contemtæ, creare poſſent. At Chriſtiani nullis Edictis niti poterant, habebántque ſibi infenſiſſimos Judæos, qui Romanos Magiſtratus in eos concitare non deſinerent. Nec tantùm ſeorſim, ut Judæi, cœtus ſuos habebant, ſed & ingentem hominum numerum adliciebant; ut liquet ex Epiſtolæ *Plinii* verbis, quæ poſtea recitabimus. Hæc non Judæorum modò invidiam, ſed & multorum Ethnicorum iram in Chriſtianam Religionem accendebant, quod & poſtea videbimus.

IV. Nesciebat *Plinius quid & quatenus*, in cauſis Chriſtianorum, *puniri ſoleret, aut quæri*; quòd nondum ullâ Lege pœnæ in eos eſſent ſancitæ, aut modus quæſtionum definitus; nam variè exerceri poterant, ut in ſequentibus docebit. [4] In aliis criminibus, ratio ætatis habebatur, neque enim pueri, rerum omnium imperiti, eodem modo ac adulti, qui ſcientes & prudentes deliquerant, habebantur. Mirum eſt in Religionis negotio, hoc eſt, ubi de rebus multò difficilioribus cognitu agebatur, & in quibus adultioribus etiam ignoſci par eſt, ſi quid errent, potuiſſe dubitare *Plinium*, *an eſſet aliquod diſcrimen ætatum*, *an quamlibet teneri nihil à robuſtioribus differrent*, cùm liquidum ſit teneram ætatem ſequi parentum judicium. Fac eſſe aliquem ſacrilegum, & teneriorum puerorum opera aliquo modo uti; quis tam ferus eſt, ut eos velit unà cum patre occidi? Quantò minùs hoc fieri debuit, propter opiniones, ut concedamus pœnas iis poſſe imponi, ad adultos quod adtinet? Hîc homo alioqui doctus & acutus talpâ cæciorem ſe præbuit; uſque adeò verum eſt, pravis Religionibus, hebetes homines fieri!

V. Dubitabat idem an dari oporteret *pœnitentiæ veniam*, *an ei*, *qui omnino Chriſtianus fuiſſet*, *deſiiſſe nihil prodeſſet*. At ſi ſtatuamus errorem eſſe Chriſtianiſmum, [5] quid potuit ab errante aliud poſtulari, niſi ut erroris convictus ſe erraſſe fateretur, & meliora edoctus rectiùs de

ſunt, nonniſi bonâ fide, ſequuntur. Nulla tetrior fingi potuit ſuperſtitio, quàm quæ pueros & puellas in tenera ætate, Religionis obtentu, occideret.

5 *Quid potuit ab errante* &c.] Viderunt hoc Philoſophi. *Seneca* de Ira Lib II. c. 9. *Cogitabis non eſſe iraſcendum erroribus. Quid enim? ſi quis iraſcatur in tenebris parum veſtigia certa ponentibus? Quid ſi ſurdis imperia non audientibus? Quid ſi pueris, quòd, neglecto diſpectu officiorum, ad luſus & ineptos æqualium jocos ſpectent? —— Inter cetera mortalitatis incommoda & hæc eſt caligo mentium, nec tantùm neceſſitas errandi, ſed errorum amor.* Ignoſcere errori eo faciliùs oportere judicarunt, quod errans ſolus læditur. *Epictetus* Enchir. c. LXIV. Οὐχ οἷόν τε ἀκολουθεῖν αὐτὸν τῷ σοι φαινομένῳ, ἀλλὰ τῷ ἑαυτῷ· ὥστε εἰ κακῶς αὐτῷ φαίνεται, ἐκεῖνος βλάπτεται, ὅστις καὶ ἐξαπάτηται.

ANN. CXI.

de Religione ſentiret? Nullius flagitii erga homines poterant accuſari Chriſtiani, quod ſupplicio adfici ex legibus Romanis, oporteret; fuiſſet enim iis ad tribunalia Judicum exprobratum, quod tamen, apud *Plinii* tribunal, ex ejus Epiſtola ſatis liquet factum non eſſe; nec ſanè ita æſtuaſſet, in hoc negotio, ſi ex legibus jus dici potuiſſet. Convicti delicti pœnas legibus ſancitas dediſſent; abſoluti immunes dimiſſi fuiſſent, ut ſolebat in ejuſmodi cauſis fieri. Errores autem punire, nullis legibus damnatos, non fuit æqui hominis. Quis tuliſſet à Stoïco Proconſule juſſos duci Epicureos, eò quòd Providentiam negarent; aut viciſſim ab Epicureo Stoïcos, eo quòd Virtutem pravè definirent, aut Sapientem dicerent eſſe ſolum ſanum, ceteros omnes inſanire?

VI. Postremo dubitabat Plinius *an nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini punienda* eſſent. Sed quî ab homine, non iniquiſſimo, [6] *nomen*, ſine flagitiis, quæ ex legibus pœnis coërcenda eſſent, ſupplicium ferre potuit? An quia aliquis ſe dicebat Chriſtianum, propter hoc ſolum nomen, ſine ulla ulteriore inquiſitione, aut etiam quamvis conſtaret bonum eſſe virum, pœnas dare eum, etiam tacentibus legibus, oportuit? Hæc ſunt ſanè omni æquitati, cujus laudem tantopere adfectabat *Plinius*, contraria. Si dixiſſet *flagitia cohærere* nomini, ea edere debuiſſet; nec ulla fuiſſet homini juris perito, quique tot cauſas ſumma cum laude egerat, ea de re dubitandi ratio. Si dicas negare eos, quos Reſpublica colebat, in Deorum numero habendos, eiſque cultum omnem eripere, flagitium illud fuiſſe, cujus causâ puniendi erant Chriſtiani; cur Judæis hoc, cur aliis populis, ut Syris & Ægyptiis, qui Deos Romanos non colebant, impune erat? Cur tot Philoſophis adunco naſo eos ſuſpendere licuit? Chriſtiani certè non aliis rationibus utebantur, ut oſtenderent à Romanis & Græcis verum Numen non cultum, quàm quibus Philoſophi fabularem omnem Theologiam evertebant; ut vel è *Lactantii* Inſt. Divina, èque libris *Auguſtini* de Civitate Dei, intelligere eſt, ut alias Chriſtianorum Apologias omittamus. Si qui puniendi erant, eos oportuit pœnas luere, qui colebant Deos, quos commenticios eſſe putabant, nec hanc ſuam ſententiam diſſimulabant, ut Philoſophi; non qui colere nolebant, quòd alium prorſus Deum animo concèpiſſent, & ſolum colendum cenſerent. Fuit hoc hominum bonæ

ται. *Fieri non poteſt, ut id ſequatur, quod tibi videtur, ſed quod ſibi. Quòd ſi malè illi videtur, is damnum facit, qui decipitur.* Pluribus idem oſtendit Sermonum Lib. I. c. 38. ubi hæc verba: ἢ καλῶς φαίνεται, ἢ κακῶς· εἰ καλῶς, ἀνογκλητές ἐςιν· εἰ κακῶς, αὐτὸς ἐζημίωται. *Aut rectè ei videtur, aut malè; ſi rectè, crimine caret; ſi malè, ipſe jacturam patitur.* Plura vide apud *Hug. Grotium* de J. P. & B. Lib. II. c. 20. §. 50 & 51.

6 *Nomen ſine flagitiis* &c.] Re verâ ſic ſe gerebat *Plinius*, qui duci jubebat conſtanter ſe Chriſtianos profitentes, quamvis quid tandem Chriſtianiſmus eſſet neſciret. Quam in rem vehementer invecti ſunt, & quidém meritò Chriſtiani, ut *Athenagoras* in Apologia, non procul ab initio, & alii.

7 *Quin in Hiſtoria Naturali* &c.] Vide Lib. II. c. 6. ubi Deos, qui colebantur, apertè irridet, & omnia Fortunæ, hoc eſt, Caſui, cujus nulla eſt ὑπόςασις, tribuit.

8 *Rem differre* &c.] Ex ipſius *Plinii* ſententia, cujus hæc ſunt verba, Ep. 18. Lib. I. *Si*

bonæ fidei, & religioſorum; illud fallacium & prorſus impiorum; qualis fuit fortaſſe *Plinius* noſter, aut certè ejus avunculus, [7] qui in Hiſtoria Naturali ſat clarè quid de Deo crederet oſtendit. ANN. CXI.

VII. Quamvis *Plinius* animi, ut vidimus, penderet, [8] ac proinde rem differre debuiſſet; quaſi exploratum ei fuiſſet, quid factu opus eſſet, peſſimè habuit Chriſtianos. Jam ſequentia ejus verba ſunt audienda: *Interim*, inquit, *in iis*, *qui ad me tamquam Chriſtiani deferebantur*, *hunc ſum ſequutus modum. Interrogavi ipſos*, *an eſſent Chriſtiani? Confitentes iterum ac tertiò interrogavi*, *ſupplicium minatus*; *perſeverantes duci juſſi*; nempe, ad mortem, ſic enim, ut omnes norunt, loqui ſolent Latini Scriptores. Cur verò interrogabat an eſſent Chriſtiani? Si ex animo eſſent, an volebat homines mentiri, & id quod erant ſe eſſe negare? Hoccine erat Philoſophi, velle homines id ſe ſentire, quod ſentiebant, negare, cùm præſertim res omnium maxima ageretur; nempe, cultus Dei? Qui religioni ducebant alium, præter rerum omnium Creatorem, colere; an erant vi adigendi, ut ſe aliter ſentire falsò dicerent? Attamen hoc ipſum volebat *Plinius*, qui *ſupplicium* utique non *minabatur*, niſi ut eos negare cogeret; quod erat improbum & impium, ſi re verâ cum Chriſtianis ſentiebant; nec ullo modo probari poterat, ſi propter minas (quod tamen vix ac ne vix quidem fieri potuit) nullis rationibus auditis, ſententiam mutarent. Nihil indignius, & Numini minùs gratum fuit (ſi Numen verè eſſet) [9] quàm ſibi ab invitis ſacra fieri. *Duci* verò jubere eos, quibus, quod illicitum putabant, facere religioni erat, prorſus barbarum atque impium erat. Quod mirum eſſet à *Plinio* factum, niſi conſtaret Ethnicis perſequutoribus, quidquid diſſimularent, Religionem ludibrio fuiſſe, non minùs ac humanitatem.

VIII. Addit tamen *Plinius*: *Neque enim dubitabam*, *qualecumque eſſet quod faterentur*, *pervicaciam certè & inflexibilem obſtinationem debere puniri*. Atqui *pervicacia* & *obſtinatio* dici nullo jure potuit eorum conſtantia, qui nihil flagitioſum, quod mox de Chriſtianis agnoſcet noſter, fatebantur. Perſeverantia in re bona non poteſt non laudari, nedum ut jure pœnas dare debeat. Præterea quibus legibus pertinaciæ mors erat impoſita, niſi res per ſe mala eſſet, quæ pertinaciùs fieret? Itaque debuiſſet *Secundus*, antequàm *duci* Chriſtianos juberet, in eorum Religionem

I. *Si tutius putas illud cautiſſimi cujuſque præceptum:* quod dubitas ne feceris; *id ipſum reſcribe.*

9 *Ab invitis ſacra fieri* &c.] *Tertullianus* Apol. c. XXIV. *Videte ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat*, *adimere libertatem Religionis & interdicere optionem Divinitatis*, *ut non liceat mihi colere*, *quem velim*; *ſed cogar colere*, *quem nolim. Nemo ſe ab invito coli volet*, *ne homo quidem*; *atque ideò & Ægyptiis permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas*, *avibus & beſtiis conſecrandis & capite damnandis*, *qui ejuſmodi Deum occiderint.* Vide & Cap. XXVIII. Idem ad Scapulam c. II. *Sed nec Religionis eſt cogere Religionem*, *quæ ſponte ſuſcipi debeat*, *non vi*; *cùm & hoſtiæ*, *ab animo lubenti expoſtulentur. Ita &*, *ſi nos compuleritis ad ſacrificandum*, *nihil præſtabitis Diis veſtris*; *ab invitis enim ſacrificia non deſiderabunt* &c. Lactantius Inſt. Divin. Lib. V. c. 20. *Sacrificium non eſt*, *quod exprimitur invito*; *niſi enim ſponte atque ex animo fiat*, *exſecratio eſt.*

ANN. gionem inquirere, non, *qualecumque eſſet quod faterentur*, eos damnare.
CLI. Ut noluiſſent Ethnici ſibi invitis cultum Chriſtianorum extorqueri, [10]gravitérque conqueſti ſunt, cùm qui ſummæ rerum præerant ſimilia fecerunt: ſic nec antea quod damnaſſent & damnarunt deinde, in rerum potientibus, facere jure potuerunt.

IX. Fuerunt *alii*, inquit, *ſimilis amentiæ*; *quos*, *quia cives Romani erant*, *adnotavi in Urbem remittendos.* An verò Romæ propterea pœnas dederint non conſtat, nec ſine ſumma iniquitate, ut vidimus, propter opinionem certè innocuam & laudabilem proinde conſtantiam, poterant ſupplicio ulli ſubjici. *Mox ipſo tractatu* (hoc eſt, inquiſitione in Chriſtianos) *ut fieri ſolet diffundente ſe crimine* (ſeu, pluribus reis inventis) *plures ſpecies* (facti, nempe) *inciderunt. Propoſitus eſt libellus*, *ſine auctore*, *multòrum nomina continens*, *qui negarunt ſe eſſe Chriſtianos*, *aut fuiſſe*; *cùm*, *præeunte me*, *Deos adpellarent*, *& imagini tuæ*, *quam propter hoc juſſeram*, *cum ſimulacris Numinum*, *adferri*, *thure ac vino ſupplicarent*, *præterea maledicerent Chriſto*; *quorum nihil cogi poſſe dicuntur*, *qui ſunt re verâ Chriſtiani. Ergo dimittendos putavi.* Vel hinc quàm periculoſa ſit perſequutio intelligere eſt, cùm etiam innocentes eâ involvantur, aut certè immeritò ſuſpecti fiant; quod eſt, in Religionis negotio, periculoſiſſimum.

X. Alii, inquit, *ab indice nominati eſſe ſe Chriſtianos dixerunt*, *& mox negaverunt*; *fuiſſe quidem*, *ſed deſiſſe*, *quidam ante triennium*, *quidam ante plures annos*, *nonnemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam*, *Deorúmque ſimulacra venerati ſunt*, *ii & Chriſto maledixerunt.* Quin hi verè Chriſtianiſmo nuncium remiſiſſent dubitari non poterat, qui Chriſto maledicebant; quod inexpiabile ſcelus, ex Chriſtiana Religione, eſſe probè norant. Itaque ſi quid dicerent, quod ei honorificum eſſet, fide digni erant; cùm ſoleant ejuſmodi transfugæ priſtinæ Religionis ferè infenſiſſimi adverſarii eſſe, eique calumniari, ut jure & verè à ſe deſertam oſtendant. Audiamus verò quid de ea dicerent: *Adfirmabant autem*, ait Plinius, *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ*, *vel erroris*, *quòd eſſent ſoliti*, [11] *ſtato die*, *ante lucem convenire*, *carménque Chriſto*, [12] *quaſi Deo*, *dicere*, *ſecum invicem*; *ſéque ſacramento*, *non in ſcelus aliquod obſtringere*, *ſed ne furta*, *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*; *quibus peractis*, *morem ſibi diſcedendi fuiſſe*, [13] *rursúsque coëundi ad capiendum cibum*, *promiſcuum tamen & innoxium*; *quod ipſum facere deſiſſe*, *poſt edictum meum*, *quo*, *ſecundùm mandata tua*, *hetærias eſſe vetueram.* Non potuit cœtuum Chriſtianorum innocentia meliùs defendi, mirúmque eſt,

10 *Graviterque conqueſti ſunt* &c.] Vide *Themiſtii* Orationem V & XII. *Libanii* Orationem de Templis, & *Symmachi* Relationem ad *Valentinianum*, *Honorium* & *Arcadium.*

11 *Stato die*] Vel die Sabbathi, vel Dominico. Qua de re vide Diſſert. *Juſti Henningi Bohmeri*, de Stato Chriſtianorum die.

12 *Quaſi Deo dicere*] *Tertullianus* Apol. c. II. habet *Chriſto & Deo*, quod Viri Docti emendant *ut Deo*, ſicut *Euſebius* habet Lib. III. c. 33. Χριστὸν Θεοῦ δίκην ὑμνεῖν, ubi

eſt, *Plinium*, qui ſceleris nullius Chriſtianos convictos audiverat, in eo teſtimonio non adquieviſſe. Atque hinc fiebat, ut [14] tantâ fiduciâ Chriſtiani, teſtes ſibi ullius ſceleris in cœtibus illis admiſſi in ſe produci, & ſupplicium de ſe capi, ſi convincerentur, poſtularent.

XI. Attamen *Plinius*, morſibus fortè conſcientiæ ſtimulatus, quòd homines innocentes & vitæ probatæ occidiſſet, cupidúſque reos inveniendi inter Chriſtianos, qui cædem jure factam, aut fieri potuiſſe oſtenderent, per tormenta conatus eſt extorquere à duabus Diaconiſſis, non à viris conſtantioribus, quod ab iis audire cupiebat. *Quo magis*, inquit, *neceſſarium credidi ex duabus ancillis, quæ* [15] *Miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quàm ſuperſtitionem pravam & immodicam. Ideóque dilatâ cognitione, ad conſulendum te decurri.* Conſulendus potiùs fuerat Trajanus ab ipſo initio cognitionis, non in miſeros & innocentes ſæviendum, antequàm eò decurreret; cùm fateatur *Plinius* ſe numquam cognitionibus de Chriſtianis interfuiſſe, nec ſciviſſe quî ſe in ejuſmodi cauſis gerere oporteret. Deinde quænam fuit in Chriſtianis *prava & immodica ſuperſtitio*? Hoc unum fortè eo nomine intelligebat, quod religioni ducerent Ethnicorum Deos colere; nam cultus Chriſti non magis mirus videri potuit, quàm variorum Heroum cultus, qui in ſingulis pænè oppidis obtinebat, cùm ſingula conditores ſuos conſecraſſent. Sed propterea puniri non poterant Chriſtiani. Innumerabilia erant verè ſuperſtitioſa, apud Syros, & Ægyptios, exempli causâ, quæ nullas tamen pœnas ferebant. Nam Romanas ſuperſtitiones, quæ conſuetudine conſecratæ erant, non adtingo.

XII. Sed reliqua audiamus. *Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexûs etiam vocantur in periculum & vocabuntur; neque enim civitates tantùm, ſed vicos etiam, atque agros ſuperſtitionis illius contagio pervagata eſt.* Hinc liquet in Bithynia ingentem Chriſtianorum, jam iis temporibus, numerum fuiſſe; ac proinde per Aſiam longè latéque Religionem Chriſtianam, invitis Ethnicis & Judæis, ſolâ ſuâ præſtantiâ, propagatam fuiſſe.

XIII. Attamen *Plinius* putabat progreſſus ejus poſſe impediri: *Quæ videtur*, inquit, *ſiſti & corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat, prope jam deſolata templa cœpiſſe celebrari, & ſacra ſollemnia diu intermiſſa repeti, paſſimque venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emtor inveniebatur. Ex quo facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſſit, ſi ſit pœnitentiæ locus.*

ubi verba hujus Epiſtolæ Græcè profert.

13 *Rurſúsque coëundi*] Ad Agapam de nocte celebrandam.

14 *Tantâ fiduciâ* &c.] Vide *Juſtinum* & *Athenagoram* in Apologiis, & *Tertullianum* Apol. C. II.

15 *Miniſtras*] Διακόνυς, ſeu Diaconiſſas, de quarum munere alibi diximus. *Ancillas* vocat *Plinius*, ſed vix crediderim Diaconiſſas ſervili conditione fuiſſe, in tanto, apud *Bithynos*, Chriſtianorum numero. Vide ad an. LXVIII, 7.

ANN. CXI. *locus.* Facile eſt creditu, in magno Chriſtianorum numero, quorum multi erant neophyti, nonnullos metu ſupplicii, ad priſtinam Idololatriam defeciſſe. [16] Sed hinc intelligere eſt Deorum ſacerdotes, victimarios, pecuarios, aliósque omnes, ad quos ex Ethnica ſuperſtitione lucrum redibat, infenſiſſimos fuiſſe Chriſtianis, queſtóſque eſſe, apud Proconſulem, raras victimas venire. Sic ſemper privata utilitas publicis Humani Generis commodis nocuit; Veritatique obturatas aures habuere, quibus detrimentum creavit. Quod utinam etiamnum hodie, apud ipſos Chriſtianos, paſſim non fieret!

XIV. His litteris *Plinii* acceptis, Trajanus haud multò æquiorem eo ſe Chriſtianis præbuit. *Actum*, inquit, *quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſequutus es. Neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt.* Nullum ergo erat Neronis, aut Domitiani edictum, quo promiſcuè in Chriſtianos omnes ſævire Præſides provinciarum juberentur neque præſcriptum quidquam de ratione in eos inquirendi; unde quietos, magna in parte Romani Imperii, vixiſſe his temporibus Chriſtianos intelligere licet. Subjicit verò Trajanus: *Conquirendi non ſunt; ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt; ita tamen, ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe, idque reipsâ manifeſtum fecerit, id eſt, ſupplicando Diis noſtris, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impepetret. Sine auctore verò propoſiti libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſæculi eſt.* Ex his iterum liquet nullius criminis reos factos fuiſſe Chriſtianos, niſi Deorum minimè cultorum.

XV. In hoc reſcriptum *Trajani*, meritò invehitur [18] *Tertullianus*, hiſce verbis: „ O ſententiam neceſſitate confuſam! Negat inquirendos, „ ut innocentes; & mandat puniendos, ut nocentes. Parcit & ſæ- „ vit, diſſimulat & animadvertit. Quid temet ipſum cenſurâ circum- „ venis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & ab- „ ſolvis. Latronibus inveſtigandis, per univerſas Provincias, milita- „ ris ſtatio ſortitur; in reos Majeſtatis & publicos hoſtes, omnis ho- „ mo miles eſt; ad ſocios, ad conſcios uſque inquiſitio extenditur. So- „ lum Chriſtianum inquiri non licet (*à Judice*) offerri (*à delatore*) li- „ cet; quaſi aliud actura eſſet inquiſitio, quàm oblatio. Damnatis ergo „ oblatum, quem nemo voluit requiſitum; qui, puto, jam non ideò me- „ ruit

16 *Sed hinc intelligere eſt* &c.] Sic *Tertullianus* Apolog. c. XLII. *Certè, inquitis, Templorum vectigalia quotidie decoquunt. Stipes quotuſquiſque jam jactat? Non enim ſufficimus & hominibus & Deis veſtris opem ferre —— cùm interim plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quàm veſtra Religio templatim.* Similiter *Arnobius* Lib. I. p. 16 Edit. Heraldi: *Aruſpices has fabulas* (calumnias in Chriſtianos) *Conjectores, Arioli, Vates & numquam non vani concinnavere Fanatici; qui, ne ſuæ artes intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant jam raris; ſi quando vos velle rem venire in invidiam compererunt*, negliguntur Dii, *clamitant, atque* in Templis jam raritas ſumma eſt *&c.* Ad quem locum vide *Deſ. Heraldum.* Hi erant delatores Chriſtianorum, qui illis reſcrip-

„ ruit pœnam, quia nocens eſt; ſed quia, non requirendus, inventus „ eſt. Re verâ ſpecies tantùm erat moderationis, in Trajani reſcripto, nam quamvis Magiſtratus in Chriſtianos publicè quæſtiones non haberent; inimicis tamen ſuis tradebantur Chriſtiani, quos ſatis erat deferri ad Magiſtratus, ut plecterentur, niſi Religioni Chriſtianæ nuncium remittere vellent. Numquam autem iis defuiſſe inimicos, apud Ethnicos, facile eſt intellectu; cùm manifeſtum eſſet delatorum lucrum. ANN. CXII, & CXIII.

Trajano Aug. VI. T. Sextio Africano COSS. Trajani Imp. XV. Æræ Vulgaris Chriſti CXII.

I. Hoc anno Teleſphorus, in ſede Romana, [1] è virorum doctorum ſententia, Xyſto ſucceſſit. Idacius in Faſtis, memoratis hiſce Conſulibus: *His*, inquit, *Conſulibus*, *perſequutio Chriſtianorum.* Quæ tamen anno antecedente cœperat, ſed hoc magis exardeſcere potuit; quòd Trajanus *Plinio*, fortè & aliis Provinciarum Rectoribus, reſcripſiſſet delatos & confitentes Chriſtianos puniendos eſſe.

II. Eodem anno, Trajanus Parthis, Armeniiſque bellum indixit, dum prætexeret Armeniorum Regem, non à ſe, ſed à Parthorum Rege diadema accepiſſe; at merâ gloriæ cupiditate, arma in eos cepit, ut auctor eſt *Dion* Lib. LXVIII.

L. Publio Celſo II. C. Clodio Criſpino COSS. Trajani Imp. XVI. Æræ Vulgaris Chriſti CXIII.

I. Edita eſt [1] Tiberiani, Palæſtinæ Primæ Præſidis, relatio de Chriſtianis ad Trajanum, ubi ait „ defatigatum ſe eſſe puniendis & „ occidendis, prout mandaverat Imperator, Galilæis, qui dicebantur „ dogma Chriſtianorum ſequi; nec eos deſinere ſe ſe aperire, ut occidantur. Quare ſe adlaboraſſe, adhortationibus & minis, ne auderent „ memoratum dogma ſuum eſſe profiteri; nec eos, vexatos licèt, deſinere. Igitur dignaretur ſe oraculo docere, quid è re imperii ſui eſſet. Aiunt [2] nonnulli Trajanum propterea inducias quaſdam ſuppliciorum Chriſtianis conceſſiſſe, acceptis enim his litteris vetuiſſe omnes, qui ei ſuberant, Chriſtianos punire. Verùm graves ſunt rationes cur hæc conficta videri poſſint, nec ſanè deſiit perſequutio in Chriſtianos, multis in Provinciis, ut mox videbimus. II.

reſcripto Trajani, malè habendi traditi ſunt. Vide *Euſebii* H. E. Lib. III. c. 33.

18 *O Sententiam* &c.] Apologetici Cap. II.

1 *E virorum doctorum* &c.] *Henr. Dodwelli*, Diſſert. Singulari de Pont. Romanorum primis ſucceſſionibus §. 6.

1 *Tiberiani*] Eam edidit, ex *Joan. Malela Antiocheno*, Scriptore fabulis ſcatente, *Jac. Uſſerius*, in Appendice Ignatiana; ſed ſuppoſiticiam oſtendit *Henr. Dodwellus* Diſſert. Cyprianica XI, 23. quem vide.

2 *Nonnulli*] *Joannes Malela* Pag. 818. in Excerptis Peireſcianis ab *Henr. Valeſio* editis, & Chronographiæ Oxonii excuſæ p. 356.

ANN. CXIV, CXV, & CXVI.

II. Ad hunc annum referendam eſſe erectionem columnæ Trajani, ex ipſa baſis ejus inſcriptione [3] collegerunt viri docti, qui hac de re conſuli poterunt. Interim Trajanus in Oriente bellum parabat.

Q. Ninio Haſtâ, P. Manilio Vopiſco COSS. *Trajani Imp. XVII. Æræ Vulgaris Chriſti* CXIV.

I. Trajanus, ſine prælio, Armeniam ſubegit, & Parthamaſin Regem eâ ſpoliavit, aliáque geſſit, quæ, per ſingula Conſulum paria, narraverat *Dion* Lib. LXVIII. Sed qui eum in Epitomen redegerunt, ſummatim, omiſſis annis, expoſuiſſe ſatis habuerunt.

L. Vipſtano Meſſalla, M. Vergiliano Pedone COSS. *Trajani Imp. XVIII. Æræ Vulgaris Chriſti* CXV.

I. Terræ motus ingens Antiochiam, [1] in qua hiemabat Trajanus, & in quam confluxerat ingens multitudo legatorum, aliorúmque qui, negotiorum causâ, eò convenerant, pænè ſubvertit, innumerisque hominibus exitium adtulit; inter quos Pedo Conſul periit, Trajanus ipſe per feneſtram eductus vix evaſit. Ineunte vere, Parthorum fines ingreſſus eſt, magnóſque terrarum tractus in Meſopotamia, urbéſque in poteſtatem ſuam redegit, unde Parthici cognomen nactus eſt. Dum autem in mari Perſico navigaret, gentium, quas vicerat quidem, ſed non perdomuerat, defectione retrogredi coactus eſt; verùm & harum rerum pars ad ſequentem annum referenda.

II. Inter hæc, Cyrenaïcæ incolæ Judæi, qui etiamnum illic magno numero erant, Andreâ quodam duce, excuſſâ Romani Imperii reverentiâ, arma ceperunt & innumeros Romanos & Græcos occiderunt; eorúmque viſcera, quod ex illorum etiam lege nefas erat, rabie quadam efferati depaſti ſunt. Tum eorumdem ſanguine obliti, pelles etiam induerunt. Multos à vertice ſerris medios diſſecuere, multos objecere beſtiis, multos inter ſe concurrere coëgerunt, ita ut ad CCXX. hominum Millia eâ clade interierint, ut narrat *Dion* Lib. LXVIII. Vide & *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 2.

L. Ælio Lamia, Æliano Vetere COSS. *Trajani Imp. XIX. Æræ Vulgaris Chriſti* CXVI.

I. Iidem Judæi, cùm Lupus Ægypto præeſſet, Ægyptum ingreſſi primo, quo cum Ægyptiis congreſſi ſunt, prælio victores fuerunt. At

cladem

3 *Collegerunt* &c.] Vide *Ant. Pagium*, ad hunc annum §. 1.

1 *In qua hiemabat* &c.] Die XIII. Apellæi, ſive Decembris, ut habet *Joan. Malela* Antiochenus p. 358. Ed. Oxon. Sed errat in nonnullis, ut oſtendit *Henr. Noriſius* de Epochis Syro-Macedonum Diſſert. III. c. 6.

1 *Euſebius*] Hiſt. Eccl. Lib. III. c. 32. ubi ait μερικῶς καὶ κατὰ πόλεις ἐξ ἐπαναστάσεως δή-

μου

cladem hanc ſuam ulti ſunt Ægyptii, Judæorum omnium, qui Alexandriæ erant, internecione. Interim alii Judæi, Lucuâ duce, totam Ægyptum omni cladis genere vaſtarunt. Itaque Trajanus Marcium Turbonem, adversùs eos, cum pedeſtribus, navalibúsque copiis miſit. Is præliis multis conſertis & longo bello confecto, multa Judæorum millia, non tantùm Cyrenenſium, ſed & Ægyptiorum, qui rebellanti Lucuæ opem tulerant, occidit. Imperator etiam ſuſpicatus fore ut Judæi, qui Meſopotamiam incolebant, alios tractuum illorum incolas adgrederentur, in mandatis dedit Luſio Quieto, ut iis Provinciam purgaret. Qui, inſtructâ adversùs eos acie, ingentem multitudinem proſtravit; quam ob victoriam, Judææ præeſſe juſſus eſt. ANN. CXVI.

II. Similia tentarunt Judæi, in Cypro inſula, Artemione duce, atque illic quidem ſunt hominum ducenta quadraginta Millia occiſa. Unde factum eſt, ut nemini Judæo in Cyprum exſcendere poſtea liceret. Quinimò ſi vento coactus in Inſulam incideret, interficiebatur. Quæ partim *Dioni* Lib. LXVIII. partim *Euſebio* H. E. Lib. IV. c. 2. debemus.

III. Testatur idem [1] *Euſebius*, tempore Trajani, veluti carptim & oppidatim concitatam perſequutionem in Chriſtianos, atque in hac Symeonem, Cleopæ filium, qui Jacobo in Jeroſolimitana ſede anno LXII. ſucceſſerat, Martyrio vitam finiiſſe; [2] quod ad hunc annum referunt viri docti, non quidem certis rationibus adducti, ſed quibus nihil explorati nunc objicere poſſumus. Utitur autem *Euſebius* Lib. III. c. 32. auctoritate *Hegeſippi*, qui narraverat ab Hæreticis quibuſdam Judæis accuſatum eſſe Symeonem, variíſque tormentorum generibus per plures dies cruciatum, cùm Judici, tum iis qui aderant, admirationi fuiſſe, tandémque CXX. annos natum eodem ſupplicio, quod Chriſtus tulit, vitam cum morte mutaſſe. Detulerant autem Symeonem non tantùm Chriſtianum eſſe, ſed etiam [3] è Davidis proſapia oriundum, ut novarum rerum ſuſpectum facerent. Quare cùm centum & viginti annos natus eſſet, Attico conſulari legato Syriæ Præſide, martyrium paſſus eſt. Prodidit etiam *Hegeſippus*, eos ipſos Symeonis accuſatores, cùm tunc temporis omnes, qui è regia domo ortum duxerant, ſollicitè quærerentur, convictos eſſe ejuſdem originis. Non addit pœnas eos propterea dediſſe, ſed ſi pars hæc criminis fuit, cujus causâ in crucem ſublatus ſit Simeon, non videntur Romanorum ſuſpiciones & iram fugere potuiſſe. Symeoni ſucceſſit Juſtus, à Chriſti proſapia alienus, in ſede Jeroſolimitana.

IV. Postea idem Scriptor, dum res illius ætatis commemoraret; addebat,

μῶν, ἀνακινηθῆναι διωγμόν. Vide & Cap ſequens.

2 *Quod ad hunc annum* &c.] Sententia eſt *H Dodwelli*, *Gulielmi Lloydii*, & *Ant. Pagii*, qui iis adſentitur. Vide eum ad annum CVII, 6.

3 *E Davidis proſapia* &c.] Hanc non ultimam cauſam mortis ejus fuiſſe putant viri docti, quos modò adpellavimus, nec res eſt vero abſimilis, ſi admittatur hæc *Hegeſippi* Hiſtoria.

ANN. CXVI.

addebat, ad hæc uſque tempora, Eccleſiam, inſtar Virginis, integram atque incorruptam permanſiſſe, adhuc in tenebris deliteſcentibus, quicumque ſanam præconii ſalutaris regulam corrumpere adgreſſi erant. „ Sed poſtquàm, inquit, ſacer Apoſtolorum chorus vario mortis genere exſtinctus eſt, præterieràtque jam ætas illa, quæ divinam ſapientiam ſuis ipſa auribus audire meruerat; tum demum impii erroris conſpiratio initium cepit, aliorum doctorum fraude. Qui, ut pote nullo ampliùs ex Apoſtolis ſuperſtite, poſt hæc nudo, quod aiunt, capite, prædicationi Veritatis falsò dictam eruditionem (ψευδώνυμον γνῶσιν) opponere conati ſunt. Quæ intelligenda ſunt de apertiore fallacis doctrinæ ſparſione, majoréque numero pravorum Doctorum & vehementiore conatu; nam à tempore, quo ſcriptæ ſunt altera Petri, item Epiſtolæ Judæ & Joannis, ut ſuis locis vidimus, jam fraudes illæ eruperant.

V. Videtur hoc ſatis innuere ipſe *Hegeſippus*, cujus verba [4] alibi profert *Euſebius*. Propterea, inquit, „ Eccleſiam vocabant Virginem, nondum enim corrupta fuerat ſtultis, quos audivit, ſermonibus. Cœpit Thebuthis, eò quòd Epiſcopus creatus non eſſet, occultè eam vitiare. Ait eum fuiſſe [5] *è ſeptem ſectis Judæorum*, hoc eſt, ex una earum ſectarum, quas paullò pòſt recenſet. Eſſæorum, nempe, Galilæorum, Hemerobaptiſtarum, Masbothæorum, Samaritarum, Sadducæorum, Phariſæorum. Galilæi ſunt Judæ Galilæi, vel Gaulanitæ diſcipuli, [6] *Hemerobaptiſtæ* videntur fuiſſe Phariſæorum genus, [7] *Masbothæi* quinam eſſent ignotum. Samaritas inter ſuos non recenſebant Judæi. Ab his autem ſectis ortum vult & Simonem, unde Simoniani; [8] Cleobium, unde Cleobiani; [9] Doſitheum, unde Doſitheani; [10] Gortheum, à quo Gortheani, & Masbothæi. Excepto Simone, ſunt omnes hi obſcuri Hæretici, & partim fortè planè commenticii.

4 *Alibi profert*] Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. c. 22.

5 *E ſeptem ſectis* &c.] Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων. Debuiſſet dicere è qua, nam cùm Judæi in ſectas eſſent omnes diviſi, qui Judæus erat, non poterat non uni cuipiam adhæreſcere. Sed Idiota fuit *Hegeſippus*, ut fragmenta ejus oſtendunt.

6 *Hemerobaptiſtæ*] Vide *Dionyſ. Petavium*, ad eam ſectam, quæ eſt XVII. apud *Epiphanium*, ubi oſtendit videri eſſe ſuperſtitioſiores Phariſæos, qui in frequentioribus ablutionibus ſanctitatem neſcio quam ſitam eſſe putabant.

7 *Masbothæi*] Fortè erant iidem quos *Epiphanius* vocat *Sabuæos*, de quibus obſcura quædam prodidit, quæ excutere non vacat, nec operæ pretium eſt; מִשׁבּוּתאי *maſchbothaë* ſunt Sabbatharii, & שׁבוּעאי *ſchbouhaë* ſunt Hebdomadarii, quod eodem recidit.

8 *Cleobium*] Quis fuerit Cleobius iſte nemo Vetuſtiorum docuit. Si umquam fuit, obſcuræ neſcio cujus Scholæ principem fuiſſe oportuit. Vide J. B. *Cotelerium* ad Conſ. Ap. L. VI. c. 8.

9 *Doſitheum*] Cùm plures fuerint *Doſithei*, ante & poſt Chriſtum, quis hic fuerit non liquet. Vide *Dionyſ. Petavium* ad Hæſ. XIII. *Epiphanii* & *Henr. Valeſium* ad *Euſebii* locum.

10 *Gortheum*] De hoc nihil conſtat, nec facile eſt intellectu quid velit *Epiphanius*, ubi de eo agit Hæreſ. XII. ad quam vide *Petavium*.

11 *Hoc eodem anno* &c.] Rem narrat *Joann. Malela* Antiochenus Chronogr. p. 360. cui, ut pote Antiocheno, quamvis inceteris parum certo teſti, in hac re, fidem

cii. Ideoque iis non immorabimur. Ab his, aut ab aliquo horum Hæreticorum ortos vult Menandrianos, Marcioniſtas, Valentinianos, Carpocratianos, Baſilidianos, & Saturnilianos. De quorum nonnullis jam, quod ſatis eſſe queat, diximus. ANN. CXVI.

VII. [11] Hoc eodem anno, poſt ingentem terræ motum, quo Antiochia fermè conciderat, Trajanus ad ſuperſtitioſas luſtrationes converſus, [12] ut Deorum iram nefandis ſacris placaret, formoſam Virginem Antiochenam, cui Calliopæ nomen, mactavit; in cujus honorem Nymphagogiam fecit & ſtatuam dedicavit. Cùm illic etiamnum commoraretur, ad beſtias damnavit Ignatium Epiſcopum, qui Euodio ab Apoſtolis ordinato ſucceſſerat. Vult *Joannes* Antiochenus, damnatum *Ignatium*, [13] quòd Trajano *conviciatus eſſet*; hoc eſt, ut puto, ſuperſtitionem & inhumanitatem ejus arguiſſet. Credibile eſt, [14] ut viris eruditis viſum, Aruſpices, alióſque id genus homines quibus ſuperſtitio quæſtui erat, curaviſſe perſuaderi Cæſari, graviſſimi illius terræ motûs cauſam fuiſſe Antiochenos Chriſtianos; nam ſolebant omnes calamitates Deorum iræ tribuere, indignantium ferri homines, qui eorum Numini illuderent, nec ullo cultu dignos contenderent. Quod nos docent *Cyprianus* in Libro ad Demetrianum, & *Arnobius* Lib. I. initio, ne recentiores, ut *Aur. Auguſtinum* & *P. Oroſium*, qui datâ operâ eam calumniam, ſingulari opere, confutavit, memoremus. Non abſurdè ergo conjeceris delatum eſſe ad Trajanum Ignatium, eúmque, cùm ſe Chriſtianum conſtanter profeſſus eſſet & ſuperſtitionem Imperatoris damnaſſet, in Italiam miſſum, ut Romæ cum beſtiis pugnaret.

VIII. Primum, [15] ſi Actis credimus, abductus eſt Seleuciam Pieriæ, cum Rufo & Zoſimo, unde Smyrnam navigavit; ubi aliquamdiu, juſſu fortè Trajani, [16] ad labefactandam ejus conſtantiam, detentus. Certè Smyrnæ a. d. XXIV. Auguſti Epiſtolam ad Romanos dedit, è qua

dem habere poſſumus; cùm nihil certius exſtet. Sic *Lloydius* cenſuit, apud *Pagium* ad ann. CVII, 5.

12 *Ut Deorum iram* &c.] Hæc *Joannes Malela* Chronogr. p. 360. quæ, quia nullum confictæ fabulæ indicium in iis videbamus, exſcripſimus. Vide & *Aurel. Victorem* in Epitome. *Nymphagogiam*, νυμφαγωγίαν poſſimus fortè intelligere ſumptum publicum, qui fiebat in elocandis virginibus quibuſdam, in honorem Calliopæ; nam alioqui νυμφαγωγεῖν eſt ducere ſponſam ad ſponſum, & νυμφαγωγὸς dicebatur qui hoc munere defungebatur. Sed νυμφαγωγία an alibi occurrat neſcio.

13 *Conviciatus eſſet*] Ἐλοιδόρει αὐτὸν, quod ſi ex Actis interpretemur, hoc unum ſignificaret, *Ignatium* Deos Gentium *Dæmonia* vocaſſe, ad ipſum Trajani tribunal. Sed latiùs res patere videtur & ad ipſum Imperatorem ſpectaſſe.

14 *Ut viris eruditis viſum*] *Guil. Lloydio* apud *Pagium*, loco memorato.

15 *Si Actis credimus* &c.] Non difficulter adducor ut credam, ipſo tempore, Acta de Martyrio Ignatii conſcripta; ſed ea prorſus incorrupta ad nos perveniſſe non puto. Scriptor æqualis hanc perſequutionem, & damnationem ipſam Ignatii non potuit ad annum Trajani nonum referre, quo Imp. Antiochiæ non fuit; nec mortem Ignatii ad Conſulatum Senecionis & Suræ, quem geſſerunt anno Trajani decimo, ut docebit *Ant. Pagius*.

16 *Ad labefactandam ejus conſtantiam*] Ut ſat temporis haberet ad cogitandum de immanitate ſupplicii, cui damnatus erat, metúque ad Chriſtianæ Religionis abnega-

ANN. CXVI.

qua liquet tantùm abfuiſſe, ut animum deſponderet, ut potiùs majore Martyrii cupiditate accenderetur. Inde Troadem eſt avectus, unde Neapolin, in Macedonia, trajecit, pérque Philippos & Macedoniam pedibus in Epirum ivit. Interim omnes Eccleſias, per quas tranſiit, aut à quibus legationes accepit, quæ multæ fuerunt, voce & ſcriptis ſolatus & adhortatus eſt ad conſtantiam. Tandem trajecto Adriatico & Tyrrheno mari, Oſtiam, quam Acta *portus Romanorum* vocare videntur, adpulit; tum Romæ leonibus objectus eſt, & ab iis, exceptis durioribus oſſibus, confeſtim devoratus a. d. XX. Decembris. Plures habent Acta antiqua, cùm Græca, tum Latina, circumſtantias; ſed cùm ſint à recentioribus Ignatii ævo aut ſcripta, aut certè interpolata; [17] eis, per omnia, credere tutum non eſt.

IX. Eodem tempore, [18] quo damnatus eſt Ignatius, comprehenſæ ſunt Antiochenæ mulieres quinque Chriſtianæ, quæ ad Trajanum adductæ, & ab eo interrogatæ, quâ tandem ſpe ſe ſe morti objicerent, reſponderunt hoc à ſe fieri quòd occiſæ, iiſdem corporibus receptis, in æternam vitam reſurrecturæ eſſent. Quibus verbis auditis, comburi eas juſſit Trajanus, oſſiúmque earum, ne quid ſupereſſet, comminutorum pulverem admiſceri æri lebetum, quos in uſum Thermarum conflari mandaverat. Addit etiam *Joannes Malela*, unde petita eſt hæc hiſtoria; quàm primùm Trajanus Thermas publicaſſet, omnes, qui in iis lavabant, vertigine correptos fuiſſe, atque illinc abduci oportuiſſe. Quod cùm Imperatori nunciatum eſſet, juſſiſſe eum amoveri lebetes, quaſi balneum contaminarent; ſed veram amovendi rationem fuiſſe, quòd Chriſtiani propterea gloriati Ethnicis illuderent. Tum ex eo metallo, iterum liquefacto, conflatas quinque ſtatuas earum mulierum, quæ ſunt eodem balneo poſitæ, ubi tempore *Malelæ* etiamnum cernebantur; jactaſſéque Trajanum, veluti per jocum, non eſſe mulieres ab ipſarum Deo, ſed à ſe excitatas. Præterea fornacem ardentem voluiſſe eum parari, in quam Chriſtianis, quibuſcumque viſum eſſet, ſe conjicere liceret;

tionem permoveretur. Hoc habet *Chryſoſtomus* in Oratione Panegyrica in laudem Ignatii, quæ exſtat Operum ejus, Etonæ editorum, Tom. V. p. 592. quod obſervavit *Lloydius*.

17 *Eis per omnia* &c.] Alioqui ſat modeſtè ſcripta ſunt, nec quidquam in iis legitur de tranſlatione reliquiarum *Ignatii*, de qua in ejus Panegyrico *Chryſoſtomus*; quæ tranſlatio eo tempore facta eſt, quo Chriſtiani rerum potiebantur, quo vix ullæ ſupereſſe poterant. Eas autem ſive ſimulatas, ſive veras *Antiochiæ jacuiſſe, extra portam Daphniticam, in cœmeterio*, narrat *Hieronymus*, in Scriptorum Eccleſ. Catalogo.

18 *Quo tempore* &c.] Vide *Malelam* pag. 361. è cujus fide tota res pendet. Quam ſi veram ſtatuamus, ſupereſt ut inde colligamus non promiſcuè in quoſvis ſævitum eſſe Chriſtianos, cùm tam pauci ſint Antiochiæ occiſi. Imò verò liquet *Ignatium*, dum Smyrnæ eſſet, aut alibi nonnihil moraretur, à Chriſtianis inviſentibus undique ſalutatum fuiſſe; quod vix fieri potuiſſet, ſi hæc perſequutio ad omnes Chriſtianos pertinuiſſet. Crediderim Concionatores, ut erant Rhetoricis figuris dediti, rem primùm Oratorum more auxiſſe, & ῥητορικὴν αὔξησιν pro teſtimonio, per omnia fide digno, temerè habitam. Ejuſmodi αὐξήσεως, in hac ipſa Hiſtoria, exemplum habemus in Panegyrica Oratione *Chryſoſtomi*. Sed confer hac de perſequutione

liceret; multóſque Chriſtianos tunc temporis in eam inſiliiſſe, Martyriúmque ita eſſe paſſos, inter quos fuiſſent Droſina quædam & complures aliæ virgines. Non ægrè crediderim mulieres aliquot Chriſtianas, non magno numero, ad Trajanum delatas, Martyrium paſſas & nonnullas fortaſſe, inconſulto fervore, ſe ſe ipſas obtuliſſe Syriæ Præſidis tribunali, ac Religionis causâ occiſas. Sed ſi quæ, nemine cogente, in ignem inſilierunt, fanaticus fuit ille eror, aut inſaniæ genus; [19] quod honeſto *Martyrii* nomine indignum eſt. Præterea vel ex hac ipſa narratione ſatis intelligere poſſumus, Trajanum non ita ſæviiſſe in Chriſtianos, ut exſtinctos omnes cuperet; nam ſine dubio in maxima urbe, ubi ab antiquiſſimis temporibus magnus erat Chriſtianorum numerus, plura millia interfici oportuiſſet; quod factum nemo facilè crediderit, ſilentibus, qui hæc potiùs adaugere ſolent, quàm minuere, Chriſtianorum Scriptoribus antiquis.

ANN. CXVI.

X. Nunc ut à Martyribus, ad Scripta *Ignatii* redeamus, Epiſtolas ejus ſilentio prætermittere non poſſumus, cùm ſint antiquiſſimum Secundi Sæculi monumentum & tantas inter Eruditos controverſias excitaverint. Oppugnarunt eas *Claudius Salmaſius*, *Joannes Dallæus*, & *David Blondellus* Galli; defenderunt contrà *Jacobus Uſſerius*, *Henr. Hammondus* & *Joan. Pearſonius* Britanni, qui genuinas eſſe, ut mihi quidem videtur, extra controverſiam poſuerunt, [20] atque adeundi ſunt. Certum quidem eſt Editiones Epiſtolarum Ignatianarum, ante Uſſerianam, complexas eſſe Litteras, non fictas quidem omnes, ſed nonnullas tamen, &, quæ fictæ non erant, ſummopere interpolatas. At cùm in antiquiorem earum Latinum Interpretem incidiſſet *Uſſerius*, qui minimè aut certè multò minùs interpolato codice uſus erat, cúmque poſtea *Iſaacus Voſſius* Græcum ipſum exemplar in Medicæa Bibliotheca inveniſſet; non ampliùs dubitavere, qui præjudiciis non laborabant, quin eſſent breviores Epiſtolæ genuinæ, & veræ ſunt ab interpolatis & ſuppoſiticiis facilè diſtinctæ. Quibus de rebus, conſulenda eſt Patrum Apoſtolicorum Editio-

tione quæ dixere hinc *Henr. Dodwellus*, qui eam minuit, illinc *Theod. Ruinartus*, qui eam adauget, & priorem quidem Diſſert. Cyprian. XI. poſteriorem in Præf. ad Acta Sincera Martyrum.

19 *Quod honeſto* &c.] Deus quidem vult mortem, Veritatis causâ, conſtanter ferri, ſed non quæri. Verùm ingenium humanum, Religione commotum, interdum Religionis ipſius limites transgreditur. Quod hominibus Syris, qui indolis fervidioris erant facilè contingere potuit. Vide & eximiam illam Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio *Polycarpi* Epiſtolam, in qua meritò fervor ille damnatur, apud *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 15. Hinc fiebat ut Ethnici, præ inſania quadam, mori Chriſtianos dictitarent, qua de re diximus ad ann. CIV. ubi de *Epicteto*.

20 *Adeundi ſunt*] Primus & poſtremus ſunt in Ed. Amſtel. Patrum Apoſtolicorum, *Hammondus* de *Ignatio* egit in Diſſert. II. earum quæ ſunt IV. ejus operum volumini ſubjectæ. *Salmaſius* quid ſentiret, de Epiſtolis *Ignatii*, oſtendit in Opere de Epiſcopis & Presbyteris, quod præfixo *Walonis Meſſalini* nomine edidit; *Dallæus* in opere ſingulari, quod inſcripſit, *de Scriptis, quæ ſub* Dionyſii *Areopagitæ &* Ignatii *Antiocheni nominibus circumferuntur Libri* II. *Blondellus* in *Apologia, pro ſententia* Hieronymi.

ANN. CXVI. tio Amſtelodamenſis, in cujus altero volumine Ignatianos Interpretes & vindices potiſſimos invenire licet.

XI. Animadvertere queas è Scriptis eorum, à quibus Ignatianæ litteræ ſunt rejectæ, eò potiſſimum adductos fuiſſe, ne veras crederent; quòd ſtylus neſcio quid tumidum, epithetis apud meliores Scriptores inuſitatis refertum, & longè petitum habeat, réſque ipſæ interdum ejuſmodi ſint, ut Apoſtolorum diſcipulo indignæ eſſe videantur. Verùm ſemper magnum diſcrimen interfuit, Apoſtolos inter & eorum diſcipulos; nec neceſſe fuit optimos ceteroqui viros, & qui pro Religione Chriſtiana ſanguinem ſuum impavidè fuderint, fuiſſe tanta ſapientiâ præditos, ac ſuos Magiſtros. Cum pietate ac fide Chriſtiana conſiſtere optimè poſſunt eloquutio tumidior, ac minùs caſtigata, ut & jactatio nonnulla atque oſtentatio conſtantiæ, tum etiam innocui errores, quibus ſumma ipſa Religionis Chriſtianæ minimè adtingitur, aut minuitur. Itaque ut nemo eorum, qui Avorum noſtrorum memoriâ, ne in Virtutem aut Veritatem, quatenus quidem iis notæ erant, delinquerent, æquo animo, inter Chriſtianos, mortem paſſi ſunt, propterea tantùm doctus & erroris omnis immunis habetur: ſic nec antiquiores Martyres communi mortalitatis infirmitati eximendi ſunt. Utrique tamen pietatis causâ laudandi, tametſi eos normam Veri & Falſi, Virtutis & Vitii non habeamus. Soli Chriſto ea laus, ſine exceptione ulla debetur, & ſecundùm eum Apoſtolis, prout Magiſtrum imitati ſunt. Non ſunt fingendi eorum Diſcipuli, quales eos fuiſſe oportuiſſe intelligimus, aut optaremus; ſed quales fuerunt, deſcribendi.

XII. De Epiſtolis *Ignatii* pauca quædam hîc ſubjicienda cenſuimus, nam qui plura avebunt, eos *Uſſerii* & *Pearſonii* copioſiſſimos fontes adire oportet. Et primùm quidem, ad res ipſas quod adtinet, nihil eſt quod cùm Evangelica Veritate conſiſtere nequeat & quod inferioris ævi dogmata redoleat; prout editæ ſunt è Florentino exemplari, cum quo priſca Verſio Latina conſentit. Non eſt in hiſce Epiſtolis, magis quàm in Paulinis, quærendus exquiſitus quidam ordo, ad philoſophicam normam inſtitutus; ita ut diviſio ſit quædam rerum, útque ex antecedentibus ſequentia veluti naſcantur, & omnia ad unum argumentum pertinentia, ſine alienorum miſtura & repetitionibus, uno loco tradantur, ex quibus quod ſibi demonſtrandum *Ignatius* propoſuerat deducat. Hîc ſunt monita ad pietatem, ceteráſque omnes virtutes ſpectantia, veluti per ſaturam congeſta, prout animo ſcribentis ſe ſe objiciebant, aut uſus eorum, ad quos ſcribebat, poſtulare videbatur. Ad ſtylum quod adtinet, non eſt politus ac terſus, & qui delectu ac elegantiâ vocum & loquendi generum niteat. Simplicitatem Apoſtolicam redolet, niſi quòd inter-

21 *Non moror fabulam* &c.] Eam confutavit *Joan. Pearſonius* Vindic. Ignat. P. 2. C. XII.

22 *Inſcriptione hîc longa* &c.] Hac de re egit *Joan. Pearſonius* Vindic. Ignat. P. 2. c. XVI.

23. *In locis antiquiorum* &c.] Vide *Euſebii* H. E. Lib. I. c. 13. ubi in Cod. Regio

interdum metaphoras paullò duriores & audaciores minimè refugit, & epithetis nimis frequentibus & parum uſitatis refertus eſt; quod potuit eſſe Syrorum, Græcis litteris nequaquam excultorum, aut etiam *Ignatio* ſingulare. Nam ut unicuique ſuus eſt vultus, & ſua vox, nulli per omnia ſimiles: ſic & dictio peculiaris, præſertim ſi ex animo loquatur, magiſque quid dicat, quàm quomodo adtendat. Nec eſt hîc ſpectandum quid ipſi diceremus & quibus verbis uteremur, ſi quid ſimile nobis contingeret; cùm unuſquiſque perſonam ſibi à Deo impoſitam, ut poteſt, aut prout ipſi, non prout aliis videtur, ſuſtineat. ANN. CXVI.

XIII. JAM ut de ſingulis *Ignatii* Epiſtolis aliquid dicamus, prima eſt ad Eccleſiam Epheſiam ſcripta, in cujus inſcriptione non tantùm eſt ὁ Ἰγνάτιος, ſed additur ὁ καὶ Θεοφόρος, ſive hoc cognomine, dudum ſibi indito & noto uteretur ipſe Ignatius, ſive qui primi haſce litteras exſcripſerunt id cognominis jam recepti addendum ſibi exiſtimarint. [21] Non moror fabulam, qua fingitur Ignatius fuiſſe is puer, quem Chriſtus ulnis ſublatum in medio ſtatuiſſe dicitur Matth. XVIII, 3. nec etiam fidem prorſus habeo Actis, in quibus Ignatius ipſe, coram Trajano, *Theophorum* ſe vocat, eò quòd Chriſtus in ſe habitaret; nam ſic omnes veri Chriſtiani *Theophori* dici queant. [22] Inſcriptione hîc longa utitur, ut Paulus in Epiſtolis ad Romanos, ad Galatas & ad Titum; quòd non magis, quàm Apoſtolus, elegantiorum hominum in ſcribendo conſuetudinem ſectaretur. Quod mihi in memoriam revocat initium Epiſtolæ VII. Libri VIII. *Plinii*, ubi, hyperbato initio Epiſtolæ inſerto, ait ſe *hoc ipſo probaſſe eum ſe eſſe, qui non modò magiſter Taciti, ſed ne diſcipulus quidem deberet dici.*

XIV. IN Parentheſi, ſeu Hyperbato Inſcriptionis, eſt loquendi genus verum quidem, ſed Apoſtolis minùs notum. Certè eo, in Epiſtolarum Inſcriptionibus, numquam utitur Paulus, ἐν θελήματι τοῦ Πατρὸς καὶ Χριςοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *in voluntate Patris & Jeſu-Chriſti Dei noſtri.* Vide Rom. I, 7. 1. Cor. I, 7 2. Cor. II, 3. Gal. I, 3. &c. Dixiſſet Paulus Θεοῦ Πατρὸς, καὶ Ἰησοῦ Χριςοῦ Κυρίȣ ἡμῶν. Verùm hæ Epiſtolæ fortè non ab Arianis tantùm ſunt interpolatæ & adauctæ multis laciniis, verùm etiam ab aliter ſentientibus; quod à controverſiis Nicænis frequenter ab utriſque factum, [23] in locis antiquiorum Scriptorum, ubi de Chriſto agunt.

XV. IN hiſce litteris c. II & ſeqq. ſummopere laudat *Ignatius* [24] Oneſimum Epheſiorum Epiſcopum, Pauli, ut volunt, diſcipulum, quem etiam Romæ Martyrium non multò pòſt paſſum eſſe aiunt. Diſtinguit hîc *Epiſcopum & Presbyterium*, ἐπίσκοπον καὶ πρεσβυτέριον, ut ubique, aitque *Presbyterium Deo dignum ita aptatum eſſe Epiſcopo, ut chordas citharæ,*

gio eſt: ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριςὸς, cùm alii habeant ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς. Similia interdum in Actis Martyrum occurrunt, ut obſervavimus *Bibliotheca Selecta* Vol. XXVI. p. 218. & 224.

24 *Oneſimum*] Vide quæ de hoc habet *Joan. Pearſonius* Vind. Ignat. P. 2. c. VIII.

ANN. CXVI. *cithara*, πρεσβυτέριον τοῦ Θεοῦ ἄξιον συνηρμόσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χόρδας κιθάρᾳ, & hortatur ſingulos ut ſint inſtar chori, atque in conſenſu conſoni, excipientésque Dei melos in unitate canant unâ voce, per Jeſum Chriſtum, Patri, c. IV. Monet Epheſios caveant ſibi ne errent, [25] *niſi enim quis intra altare ſit, privari eum pane Dei, ſíque unius atque alterius tantas vires habeat oratio, multò majores eſſe precum Epiſcopi & totius Eccleſiæ; eum itaque, qui cum iis non convenit, ſuperbum jam eſſe & ſe ipſum ſejunxiſſe — dandam ergo* Chriſtianis *operam, ne obſiſterent Epiſcopo, ut Deo eſſent ſubjecti*, c. V. E quibus & aliis ſimilibus multis intelligere eſt I. Epiſcopum tunc temporis nomine & re à Presbyteris fuiſſe diſtinctum: II. Eos qui ſegreges cœtus haberent, nec vellent eſſe participes Euchariſtici panis, qui illic comedebatur, [26] eſſe inſtar eorum qui olim, apud Hebræos, Altare fugiſſent: III. Conjunctim cum aliis & præſertim cum Epiſcopo & tota Eccleſia, eſſe Deum orandum, preces à concordibus, non à diſſentientibus fuſas exauditurum. In quibus tamen adhortationibus, ſtatuebat ſine dubio *Ignatius*, Epiſcopum, non ſecus ac Presbyteros, doctrinam à Chriſto & Apoſtolis acceptam fideliter tueri, nec aliam populo credendam neceſſariò imponere; ita ut iis ſe ſe obſequentes præbere deberent Chriſtiani, propter eam ipſam doctrinam; non doctrinæ, propter eorum auctoritatem. Alioqui ſi contigiſſet Rectores Eccleſiæ ab ea diſcedere, ſuáque ipſorum placita populo credenda proponere, & pro imperio cœcum adſenſum exigere; nemo potuiſſet dubitare, quin Chriſto, non iis, adhærendum eſſet. Igitur quotieſcumque parendum iis eſſe docet, quod dixi ſtatuiſſe intelligendus eſt. Concordiam autem & conjunctionem, inter cœtûs membra, in ſumma doctrinæ Chriſtianæ conſentientia, uſque adeò prædicat; cùm quia non exigua eſt pars Chriſtianæ caritatis, tum quia eâ tantum ratione poterat Chriſtiana fides incolumis ſervari & ad ſequentes ætates propagari. Obviam meritò ſibi eundum eſſe ratus eſt omnibus Schiſmatibus, vel ſeceſſionibus minimè neceſſariis, quæ naſcentem propemodum Eccleſiam perdidiſſent. Quò ſpectabat & fragmentum ejus, quod debemus *Chryſoſtomo* Homil. XI. in Epiſt. ad Epheſios, *ne Martyrii quidem ſanguine poſſe hoc peccatum deleri*, οὐδὲ μαρτυρίȣ αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλεῖφειν τὴν ἁμαρτίαν. De quo vide *Erneſt. Grabium* in Sæculi II. Spicilegio.

XVI. Sic quoque intelligendum, quod poſtea habet, c. VI. [27] *quemcumque Pater familias ad regendam familiam ſuam mittit, oportere nos eum excipe-*

25 *Niſi enim quis intra altare ſit* &c.] Verba Græca ſic habent; ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίȣ, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτȣ τοῦ Θεοῦ· εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρȣ ἡ προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἥτε τοῦ Ἐπισκόπȣ καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας; ὁ μὲν ȣ̓͂ν μὴ ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ȣ̔͂τος ἤδη ὑπερηφανεῖ, καὶ ἑαυτὸν διέκρινεν — σπȣδάσομεν ȣ̓͂ν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ Ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν Θεοῦ ὑποτασσόμενοι.

26 *Eſſe inſtar eorum* &c.] Vide *Henr. Dodwelli* Paræneſin ad Exteros §. 26. ubi hunc locum interpretatur.

27 *Quemcumque* &c.] Græca verba: πάντα γὰρ ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, ȣ̔́τως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν

excipere, ut eum qui miſit; adeóque Epiſcopum eſſe reſpiciendum, ut ipſum Dominum; nempe, ſi ſe ita gerat, quemadmodum Dominus & Apoſtoli, ejus nomine, juſſerunt. Alioquin *Ignatius* Chriſtianos non Dei ſervos, ſed hominum eſſe voluiſſet, quod abſit ut de religioſiſſimo Martyre ſuſpicemur! Igitur hæc & quæ ſimilia paſſim occurrunt non ſunt præter modum urgenda, ſed ex ipſa Evangelica doctrina intelligenda & circumſcribenda; niſi velimus eum jam ab ea defeciſſe, quod nemo ſanus dixerit. Hæc monemus, ne quis Veteres aut ludibrio exponat, dum eos Evangelicæ Veritati obloquentes inducit; aut ipſam Veritatem invitam ad ea, quæ ſenſiſſe perperam videantur, detorqueat. ANN. CXVI.

XVII. Omittimus *Ignatii* egregias ad omne Virtutum genus admonitiones, ut ſingularia quædam Lectorum oculis ſubjiciamus. Teſtatur ſe optare c. VIII. fieri *purgamentum & piaculum Epheſiorum*, περίψημα ὑμῶν καὶ ἅγνισμα ὑμῶν, ſic enim cum *Voſſio* lego, pro ἁγνίζομαι; quod & aliter exprimit c. XXI. ubi dicit ſe fieri velle *pretium quo redimantur animæ Epheſiorum*, ἀντίψυχον ὑμῶν ἐγώ. Quibus verbis optat Deum, pro ſua miſericordia, accipere cruciatus & mortem ſuam, loco ſuppliciorum, quæ poſſet de Epheſiis ſumere; nam περιψήματα & ἀντίψυχα dicebantur homines, aliorum loco devoti & qui in ſe converti volebant omnia mala, quæ ii, pro quibus ſe devovebant, perpeti potuiſſent; ut jam monuimus in Prolegomenis Sect. III. Cap. III, 12. Sed cavendum ne putemus *Ignatium* voluiſſe [28] in partem muneris Sacerdotalis Chriſti involare, quaſi ſimilia ei præſtare cuperet. Mala tantùm hujus vitæ ſpectavit, útque Deus, in ſuis & aliorum Martyrum ſuppliciis ac morte adquieſcens, nulla alia Chriſtianis mala immitteret optavit; quod eximiæ pietatis & caritatis votum eſt.

XVIII. Ait *Ignatius* Principi hujus ſæculi latuiſſe *virginitatem Mariæ, partum ejus & mortem Domini*; hoc eſt, [29] ignoraſſe Cacodæmonem natum eſſe Jeſum è virgine intacta, divinam filii Mariæ præſtantiam & rationem ob quam moriebatur, ut, nimirum, humanum genus redimeret. Quæ videtur collegiſſe, niſi rem ab aliis acceperit, è ratione, quâ ſe Cacodæmon erga Chriſtum geſſit. Si enim ſciviſſet unum, è toto Humano Genere, in virgine conceptum & natum, intellexiſſet Deum magnum quidpiam & inuſitatum prorſus, in hominum gratiam, inceptare & à Mariæ Filio ea effectum iri, quibus regnum Cacodæmonis prorſus everteretur; nec auſus eſſet Jeſum tentare, ſi fortè admiſſo

αὐτὸν τὸν πέμψαντα· τὸν οὖν Ἐπίσκοπον δῆλον, ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν Κύριον δεῖ προσβλέπειν.

28 *In partem muneris* &c.] Vide *Joan. Pearſonium* Vind. Ignatian. P. II. c. XV. pag. 422. col. 2. Ed. Amſtel.

29 *Ignoraſſe Cacodæmonem*] Vide *Jac. Uſſerium* de Epiſtolis *Ignatii* C. XII. quamvis aliter de ignorantia Cacodæmonis ſentientem. Caſtigat hanc opinionem in Scriptore Conſtitutionum Apoſt. & in Auctore ſuppoſiticiæ *Ignatii* ad Philippenſes Epiſtolæ. Uterque hæc deſumſerat ex Epiſtola genuina ad Romanos, quibus adſenſerunt & alii Patres; ut docebit, ad hunc locum, *Joan. Bapt. Cotelerius*.

ANN. CXVI.

admiſſo ſcelere omnium maximo, ſeu ipſius Cacodæmonis adoratione, ad deficiendum eum adduceret. Si noviſſet *habitaſſe in eo omnem plenitudinem Divinitatis*, ut loquitur Paulus Coloſſ. II, 9. numquam id ipſum conatus eſſet. Si ei perſpecta fuiſſet ratio mortis Chriſti, quæ Humani Generis redemtio erat, non impuliſſet avarum Judæ animum, ut Magiſtrum proderet, alióſque, qui mortis Chriſti auctores fuere, ut eum interficerent. Sic certè ratiocinari potuit Ignatius, aut alii qui hoc ſenſere Chriſtiani. Similiter Paulus Epheſ. III. 5, 10. *myſterium Chriſti*, vel quod ignotum antea erat de Chriſto, ait ſuo tempore revelatum fuiſſe Angelis. Quare non erat cur locus ille *Ignatii* carperetur, cùm abſurdi nihil complectatur, neque falſitatis argui poſſit.

XIX Secunda Epiſtola eſt ad [30] Magneſianos, ubi ab initio Epiſcopi, Presbyterorum & Diaconorum occurrit diſcrimen, laudantúrque Damas Epiſcopus, Baſſus & Apollonius Presbyteri & Sotion Diaconus; qui Ignatium inviſerant, Eccleſiarum ſuarum nomine, dum Smyrnæ morabatur, unde ad eos has litteras dedit. Laudat Diaconum, *quòd ſubjectus eſſet Epiſcopo, ut gratiæ Dei: Presbyterio verò, ut legi Jeſu-Chriſti*, c. II. hortatúrque Eccleſiam ne minùs revereatur Epiſcopum, quòd junior eſſet, quem colebant Presbyteri, *non adtendentes, juvenilem ordinationem*, οὐ προσειληφότες τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, c. III. Qui locus controverſiis Eruditorum exagitatus eſt, dum alii volunt Epiſcopatum vocari *novam conſtitutionem*, unde colligunt non ita pridem inſtitutam fuiſſe; alii verò contendunt, non ad Epiſcopatûs inſtitutionem, quæ his temporibus antiquior multò erat, ſed ad ætatem Damæ reſpici, ut oſtendunt antecedentia; [31] quod multis probavit *Joan. Pearſonius*, in Præfatione Vindiciarum Ignatianarum. Alioqui poſſet quis ſuſpicari non multò ante hæc tempora fuiſſe plures in Aſia Eccleſias, quæ, [32] ut initio, adminiſtrabantur pari auctoritate Rectorum, quibus utriuſque Ordinis, primi & ſecundi, collata fuerat poteſtas; cujus regiminis cùm incommoda animadvertiſſent Chriſtiani, Joannes & viri Apoſtolici, qui ſuperſtites erant, uni viro, in ſingulis Eccleſiis, utriuſque Ordinis poteſtatem mandandam cenſuerant, vocandúmque ſingulari quodam jure, *Epiſcopum*, dum inferioris Ordinis homines ei adjuncti *Presbyteri* tantùm dicerentur, eique quaſi ſuperiori poteſtati parerent. Quamobrem nonnulli etiamnum erant, qui eam regiminis formam ægrè ferebant, quales iis fuere, de quibus Ignatius c. IV. Quidam [33] *Epiſcopum*

30 *Magneſianos*] Incolas Magneſiæ ad Mæandrum, non procul ab Epheſo ſitæ; nam remotior fuit Magneſia ad Sipylum.

31 *Quod multis probavit* &c.] *Henr. Dodwellus*, in Paræneſi ad Exteros, multis incertis conjecturis nixus, quas vir ceteroqui doctiſſimus ut hiſtorias narrat, exiſtimat Collegium Apoſtolicum, quod Epheſi fuiſſe fingit, circa annum CVI. vocaſſe Epiſcopos πρωτοκαθέδρους, eóſque novâ poteſtate donaſſe; ac proinde νεωτερικὴν τάξιν, ſi ita Adverſariis videatur, poſſe de nova conſtitutione intelligi; quamvis alioqui *Pearſonii* interpretationem præferat. Vide eum §. XXI. & ſeqq.

32 *Ut initio* &c.] Vide dicta ad ann. Primi Sæculi LXVIII, 6.

33 *Epiſcopum quidem nominant* &c.] *Henr. Dod-*

pum quidem nominant, *ſed ſine eo omnia faciunt*, τινὲς Ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσι, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν. Quæ cauſa eſſe potuit, cur tam frequenter *Ignatius* hortetur Chriſtianos, ut Epiſcopis ſuis obſequantur; certè rem uſque adeò iterari & inculcari opus non fuiſſet, apud homines à multis annis ei obſervantiæ adſuetos. ANN. CXVI.

XX. Locus eſt, in hac Epiſtola c. VIII. de quo digladiati ſunt viri doctiſſimi, ubi *Ignatius* ait Chriſtum eſſe *Verbum Dei æternum*, *non è ſilentio progreſſum*, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Quæ verba ad *Valentini* dogma referri putant, qui antiquitatem harum Epiſtolarum oppugnant, atque hinc Ignatianas non eſſe colligunt; quia, poſt mortem demum *Ignatii*, *Valentinus* dogmata ſua ſpargere cœpit. Sed huic incommodo mederi non infeliciter conati ſunt, variis rationibus, Epiſtolarum antiquitatis defenſores; quas legere licet in notis *Iſaaci Voſſii* & *Joan. Baptiſtæ Cotelerii* ad hunc locum, & præſertim apud *Joan. Pearſonium* Vindic. Ignatianarum P. 2. c. IV. & ſeqq. ubi copioſè hac de re egit, oſtenditque Ignatium contra antiquiores Ebionæos docere *Verbum* Divinum eſſe *æternum*, nec quidquam id anteceſſiſſe; neque enim progreſſum à Deo, *poſt* æternum quoddam *ſilentium*, quod antea fuerit, ſed ſemper fuiſſe apud Deum Verbum Dei, non ſimile hominum Verbo, quod ſilentium ſequitur, ac proinde initium habet. In qua interpretatione adquieſcere licet, donec commodior proferatur.

XXI. Tertia Epiſtola eſt, quæ ad Trallianos data etiam eſt, dum Ignatius Smyrnæ moraretur; eos enim Smyrnæorum verbis, ad calcem Epiſtolæ, ſalutat. Summopere in ea laudat Polybium eorum Epiſcopum, qui eum inviſerat, gratulatúrque Trallenſibus, quòd ei parerent, ut *Jeſu-Chriſto* & hortatur ut *nihil agant*, *ſine Epiſcopo*, ut obſequantur *Presbyterio ut Apoſtolis Jeſu-Chriſti*, útque *Diaconos* colant, pluráque eam in rem habet Capp. II & III. Quæ dicebat *Ignatius* de Rectoribus Eccleſiæ Trallenſis, quos rectè ſentire, vitámque ad Evangelii præcepta exigere probè norat, déque eorum ſimilibus; non de quibuſvis, qui poſtea erant futuri, quæcumque tandem eorum doctrina & vita futuræ eſſent.

XXII. Epistola ad Romanos, quæ quarto loco ſequitur, data eſt Smyrnæ a. d. IX. Calendas Septembres, unde intelligimus diu eum Smyrnæ commoratum, quod antea monuimus. In inſcriptione ſalutat Romanos in *Domino Jeſu Chriſto Deo noſtro*, Θεῷ ἡμῶν, quo loquendi genere,

Dodwellus Epiſcopatûs quidem, ſed ex ſuis ipſius conjecturis, acerrimus patronus, putabat Epiſcopos, ante hæc tempora, excepto Jeroſolimitano, ſic dictos fuiſſe ab adminiſtratione Eleemoſynarum, §. XXX. Parenæſ. ad Exteros. Sed liquet, ex hoc *Ignatii* loco, huic nomini ſingularis cujusdam poteſtatis ſubjectam eſſe ſignificationem, quaſi ἐπίσκοπος eſſet ἐπὶ πᾶσι σκοπῶν, *qui ſupra omnes inſpector eſt*, ut Ἔφορος & ſimilia. Huc faciunt quæ habet ipſe *Dodwellus* §. XXVIII. ubi Deum eſſe ſummum ἐπίσκοπον, & πάντα ἐπισκοπεῖν, indéque tranſlatam vocem ad Sacerdotes oſtendit.

ANN. CXVI. nere, Apoſtolicis temporibus minùs uſitato, utitur etiam, ut diximus, in Inſcriptione Epiſtolæ ad Epheſios. Videtur timuiſſe ne Romani Chriſtiani darent operam, apud Trajanum, ut vitam ei concederet. Quare hoc vehementer & pluribus verbis deprecatur, quæ Epiſtolarum harum adverſariis diſplicuere; quaſi modum hîc Epiſtolæ auctor non ſervaſſet, ex quo Chriſtianos nec mortem nimiùm timere, nec optare par eſt. Verùm is fuit fervor plurium Martyrum, natus ex humanarum rerum deſpicientia, certa ſpe beatæ immortalitatis, eáque quàm primùm fruendi ardentiore cupiditate, ut oſtenderunt [34] *Joan. Pearſonius* & *Joan. Baptiſta Cotelerius.*

XXIII. VERBA ipſa oſtendunt quo ardore flagraret. Quare pauca proferam: *Obſecro vos*, inquit, *ne intempeſtivâ benevolentiâ erga me ſitis. Sinite me ferarum eſcam fieri, per quas licet Deum conſequi. Frumentum Dei ſum, dentibus beſtiarum molor, ut mundus Dei panis comperiar.* (Duriorem metaphoram, ſed non inelegantem!) *Blanditiis demulcete potiùs feras, ut mihi ſepulcrum fiant, neque quidquam corporis mei reliquum faciant, ne cùm obdormiero* [35] *ulli moleſtus fiam.* C. IV. *A Syria Romam uſque, cum beſtiis depugno, terrâ marique, noctu & interdiu, adligatus decem* [36] *leopardis; hoc eſt, militum manipulo, qui etiam beneficiis adfecti deteriores fiunt. At ego eorum injuriis erudior,* [37] *ſed non propterea juſtificatus ſum. Utinam verò fruar beſtiis mihi paratis, quas & opto mihi brevi inveniri, & demulcebo ut me quàm primùm devorent, non ut quoſdam territa non adtigerunt. Quin imò, ſi volentem devorare nolint, vi eas cogam — Ignis, crux, ferarum concurſus, ſectiones, lacerationes, oſſium ſparſiones, membrorum conciſiones, totius corporis raptationes & Diaboli tormenta in me veniant, tantùm ut Jeſum conſequar.* Quæ verba ſunt hominis qui, ut loquitur [38] *Lucanus*, de milite mori parato, *totus futuræ mortis ſtimulis agebatur.*

XXIV. QUINTA eſt Epiſtola ad Philadelphenſes, Troade ad eos data; quam à laudibus Epiſcopi Philadelphenſium, qui eum inviſerat, inchoat *Ignatius.* Pluribus etiam, ut ſolet, eos hortatur, ut in ſumma conjunctione, cum eo & Presbyteris vivant, omnémque diſſentionem, ac concordiæ inimicos diligenter fugiant. Cùm verò nonnulli eſſent, qui vel ignorantiâ, vel metu, vel aliâ quapiam animi perturbatione, ſe

34 *Joan. Pearſonius*] Vindiciarum Ignatianarum Part. 2. C. IX. *Cotelerius* verò in notis ad hunc locum.

35 *Ulli moleſtus.*] Βαρύς τινι γένωμαι, nempe, aut fœtore cadaveris, aut curâ ſepulturæ.

36 *Leopardis*] Hanc vocem non eſſe poſterioris ævi, ut crediderat *Sam. Bochartus*, oſtenderunt *Cotelerius* ad locum, & *Pearſonius* Vindiciarum Ignat. Part. 2. C. VIII, fermè iiſdem exemplis. In loco vitæ Antonii ab iis adlato, legitur in Bened. Edit. T. I. *Athanaſii* Operum p. 803. λεοπάρδων è Cod. MS. cùm alii habeant λεοπαρδάλων.

37 *Sed non propterea juſtificatus ſum*] 1. Cor. IV, 4. niſi, nempe, ad finem uſque perſeverem, unde juſtificatio pendet.

38 *Lucanus*] Lib. IV, 517. ubi Vulteius Cæſaris miles:

—— *totúsque futuræ*
Mortis agor ſtimulis.

39 *Sicut ad carnem Chriſti.*] Poteſtatem vocum *Evangelium* & *Apoſtoli* hoc in loco nobis

ſe ſe ab unitate Eccleſiæ ſejungebant, *Ignatius*, ſi pœnitentiâ ducantur, velintque iterum Eccleſiaſticis cœtibus adjungi, monet recipiendos: *Quotquot, pœnitentiâ ducti, redierint ad unitatem Eccleſiæ, hi erunt Dei, ut ſecundùm Jeſum Chriſtum vivant*, c. III. Si quanam occaſione hæc dicta ſint ſciremus, quodnam pœnitentium genus ſit intelligendum dicere poſſemus; ſed cùm ignota ſit occaſio, nihil eſt quod de doctrina *Ignatii*, hoc in negotio, adfirmemus, niſi verè pœnitentes recipi oportere. Vide & c. VIII. ANN. CXVI.

XXV. De ſe ſic loquitur *Ignatius: confugiens ad Evangelium*, [39] *ſicut ad carnem Chriſti, & ad Apoſtolos, velut Eccleſiæ Presbyterium*, c. V. Quæ verba videntur de Evangeliis & Apoſtolicis Scriptis intelligenda; ita ut hoc velit *Ignatius*, cognoſcendæ divinæ voluntatis causâ, ſe confugere ad Evangelia, quibus crederet non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe [40] *in carne*, hoc eſt, in eo ſtatu quo fuit in terris, conſpicuus & etiamnum apud homines vivens, eos ſermones, qui in Evangeliis leguntur, ore ſuo proferret; tum etiam ad ſcripta Apoſtolorum, quos habebat quaſi totius Chriſtianæ *Eccleſiæ Presbyterium*, ſub Chriſto omnium Epiſcopo, quod cœtus Chriſtianos omnes, quid credendum ſit, doceret. Unde quanti fierent Libri Sacri Novi Teſtamenti, hiſce temporibus, ſatis liquet. Addit: *ſed & Prophetas amamus, quia ipſi nunciarunt quæ pertinent ad Evangelium, id ſperarunt, atque exſpectarunt.* Quæ reſpiciunt Vetus Teſtamentum, prout ſcriptum exſtat, nam aliunde Prophetæ *Ignatio* innoteſcere non potuerant. Nec leviter prætermittendum, ab eo, primo quidem loco, Novi Teſtamenti Scripta, per quæ Chriſtiani ſumus, memorari, quaſi perfugium ſuum; ſecundo verò Veteris Libros, quia ex iis Novum confirmari poteſt.

XXVI. Ea autem dicebat, ut ne Philadelphenſes ſe ſe à Judæis, Vetus tantùm laudantibus, decipi paterentur; nam paullò pòſt ſic eos adloquitur: *ſi quis Judaiſmum vobis interpretetur; ne eum audiatis* &c. quæ exſtant c. VI. unde intelligimus Judæos, invidiâ accenſos, Chriſtianorum cœtus minuere conatos eſſe. Ad eoſdem pertinere videtur quod habet *Ignatius* c. VIII. *ſe audiviſſe quoſdam dicentes:* niſi invenero [41] in antiquis (*Prophetis, ſcilicet*) Evangelio non credo; *& cùm iis dixiſſet ſcriptum in iis* (de Evangelio) *eſſe, reſpondiſſe eos* (non) *proponi* (nempe

nobis ſuppeditavit *Joan. Millius* in Prolegomenis in N. T. ubi de Canone Epiſtolico p. XXIV. Ed. Oxon. Debuiſſe eam ſe ait *Erneſto Grabio*. Reliqua noſtra ſunt.

40 *In carne*] Sic in Ep. ad Smyrnæos c. III. ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, eſt, *ſcio eum fuiſſe corpore indutum*. Paſſim ita ſumitur in V. & N. T.

41 *In antiquis*] Ἐν ἀρχαίοις, ut habet MS. Florentinus, ſed *Pſeudo-Ignatius* habet ἐν ἀρχείοις, quod ſimilitudo pronunciationis pro altero invexit. Scio *Voſſium* & *Cotelerium* ex ejus auctoritate & ſequentibus, ubi bis legitur, ἀρχεῖα, ſic voluiſſe legi. Sed caret omnino ea lectio, ut mihi quidem videtur, ſenſu, nam in quibuſnam Archivis debuere eſſe Evangelia? Non in Judaïcis, neque in Ethnicis; in Chriſtianis verò ſine dubio inveniebantur, cùm in Eccleſiis hoc ſæculo legi ſolerent, ut ex Apol. I. *Juſtini* conſtat. Non erat ergo, cur quiſquam negaret ſe poſſe credere Evangelio, niſi in Archivis eſſet. Sed poterant dicere Judæi ſe ei fidem non habere,

ANN. CXVI. (nempe, in V. F. Evangelium.) *Mihi verò*, inquit, *pro antiquis eſt Jeſus Chriſtus*; *illibata antiqua* (dogmata) *crux ejus & mors & reſurrectio & fides quæ per eum eſt*; hoc eſt, Chriſtianam doctrinam eſſe loco antiquitatis, quam Judæi jactabant, & reverâ crucem Chriſti, mortem, reſurrectionem, & fidem quæ ei debetur eſſe incorrupta & antiqua dogmata.

XXVII. Sextam Troade ſcripſit Epiſtolam, per [42] Burrhum Diaconum Epheſium, qui ad eum unà cum Oneſimo Epiſcopo miſſus fuerat. Videntur fuiſſe Smyrnæ diſcipuli [43] Cerinthi, aut alii ejuſmodi Hæretici, qui contendebant Chriſtum mortuum eſſe non verè, ſed κατὰ δόκησιν, hoc eſt, viſum tantùm mori. Ideò *Ignatius* ait Chriſtum *verè paſſum eſſe*, *ut verè ſemet ipſe excitarat*, *non ut quidam infideles dicebant*, *viſum tantùm eſſe pati*, c. II. Tum addit c. III. *ſe ſcire*, *etiam poſt reſurrectionem*, *eum fuiſſe in carne*, *& credere* etiamnum *eſſe*; hoc eſt, habuiſſe & habere corpus humanum. Græca verba habent: Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα, quæ malè verſa ſunt ab *Hieronymo*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, [44] *in carne eum vidi*, quaſi *Ignatius* diceret ſe vidiſſe Jeſum, poſt reſurrectionem, quod verum non eſt. Sequuntur verò hæc verba: *Et quando ad eos*, *qui cum Petro erant*, *venit*, adprehendite, *inquit*, palpamini me, & videte me Dæmonium incorporeum non eſſe. *Et confeſtim eum tetigerunt & crediderunt*, *carne ejus & ſpiritu convicti.* Quæ verba ex Evangelio, ſecundùm Hebræos, ſumta eſſe oſtendêre [45] viri docti; nam Veteres quæcumque in Evangeliis Apocryphis legebantur falſa eſſe non putabant, quamvis in noſtris non exſtent. Fuerintne, ea in re, nimis creduli, aut parum cauti noſtrum non eſt, amiſſis illis Evangeliis, hodie dicere. Plura etiam, contra Docetarum errorem habet *Ignatius* cap. IV. & ſeqq.

XXVIII. Castigat eoſdem c. VII. quòd *ab Euchariſtia & Oratione abſtinerent*, *quia non fatebantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu-Chriſti*, *quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt*, *& quam Pater ſuâ benignitate excitavit.* Quod quidem convenienter ceteræ ſuæ doctrinæ faciebant, cùm enim Euchariſtia ſit inſtituta ad celebrandam memoriam corporis Chriſti pro nobis fracti, & ſanguinis effuſi; non poterat celebrari,

re, niſi id quod habet in ἀρχαίοις, nempe, βιβλίοις τῶν προφητῶν, *in antiquis libris Prophetarum* inveniretur. Sic ipſi veteres Hebræi à Chriſto Matth. V. ſæpiùs ἀρχαῖοι dicuntur, & ab *Ignatio* traditiones Judaïcæ μαθήματα παλαιὰ ad Magneſianos, cap. VIII. & Judæi παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες, Cap. IX. Sic *Heſychius* ἀρχαίοις, τοῖς ἐξ ἀρχῆς παραδεδομένοις interpretatur. Ideò reſpondet iis noſter ὅτι γέγραπται, hoc eſt, exſtare ſat multa Veteris Teſtamenti de Chriſto vaticinia; nam ea vox Scripturæ citationibus præfigi, ut omnes norunt, ſolet. Id verò negant Judæi, his verbis, ὅτι πρόκειται, ubi omiſſa eſt, ut rectè animadvertit *Iſ. Voſſius*, negativa particula; contendebant enim Judæi dogmata Chriſtiana οὐ προκεῖσθαι, *non proponi* in Vetere Teſtamento, ſeu de iis in eo non agi, nam προκείμενον eſt id de quo agitur. Reponit verò *Ignatius* Jeſum Chriſtum, ſeu ejus doctrinam ſibi eſſe τὰ ἀρχαῖα, hoc eſt, antiquorum omnium vaticiniorum loco; & quidem ἄθικτα *illibata*,

brari, ex inſtituto Chriſti, ab hominibus, qui mortuum non eſſe Chriſtum putabant; niſi ſibi ipſi contradicerent. Quare miror hoc viris doctis [46] difficile creditu viſum, proptereáque Ignatianas Epiſtolas eſſe rejectas. Quòd ſi *Irenæus*, *Epiphanius* aliique non meminerint ejuſmodi hominum, non ſequitur propterea nullos fuiſſe; cùm non uſque adeò adcurati illi Scriptores ſint, ut nihil omittant. ANN. CXVI.

XXIX. Quamvis in ſuperioribus Epiſtolis, exceptâ eâ quæ ad Romanos data eſt, *Ignatius* Chriſtianos ad obſequium erga Rectores Eccleſiæ hortetur; in nulla tam graviter ea de re agit, quàm in hac ad Smyrnæos Epiſtola, ubi ſic c. VIII. loquitur: *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus-Chriſtus Patrem, & Presbyterium, ut Apoſtolos. Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum* (hoc eſt, Apoſtolorum ac proinde Dei mandato inſtitutos) *Sine Epiſcopo nemo quidquam eorum, quæ ad Eccleſiam pertinent, faciat. Firma Euchariſtia ea habeatur, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel quam ipſe permiſerit. Ubi comparuerit Epiſcopus, ibi multitudo ſit: quemadmodum ubi fuerit Chriſtus Jeſus, ibi eſt Catholica Eccleſia. Nec baptizare neque Agapam celebrare, ſine Epiſcopo, licet; ſed quidquid ille probaverit, Deo gratum eſt, ut tutum ratúmque ſit quidquid agitur.* Norat, nempe, Polycarpi ſanam doctrinam & ſanctos mores; à quo nihil doceri, aut fieri poterat, quod non eſſet Evangelio conſentaneum. Si fuiſſet pravæ doctrinæ, aut morum minùs caſtigatorum reus, aut inconſtantiæ ſuſpectus, numquam ita loquutus eſſet Epiſcopus Antiochenus. Certè poſtquàm Chriſtiani Epiſcopi, ut temporibus Arii, Neſtorii, aut Eutychis, nec doctrinam Evangelicam, nec mores ei conſentaneos retinuiſſe compertum eſt; iis per omnia obſequi oportere qui aliter ſentiebant non crediderunt. Non ſunt ergo hæc inſtar Axiomatum Mathematicorum, quæ nullâ exceptione laborent, habenda; uti nec ſequentia, quæ ad verè Chriſtianorum Epiſcoporum honorem pertinent.

XXX. Antequam Troade profectus eſſet *Ignatius*, jam Antiochenæ Eccleſiæ reſtituta à Trajano, aut à Syriæ Præſide pax erat. Quamobrem *decere* ait, C. XI. *Eccleſiam* Smyrnæam, *in Dei honorem eligere ſacrum legatum* (θεοπρεσβύτην, non θεοπρεπεςάτην ut eſt in Codice Florentino, quod rectè vidit Iſ. Voſſius) *ut eat in Syriam uſque congra-*

ta, ſeu incorrupta omnia *antiqua* in ejus cruce, morte, reſurrectione & fide inveniri, cùm hæc ſummam Religionis totius complectantur. Sententia eſt perſpicua, quæ nulla eſt, ſi retineatur vox ἀρχεῖα, quî enim hæc, quæ diximus, *archiva* vocari poſſint? Hic obſcuri, & propter obſcuritatem ſuam corrupti loci videtur eſſe ſenſus, qui Interpretes fruſtra exercuit.

42 *Per Burrhum.*] Vide cap. XII. & Epiſtolæ ad Epheſios Ignatianæ cap. II.

43 *Cerinthi, aut alii* &c.] Vide ad an. LXXIX, 3. & ad LXXX, 1.

44 *In carne eum vidi*] Οἶδα eſt *ſcio*, non *vidi*, & ſic vertit *Rufinus* in H. E. Lib. III. c. 36. Vide notata hîc à *Voſſio* & *Cotelerio*, tum etiam *Pearſonium* Vind. Ignatian. P. 2. c. X.

45 *Viri docti*] *Cotelerius* ad locum, & *Pearſonius* Vind. Ignatianarum P. 2. C. IX.

46 *Difficile creditu*] Vide *Cotelerium* ad hunc locum & *Pearſonium* Vind. Ignat. P. 2. C. XI.

ANN. CXVI. *congratulatum* Antiochenis, *quòd pace fuerentur, recepiſſent magnitudinem ſuam* (hoc eſt, frequentiam Chriſtianorum in Eccleſia) *& reſtitutum eſſet iis ſuum corpus — ut unà cum illis glorificaret Deum, ob tranquillitatem, quam in Deo erant conſequuti, & quòd portu jam potiti eſſent.* Quæ ſatis oſtendunt tam diram perſequutionem in Syria non fuiſſe, quàm eſt ſequentium Sæculorum Martyrologiis deſcripta.

XXXI. Septima & ultima eſt Epiſtola ad Polycarpum, quem ad omnia egregii Epiſcopi munia hortatur *Ignatius*, optátque ut quempiam in Syriam mittat ad Antiochenos, quem vocat θεόδρομον, *curſorem Dei.* Cùm ſit Epiſtola in Cod. Florentino, nec quidquam occurrat, cùm in rebus, tum in ſtylo, quod à ceteris Epiſtolis diſſentiat, [47] cúmque eam agnoverint Veteres; nihil erat, cur viri docti ſuſpectam haberent. De interpolatis, ac ſuppoſiticiis nihil dicam, longum enim eſſet de putidis additamentis aut figmentis agere; quæ ſunt à viris doctis retecta, & in animadverſionibus ad eas Epiſtolas meritò notata. Hoc unum monebo, cùm tantam corrumpendi antiquiora Scripta, & ſupponendi magnis viris alienos fœtus audaciam graſſatam olim videamus; cautè nos oportere in lectione Veterum verſari, nec facilè iis, quæ ſequentia ſæcula redolent, fidem habere, aut uno, vel altero loco, quæ à mala manu eſſe poſſunt, niti, ſi modò falli nolimus; à quo tum demum cavebimus, cùm in Antiquis quæremus tantùm quod in iis eſt, non quod partibus, quas ſequimur, expedit iis ineſſe videri. Proferuntur & quædam alia *Ignatii* fragmenta, diligenter à viris doctis collecta, quibus non immorabimur. *Ignatio*, in Antiochena ſede, ſucceſſit Hero, qui Diaconus ejus Eccleſiæ antea fuerat.

XXXII. Hoc tempore, vixit Papias Epiſcopus Hierapolitanus in Syria. Scripſerat quinque Libros *Expoſitionis Oraculorum Divinorum. Irenæus* ait eum *Joannis quidem auditorem, ſodalem verò Polycarpi* fuiſſe Lib. V. c. 33. Sed *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 39. obſervat, *Papiam*, in Procemio librorum ſuorum, ſatis apertè teſtari ſe non Apoſtolos ipſos, ſed eorum Diſcipulos audiſſe. Ab iis accepiſſe ſe ait quæ audiſſent dici ab Apoſtolis, ſéque majorem cepiſſe fructum ex ea re, quàm è lectione Librorum. E quibus verbis jam ſat clarum eſt exigui hominem fuiſſe judicii, qui incertis auditionibus, pluſquàm Scriptis crederet, quæ conſtabat eorum, quorum nomina præferebant, eſſe. Sed præterea *Euſebius* diſertè fabuloſa eum ſcripſiſſe teſtatur, cujus rei exempla aliquot certa adfert; quibus prolatis, rectè colligit *eum perexigui ingenii fuiſſe videri, ut ex ejus libris certè colligere licet.* Quod *Euſebii* judicium quiſquis legiſſet, meritò mira-

47 *Cúmque eam agnoverint.* &c.] Vide *Voſſium* & *Cotelerium*, ad initium Epiſtolæ.

48 *Quibus non immorabimur*] Ea vide, apud *Erneſt. Grabium* in Spicilegio Sæculi II.

49 *Quare meritò* &c.] Vide tamen quæ de eo habeat *Erneſt. Grabius*, ad ejus fragmenta in Spicilegio Sæculi II. Sed nimis libenter quæ defendi non poſſunt, in Veteribus, tuetur.

1 *Per aliquot dies* &c.] Cùm *Dion*, ſe à Patre Aproniano, qui Ciliciæ tum præerat,

miraretur id quod de eo habere videtur idem ſcriptor c. 36. ejuſdem Libri, Papiam fuiſſe *virum diſertiſſimum* & *eruditiſſimum*, *ac Scripturæ peritum*; ni conſtaret totum hoc elogium è MSS. Codicibus, quos conſuluit *Henr. Valeſius*, abeſſe, nec apud *Rufinum* legi. [49] Quare meritò cenſet doctiſſimus *Euſebii* Editor, ab imperito quodam Scholiaſte, præter *Euſebii* mentem atque ſententiam, adjectum totum hoc elogium fuiſſe. Plura non addemus, niſi hinc conſtare valde imprudenter facturos fuiſſe Hierapolitanos, ſi Epiſcopo ſuo, *ut Deo ſubjecti fuiſſent*; quod multis Aſiæ Eccleſiis ſuaſiſſe *Ignatium* vidimus, cujus verba benignâ interpretatione adjuvanda, hoc ipſum Papiæ exemplum pulcrè oſtendit. ANN. CXVII.

Quinctio Nigro, C. Vipſtano Aproniano COSS. Trajani Imp. XX. Hadriani I. Æræ Vulgaris Chriſti CXVII.

I. Cum Trajanus, primo vere ſuperioris anni, in hoſtem moviſſet, Aſſyriam ſine certamine ingreſſus, loca vidit, in quibus olim ab Alexandro Darius victus fuerat; tum etiam ſine ſanguine, quòd inteſtinis bellis Parthi laborarent, trajecto Tigride, Cteſiphontem cepit, & per fluvium in Oceanum pervenit. Cupidus videndi illius maris cùm navigaret, nuncium accepit, de defectione populorum quos ſubegerat. Quare reverſus nonnullos, qui rebellaverant, in ordinem per Legatos redegit. Sed metuens ne Parthi quoque contra ſe quidpiam molirentur, Regem eis dedit Parthamaſpatem, eique Diadema impoſuit; ſed is poſtea à Parthis ſpretus. Tum in Arabia Agarenos ſubigere conatus, regionis æſtu, penuriâ, periculiſque adeundis coactus eſt rem infectam relinquere. Non multò pòſt in morbum incidit, quo ingraveſcente, in Syriam ivit, ubi Hadrianum cum exercitu reliquit. Hinc, itinere in Italiam ſuſcepto, perlatus Selinuntem, urbem Ciliciæ, fato functus eſt a. d. X. Auguſti poſtquàm imperaſſet per annos XIX. menſes VI. dies XV. ut habet è Dione *Xiphilinus*, in ejus vita.

II. Defuncto, ſine liberis, Trajano, Hadrianus, quòd non procul abeſſet, quódque magnis copiis præeſſet, favore Plotinæ Auguſtæ, Imperator renunciatus eſt. Adoptatus fuerat à Trajano moribundo, mórſque ejus [1] per aliquot dies, ut adoptio ſuum ſortiretur effectum, antequàm reſciretur, celata eſt, ut habet *Xiphilinus*, è *Dionis* Lib. LXIX. Vide & *Spartianum* in Hadriano.

III.

erat, réſque Trajani probè norat, hanc hiſtoriam accepiſſe teſtetur; crediderim ei potiùs quàm *Spartiano*, qui ait Hadrianum *V. Id. Auguſti die, Legatum Syriæ, litteras adoptionis accepiſſe.* c. IV. Nam ſi ante mortem Trajani ſe adoptatum ſcire potuit, nihil erat cur Trajani mors, aliquot diebus diſſimularetur, ut negotium adoptionis procederet. Hiſce impeditûs *Ant. Pagius* hoc negotium nonnihil intricavit.

ANN. CXVII. III. Hoc eodem anno, ſcripſit Polycarpus, Smyrnæorum Epiſcopus, litteras ad Philippenſes, quas in Græcis etiamnum mutilas, ſed in antiqua Verſione Latina integras habemus. Extremam tamen particulam Græcè profert *Euſebius* H. E. Lib. III. c. 36. ubi hæc habet, ad Hiſtoriam facientia, Polycarpus: „ Scripſiſtis ad me, & vos & Ignatius, ſi quis iret in Syriam, etiam litteras [2] à vobis datas eò deferret. Quod faciam, ſi [3] opportunam occaſionem nactus fuero; vel ego ipſe, vel per alium quempiam, ſi quem nunciaturum quiddam, quod ad vos pertineat, miſero. Epiſtolas Ignatii ab ipſo ad nos miſſas, & quotquot alias apud nos habemus, ad vos miſi, quemadmodum juſſiſtis, quæ ſubjectæ ſunt huic Epiſtolæ. E quibus magnam utilitatem capere poteritis. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem, quæ ad Dominum noſtrum pertinet. Miſerant, ut videtur, litteras in Syriam, de morte Ignatii; atque ad eos miſit Polycarpus Epiſtolas omnes Ignatianas, quas nanciſci potuit; de quibus ad annum ſuperiorem egimus, & quas in antiquis Codicibus huic *Polycarpi* Epiſtolæ ſubjunctas videre licet; unde etiam intelligere eſt fuiſſe eas primùm conjunctim à *Polycarpo* editas. Qua in re, non minùs laudanda eſt ſanctiſſimi viri diligentia; quàm vituperanda eſſet Chriſtianorum antecedentis ætatis incuria, niſi quamprimùm Evangelia & Apoſtolicas Epiſtolas collegiſſent; quod tamen ab iis neglectum quidam contendunt, ut divinis illis Scriptis incertas Secundi Sæculi traditiones, pravo conſilio, æquent.

IV. Acceperat jam tunc temporis *Polycarpus* nuncium de Martyrio Ignatii, duorúmque ejus comitum *Rufi* & *Zoſimi*; cùm paullò antea ſic ad Philippenſes ſcribat: „ Obſecro vos omnes, ut præpoſitis obſequentes ſitis, colatiſque omne patientiæ genus, quam præ oculis veſtris vidiſtis, non tantùm in beatis Ignatio, Rufo & Zoſimo, ſed etiam in aliis è vobis, & in ipſo Paulo, ac reliquis Apoſtolis; perſuaſum habentes neminem, ex omnibus hiſce, in caſſum cucurriſſe, ſed in fide & juſtitia, eſſéque in loco ſibi debito, apud Dominum, cum quo etiam paſſi ſunt.

V. Litteræ ipſæ *Polycarpi* ad Philippenſes plenæ ſunt ſpiritu Apoſtolico, atque eo ſtylo ſcriptæ, qui magis ad Apoſtolicam ſimplicitatem accedit, quàm Ignatianæ. Multa loca ex Evangeliis, Epiſtoliſque Pauli & 1. Petri profert verbo tenus, adeò ut adpareat diligentiſſimè Apoſtolica Scripta ab eo lecta fuiſſe. I. Gratulatus pietatem, quam profitebantur, Philippenſibus, eos ut in omnium Virtutum cultu perge-

2 *A vobis*] Παρ᾽ ὑμῶν, non παρ᾽ ἡμῶν, quod hîc ſenſu caret, ut bene animadvertit *Jac. Uſſerius*, ad hunc locum; quamvis Vetus Interpres Latinus, *Rufinus* & *Nicephorus* poſteriori lectioni faveant. Voces adeò adfines ſunt, ut ſæpe inter ſe miſceantur.

3 *Opportunam occaſionem*] Καιρὸν εὔθετον, quod non tantùm tempus, ſed & occaſionem ſignificat, quod meliùs huic loco convenire videtur.

4 *Presbyterorum* &c.] Videtur *Polycarpus*, antiquo more, huic voci ſubjeciſſe duplicem poteſtatem, ita ut duos ſuperiores Or-

pergerent hortatur. II. Officia mulierum, adoleſcentium, viduarum, Diaconorum & [4] Presbyterorum deſcribit. III. Vult Philippenſes *Presbyteris & Diaconis obſequi, ut Deo & Chriſto*; quod ab *Ignatio* uſque adeò inculcatum vidimus, ut nonnullis propterea ſcriptæ Epiſtolæ Ignatianæ eſſe videantur. Sed res eſt eodem modo intelligenda apud *Polycarpum*, ac apud *Ignatium* capiendam diximus; ita ut ſtatuantur Chriſtiani Rectoribus Eccleſiæ parere debuiſſe, *ut Deo & Chriſto*, ſi modò & ipſi *Deo & Chriſto* parerent, & prout Evangelii præceptis obſequentes ſe ſe præſtabant. IV. Addit *quiſquis non confeſſus fuerit Jeſum-Chriſtum in carne veniſſe eſſe Antichriſtum*; quibus verbis deſignantur Docetæ, de quibus antè diximus. V. Reliqua ſunt adhortationes ad conſtantiam & virtutes quaſvis, per ſaturam, more Apoſtolico congeſtæ, & paſſim iiſdem verbis, ac apud Paulum, expreſſæ. ANN. CXVIII.

Hadriano Aug. II. Fuſco Salinatore COSS. Hadriani Imp. II. Æræ Chriſti Vulgaris CXVIII.

I. Quarta ſub Hadriano, ut ait *Sulpicius Severus* Lib. II. c. 31. perſequutio numeratur, quam tamen pòſt exerceri prohibuit, injuſtum eſſe pronuncians ut quiſquam, ſine crimine, reus conſtitueretur, ut habet idem Scriptor, & ad annum CXXV. videbimus. Romam per Illyricum reverſus, liberalitate & clementiâ, Senatum, Populúmque Romanum demereri conatus eſt. Tributa, quæ fiſco Cæſaris & Ærario Populi Romani debebantur à ſexdecim annis, crematis tabulis, remiſit. Sed nec defuere crudelia facta, quibus vita ejus, multis tamen in rebus laudanda, diſtincta eſt. Conſulendus *Dion* Lib. LXIX. & *Spartianus* in Hadriano.

II. Sunt [1] qui referant *Baſilidem* & *Saturninum* ad hæc tempora, ſed antiquiores fuerunt, ut vidimus ad annum LXXVIII. quamvis de anno, quo primùm docuerunt, explorati nihil dici poſſit. Facilè tamen intelligimus cur paullò ſeriùs orti videri queant; quòd, nimirum, aliquot demum annis, poſtquàm docere cœperant, pleriſque innotuerint; quia plures erant iis diſcipuli, qui apertiùs ac audaciùs prava ſua dogmata ſpargebant, atque editis ſcriptis propagabant. Circa hæc tempora edidiſſe creditur *Baſilides* Evangelium, quod ab ejus nomine, ut ab aliis diſtingueretur, *κατὰ Βασιλείδην ſecundùm Baſilidem*, dici ſolebat. [2] *Clemens* Alexandrinus hominem ait jactaſſe præceptorem ſuum fuiſſe Glauciam, Petri interpretem. Videndus & *Origenes* in Procemio in Lucam. Scripſit XXIV. volu-

Ordines ſimul ſignificet. Nam ejus ævo dubitare non licet quin Epiſcopus à Presbytero eſſet diſtinctus.

1 *Sunt qui referant* &c.] Vide *Joan. Pearſonii* Vindiciarum Ignat. P. 2. c. VIII. *Erneſt. Grabium*, Spicilegio Sæc. II. in præfatione ad Baſilidis fragmenta, & *Renati Maſſueti* Diſſert. I. in Irenæum p. 58. & 59. qui antiquiorem fuiſſe intellexerunt *Baſilidem*, quàm vulgò creditur.

2 *Clemens Alexandrinus*] Vide Strom. Lib. VII. p. 764. ubi circa Hadrianum fuiſſe ait qui Hæreſes excogitarunt, & pervenerunt ad ætatem Antonini ſenioris; hoc

ANN. CXVIII. volumina in Evangelium, nempe, ſuum, ut quidem videtur; quod prodidit *Euſebius*, ex *Agrippa Caſtore* H. Lib. IV. c. 7. [3] Ex iis perpauca fragmenta ſuperſunt, nec eſt cur eorum jacturam ægrè feramus, ſi de iis judicemus è doctrinæ ejus expoſitione, quæ apud *Irenæum* exſtat, & quam protulimus ad annum LXXIX. Æræ Vulgaris.

III. Ad hunc annum [4] viri docti egerunt de *Diſciplina Arcani*, hoc eſt, de conſuetudine, quâ Chriſtiani ritus ſacros Euchariſtiæ & Baptiſmi Catechumenis, Dæmoniacis, Judæis & Ethnicis occultarunt, ne iis ſimplicitate ſuâ ludibrio eſſent; nam occultatione illâ, reverentiam iis conciliare ſe poſſe exiſtimarunt. Sed cùm nihil de ea conſuetudine legamus in Apoſtolorum, ac proximè ſequentium Chriſtianorum Scriptis; rem tam citò in Eccleſiam Chriſtianam invectam eſſe non putamus. [5] Rectè nobis oſtendiſſe videntur viri docti eam conſuetudinem, poſt medium demum Secundum Sæculum, inſtitutam; ex Ethnicorum ſacris, præſertim Eleuſiniis Myſteriis ortam; in occultatione rituum Baptiſmi & Euchariſtiæ, non verò dogmatum ſitam fuiſſe; in Occidentalibus quidem Eccleſiis, Sæculo Septimo, obſervari deſiiſſe: in Orientalibus verò multò ſeriùs viguiſſe, atque aliquid ſimile etiamnum hodie obſervari. Quæ cùm, ſine prolixa digreſſione, hîc demonſtrari non poſſent, præſertim ſi aliter ſentientium placita & argumenta eſſent ſingillatim confutanda; à nobis, Hiſtoriam tantùm ſcribentibus, non in rituum quorumvis origines inquirentibus, omittuntur.

Hadria-

hoc eſt, Pii; καθάπερ ὁ Βασιλείδης, κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοὶ, τὸν Πέτρου ἑρμηνέα. Quod non vetat quin diu ante finem Sæculi Primi vixerit, cùm annus 1. Antonini Pii incidat in Æræ Vulgaris annum CXXXVIII.

3 *Ex iis perpauca* &c.] Ea vide apud *Ern. Grabium* Spicilegio Sæculi II.

4 *Viri Docti* &c.] *Caſ. Baronius* Num. XXIV. & ſeqq. ejúſque occaſione, *Anton. Pagius* Num. IV. & ſeqq. ex *Eman. Schelſtratio* multis de ea egit.

5 *Rectè nobis oſtendiſſe* &c.] Præ ceteris omnibus, hoc copioſè præſtitit *Gulielm. Erneſtus Tentzelius*, Selectarum Exercitationum P. II. in qua copioſiſſimè confutavit *Emanuelem Schelſtratium*, rem ab Apoſtolicis temporibus arceſſentem, nec tantùm ad ritus, ſed & ad ſublimiora dogmata eam referentem. Ejus integram Diſſertationem Adverſarius ſuæ Exercitationi inſeruit. Idem etiam ſecum ſentientes indicavit. *Tertullianus* clarè de ea conſuetudine eſt loquutus; quam tamen antiquiorem paullò fuiſſe nihil vetat.

1 *Si Faſtis Siculis credimus*] Fidem iis habet *Ant. Pagius*, ad hunc annum. Eò ſanè reſpexit *Spartianus* in Hadriano c. V. ubi de ipſo ejus imperii initio: *Deficientibus his nationibus, quas Trajanus ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant, Ægyptus ſeditionibus urgebatur, Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant.* Qui locus eſt à *Pagio* omiſſus.

2 *Terebintho*] Εἰς τὴν λεγομένην Τερέβινθον, ubi ſubaudiendum videtur κώμην, quæ, ut ait *Sozomenus* H. E. Lib. II. c. 4. habebat vicinam Chebronem ad Auſtrum quindecim ſtadiis remotam, & ubi fuit mercatus. Vide quæ de ea collegit *Chriſt. Cellarius* Geogr. Antiquæ Lib. III. c. 13.

3 *Everſis ædificiis*] Siculi Faſti habent hîc

Hadriano Aug. III. Ruſtico COSS. Hadriani Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti CXIX.

ANN. CXIX, & CXX.

I. Hisce Conſulibus, cùm tumultuarentur Judæi, [1] ſi Faſtis Siculis credimus, Hadrianus in Judæam ivit cum exercitu, captáque Jeroſolimâ, quæ nullis munimentis cincta erat, Judæos illinc, jure belli, captos abduxit in pagum cui, [2] Terebintho nomen; ubi inſtituto mercatu, ſingulos eodem pretio, quo equos, vendidit. Qui ſuperfuerant in altero mercatu, quem Gazæ inſtituit, ſimiliter vendidit; iſque mercatus propterea *Hadriani mercatus* dictus eſt. [3] Everſis deinde ædificiis, quæ Jeroſolimæ erant, urbem partim inſtauravit, variis publicis ædificiis ornavit, & in ſeptem diviſit vicos, quos ſingulos totidem Vici-Magiſtris regendos permiſit, quos *Amphodarchos* vocat Siculorum Faſtorum Auctor, à voce ἄμφοδος, quæ vicum ſonat, & ſic ad ſua tempora dictos ait. Tum urbem, de nomine ſuo, Æliam adpellari juſſit Hadrianus. Quæ expeditio non eſt confundenda cum ea, de qua ad annum CXXXII. dicemus, quod Chronologi [4] quidam fecerunt.

L. Catilio Severo, T. Aurelio Fulvo COSS. Hadriani Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti CXX.

I. T. Aurelius Fulvus dicitur, in hoc Conſulum pari, qui & ab avo materno *Arrius Antoninus* vocatur [1] à *Julio Capitolino*, idémque eſt, ac T. Aurelius Fulvus Boionius Antoninus Pius, qui Hadriano ſucceſſit.

II. Cum memorabile nihil, in re Chriſtiana, hoc anno contigerit, de Carpocrate agemus, [2] qui hiſce temporibus, imò & paullò citiùs, vixiſſe fertur

hîc: *καὶ καθελὼν τὸν ναὸν τῶν Ἰουδαίων τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἔκτισε τὰ δύο Δημόσια, καὶ τὸ Θέατρον, καὶ τὸ Τρικάμαρον, καὶ τὸ Τετράνυμφον, καὶ τὸ Δωδεκάπυλον τὸ πρὶν ὀνομαζόμενον ἀναβαθμοὶ, καὶ τὴν Κόδραν.* Vertit *Carolus du Freſne: Everſo deinde Jeroſolymorum Templo, condidit duo balnea publica, Theatrum, Tricameratum, Tetranymphum, Dodecapylum, quod Anabathmos, ſeu gradus priùs vocabant, & Codram.* Sed Templum à Tito ſolo æquatum, nec poſthac inſtauratum, everti iterum non potuit.

4 *Chronologi quidam*] *Sethus Calviſius* & *Dionyſ. Petavius*, qui ad hunc annum retulere quod habet *Euſebius* in Chronico, ad annum CXXXIII. Diſtinxerat tamen *Petavius* hos Judæorum motus, ad *Epiphanii* Librum, de Ponderibus & Menſuris, Num. XIV. Primo motu, Hadrianus cœpiſſe videtur Jeroſolimam inſtaurare; ſed rem, niſi poſt ſecundum motum, & planè debellatos Judæos, non perfeciſſe.

1 *A Julio Capitolino*] In ipſius vita c. I. *Avus maternus, bis Conſul, homo ſanctus, & qui Nervam miſeratus eſt, quòd imperare cœpiſſet.* Antoninus Pius *pueritiam egerat cum avo paterno, mox cum materno*, ut idem paullò pòſt teſtatur. At Cap. IV. Pium vocat *Arrium Antoninum. Mortuo Ælio Vero, quem ſibi Hadrianus adoptaverat, & Cæſarem nuncupaverat, dies Senatûs habebatur. Eò* Arrius Antoninus, *ſoceri veſtigia levans, venit, atque idcirco ab Hadriano dicitur adoptatus.* Dixerat antea C. II. *Pium cognominatum à Senatu, vel quòd Socerum, feſſâ jam ætate, manu, præſente Senatu, levaverit* &c. Quæ notamus, quòd *Tertulliani* Interpretes non intellexerint de eo loqui *Tertullianum*, ad Scapulam c. V. qua de re ad annum ſequentem dicemus.

2 *Qui hiſce temporibus*] *Irenæus Carpocratem Saturnino* & *Baſilidi* proximè ſubjicit, nec tamen addit æqualem iis fuiſſe. Ex mero ordi-

ANN. CXX.

tur; de quo quid habeat *Irenæus* Lib. I. c. XXIV. è vulgari diviſione, XXV. ex nupera, ſubjiciemus. Proximus enim iis temporibus fuit & fide omnium digniſſimus. „ Carpocrates, *inquit*, & qui ab eo mun„ dum quidem, & ea, quæ in eo ſunt, ab Angelis multò inferioribus „ ingenito Patre factum eſſe dicunt. Jeſum autem è Joſepho natum & „ cùm ſimilis reliquis hominibus fuerit, diſtaſſe à reliquis, ſecundùm id, „ quòd anima ejus, firma & munda cùm eſſet, commemorata fuerit „ quæ viſa ſibi eſſent, in ea circumlatione, quæ fuiſſet ingenito Deo; „ & propter hoc ab eo miſſam eſſe ei Virtutem, uti Mundi fabricato„ res effugere poſſet, & per omnes transgreſſa & in omnibus liberata „ adſcenderet ad eum & eas (*animas*) quæ ſimilia ei amplecterentur, ſi„ militer. Jeſu autem dicunt animam, in Judæorum conſuetudine nu„ tritam, contemſiſſe eos, & propter hoc virtutes accepiſſe; per quas „ evacuavit, quæ fuerunt in pœnis, paſſiones, quæ inerant hominibus. Hinc intelligimus I. Carpocratem, ſi ſatis rectè mens ejus ſit ab *Irenæo* tradita, noluiſſe Mundum hunc adſpectabilem à ſummo & æterno Deo formatum, ac proinde verum Deum à Judæis, qui Creatorem Mundi colebant, fuiſſe cultum: II. Jeſum natum eſſe, prout naſcuntur reliqui homines, ac proinde Evangelia *Matthæi* & *Lucæ* ab eo rejecta: III. Nihil in Jeſu fuiſſe, præter corpus humanum, & mentem humanam; quæ à ceteris aliorum hominum mentibus non differebat, niſi quòd in ſuperiore vita conſtantiùs ſummo Deo adhæſiſſet, quam ob rem eorum, quæ illic norat, meliùs recordaretur; quod eſt dogma Platonicum, de προϋπάρξει & reminiſcentia animorum; quò reſpicit etiam *circumlatio* cum Deo, [3] quam *Plato* in Phædro περιφορὰν vocat; ubi deſcribit Deos curribus circumactos circa Mundum, ſequentibus Mentibus, quæ curſui eorum æquando pares ſunt: IV. Menti Jeſu immiſſam à ſummo Deo ejuſmodi vim, ut, invitis Angelis Mundi conditoribus, ad eum remeare poſſet; quod & aliis Mentibus, quæ eam imitantur, conceſſum eſſe putabat; quæ adfinia ſunt adſcenſui animorum, quibus pennæ denuo creviſſent, [4] de quo in eodem *Platonis* Dialogo: V. Jeſum non niſi externâ ſpecie eſſe paſſum.

III.

ordine colligere non licet eodem tempore, ac ſuperiores, vixiſſe, ſed potiùs aliquantò pòſt; quamvis quo intervallo ſequutus ſit, definire nemo queat. *Euſebius* ergo non ſatis cautè adfirmavit H. E. Lib. IV. c. 7. quaſi ex *Irenæo*, æquales tres memoratos hæreticos fuiſſe. *Theodoretus* Lib. I. c. 5. Hadriani tempore, vixiſſe eos ait, nec diſſentit *Epiphanius* Hæreſ. XXXI, 1, 2. conjecturis ex *Irenæo* & *Euſebio* ductis.

3 *Quam Plato in Phædro.*] Tom. III. Ed. Stephani p. 247. Ἱστάσας δὲ αὐτὰς περιάγει ἡ περιφορά, *conſiſtentes eas circumagit circumlatio*; nempe, animas. De reminiſcentia, vide *Platonem* in Menone Tom. II. p. 10. & ſeqq. ubi oſtendit τὸ ζητεῖν καὶ τὸ μανθάνειν ἀνάμνησιν ὅλον εἶναι, *quærere & diſcere hoc totum eſſe reminiſcentiam.* Quod & alibi ſæpe docet.

4 *De quo in eodem Platonis Dialogo*] Pag. 241. & ſeq. ubi negatur anima, cui alæ defluxerint, eò redire, unde venit, ante decem annorum millia, πλὴν ἡ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως, καὶ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας, *exceptâ illius, qui ſine dolo philoſophatus eſt, & qui cum ſapientiæ ſtudio pueros amavit.* Αὗται δὲ τρίτῃ περιόδῳ τῇ χιλιετεῖ, ἐὰν ἕλωνται τοὺς ἐφεξῆς τὸν βίον τοῦτον,

III. Præterea, ut addit *Irenæus*, credebant „ eam, quæ ſimi- „ liter atque illa Jeſu anima, poteſt contemnere Mundi fabricatores „ Archontes, ſimiliter accipere virtutes ad operandum ſimilia. Qua- „ propter & ad tantum elationis provecti ſunt, ut quidam quidem ſi- „ miles ſe ſe dicant Jeſu, quidam autem adhuc & ſecundùm aliquid il- „ lo fortiores; qui ſunt diſtantes ampliùs (*excellentiores*) quàm illius „ diſcipuli, ut puta quàm Petrus & reliqui Apoſtoli; hos autem in nul- „ lo deminorari à Jeſu; animos enim ipſorum ex eadem circumlatione „ venientes & ideò ſimiliter contemnentes Mundi fabricatores, eadem „ dignas habitas eſſe Virtute & rurſus in idem abire. Si quis autem, „ pluſquàm ille, contemſerit ea quæ ſunt hîc, poſſe meliorem quàm „ ipſum eſſe. Si, qui hæc commentus eſt, verè credidit ita ſe rem habere, emotæ mentis hominem fuiſſe neceſſe eſt; ſin minùs, impoſtorem quidem, ſed admodum bardum eſſe oportuit, qui ſpecioſiora fingere neſciebat; aut non acutiores auditores habuiſſe, qui talia concoquere poterant.

„ IV. Artes Magicas, *inquit Irenæus*, operantur & ipſi & incan- „ tationes, philtra quoque & [5] chariteſia (leg. *chariea*) & paredros & „ oniropompos & reliquas malignationes, dicentes ſe poteſtatem habere, „ ad dominandum jam Principibus & fabricatoribus hujus Mundi; non „ ſolùm autem, ſed & his omnibus, quæ in eo facta ſunt. Quibus in verbis, *chariteſia* in mendo cubat; ſed voce, quam hic adhibuerat *Irenæus*, ſignificata oportuit quædam ſimilia *philtris*. Itaque non dubito, quin ſit legendum *Chariea*, hoc eſt, χαρίεια, quæ interpretatur *Heſychius* Φίλτρα, & quibus ſignificantur neſcio quæ pocula, quæ putabantur efficere ut qui bibenda offerebant χάριν, ſeu *gratiam*, conſequerentur apud eos, qui ea exhauriebant. Apud *Suidam* eſt χάρεια, ſine interpretatione, pro χαρίεια. In Gloſſis Veteribus Græco-Latinis, [6] habemus χαριςήρια, *amatoria*; & *Amatorium*, nimirum, poculum, vertitur in Latino-Græcis Φίλτρον. Sed neſcio annon qui conſarcinavit Gloſſas χαρίεια dicere debuerit, nam χαριςήρια ſunt potiùs gratiarum actionem teſtificantia Sacra, quàm ἀγώγιμα, ſeu quæ gratiam conciliant. [7] *Paredri* dicuntur neſcio qui adjutores Spiritus, quorum potentiâ Magi ſe mira efficere poſſe jactabant. [8] *Oniropompi*, ὀνειρό-

πον, ἔτω πτερωθεῖσαι τρισχιλιοςῷ ἔτει ἀπέρχονται: *Hæ tertio ambitu trium millium annorum, ſi ter ordine hanc vitam elegerint, recuperatis pennis; ter milleſimo anno abeunt.*

5 *Chariteſia*] Poſſet fortè quis credere χαριτήσια dicta, ut φιλοτήσια, *ad bibendum invitantia*; ſed cùm nuſquam alibi vox occurrat, in ſequenti conjectura, interea dum melius quidpiam inveniatur, adquieſcimus.

6 *Habemus* χαριςήρια] Sic dicuntur Sacra, quæ fiunt grati animi teſtificandi causâ, unde χαρίεντα & δῶρα interpretatur *Heſychius*.

7 *Paredri*] Vid *Juſtini* Apol. I. c. 24. *Henr. Valeſium* ad *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 7. *Joan. Bapt Cotelerium* ad Homil. *Clementinam* II, 30. *Deſ. Heraldum* ad *Tertulliani* Apol. p. 107. ſeu ad Cap. XXIII. & *Ant. van Dale* de falſa Prophetia c. IV.

8 *Oniropompi*] *Tertullianus* loco memorato: *Magi phantaſmata edunt & jam defunctorum inclamant animas, pueros in eloquium Oraculi eliciunt —— ſomnia immittunt, habentes ſemel invitatorum Angelorum & Dæmonum adſiſtentem ſibi poteſtatem.*

ANN. CXX. ὀνειρόπομποι ſunt quoque Spiritus, quorum operâ in ſomnis de rebus futuris moneri ſe dictitabant. Quæ omnia meræ ſunt improborum hominum impoſturæ.

V. Ejusmodi homines dum ſe Chriſtianos falsò jactarent, multùm Chriſtianis, ſuo nomine dignis, nocere potuerunt; cùm propter unum impoſtorem, aut inſanum, Ethnici ad omnes damnandos, qui eodem nomine cenſebantur, proclives eſſent. Quod queritur etiam ſequentibus verbis *Irenæus.* „ Ad detractionem divini Eccleſiæ nominis, „ quemadmodum & Gentes, à Satana præmiſſi ſunt, uti ſecundùm „ alium modum, quæ ſunt illorum audientes homines, & putantes „ omnes nos tales eſſe, avertant aures ſuas à præconio veritatis; aut & „ videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement, in nullo eis com„ municantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quoti„ diana converſatione. Sed vitam quidem luxurioſam, [9] ſententiam au„ tem impiam (habentes, *quod excidit*, *aut ſimile quid*) ad velamen „ malitiæ ipſorum, nomine (Chriſtianorum, *nempe*) abutuntur.

VI. Denique peſſimis moribus eos fuiſſe teſtatur *Irenæus*, his verbis: „ in tantam inſaniam effrænati ſunt, uti & omnia, quæcumque „ ſunt irreligioſa, in poteſtate habere, & operari ſe dicant. Solâ enim „ humanâ opinione, negotia bona & mala dicunt, & utique ſecundùm „ tranſmigrationes in corpora, oportere in omni vita & in omni actu „ fieri animas; hoc eſt, omnia genera vitæ, etiam flagitioſiſſima experiri. Quibus in verbis, [10] ſola Metempſychoſis Platonicum eſt dogma, cetera *Platonis* doctrinæ planè ſunt contraria. Plura non addam, ex hiſce enim facile eſt intellectu, ſatis fuiſſe Carpocratis decreta, ſi, qualia deſcribuntur, fuerunt, innoteſcere; ut omnium, etiam Ethnicorum, indignationem moverent. Cetera apud *Irenæum* quærentur.

M. An-

9 *Sententiam autem*] Hunc locum, quaſi conclamatum, aliis emendandum reliquit *Erneſt. Grabius.* Sed additione ſolâ vocis *habentes* emendari non incommodè poteſt. Certè hunc ſenſum eſſe verborum *Irenæi* neceſſe eſt. Vide *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 7.

10 *Sola Metempſychoſis.*] Quæ clarè docetur, in loco Phædri citato. Opinionem de actionum ἀδιαφορίᾳ graviter & multis rejicit *Plato* Lib. de Rep. X.

1 *Proconſulatum quidem Aſiæ.*] *Spartianus* in Antonino Pio, c. III. De eo Proconſulatu etiam *Tertullianus*, in loco mox adferendo.

2 *Chriſtiani, manu factâ* &c.] *Arrius Antoninus*, inquit *Tertullianus* ad Scapulam, c. V. *in Aſia, cùm perſequeretur inſtanter, omnes illius Civitatis Chriſtiani, ante Tribunalia ejus, ſe, manu factâ, obtulerunt.* Ubi vox *inſtanter* non ita intelligenda, quaſi omnes Chriſtianos ad unum occidere, pecudum inſtar, tentaſſet, ut ſequentia oſtendunt. Omnes *illius civitatis Chriſtianos*, de Epheſiis interpretati ſumus; quia, inter plures Civitates Aſiæ Proconſularis, Epheſus principem locum obtinebat.

3 *Ut multitudine ſuâ* &c.] *Tertullianus* ad Scapulam: *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis ſexûs, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus ſe tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit?* &c.

4 *Paucos duci juſſit*] Verba ſunt *Tertulliani*: *Paucis duci juſſis, reliquis ait*, ὦ δειλοὶ &c. Sic *Plinius* Ep. 97. Libri X. *Perſeveran-*

ANN. CXXI.

M. Annio Vero II. L. Augure COSS. Hadriani Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti CXXI.

I. Hoc anno, aut non multò poſt Conſulatum, in Aſiam Provinciam ivit Arrius Antoninus, [1] & Proconſulatum quidem Aſiæ ſic egit, ut ait *Spartianus*, ut ſolus avum vinceret. Paternúmne an maternum non addit, ſed ſatis liquet ab Antonino, cum ſumma laude, Provinciam illam fuiſſe adminiſtratam. Attamen, quamvis ceteroqui laudetur ejus manſuetudo, Chriſtianos malè habuit; quo factum eſt ut Epheſii omnes [2] Chriſtiani, manu factâ, ſe ſe tribunali ejus offerrent; vel ut Martyrii laudem adipiſcerentur, vel [3] ut multitudine ſuâ hominem à majore Chriſtianorum vexatione deterrerent, ſpémque ei exſtinguendi Chriſtianiſmi eximerent. Ibi verò Antoninus, ut Trajani ad *Plinium* reſcripto de pœnis ſumendis à Chriſtianis, qui deferrentur, aliquo modo ſatisfaceret, [4] paucos duci juſſit. Ceteros ſic eſt adloquutus: *ô miſeri, ſi vultis mori, præcipitia & reſtes habetis*; Græcè: ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Si Chriſtiani Epheſii, ſine neceſſitate, [5] Martyrio ſe ſe offerebant, digni ſanè erant, qui ſic irriderentur; neque enim Evangelium mortem quæri à nobis jubet, ſed tantùm, potiùs quàm Virtutem ulla in re violemus, conſtanter obiri.

II. Interim hinc ſatis intelligere eſt Provinciarum Romanarum Præſides nequaquam promiſcuè in omnes Chriſtianos ſæviiſſe, ſed quoſdam tantùm duci juſſiſſe, ut ceteros abſterrerent. [6] Sæpe etiam ad ejuſmodi reos diſſimularunt, ut Cincius Severus, qui Thyſdri, in Provincia Byzacena, docuit Chriſtianos quid reſpondere eos oporteret, ut dimitti poſſent. [7] Veſpronius Candidus, quaſi nefas eſſet tumultuanti urbi quidquam gratificari, Chriſtianum quem accuſabat dimiſit. [8] Aſper modicè vexatum hominem, cùm animum ei deeſſe vidiſſet, non coëgit,

ſeverantes duci juſſi.

5 *Martyrio ſe ſe offerebant*] Videtur ita ſenſiſſe *Tertullianus*: *Crudelitas veſtra, gloria eſt noſtra. Vide tantùm*, inquit, *ne hoc ipſo, quòd talia ſuſtinemus, ad hoc ſolùm videamur erumpere, ut hoc ipſum probemus nos hæc non timere, ſed ultro vocare.* Minùs rectè; ſatis fuit non fugere mortem, nihil opus erat de induſtria etiam quærere; quo fiebat, ut Religioni ipſi nocerent, cui vivi exemplo & doctrinâ prodeſſe poterant, eámque quaſi fanaticum neſcio quem furorem, quæſitâ inconſultè morte, infamarent. Vide ad Annum CIV. *Epicteti*, hac de re, judicium.

6 *Sæpe etiam ad ejuſmodi reos* &c.] *Tertullianus* ad Scapulam C. IV. *Quanti autem Præſides, & conſtantiores & crudeliores, diſſimulaverunt ab ejuſmodi cauſis; ut Cincius Severus, qui Thyſdri ipſe dedit remedium, quomodo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent.*

7 *Veſpronius*] Idem ibidem: *Ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum, quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere, dimiſit.* Simili excuſatione uſus eſt Scriba publicus Epheſiorum, ut Paulum frementi multitudini eriperet. Vide ad an. LVII, 2.

8 *Aſper*] Idem eodem loco: *Ut Aſper, qui modicè vexatum hominem, & ſtatim dejectum, nec ſacrificium compulit facere, antè profeſſus, inter advocatos & adſeſſores, dolere ſe incidiſſe in hanc cauſam.*

ANN. CXXI.

coëgit, Ethnico more, ſacra facere, profeſſus inter advocatos & adſeſſores, dolere ſe quòd in ejuſmodi cauſam incidiſſet. [9] Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, qui libello ſine nomine accuſabatur, cùm intelligeret ab inimico hoc fieri, dimiſit, ſéque hominem ſine accuſatore auditurum, ex Trajani reſcripto, negavit. Præter hæc, quæ *Tertullianus* in libro ad Scapulam narrat; multò plura ſimilia ſine dubio, per Imperium Romanum, contingerent. Occidere promiſcuè omnes, qui à rerum potientibus diſſentiunt, in Religionis negotio, cædémque ejuſmodi Deo gratam eſſe putare, degeneris Chriſtianitatis, poſteriorum ætatum, laus eſt, à qua humaniores etiam Ethnici abhorruerunt.

III. His temporibus, aut non multò ſeriùs, *Valentinus* prava ſua dogmata, quæ potiſſimùm confutare adgreſſus eſt *Irenæus*, apertiùs ſpargere cœpit. Ea [10] copiosè expoſuit ſeptem primis Capitibus Libri I. contra Hæreſes, quæ nos mox breviùs deſcribemus, poſtquàm de *Valentino* ipſo aliquid dixerimus. Ait [11] *Epiphanius* ſe accepiſſe *Valentinum* fuiſſe *Phreboniten*, è neſcio quo Ægypti Nomo maritimo. Sed cùm Nomus eo nomine nullus ſit, alii conjecerunt legendum *Pharbætiten*, qui Nomus fuit ad Meridiem Tanitici; at cùm Nomus, de quo *Epiphanius*, fuerit maritimus, ad alium viri docti confugiendum cenſuerunt, nempe, *Ptenethiten*, qui inter Bolbiticum & Sebennyticum oſtium, juxta mare, fuit.

IV. Verum quodcumque fuerit patrium Valentini ſolum, conſtat eum [12] Romam veniſſe ſub Hygino, qui ſedit ab anno CXXIII. floruiſſe ſub Pio, qui quinquennio pòſt eamdem ſedem obtinuit, & vitam produxiſſe ad tempora Aniceti, qui ſedere cœpit anno CXLII. ex calculo, quem ſequuti ſumus. Unde intelligere eſt antiquiorem fuiſſe *Valenti-*

9 *Pudens*] Proximè ſequitur: *Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio, concuſſione ejus intellectâ, dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem, ſecundùm mandatum.* Ubi *elogium* eſt accuſatio, quâ à quopiam, per libellum ſine nomine, Chriſtianiſmi accuſabatur; quod factum vocatur *concuſſio*, hoc eſt, injuſta vexatio. Sæpe, in hos ſenſus, utraque voce utitur *Tertullianus*, cujus loca *Gloſſæ Tertullianeæ* ſuppeditabunt.

10 *Copiosè expoſuit* &c.] Sed clariùs & diſtinctiùs *Renatus Maſſuetus*, in Diſſertationis I. *Irenæo* præmiſſæ Art. I.

11 *Epiphanius*] Hæreſ. XXXI. quæ eſt Valentinianorum §. 2.

12 *Romam veniſſe* &c.] *Irenæus* Lib. III. c. 2. Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην, ἐπὶ Ὑγίνου, ἤκμασε δὲ ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Quæ verba protulit *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 11. At *Tertullianus* de Præſcript. Hær. c. 30. ſub Epiſcopatu Eleutherii, Romam veniſſe vult, errore, ut videtur, memoriæ; nam *Irenæus*, qui tum Librum ſuum III. ſcribebat, rem non reticuiſſet, & *Tertullianus* alioqui parum adcuratus eſt.

13 *Epiphanio*] In Hæreſ. XXXI, 7.

14 *Tertullianum*] Adv. *Valentinum* c. IV. *Speraverat Epiſcopatum* Valentinus, *quia & ingenio poterat & eloquio; ſed alium ex Martyrii* (hoc eſt, confeſſionis, quâ ſe Martyrio paratum oſtendit) *prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit (ut ſolent animi, pro prioratu exciti, præſumtione ultionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem, & cujuſdam veteris opinionis ſemen nactus* (apud Antiquiores Gnoſticos.) *Colarbaſo viam delineavit* &c.

15 *Admittebat* &c.] Vide *Maſſuetum* Diſſert. I. in *Irenæum* Art. I, 9.

16 *Quarum quædam* &c.] Ea vide ad calcem Editionum *Maſſueti* & *Grabii*.

17 *Ple-*

Ventinum, quàm multi putarunt, nec mirum debuiſſe videri *Ignatio* Antiocheno doctrinam ejus fuiſſe notam, quamquam nihil opus eſt hoc adfirmare. ANN. CXXI.

V. Si credimus [13] *Epiphanio*, *Valentinus* primùm in Ægypto doctrinam ſuam ſparſit, deinde etiam Romæ; unde in Cyprum ivit, ubi in extremam tandem inſaniam delapſus eſt. Occaſionem verò novæ ſectæ condendæ ei præbuit, ſi [14] *Tertullianum* audimus, quòd cùm ſperaviſſet Epiſcopatum, quia nec ingenio, nec eloquentia deſtitutus erat, ſibi alium præferri viderat; qui conſtanter, vexationis tempore, Religionem Chriſtianam profeſſus fuerat. Quare *Valentinus*, ad oppugnandam Chriſtianam veritatem converſus eſt. [15] Admittebat quidem libros Scripturæ, quorum auctoritatem agnoſcebant Chriſtiani; ſed contortis interpretationibus eos ad ſuam ſententiam trahere conabatur. Scripſerat Homilias; Epiſtolas, [16] quarum quædam fragmenta adfert *Clemens* Alexandrinus; librum de Origine mali, cujus fragmentum etiam exſtat; & Pſalmos, quorum meminit *Tertullianus*. Poſtea ejus Diſcipuli plura alia volumina de ejus doctrina ediderunt, ſed quorum nullum ad nos pervenit.

VI. Longum eſſet hîc aut *Irenæum*, aut *Tertullianum*, aut *Epiphanium* verbo tenus exſcribere, ut interdum in aliis Hæreſibus fecimus. Itaque ſummam ejus doctrinæ paucis trademus, quæ per ſe quidem non eſt cognitu dignior, quàm antiquiorum Gnoſticorum dogmata; ſed propter Patres, qui paſſim de ea loquuntur, ſummatim certè eſt cognoſcenda. Poteſt autem tota referri ad tria ſumma capita, quorum primum eſt de [17] *Pleromate*, ſeu *Plenitudine* Deitatis; ſecundum de eo quod extra Pleroma factum eſt; tertium de Mundi, rerúmque corporearum origine.

VII. 1. In Pleromate, è ſententia *Valentini*, erant triginta [18] Æones, ſeu

17 *Pleromate*] Πλήρωμα quidem ſignificat quidquid *implet* aliud quidpiam. Sed videtur *Valentinus* non tam ex uſu vulgari vocem deſumſiſſe, quàm ex Paulo Coloſ. II, 9. ubi dicit in Chriſto κατοικεῖν πᾶν τὸ πλήρωμα θεότητος, *habitare omnem plenitudinem Deitatis.* Colligere hoc eſt, ex eo quòd doceret *Valentinus*, ut habet *Irenæus* Lib. I. C. II, 6 „ unumquemque Æo„ num quod habebat in ſe optimum & „ florentiſſimum conferentem, collationem „ feciſſe; & hæc aptè compingentes, & „ diligenter in unum adaptantes emiſiſſe „ problema (πρόβλημα, aut προβολὴ eſt „ quod producitur) & in honorem & glo„ riam Bythi perfectiſſimum decorem „ quemdam & ſidus Pleromatis, perfec„ tum fructum Jeſum, quem & Salvato„ rem vocari & Chriſtum, & Logon pa„ tronymicè ac Omnia, quoniam ab om„ nibus eſſet.

18 *Æones*] Videntur αἰῶνες dicti à Valentinianis Dii, quaſi ἀεὶ ὄντες, *qui ſemper ſunt*. Vult vir doctiſſimus *R. Maſſuetus* Diſſ. I. Art. I, 49. etiam Ethnicis Deos interdum vocatos αἰῶνας, quam in rem profert locum *Ariſtotelis* de Cœlo Lib. I. c. 9. ubi poſtquàm dixit tempus, quo unaquæque res durat, αἰῶνα dictum; ſubjicit de Cœlo: κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον, καὶ τὸ τοῦ πάντος οὐρανοῦ τέλος καὶ τὸ τὸν πάντων ἄπειρον χρόνον, καὶ τὴν ἀπειρίαν περιέχον τέλος αἰών ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὸς τὴν ἐπωνυμίαν, ἀθάνατος καὶ θεῖος: *eadem ratione & totius Cœli finis* (hîc τέλος non eſt interitus, ſed conſummata ac perfecta quædam duratio, ſeu æternitas) *& quidem finis, qui omnium infinitum tempus & infinitatem continens, eſt ſempiternitas* (αἰὼν) *ab eo quod ſemper ſit nomen nacta, immortalis & divina.* Quæ oſtendunt non *Deum*, qualem Cœlum ſupremum eſſe putabat *Ariſtoteles*, ſed ejus durationem vocari αἰῶνα, ſeu *ævum*. Addit & locum ex *Epicteti* Diſſert. Lib. II. c. 5.

ANN. CXXI. ſeu Αἰῶνες, quorum quindecim Maſculi & totidem Fœminæ. [19] Omnium caput eſt Deus inconſpicuus, æternus, ingenitus, qui humanâ mente concipi nequit. Vocabat eum *Valentinus* προαρχὴν, *ante-principium*; προπάτορα, *ante-patrem*; & βύθον, *fundum*, quòd eſſet omnium Principium. [20] Ei uxorem dabat Ἐννοίαν, aut *Cogitationem*, quam adpellabat etiam Σιγὴν, *Silentium*, & Χάριν, *Gratiam*. Hæc gravida facta è Bytho peperit Νοῦν, *Mentem*; qui Nus eſt Unigenitus, Pater & Principium omnium rerum, uxorémque habuit Ἀλήθειαν, *Veritatem*. Hæc prima Tetras, ut aiebat *Valentinus*, omnium rerum origo fuit. Altera Tetras ex ea orta erat, Λόγος, *Intellectus*, aut *Sermo*, & Ζωὴ Vita; Ἄνθρωπος, *Homo* & Ἐκκλησία, *Eccleſia*; quorum par prius, ex Unigenito & Veritate natum, poſteriori ortum dederat. His duabus Tetradibus conflabatur Ogdoas prima, radix & ſubſtantia omnium; nam è priore Tetrade nata erat poſterior, è poſteriore reliqui omnes Æones. Intellectus & Vita decem Æonum parentes erant, quorum hæc ſunt paria, Βύθιος, *Profundus* & Μίξις, *Miſtura*: Ἀγήρατος, *Non-ſeneſcens* & Ἕνωσις, *Unio*: Αὐτοφυὴς, *Per ſe natus* & Ἡδονὴ, *Voluptas*: Ἀκίνητος, *Immobilis* & Σύγκρασις, *Miſtio*: Μονογενὴς, *Unigenitus* & Μακαρία, *Beata*. Verùm Homo & Eccleſia duodecim Æonibus, ſeu ſex paribus ortum dederant, quæ erant Παράκλητος, *Conſolator* & Πίστις, *Fides*: Πατρικὸς, *Paternus* & Ἐλπὶς, *Spes*: Μητρικὸς, *Maternus*, & Ἀγάπη, *Caritas*: Ἀείνους, *Semper-mens* & Σύνεσις, *Prudentia*: Ἐκκλησιαστικὸς, *Eccleſiaſticus* & Μακαριότης, *Felicitas*: Θελητὸς, *Voluntarius* & Σοφία, *Sapientia*. Hi erant triginta Æones Plenitudinis Valentinianæ, iique in tres ordines diviſi, Ogdoadem, Decadem & Duodecadem.

VIII. Omnes autem Æones non erant æquè perfecti, Nus omnium erat præſtantiſſimus, ſolúſque totam magnitudinem Bythi complectebatur. Ceteri Æones propterea ei invidebant, & præſertim Sophia;

c. 5. ubi hominem inducit Philoſophus dicentem ſe æquo animo perire, cùm ſciat quidquid natum eſt idem oportere interire, & ſic pergentem: *οὐ γάρ εἰμι αἰὼν, ἀλλ' ἄνθρωπος μέρος τῶν πάντων, ὡς ὥρα ἡμέρας*: *neque enim ſum æternitas, ſed homo, pars univerſi, ut hora diei*: hoc eſt, vitæ ſuæ tempus non eſſe æternitatem, ſed breve intervallum, exiguam partem æternitatis, ut hora eſt diei. Ceterùm bene oſtendit *Maſſuetus* tres ordines diſtinctos Deorum à Valentinianis fictos. Eum vide.

19 *Omnium caput eſt* &c.] Fortè voluit Valentinus hîc deſcribere Numinis varias proprietates & actiones, multa certè poſſent in eum ſenſum à nobis torqueri; ſed quis auſit gryphorum ejuſmodi ſenſum ullum præſtare? Vixit nuper in Gallia Abbas *Fæditus*, qui hîc S. Trinitatem quærebat, & orthodoxum fuiſſe *Valentinum* contendebat, initio Gallicæ *Dilucidationis Doctrinæ & Hiſt. Eccleſiaſticæ duorum primorum ſæculorum*; cujus deliria quia non probavimus, nos protervè homo non ſani ſincipitis deinde laceravit. Ceterùm de Valentinianis conſulendus & *Tertullianus*, in libro quem in eos ſcripſit, ubi *Irenæum* ſequutus eſt.

20 *Ei uxorem*] Satis liquet, Heſiodeo more, conficta eſſe hæc conjugia; ob nexum rerum, quæ nominibus hiſce ſignificantur. Cum ſummo rerum omnium Principio conjuncta eſt *Cogitatio*, de iis quæ facere vult, quæ per ſe eſt tacita, quamobrem *Silentium* vocatur; tum etiam benefica, qua de cauſa dicitur *Gratia*. Cùm verò per ſe ſummus Deus nihil producere vellet, genuit *Spiritum* quemdam unigenitum, ſive Νοῦν, qui

phia; quæ cùm conſequi quod cupiebat non poſſet, fermè periit, & à [21] ſubſtantia Univerſi abſorpta fuiſſet, niſi *Horus*, hoc eſt, Terminus, Æon extra Pleroma à Bytho & Sige genitus, & quidem ſine ulla Compare, impediiſſet. Interim agitatio Sophiæ peperit *Enthymeſin*, ſive Cogitationem, & Paſſionem, ſed extra Pleroma. Ne quid ſimile contingeret aliis Æonibus, Bythos produxit, Unigeniti operâ, *Chriſtum* & *Spiritum Sanctum*, qui eos omnes edocuerunt & pari præſtantia donarunt. Hi conjunctim & unanimi conſenſu, produxerunt, in honorem Bythi, *Jeſum*, vel Servatorem, in quem [22] quidquid ſinguli præſtantiſſimum habebant contulerunt; ad quod acceſſit ſatellitium illi Angelorum, quo eum cinxerunt; quamquam de hujus origine omnes Valentiniani idem non ſentiebant, quod nunc, brevitatis causâ, prætermitto, nec febricitantium ſomnia inter ſe comparare ulli uſui eſſet. Itaque hîc nimiam adhibere diligentiam puderet.

ANN. CXXI.

IX. 2. In altera parte doctrinæ, *Valentinus* docebat Enthymeſin, quæ fœtus fuerat Sophiæ, & vocabatur *Achamoth*, (Hebraïcæ חכמות hhochmoth,) *Sapientia*, quâ voce ſumma Sapientia ſignificatur) cùm eſſet extra Plenitudinem, in tenebris, ac informis, à Chriſto, qui ejus miſertus eſt, accepiſſe quidem formam, ſed quæ ad ſubſtantiam potiùs, quàm ad ſcientiam pertinebat; quo facto, receſſerat Chriſtus, eâ relictâ infelici, ſed odore nonnullo immortalitatis perfuſâ. Formâ acceptâ, majore cupiditate quærendi luminis, quo carebat, flagravit; ſed cohibita ab Horo, in graves adfectus incidit, & primùm quidem in Triſtitiam, quia non erat adſequuta quod cupiebat; tum in Metum, verita ne quemadmodum lumen, ſic & vita eam deficeret; tandem in Anxietatem & Lacrimas. Sed aliquando tamen lætabatur & ridebat, cùm ſubibat cogitatio de pulcritudine luminis, quod amiſerat; verùm in Triſtitiam mox relabebatur. E cupiditate luminis, natæ ſunt Anima Mundi,

qui ſapientiâ ſuâ omnia ejus conſilia intelligeret, nec errare poſſet, unde eſt ei *Veritas* compar adtributa. Itaque Spiritus unigenitus & Veritas genuerunt *Rationem*, aut *Intellectum*, aut Sermonem, quòd omnis Ratio ex divina Mente, errare neſcia, oriatur; prætereáque Vitam, quòd Ratio, ſine Vita, hoc eſt, exſiſtentiæ conſcientia quadam eſſe nequeat. Ex divina Ratione & Vita nati finguntur *Homo*, archetypus, nempe, ſeu Idea naturæ rationalis; & *Eccleſia*, archetypa, quæ eſt Idea conventûs hominum, qui rationis participes ſunt & ductum ſequuntur. Atque hactenus quidem ſat bellè procedere videtur Ænigmatis Valentiniani interpretatio; ſed ultra ſummam Ogdoadem non progrediemur, ne micare in tenebris videamur, néve inſana ſomnia, ut aliquo modo videantur cum Ratione conſentire, torqueamus. Sed non magis licuit *Valentino* ex Ideis Perſonas facere, quàm *Platoni*, & vulgaria prorſus, aut etiam abſurda caligine involvere; ut mira viderentur, nec expendi à quovis poſſent.

21 *Subſtantia Univerſi*] Eſt in Græcis verbis *εἰς τὴν ὅλην οὐσίαν*, ubi vetus Interpres, *in univerſam ſubſtantiam. Tertullianus* in Valen. c. IX. *in reliquam.* Intellexit *τὴν τοῦ ὅλου οὐσίαν*, & videtur is fuiſſe ſenſus *Valentini*.

22 *In quem quidquid* &c.] Deſumſerant hoc è Coloſſ. II, 9. ubi in Jeſu dicitur *habitare omnis plenitudo Deitatis corporaliter*. Quæ verba, ut alia multa, quod illis exprobrat *Irenæus*, in alienum ſenſum detorſerant.

ANN. CXXI. Mundi, Anima *Demiurgi*, ſive Creatoris, & aliæ; è Metu verò & Triſtitia cetera omnia. [23] Omnis ſubſtantia liquida ortum debebat, ut aiebat *Valentinus*, ejus Lacrimis, materia lucida Riſui, elementa omnia Mundi Triſtitiæ.

X. Cum verò Achamoth ſe ad Chriſtum convertiſſet, ad eam miſit *Paracletum*, vel *Servatorem*, Angelis cinctum, qui formâ ſcientiæ eam donavit, adfectibúsque liberavit. Eos tamen ab ea non ſejunxit, ita ut eos non curaret; ſed condenſavit, ex iiſque Materiam fecit, & quidem duplicem; alteram malam, quæ eſt adfectuum: alteram, quæ converſionis & obnoxiam paſſioni. Itaque Achamoth cùm non ſine lætitia vidiſſet Angelos, eorúmque fulgore perculſa fuiſſet, naturas iis ſimiles peperit. Tres ergo enixa eſt ſubſtantias; unam *materialem* ex adfectibus; alteram *animalem* ex converſione, tertiam *ſpiritualem*, ex imaginatione. Cùm vellet eis formam dare, nec poſſet eâ donare *ſpiritualem*, quæ erat ejuſdem naturæ, ac ipſa; *animali* tantùm dedit, unde natus [24] *Demiurgus*, qui eſt Creator, Rex & Deus reliquarum.

XI. 3. Tertium caput dogmatum *Valentini* ad creationem Mundi pertinet. Factus eſt Mundus, ex ejus ſententia, à Demiurgo, quamvis cæco, ſed qui clam regebatur à Matre Achamoth & à Paracleto; qui operam dedit ut hîc eſſet imago Plenitudinis ſuperioris. Achamoth ipſa, ignota Demiurgo, fuit imago Bythi, Demiurgus Unigeniti, & Angeli quos fecit aliorum Æonum. Sejunctâ ergo *materiali* ſubſtantiâ ab *animali*, quæ miſtæ erant, Cœleſtia & Terreſtria ex iis formavit Demiurgus. Septem Cœlos creavit, [25] quos anima præditos, imò & Angelos dicebant Valentiniani, atque in ſummo domicilium elegiſſe; dum mater Achamoth occuparet ſpatium ſuperius, quod eſt inter Plenitudinem & Mundum. Sed Demiurgus graviter peccavit, qui cùm non poſſet ſe ſe extollere ad ſpirituales naturas, neque Matrem, neque ſummam Plenitudinem noſſet, credidit ſe ſolum eſſe Deum, & dixit per Prophetas: *ego Deus & præter me nemo.*

XII. Cum verò eſſentia Materiæ conſtaret tribus adfectibus, Timore, Triſtitiâ & Anxietate; Animata omnia facta ſunt ex Timore & Converſione; ex Triſtitia Spirituales Malitiæ, mali Angeli & Cacodæmones, quorum princeps eſt Diabolus, quem Coſmocratorem vocant, cujus ſedes eſt infra ſedem Creatoris, & qui Patre potior eſt; quia cùm ſit Malitia Spiritualis ſuperiora, quæ ignorat Demiurgus, qui eſt ſubſtantia animalis, novit. Ex anxietate orta ſunt Mundi Elementa, quibus omnibus ignis, quaſi mors & corruptio admiſtus eſt.

XIII. Superérat ſola creatio Hominis, qui eſt infimi Mundi pars

23 *Omnis ſubſtantia liquida* &c.] Hinc, ut videtur, deſumſerat Celſus quod Chriſtianis objicit, eos credidiſſe θερμὰς πηγὰς εἶναι τὰ ἀγγέλων δάκρυα, *calidos fontes eſſe lacrimas Angelorum.* Lib. VI. Origenis p. 266.

24 *Demiurgus* &c.] Omnes antiquiſſimi Gnoſtici negabant Creatorem omnium rerum eſſe ſummum Deum; odio, ut puto, Judæorum & Chriſtianorum, qui eum ſolum

pars nobiliſſima. Creator eum finxit è materia fluida, atque is fuit homo terreſtris ([26] χοϊκὸς) in quem immiſit ſubſtantiam animalem, quæ ipſius imago fuit. Deinde eum circumdedit tunicâ, hoc eſt, corpore ſenſus percellente; ſimúlque mater Achamoth ſpirituale quiddam ei adflavit, inſcio Demiurgo. Sunt ergo, in uno homine, veluti tres homines, unus materialis, alter animalis, tertius denique ſpiritualis. Primus quidem neceſſariò perit, quia incorruptionis nullo modo eſt particeps; tertium verò ſervari neceſſe eſt, quia eſt è ſemine ſpirituali prognatus. At medius ſervari & damnari æquè poteſt, prout rectè aut pravè Religionem eligit. Ut ſervaretur, indigebat ſenſili inſtrumento, & Servatore ei conſentaneo, qui conſtaret ſubſtantiâ animali & ſpirituali, corporéque ſenſus percellente indutus eſſet; mera enim materia ad ſalutem nihil conferre poteſt. Is autem Servator tranſiit per corpus Mariæ, inſtar aquæ per canalem, nec quidquam ex ea traxit; & cùm baptizatus fuiſſet, *Jeſus* aut *Servator*, qui eſt ex ſummæ Ogdoadis Æonibus, ſub ſpecie Columbæ, in eum deſcendit. Itaque Jeſus, ex ſententia Valentinianorum, conſtabat quatuor partibus, quarum prima, quæ ex Achamoth derivata fuerat, erat ſpiritualis; ſecunda animalis, orta à Demiurgo, tertia corporea, per OEconomiam adſumta; quarta denique, quæ fuit Servatoris, ſub ſpecie Columbæ delapſi. Ex iis partibus, ſola animalis & corporea paſſæ ſunt; cùm ſpiritualis & Servator eas fugiſſent, cùm Pilato ſiſteretur. ANN. CXXI.

XIV. Pro tribus partibus, quibus, ut dixi, hominem conflabant, tria conſtituebant hominum genera. Corporei erant Gentiles, ſpirituales Valentiniani, & animales reliqui Chriſtiani. Primi neceſſariò damnabantur; ſecundi neceſſariò ſervabantur, cognitione Pleromatis, quamcumque tandem vitam egiſſent; medium tenebant ultimi, qui eam cognitionem admittere, aut rejicere poterant. Alia præterea multa abſurda docebant Valentiniani, quæ brevitatis causâ omittimus, ab *Irenæo* & *Tertulliano*, ſi ita videatur, petenda.

XV. Si quis quæreret à *Valentino* unde hæc habuiſſet, reſpondebat ea in Scriptura eſſe & pauca quædam loca in rem ſuam torquebat, ut docebit *Irenæus* Lib. I. c. 3. útque exemplis antea adlatis conſtare poteſt. Præterea jactabat ſe audiſſe *Theodadem* neſcio quem, qui Pauli diſcipulus fuerat; quod habet *Clemens* Alexandrinus Str. VII. p. 764. cui addebat etiam *Matthiam* Apoſtolum, ut eſt in pag. ſequente. Sed nequaquam opus eſt eruditione, ut quivis videat ſimile nihil eſſe in Scriptura; & arcanæ illæ Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum traditiones adeò ineptæ, & tam parum conſentaneæ ſunt doctrinæ litteris con-

ſolum ſe colere profitebantur. Itaque ſibi notos eſſe ſuperiores illo Deos jactabant; non ſine ſumma impoſtura, aut ſtultitia.

25 *Quos anima præditos* &c.] Quæ fuit ſententia Platonicorum, quam ſibi perſuaderi paſſus eſt & ipſe *Origenes*. Qua de re vide *Pet. Dan. Huetii* Origeniana.

26 Χοϊκὸς] Ex 1. Cor. XV, 47. ſed præter mentem Apoſtoli.

ANN. CXXII. conſignatæ, ut nemo non hæc ab impoſtoribus orta intelligat, & jure merito ab *Irenæo* & *Tertulliano* [27] eſſe irriſa. Debebantur hæc partim antiquioribus Gnoſticis, ut ex eorum collatione liquebit. Debebantur etiam fortè quibuſdam Platonicis, quos verè Fanaticos vocare queas; quippe ſuperſtitioſos & qui myſticè atque allegoricè etiam *Platonem* interpretabantur, ac proinde quidquid libebat ei adſignabant, quod videre licet in *Platonis* Enneadibus, *Jamblichi* Myſteriis & *Procli* Theologia Platonica; qui poſtea quidem vixere, ſed earum nugarum antiquiores auctores habebant.

XVI. Ceterum ſi *Valentinus* dicere tantùm voluiſſet res quæ in confeſſo, apud Chriſtianos, erant, merus agyrta fuit, qui ſuam inſcitiam novis vocabulis velavit; ſique ab aliis Chriſtianis, vocum tantùm causâ, ſeceſſerit, impoſtorem & turbulentum ingenium eſſe oportuit. Sin verò novi quidpiam & antea ignotum in lucem, ut videtur, proferre ſe putaverit; clariùs loqui eum oportuit, aut certè iis non uti verbis, quibus nonniſi abſurdus ſenſus tribui poſſet, & propter quæ ejus ſententia, ut ridicula, ab omnibus ſani cerebri hominibus, non rejiceretur. Non eſt delictum, cui ignoſcere quiſquam poſſit, ſi Veritas ita exprimatur, ut propterea infamari queat; nec facilè mihi perſuaſerim, quemquam fuiſſe, qui cùm eximia quædam dicenda haberet, obſcuro & abſurdo ſermone ea veſtire voluerit. Scio talia jactari de Ægyptiis, ceteriſque Ethnicis; ſed myſtica illa loquendi genera res vulgares, aut etiam nugas occultabant, eum in finem ut rudi populo fucum facerent doctique viderentur; quòd ea loquerentur, [28] quæ à nemine intelligebantur. Nec ſi ſtatuatur *Valentinus* eos imitatus eſſe, quod negare nolim, ideò venia dignus eſt, cùm præſertim doctrinam Chriſtianam non ignoraret & Libros Sacros legiſſet. Præterea non licet tot Paradoxa proferre, nec tamen ea claris ullis rationibus probare. Sed plura hac de re non dicam, ne in longiorem æquo digreſſionem ſenſim delabar.

Acilio Aviola, Cornelio Panſa COSS. *Hadriani Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti* CXXII.

I. Vixerunt, his temporibus, ut quidem Eruditi putant, duo ſcriptores, quos indictos prætermittere non licet. Alter conatus eſt Religioni Chriſtianæ, ſuppoſiticio Libro, patrocinari, alter eam confutare. Ut de priore primùm dicam, veriſſimè obſervat *Iſ. Caſaubonus*, Exercitatione I. in *Baronium* Num. X. „ primis Eccleſiæ temporibus, „ quàm plurimos exſtitiſſe, qui facinus palmarium judicabant, cœleſ„ tem Veritatem, figmentis ſuis, ire adjutum; quò faciliùs, ſcili„ cet,

27 *Eſſe irriſa*] Bene *Tertullianus* adversùs Valentinianos c. VI. *Convenit & Veritati ridere, quia lætans; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum planè ne riſus ejus rideatur, ſi fuerit indignus. Ceterùm ubicumque dignus riſus, officium eſt.*

28 Æ.

„ cet, nova doctrina à Gentium Sapientibus admitteretur. *Officioſa* ANN.
„ hæc, *inquit*, *mendacia* vocabant, bono fine excogitata. Quo ex fonte CXXII.
„ dubio procul ſunt orti libri ſexcenti, quos illa ætas & proxima vi-
„ derunt, ab hominibus minimè malis (nam de Hæreticorum Libris
„ non loquimur) ſub nomine etiam Domini Jeſu & Apoſtolorum, a-
„ liorúmque Sanctorum publicatos. Quorum plures commemoraverat antea *Caſaubonus*, quibus infinitos alios adjici poſſe putabat, nec falsò, ut è collectionibus Apocryphorum liquet. „ Quemadmodum autem, „ *inquit*, iſtorum factum non poſſumus non graviſſimè reprehendere: „ ita judicia illorum Patrum ſatis mirari non poſſumus, qui ejuſmodi „ Scripta tantâ facilitate receperunt &, ad fulciendam cœleſtis Verita- „ tis auctoritatem, teſtimonia ex illis proferre non dubitarunt. Scio hæc graviter reprehenſa fuiſſe [1] à viro docto, ſed minùs candidè, ea in re, ſe geſſiſſe nunc omnibus conſtat.

II. JAM ut ad Scriptorem noſtrum veniamus, is eſt qui *Pœmandrum*, nomine *Hermetis Triſmegiſti*, edidit, de quo ſic verè judicat *Caſaubonus*: „ Quemadmodum multa fuiſſe inſerta carminibus Sibyllinis exiſtimamus, „ ad veritatis Chriſtianæ confirmationem: ita Librum integrum, qui, „ ſub nomine *Triſmegiſti*, circumferri ab aliquot ſæculis cœpit, non „ veremur pronunciare & omni adſertione confirmare eſſe ψευδεπίγραφον, „ ut pote qui ſit Chriſtiani alicujus; vel, ut dicam meliùs, Semi- „ Chriſtiani merum figmentum. Neque verò dubitamus id egiſſe auc- „ torem, ut multa pietatis Chriſtianæ dogmata, quæ, ceu nova & „ priùs inaudita, rejiciebantur, probaret ab ultima antiquitate Sapien- „ tibus fuiſſe nota, & ab ipſo illo Mercurio in litteras relata; quem non „ ſolùm Ægyptii, ſed etiam Græci, propter vetuſtatem & doctrinæ „ opinionem, magnopere ſuſpiciebant. Quibus dictis, in liberam indignationem & quæ bonum virum decet, erumpit *Caſaubonus*: „ lau- „ do, *inquit*, propoſitum, conſilium vehementer improbo. Facit enim „ Veritati injuriam, qui falſi patrocinio, hoc eſt, ope Diaboli, putat „ illam habere opus. Veritatem in rebus humanis & Hiſtoria obrui, „ nullâ arte, poſſe, nullâ mortalium conſpiratione, fidenter pronunciat „ *Polybius*, magnus quidem Scriptor, ſed tamen Paganus. Nos erimus „ adeò ὀλιγόπιςοι, imò erga Deum immortalem tam inſigniter injurii, „ ut Veritatem ab ipſo manantem, & ipſum illius verbum, de quo „ dictum eſt: *Cœlum & Terra præteribunt*, *ſed Verbum Dei manet in* „ *æternum*; niſi mendacio fulciatur, periclitari putemus? Quæ verba integra protulimus, in diſſimulatores Veritatis, qui nuſquam (ô mores!) tum frequentes occurrunt, quàm inter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. Poſtea multis oſtendit ſe nihil de *Pœmandro* dixiſſe, quod non ſit veriſſimum.

III.

28 *A nemine* &c.] Meritò *Tertullianus* adversùs Valentin. c. III. *Nihil Veritas erubeſcit, niſi ſolummodò abſcondi.*

1 *A viro docto* &c.] Ric. Montacutio in Analectis Exercit. Eccleſ. Exercit. IV. Sect. 2.

ANN. CXXIII.

III. Alter Scriptor eſt *Celſus* Epicureus, qui, ut docet *Origenes* initio operis, quo ei reſpondit, vixit temporibus Hadriani & ſequentibus. Ad eum miſiſſe putatur *Lucianus*, itidem Epicureus, libellum de Alexandro impoſtore. Scripſerat *Celſus* librum contra Magos, ut ex eodem *Luciano* liquet. Certè conveniunt nomen, tempus & ſecta, nam Adverſarium ſuum *Origenes* paſſim Epicureum vocat; quamvis in opere, quod confutat, ſectam diſſimulaſſet *Celſus*. Attamen dubitat Lib. IV. p. 186. an *Celſo* Epicureo adſcribendi ſint duo contra Chriſtianos libri, quòd plures *Celſos* fuiſſe probè noſſet. Hi libri erant Ἀληθὴς Λόγος inſcripti, neque quidquam complectebantur, niſi farraginem objectionum in Religiones Judaïcam & Chriſtianam, quarum neutram probè norat; quippe qui Libros Sacros, quibus utraque traditur, numquam legerat, ſed ex iis quæ de utraque ab imperitis jactari audiverat, ratiocinatus eſt. Hoc quidem potiſſimùm ſpectarat, ut Chriſtianos confutaret; ſed quia Religionis Chriſtianæ conditores è Judæis prodierant, ſtatuerántque veram eſſe Revelationem Judæis editam, à Judæis inceperat. Cùm *Origenes* paſſim teſtetur ſe minutatim omnibus objectionibus ejus, imò & repetitionibus repoſuiſſe; ſatis intelligimus nihil ab illo objectum, quod eſſet alicujus momenti. [2] Nonnullis quidem hodie aliter fortè reſponderemus, quàm fecit *Origenes*; ſed tamen ſatis commodè pleraſque objectiones ejus retudit, & ſine dubio adcommodatè ad ingenia hominum, quibuſcum tunc temporis res ei erat.

Q. Arrio Pœtino, Ventidio Aproniano COSS. Hadriani Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti CXXIII.

I. Hoc anno, [1] è ſententia eruditiſſimorum Chronologorum, Teleſphoro, in Romana ſede, Hyginus ſucceſſit.

II. Ad hæc tempora refertur *Agrippa Caſtor*, qui Baſilidem confutarat, quod ejus opus viderat *Euſebius*, ut H. E. Lib. IV. c. 7. teſtatur. Dum omnia Baſilidis arcana proferret in lucem, docuit Baſilidem in Evangelium; nimirum, ſuum; quatuor & viginti Libros ſcripſiſſe, & confinxiſſe etiam neſcio quos Prophetas quos *Barcabban* & *Barcoph* vocabat, alióſque, qui in rerum natura numquam fuiſſent. Iis, ut Agrippa putabat, barbara quædam nomina impoſuerat, ad percellendos eorum animos, qui ejuſmodi ſonorum inſolentiâ commoverentur; [3] quod & ab aliis ejuſdem generis hominibus factitatum. Docuerat etiam licere victimis Diis Ethnicorum mactatis veſci, & fidem, ſi quæ vexatio ingrue-

2 *Nonnullis quidem* &c.] Ut objectioni Celſi qui inſimulabat Chriſtianos, quaſi Religionis rationem reddere noluiſſent, & dicere ſolitos: *ne examina, ſed crede*, μὴ ἐξέταζε, ἀλλὰ πίστευσον. Quod non ſatis commodè confutat *Origenes*, cùm fidem cæcam admittat. Sed non eſt hujus loci rem excutere. Religio Chriſtiana nititur factis, quorum veritas, non aliter ac ceterarum Hiſtoriarum, etiam indoctis, demonſtrari poteſt. Habet dogmata & præcepta cum recta ratione omnino conſentientia; quod, pro hominum captu, cuivis ab homine perito demonſtrari poteſt. Contrà

grueret, abnegare. Sectatoribus ſuis quinquennale ſilentium, Pythagoreorum more, imponebat; quod factum ab eo videtur, ut eorum ſtultitiæ experimentum ſûmeret; ac ſanè bonâ fide inſanire eum intelligere poterat, qui per quinquennium ſilentio ſibi impoſito, planum tot abſurda docentem & facientem adſectari ſuſtinebat. ANN. CXXIV.

M. Acilio Glabrione, C. Bellicio Torquato COSS. Hadriani Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti CXXIV.

I. Circa hæc tempora, vixit *Quadratus*, quem eodem ævo, quo Philippi Evangeliſtæ filias floruiſſe, & propheticâ gratiâ illuſtrem fuiſſe ait *Euſebius* Lib. E. H. III. c. 37. Idem ex Scriptore, qui Cataphrygas confutarat, Lib. V. c. 17. confirmat. Quadratus obtulit orationem Hadriano, quâ Chriſtianam Religionem defendebat, eò quòd quidam malevoli Chriſtianos vexare conarentur. Eam viderat *Euſebius*, ut docet Lib. IV. c. 3, atque in ea Apoſtolicæ doctrinæ clara ſigna deprehenderat, ut & hominis ætatem, quandoquidem dicebat, „ Servatoris „ noſtri opera ſemper præſentia fuiſſe, quia erant vera; ii, nempe, „ qui curati, aut è mortuis excitati fuerant, quippe qui conſpecti erant, „ non tantùm cùm ſanarentur, aut excitarentur, ſed & ſemper ade- „ rant; nec ſolùm quamdiu in terris moratus fuerat Servator, verùm „ etiam, poſt ejus diſceſſum, ſuperſtites fuiſſe; adeò ut eorum non- „ nulli ipſius Quadrati tempora adtigiſſent.

II. Meminerat etiam Quadrati Athenarum Epiſcopi, poſt Publium, qui Dionyſio Areopagitæ ſucceſſerat, & Martyrium pertulerat, *Dionyſius* Corinthius, in altera ad Athenienſes Epiſtola, quod videre eſt apud eumdem *Euſebium* Lib. IV. c. 23. Is Quadratus, ſi illi credimus, disjectam & quæ fermè à Chriſto defecerat, poſt Publii mortem, Athenienſium Eccleſiam ſtudiosè iterum collegerat, redivivúmque fidei ardorem in ea denuo accenderat. Sunt tamen, [1] qui Quadratum Apoſtolorum Diſcipulum alium fuiſſe velint, quia neque à *Dionyſio*, neque ab *Euſebio* Athenarum Epiſcopus fuiſſe dicitur, & quia non putant Quadratum illum antiquiorem, ultra Hadriani tempora, vixiſſe; cùm Quadratus *Dionyſii* M. Antonini tempore vixerit, quippe qui Dionyſio æqualis fuerit. Sed facilè fieri potuit, ut Epiſcopalis dignitas omitteretur, cùm eam commemorare opus non eſſet; neque ullo certo indicio conſtat, ultra tempora Hadriani, vitam à Quadrato Apoſtolico viro non productam. Senem quidem fuiſſe oportuit, his temporibus, qui

trà Ethnica nitebatur apertis fabulis, & turpia etiam idiotis dogmata habebat. Verùm eſt copioſius argumentum, quàm ut intra breves notas coërceri poſſit.

1 *E ſententia*] Vide *Henr. Dodwelli* Diſſert. Sing. de Succeſſione primorum R. Ep. C. XII, 6.

2 *Quod & ab aliis* &c.] Vide ad Ann. I. Sæculi LXX, 4.

1 *Qui Quadratum* &c.] *Henr. Valeſius* in Adnot. ad *Euſebii* Lib. IV. c. 23.

ANN. CXXV,& CXXVI.

qui cum filiabus Philippi juvenis verſatus eſſet; ſed non tantam ſenectam fuiſſe neceſſe eſt, ut incredibilis videatur. Nam ad M. Antonini tempora vixiſſe Quadratum & *Dionyſio* Corinthio æqualem fuiſſe nullo modo conſtat; certè è Dionyſiii verbis nihil ſimile exſculpi queat. Itaque unum, eumdemque fuiſſe *Hieronymus*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum & in Ep. ad Magnum, Oratorem Romanum, ſignificat.

III. Testatur, eodem loco, *Euſebius* quemdam etiam *Ariſtidem* Philoſophum, pro fide Chriſtiana, Apologeticum Hadriano, non ſecus ac Quadratum, obtuliſſe. Quod opus, *Euſebii* & *Hieronymi* tempore, etiamnum exſtabat; nam meminit quoque ejus *Hieronymus*, in Catal. Scriptorum. Eccleſiaſt. Sed ſunt [2] qui utramque hanc Apologiam differant in annum XXXVI. quo Decennalia Hadriani ſunt celebrata.

Cornelio Aſiatico II. Vettio Aquilino COSS. Hadriani Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti CXXV.

I. Hisce temporibus, ſcripſit ad Hadrianum [1] Serenus Granius, [2] Aſiæ Proconſul, cùm populus clamoribus Chriſtianorum cædem extorquere à ſe conaretur, [3] ut ſolebat fieri; ſibi iniquum videri Chriſtianos, nullo objecto crimine, ſed clamoribus plebis gratificandi ſtudio, indictâ causâ, occidere. Unde colligere licet rem tunc temporis in Aſia frequentiùs, aut licentiùs factam, ideóque Serenum Granium, ſævitiâ plebis offenſum, de hoc negotio ad Cæſarem ita retuliſſe, ut tamen quid de eo ipſe ſentiret non obſcurè oſtenderet. Quod habet *Juſtinus*, ſub finem Apol. I. atque ex illo *Euſebius* H.E. Lib. IV. c. 8.

M. Annio Vero III. L. Vario Ambibulo COSS. Hadriani Imp. X. Æræ Chriſti Vulgaris CXXVI.

I. Non reſpondit eodem anno Sereni Granii relationi, quandoquidem ſucceſſor ejus jam in Provinciam pervenerat, antequàm Reſcriptum miſiſſet Hadrianus. Id olim *Juſtinus* ad calcem Apol. I. Latinè ediderat, nunc Græcè tantùm exſtat, ut ab *Euſebio* verſum fuit. Sic autem habet: MINVTIO FVNDANO. *Accepi litteras à Serennio Graniano V. C. deceſſore tuo. Nec ſanè mihi, videtur res ſine inquiſitione prætereunda, ne & homines turbentur & delatoribus malefaciendi occaſio præbeatur. Si igitur,*

2 *Qui utramque hanc Apologiam* &c.] Ita cenſet *Ant. Pagius* in Diſſertatione Hypatica, Cap. III. ubi contendit pleraſque perſequutiones Decennalibus Imperatorum factas, vúltque propterea anno CXXVI. quo Decennalia celebravit Hadrianus, *Quadrati* & *Ariſtidis* editas Apologias. Sæpe quidem contigiſſe quod dicit facilè conceſſerim, ſed ſemper hoc factum vix crediderim. Vide quæ eam in rem habet.

1 *Serenus Granius*] Vocatur apud *Juſtinum* & *Euſebium*, *Serennius*, aut *Serenius Granianus*. At *Hieronymus* in Chronico *Serenum Grannium* vocat. *Serenorum* & *Granniorum* nomina ſeorſim ſæpe leguntur in Inſcriptionibus Romanis, ſed & *Gruteri* p. DXXXIII,

igitur, in hanc petitione, Provinciales apertè contendere poſſint adverſùs Chriſtianos, ita ut pro tribunali reſpondeant, in id unum incumbant, nec petitionibus ſoliſque clamoribus utantur; multò enim juſtius fuerit cognoſcere, te, ſi quis accuſare voluerit. Si quis ergo accuſat & oſtendit quidpiam contra leges ab iis factum; tu, pro gravitate delicti, ſtatue. Sin, me hercule, calumniæ causâ quiſpiam hoc intenderit, operam dabis ut, pro gravitate criminis, in illum animadvertas. Atque hoc quidem memoratur Hadriani Reſcriptum.

ANN. CX XVI.

II. In eo autem animadvertimus hoc ſtatuere Imperatorem I. accuſatos Chriſtianiſmi, ſine ulla inquiſitione, utrum, nempe, verè Chriſtiani eſſent (nihil enim aliud quærebatur) pœnas dare non oportuiſſe; quod fiebat ſi ob clamores plebis homines è veſtigio duci juberentur, aut ad beſtias damnarentur; quod maximas turbas, ob delatorum nequitiam, dare & innocentibus mortem creare potuiſſet: II. deinde accuſationem ſollemni more inſtitui, ut actor & reus, pro tribunali, audirentur, iiſque demum auditis, ſententia ferretur: III. nullam rationem haberi *petitionum & ſolorum clamorum* plebis, ἀξιώσεων καὶ βοῶν, quæ in homines innocentes æquè fieri poterant, ac in ſontes: III. ſi actor oſtendiſſet reum *feciſſe quidpiam contra Leges*, τὶ παρὰ τοὺς νόμους πράττοντα, *reum pro gravitate delicti*, κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος, puniendum: IV. verba hæc generalia eſſe, ac proinde obſcura; neque enim Hadrianum dicere quas leges intelligat, cùm nullum edictum Cæſarum in Chriſtianos proferretur; ſed tantùm Trajani Reſcriptum, qui ſtatuerat delatos, *ſi arguerentur, puniendos*, non addito pœnæ genere: V. ſi Chriſtiani quidpiam præter alias leges feciſſent, pœnas eos dare debuiſſe, ex præſcripto legum, ſed non ut Chriſtianos: VI. ſin verò vel Chriſtianos ſe non fuiſſe, aut non eſſe oſtenderent, pœnas de calumniatoribus fuiſſe ſumendas.

III. Intellexit tamen *Juſtinus* Reſcripti verba, quaſi Hadrianus voluiſſet Chriſtianis jus dici, eadem æquitate, quâ ceteris reis, ita ut non in Religionem tantùm, ſed in facta quævis eorum inquireretur; quæ ſi legibus contraria non eſſe deprehenderentur, rei, ut in aliis cauſis fieri ſolebat, abſolverentur. Vult enim Chriſtianis ex Hadriani Reſcripto jus dici, non tantùm eo quòd ita cenſuiſſet Imperator, ſed quia æqua peterent; & ab initio Apologiæ petierat, ut in crimina Chriſtianis objecta (quorum potiſſima erant promiſcuus, exſtinctis lucernis,

DXXXIII, 6. occurrit *M. Granius Serenus.* Sic ergo ſcribendum.

2 *Aſiæ Proconſul*] Sic à nobis vocatur, quod ejus ſucceſſor *Minucius Fundanus* Aſiæ Proconſul fuerit, ut docet *Hieronymus* in Chronico.

3 *Ut ſolebat fieri*] Ut cùm in theatro *Chriſtianum ad Leonem* poſceret plebs. Vide *Henr. Valeſium* ad *Euſebii* H. E. Lib. IV. c. 8.

1 *Nihil enim aliud*] Liquet hoc ex initio I. Apol. *Juſtini*, *Tertulliani* Apol. C. II. & aliis.

ANN. CXXVII. cernis, concubitus, & Thyeſteæ cœnæ) inquireretur; quæ ſi verè objici liqueret, pœnas pro gravitate delictorum darent; ſin verò falſa comperirentur, innocentes dimitterentur. Quam judiciorum formam ſolam juſtam & honeſtam meritò eſſe contendit. Poterat ſanè, ſuo jure, ita verba Hadriani interpretari, cùm propter ambiguitatem, quam iis ineſſe vidimus; tum etiam quòd nihil, niſi æquum, poſceret, bonorúmque Judicum eſſet Leges ita interpretari, ne æquitatem manifeſtò lædere viderentur.

IV. Nec tamen hoc Reſcripto finem perſequutioni impoſitum fuiſſe, ut [2] Veteres quidam ex rei, ut puto, æquitate, conjecerunt, ſequentium temporum Hiſtoria docebit; ita ut iniquiores Præſides in triſtiorem partem Imperatoris verba accepiſſe videantur. Licuit tamen mitioribus in æquiorem partem propendere.

Gallicano & Titiano COSS. Hadriani Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti CXXVII.

I. Hoc anno Pius, Epiſcopus Romanus, ſucceſſit Hygino, [1] ut viris doctiſſimis videtur.

II. Paullo ante hæc tempora, dum etiamnum viveret Hyginus, venit, ut prodidit *Irenæus* Lib. I. c. 37. Romam Cerdo quidam, qui è Simonianis pravam hauſerat doctrinam. Docebat autem „ à Lege „ & Prophetis adnunciatum Deum non eſſe Patrem Domini Noſtri „ Jeſu-Chriſti; hunc enim cognoſci, illum ignorari; & alterum quidem juſtum, (*hoc eſt, ultorem peccati*) alterum verò bonum eſſe. Hæc obſcura verba ita capiunt [2] viri docti, ut intelligant Deum bonum & ignotum à Cerdone dictum Patrem Jeſu-Chriſti; malum verò Deum & notum fuiſſe conditorem Legis. Certè hanc ei ſententiam tribuit *Tertullianus*, cujus hæc ſunt verba de Præſcript. Hæreticorum C. LI. *Accedit his Cerdon quidam. Hic introducit* [3] *initia duo, id eſt, duos Deos, unum bonum & alterum ſævum; bonum ſuperiorem; ſævum hunc mundi creatorem. Hic Legem & Prophetas repudiat, Deo creatori renunciat, ſuperioris Dei filium Chriſtum veniſſe tractat, hunc in ſubſtantia carnis negat, in phantaſmate ſolo fuiſſe pronunciat; nec omnino paſſum, ſed quaſi paſſum; nec ex virgine natum, ſed omnino nec natum. Reſurrectionem animæ tantummodò probat, corporis negat. Solum Evangelium Lucæ, nec tamen totum recipit.*

2 *Veteres quidam*] *Hieronymus* in Ep. ad Magnum Oratorem Romanum Tom. IV. Ed. Bened. col. 656. *Quadratus Apoſtolorum Diſcipulus & Athenienſis Pont. Eccleſiæ nunc Hadriano Principi, Eleuſinæ ſacra inviſenti, librum pro noſtra Religione tradidit? Et tantæ admirationi omnibus fuit, ut perſequutionem graviſſimam illius excellens ſedaret ingenium.* Si vera eſt hæc circumſtantia, Hadriano, cùm initiaretur, oblatam à Quadrato Apologiam; erravit *Pagius*, qui rem differt in Annum CXXVI.

1 *Ut viris doctiſſimis* &c.] *Joan. Pearſonio* de Succeſſ. primorum Romæ Epiſcop. Diſſert. II. C. XXII, 2. & *Henr. Dodwello*, eadem de re Diſſert. ſingularis C. XIII, 1.

2 *Viri docti*] Vide Interpretes ad *Irenæi* locum.

3 *Initia duo*] Ἀρχὰς, hoc eſt, ἀρχικὰς ὑποςάσεις, ut loquitur *Plotinus*, Subſtantias

recipit. Apoſtoli Pauli, neque omnes, neque totas Epiſtolas ſumit. Acta Apoſtolorum & Apocalypſin, quaſi falſa rejicit. In hoc Librorum Sacrorum delectu præivit Marcioni, de quo poſtea agemus; in ceteris veterum Gnoſticorum doctrinam recoxit. ANN. CXXVIII.

Torquato Aſprenate, Annio Libone COSS. *Hadriani Imp.* XII. *Æræ Vulgaris Chriſti* CXXVIII.

I. His temporibus, floruit *Aquila*, Sinope Ponti urbe oriundus, qui Vetus Teſtamentum Græcè vertit. [1] *Epiphanius* eum Hadriani Imp. πενθερίδην, hoc eſt, *adfinem*, [2] Chronicon verò Paſchale πενθερὸν, hoc eſt, ſocerum fuiſſe prodidit. Quæ fabuloſa cùm ſint, unde tamen conficta fuerint nemo dixerit. Nec veriora ſunt, quæ *Epiphanius* ſubjecit, cùm Hadrianus Jeroſolimam inſtaurare ſtatuiſſet, eum Aquilam ei negotio præfeciſſe; dum verò, ea de cauſa, Jeroſolimæ verſaretur, adductum ad fidem Chriſtianam ab Apoſtolorum Diſcipulis, [3] qui Pellâ eò redierant, & baptiſmum ſuſcepiſſe; verùm cùm à moribus priſtinis non diſcederet, & Aſtrologiæ Apoteleſmaticæ, mirum in modum, deditus eſſet, monitúſque de artis vanitate ei tamen nuncium remittere nollet, & Fatum Aſtronomicum tueretur, ex Eccleſia tandem ejectum; quâ ignominiâ exacerbatum, Chriſtianâ Religione ejuratâ, Judaïſmi Proſelytum factum circumciſum fuiſſe; & cùm ſe totum Hebraïcis litteris ediſcendis tradidiſſet, earúmque ſingularem peritiam ſibi comparaſſet, Vetus Teſtamentum adcuratiùs, quàm umquam factum eſſet, tranſtuliſſe.

II. Si liceret has fabellas interpretari, eodem modo ac poëticas, poſſemus fortè ſuſpicari Aquilam fuiſſe in Nazaræorum antiquiorum ſecta, qui Pellam, cum ceteris Chriſtianis, tempore quod obſidionem Jeroſolimæ proximè anteceſſit, confugerant; atque à Nazaræis ſui ævi Hebraïcam Linguam, cujus peritiſſimi erant, edidiciſſe, non à diſcipulis Apoſtolorum Pellâ reducibus; à quibus Nazaræis deinde ad Judæos defecerit. Ratio hujus conjecturæ eſt quod habet *Hieronymus*, in Præfatione in Eſdram, ubi de Græcis: *poſt LXX. Tranſlatores*, inquit, *jam Chriſti Evangelio coruſcante, Judæos & Ebionitas Legis Veteris Interpretes; Aquilam, videlicet &* [4] *Symmachum & Theodotionem curioſè legunt* &c. Non

tias quæ rebus initium fecerunt.

1 *Epiphanius*] Lib. de Ponderibus & Menſuris p. 170. Tom. 2. Ed. Petavianæ.

2 *Chronicon*] Ad Olympiadis CCXXVII, 4. p. 255. Ed. Pariſienſis. Vide de hiſce *Bernardum Monfalconium*, Præliminarium in Hexapla Origenis, Cap. V. & teſtimonia Veterum, quæ ad calcem conjecit.

3 *Qui Pellâ eò redierant*] Factum hoc non diu poſt annum Chriſti LXX. quo Jeroſolima capta & deleta eſt. Itaque hîc ſerò reditûs ejus mentio fit, cùm pauciſſimi, aut nulli ſupereſſent ex iis, qui eò confugerant.

4 *Symmachum* &c.] De Symmacho diſertè adfirmat *Euſebius* H. E. Lib. VI. c. 17. Ebionæum eum fuiſſe.

ANN. CXXIX. Non videtur de nihilo ſic loquutus *Hieronymus*, nec abſurdè conjicere quis poſſit hæc eum habuiſſe à Nazaræis, à quibus & alia de Aquila acceperat; cùm, ex eorum teſtimonio, eum Rabbini *Akibæ* diſcipulum fuiſſe memoret. Verùm rem in medio relinquo, ne pro Epiphanianis alias ſerere fabulas videar.

III. Aquila [5] duas Veteris Teſtamenti interpretationes edidit; unam liberiorem, ubi ſingulis quidem vocibus poteſtatem ſuam ſubjiciebat, quoad ejus fieri poterat, ex Linguæ Græcæ ingenio; ſed eas alioqui non numerabat, quaſi totidem Græcæ eſſe debuiſſent, quot Hebraïcæ: alteram verò, quæ vocabatur κατ' ἀκρίβειαν, ubi voces ſingulas ſingulis reddiderat, ne exceptis quidem iis quæ Græcè verti non poſſunt; qualis vocula את *eth*, quæ, quando eſt ſignum accuſativi apud Hebræos, nullam poteſtatem ſubjectam habet, & quam tamen, quia aliàs *cum* ſignificat, ubi ſuperiore munere non fungitur, verterat σὺν, neglectâ omnino Græcæ Linguæ ſtructura.

IV. Christiani Scriptores aliquot *Aquilam* inſimularunt malæ fidei in Verſionibus ſuis, quaſi quædam loca, quæ Chriſtianiſmo favent, datâ operâ, pravè vertiſſet. Sed eum dudum abſolvit *Hieronymus*, & viri etiam docti, eorum locorum examine, temerè accuſatum eſſe oſtenderunt. Utinam verò Verſiones ejus ad nos uſque perveniſſent! Quod fieri facilè potuiſſet, ſi Veteres earum uſum ſatis intellexiſſent. Dignæ erant, quæ Eccleſiarum publico ære ſæpiùs exſcriberentur, & in Bibliothecis reponerentur; ut ad Poſteritatem, quæ meliùs iis uti potuiſſet, propagarentur. Sed innumeris inutilibus Homiliis, aliiſque quiſquiliis exſcribendis, neglectis melioribus Libris, irreparabili Poſterorum damno Librarii ſunt ab indoctis hominibus occupati. Quas querelas ſæpiùs viris doctis amiſſorum theſaurorum, pro quibus carbones habemus, dolor expreſſit, & porrò exprimet.

P. Juventio Celſo II. Q. Julio Balbo COSS. Hadriani Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti CXXIX.

I. Hoc anno Hadrianus, cùm Imperii Romani Provincias paragrando inſpiceret, in Ægyptum ivit; ubi Nilum navigans delicias ſuas, Anti-

5 *Duas* &c.] De hiſce copioſè, præter ceteros, egit *Monfalconius*, loco antea memorato.

1 *Sive prudens* &c.] Dubiè hac de re loquitur *Spartianus* in Hadriano c. XIV. De quo varia *fama eſt, aliis eum devotum, pro Hadriano, adſerentibus; aliis quod & forma ejus oſtentat* (hoc eſt, παιδικὰ fuiſſe) *& nimia voluptas Hadriani.* Sed *Dio* non dubitavit inſtar victimæ præcipitem actum fuiſſe; cùm, apud *Xiphilinum*, ἱερουργηθέντα, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει, dicat. Ceterùm de ejuſmodi devotionibus, quibus poſſe alicujus produci fata, ſi ejus vicem ſubiret alter, victimæ ſuccidaneæ inſtar, putabant Veteres, vide quæ collegere *Iſaac. Caſaubonus* ad *Suetonii* Cap. XIV. *Spartianique* locum adductum, & *Claud. Salmaſius* in eumdem locum.

2 *Superſtitioſus* &c.] Hæc diſertè apud *Dionem*, in Epit. *Xiphilini.*

3 *Condiditque in Thebaïde* &c.] Hæc *Dion.* Vide & *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 9. ubi *Prophetas* etiam Antinoi conſtitutos ait,

Antinoum, adoleſcentem Bithynum amiſit; ſive imprudens in Nilum deciderit, ut ſcripſit Hadrianus, [1] ſive prudens ſe quaſi victimam, pro Hadriano, præcipitem dederit, ut putabat *Dion.* Erat certè Hadrianus [2] ſuperſtitioſus, & magicis ſacris etiam operabatur; in quibus interdum ſpontaneâ victimâ, ad malum averruncandum, opus eſſe putabant. Quare Antinoum non ſolùm ſummopere deflevit, ſed & conſecravit, [3] condiditque in Thebaïde urbem, de ejus nomine, vocatam Ἀντινοȣπόλιν; ubi Prophetas qui Oracula, quaſi ab eo excepta, ederent, [4] quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe ferebatur, conſtituit. Quod non Chriſtiani tantùm Scriptores, ſed etiam *Dion* & *Spartianus* animadverterunt. ANN. CXXIX.

II. Hic non eſt nobis prætermittenda Hadriani Epiſtola ad Severianum [5] Conſulem ejus anni, à Cal. Martiis ſuffectum; cùm in ea Chriſtianorum ita meminerit Hadrianus, ut eorum Religionis prorſus imperitum fuiſſe liqueat. Eam habet *Fl. Vopiſcus* in Saturnino, ubi poſtquàm dixit Imperator, ſe comperiſſe Ægyptum *totam levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem*; *illi*, inquit, *qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Chriſtianorum Presbyter non mathematicus, non aruſpex, non aliptes. Ipſe ille Patriarcha, cùm in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum — Unus illis Deus nullus eſt; hunc Chriſtiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes.* I. Atqui nemo verè Chriſtianus Serapin adorare potuit, alioqui nulli umquam Martyres, nec in Ægypto, nec alibi fuiſſent, ſi fas fuiſſet Chriſtianis Ethnicorum Numina colere; vitam enim ſuam, ne licitam rem facerent, minimè profudiſſent. Nec poterant Serapidis Sacerdotes ſe Chriſtianos dicere, cùm ejuſmodi Sacerdotium cum Religione Chriſtiana conſiſtere nequiret. Niſi per omnia, ab impoſtore neſcio quo, deceptus ſit Hadrianus, quod non ægrè crediderim; confudit cum Chriſtianis perditos quoſdam Gnoſticos, qui Religionis causâ [6] perpeti nihil ſuſtinebant, & nunc quaſi Chriſtianos, nunc quaſi Serapidis cultores ſe ſe venditabant. II. Potuiſſet fieri, ut quidam pravi Judæorum Archiſynagogi, levéſque ac imperiti Chriſtianorum Presbyteri Matheſin, hoc eſt, Aſtrologiam Apoteleſmaticam & alias quaſdam ſuperſtitioſas artes interdum clanculum coluerint. Sed ab omnibus

ait, & *Chronicon Paſchale.*

4 *Quæ Hadrianus ipſe* &c.] Spartianus: *Græci quidem, volente Hadriano, eum conſecraverunt, oracula per eum dari adſerentes, quæ Hadrianus ipſe compoſuiſſe jactatur.* Quæ tamen vera, aut metu Imperatoris, dicebantur, aut Ægyptiorum ſtultitiâ putabantur. Unde nata pleraque omnia oracula.

5 *Conſulem ejus anni*] Leg. 20. §. 6. Dig. de Hereditatis petitione, proferuntur in Senatûs Conſulto, pridie Idus Martias facto, nomina quatuor Conſulum *Q. Julii Balbi*, & *P. Juventii Celſi*, qui Ordinarii Conſules fuerunt à Calendis Januariis, tum *Titi Aufidii & OEni Severiani*, qui ab aliis *Arrius Severianus* dicitur, & qui Conſul Ordinarius fuit anno CXXXII. Sed ad eum Conſulem ſuffectum ſcripſit Hadrianus, cùm paullò antea Ægypto egreſſus eſſet. Vide *Ant. Pagium* ad ann. CXXIX & CXXX.

6 *Perpeti nihil* &c.] Vide ad Ann. LXXIX, 8. de Baſilidianis.

ANN. CXXX. nibus hoc factum nemo, niſi utriuſque Religionis imperitus, crediderit. III. *Patriarcha*, cujus meminit Hadrianus, non eſt, ut quidam temerè putarunt, Epiſcopus Alexandrinus; qui hiſce temporibus [7] nondum Patriarcha vocabatur, neque umquam extra Ægyptum morari ſolebat. Patriarcha fuit Judæorum, quem Alexandriæ habitare neceſſe non erat, & cujus eſt frequens, [8] in Codice Theodoſiano, mentio. Nec tamen verum eſt à Chriſtianis coactum eum eſſe Chriſtum adorare; quo enim jure & quâ poteſtate hoc feciſſent? quî recuſantem cogere potuiſſent? Imò ne ab Ethnicis quidem facilè hoc potuit fieri; cùm non illicitum eſſet, in Ægypto, Judæis more ſuo, vivere; nec ullus verè Judæus ut Chriſtum, aut Serapin coleret, adduci potuit, niſi Religioni ſuæ valediceret. IV. Si quod Judæis & Chriſtianis exprobrat verum fuiſſet, non immeritò ullum iis Deum fuiſſe negaſſet, qui omnes promiſcuè colerent. Verùm ſibi fucum fieri paſſus erat Hadrianus, dicacitate Alexandrinorum, qui maledictorum ſummi ſemper artifices fuere. Sic & poſtea Alexandrum Severum, quòd Judæos & Chriſtianos malè non haberet, quamvis alioquin Ethniciſmo addictiſſimum, vocarunt *Syrum Archiſynagogum* & *Archierea*, ut narrat *Lampridius*, in Alexandri vita. C. XXVIII.

III. Quæ cùm ita ſint, vero ſimiliora non ſunt, quæ habet idem *Lampridius*, ejuſdem Alexandri vitæ C. XLIII. *Chriſto*, inquit, *Templum facere voluit, eúmque inter Deos recipere; quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui Templa in omnibus Civitatibus, ſine ſimulacris, juſſerat fieri; quæ hodie, idcirco quia non habent Numina, dicuntur* Hadriani. *Quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur; ſed prohibitus eſt, ab iis, qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatò eveniſſet, & Templa reliqua deſerenda.* Sed hæc mera fuit ſuſpicio hominum Hadriani conſilium ignorantium; [9] qui ſibi ea Templa, poſtquàm perfecta fuiſſent, conſecrari voluit, ut rectè viri doctiſſimi animadverterunt.

Q. Fabio Catullino, M. Flavio Apro COSS. *Hadriani Imp. XIV. Æræ Vulgaris Chriſti* CXXX.

I. His temporibus, cùm Hadrianus Jeroſolimam veniſſet, inſtaurare eam inſtituit, inſtauratámque Æliam Capitolinam vocari poſthac voluit.

7 *Nondum Patriarcha*] Viri docti oſtenderunt antiquitatem Canonum Apoſtolicorum, ex eo quod nulla ejuſmodi honorifica adpellatio legatur, quòd tituli illi inventi ſint paullò ante, aut poſt Synodum Nicænam. Vide *Gul. Beveregium* in Can. Ap. Lib. II. C. V, 16.

8 *In Codice Theodoſiano*] Præſertim Lib. XVI. Tit. VIII. *de Judæis Cœlicolis & Samaritanis.* Multis de iis egit *Jac. Gothofredus* ad Leg. 1. ejus Tituli, ubi oſtendit non fuiſſe pares omnes, qui Patriarchæ dicebantur; ſed hîc Patriarcharum omnium Principem intelligendum, qui Hebraïcè נשיא *Naſi* dicebatur. Eum adito.

9 *Qui ſibi ea templa* &c.] Hac in re ſequimur ſententiam *Iſ. Caſauboni* ad locum *Lampridii.* Putat eò obſcuriùs reſpexiſſe Arrianum, initio Peripli Ponti Euxini, ubi ſtatuas Mercurii & Phileſii in Templo reponen-

ſuit. Tum & coloniam eò deduxit & in colle, in quo Judæorum Templum fuerat, Ædem Jovi ſacram ædificari juſſit. Quibus rebus, vehementer offenſi ſunt Judæorum animi, cùm urbem olim ſuam exteras gentes habitare, earúmque more ſacra in ea fieri viderent. Quare cùm etiamnum urbem à ſe recuperatum iri ſperarent, de bello conſilia agitare cœperunt; ſed metu Hadriani, nihil apertè movere auſi ſunt. Quæ habet *Dion* Lib. LXIX. ANN. CXXXI.

Ser. Octavio Lænate Pontiano, M. Antonio Rufino COSS. Hadriani Imp. XV. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXI.

I. JUDÆI, ob cauſam memoratam, Romanis infenſi, cùm arma fabricare in uſum Romanorum militum juſſi eſſent, de induſtria minùs apta fecerunt; ut ſi à Romanis reprobarentur, ipſi iis uterentur, poſtquàm in apertum bellum erumpere viſum eſſet; ut habet *Dion* eodem libro.

II. Hoc tempore & citiùs etiam, ut volunt, à Chriſtiano neſcio quo, homine quidem imperitiſſimo, ſed qui credulos nimis facilè fefellit, conficti & conſarcinati ſunt Sibyllini Libri VIII. quos habemus, quamquam & iis nonnulla ſeriùs ſunt addita. De Sibyllis, Librisve iis ſuppoſitis agere hîc nec vacat, nec licet, cùm res ſit dudum [1] à viris doctis pertractata. Ad libros quod adtinet, nemo jam neſcit eos ſcatere abſurdiſſimis commentis, & apertiſſimis etiam repugnantiis. Sermones in iis habentur de Chriſto adeò clari, ut Evangelia ipſa vix clariùs de eo egerint, ne dum ut talia in Prophetarum Hebræorum ſcriptis inveniantur; & tamen hæc Sibylla fingit ſe eſſe nurum Noachi, quaſi eo tempore clariùs innotuiſſet Chriſtus, quàm ſequentibus omnibus ſæculis, ad ejus adventum. Quis ferat etiam nurum Noachi Græcè vaticinantem, & quidem verſibus, antequàm Lingua Græca inventa eſſet, & plauſtra ineptiarum proferentem? Ubi, per tot ſæcula, latuit ejus Opus, ut Sæculo demum poſt Chriſtum Secundo innoteſceret? Nam Sibyllinos hoſce verſus non eſſe eos, quos Romani conſulere ſolebant, & unde quibus piaculis oſtenta procurari poſſent intelligebant, res ipſa oſtendit; [2] cùm, de ejuſcemodi rebus, nihil in hiſce noſtris Sibyllinis habeatur. Quis etiam non videt vaticinia hæc omnia, poſt eventum, ut Caſſandræ

ponendas ab Hadriano petit. Sed obſcuriora hæc ſunt, quàm ut quidquam pro explorato dici poſſit.

1 *A Viris doctis* &c.] Præ ceteris omnibus, à *Davide Blondello*, in Opere Gallico de Sibyllis, anno MDCXLIX. edito, inculto quidem illo, ſi rationem ſcribendi ſpectes; ſed, ad res ipſas quod adtinet, erudito. Nos id exſcribere non adgrediemur, quod qui adierint & leviter Sibyllina oracula evolverint, nimis vera eſſe quæ ſcripſimus intelligent. Eorum etiam ſuppoſitionem aperuit *Ger. Joan. Voſſius* de Poëtis Græcis, C. I. ſed jejunè rem tractavit, ſi cum *Blondello* conferatur. Breviter, ante utrumque, rem adtigerat *Iſ. Caſaubonus* Exercit. I. n. XVIII. in *Baronium*.

2 *Cùm de ejuſmodi rebus* &c.] Jam hoc animadverterat *Ger. Joan. Voſſius*.

ANN. CXXXI. dræ *Lycophronis*, facilè eſſe confictа; quæ ſunt ita clara, vix ut Hiſtoria clarior ſit, & ubi paſſim multis ſæculis recentiora virorum, populorum & locorum nomina proferuntur, réſque etiam nullius momenti prædicuntur? Nec deſunt fabuloſa de Diis è Poëtis deſumta, pluribus in locis, déque tribus Parcis Lib. V, 215. aliiſque id genus nugis. Totus ſtylus eſt poſterioris ævi, farragine verborum ineptorum paſſim contextus, tumidus & ſenſu ſæpe carens; ſine ulla primævæ antiquitatis ſpecie, quæ lectores decipere queat. Quin & multa falſa ſunt prædicta, ut vel obiter ſolum Lib V. legentibus liquebit, ut neceſſe non ſit pluribus huic rei immorari.

III. Non diſſimulandum tamen Scriptorem IV. ut creditur, Sæculi, Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos, Reſponſione ad Quæſt. LXXIV. memoratâ Terrarum ultimâ conflagratione, à Sibylla prædictâ, addere: *ut dicit beatus Clemens in Epiſtola ad Corinthios.* Quod quidem non exſtat in Epiſtola, quam habemus, ſed in calce fuiſſe olim exiſtimatur; nam aliquot pagellas in fine laceratas monuit, qui primus eam edidit, *Patricius Junius.* Unde colligunt, jam à temporibus Apoſtolicis, aliquot Sibyllina vaticinia edita fuiſſe. Verùm faciliùs crediderim, ſi quid ejuſmodi ad calcem Epiſtolæ *Clementis* IV. Sæculo lectum ſit, merum fuiſſe additamentum, quo ea Epiſtola dehoneſtata fuerat à Librariis; qualia nonnulla notavimus, ubi de iis Litteris egimus, ad Ann. LXIX, 2. quàm conficta jam eo tempore fuiſſe hæc oracula.

IV. Sed eſt locus Lib. V. verſu 47. & ſeqq. de Hadriano, qui ſcribi non potuit ante annum CXXXVIII. quandoquidem memoratur in eo adoptio Antonini Pii, M. Aurelii & L. Veri, quæ eo demum anno contigit; nec tamen poſt mortem L. Veri ſcriptus eſt. [3] *Poſt eum* (Trajanum) *alius*, inquit Sibylla, *regnabit vir*, *cui erit galea argentea* (cani, nempe) *eique erit nomen maris.* (Hadriatici) *Erit vir optimus & omnia ſciet. Sub te*, *vir optime & excellentiſſime*, *cæruleis crinibus ornate*, *& ſub tuis ramis* (filio & nepotibus adoptaticiis) *erunt omnium dies. Tres regnabunt & tertius rerum omnium diu potietur*; Antoninus Pius, M. Aurelius & L. Verus, quem poſt omnes imperaturum diutiùs conjecit impoſtor, eò quòd omnium natu minimus eſſet, ſed eventus hominem confutavit.

V. Profertur quidem locus è Lib. V. qui putatur à nonnullis reſpicere incendium Capitolii, quod contigit, [4] ut aiunt, ſub Commodo. Sed rectè animadvertit vir doctiſſimus agi eo loco de ſecundi Jeroſolimitani Templi incendio: [5] *cùm ſecundùm vidi*, inquit commenticia Sibylla,

3 *Poſt eum* &c.] Sic habet verſuum initium:

——— μετ᾽ αὐτὸν δ᾽ ἄλλος ἀνάξει
Ἀργυρόκρανος ἀνήρ· τῷ δ᾽ ἔσσεται οὔνομα πόντου.

4 *Ut aiunt* &c.] Nam non ſecundum fuit hoc Capitolii incendium, ut oſtendit *Blondellus* de Sibyllis Lib. I. c. 4. ubi rectè de Templo Jeroſolimitano interpretatur.

5 *Cùm ſecundùm*] Lib. V, 397.

Ἡνίκα

byllâ, *dejectam ædem præcipitem, igne tabeſcentem, per impuram manum, ædem ſemper florentem, Templum Deum ſervans, ex ſanctis ortum & quod ſemper incorruptum fuerat, ex animo & corpore ejus ſperatum; non enim ſegniter laudat Deum, ex obſcura terra; nec peritus faber lapidis, apud eos, fecit; non aurum, quo mundus & animæ decipiuntur, cultum eſt; ſed magnum genitorem Deorum omnium, adflatorum in ſacrificiis colebant, & ſacris hecatombis.* Quæ verba, licèt inepta & barbara, meliùs Templo Jeroſolimitano conveniunt, quàm Capitolio; quamvis neſcio quid de exſtincto Veſtæ igne anteceſſerit. Nihil eſt ergo cur putemus, Commodo imperante, hæc eſſe ſcripta; cùm ultra L. Verum divinatio confictæ Sibyllæ non proceſſerit. ANN. CXXXI.

VI. Fuit [6] vir eruditiſſimus, qui, in Opuſculo de Sibyllinis Oraculis, contendit non exiguam eorum partem, quæ ante tempora Chriſti circumferebantur, fuiſſe LXXX. circiter annis, ante ejus adventum, à Judæis è Prophetarum vaticiniis confictam & à Romanis in Capitolio repoſitam. Sed ſunt hæ meræ conjecturæ & quidem de Oraculis, quæ non ampliùs exſtant, aut ſaltem admodum interpolata ad manus noſtras pervenerunt. Præterea quinam erant illi Judæi, qui, LXXX. annis ante Chriſtum, ſententiam priſcorum vaticiniorum meliùs intelligebant, & clariùs multò interpretabantur, quàm ii qui tempore Chriſti vixerunt? Quinam etiam fuerunt ii Romani, qui conficta nuper carmina à Judæis, eáque Majorum ſuorum Religioni contraria, in Capitolio repoſuerunt? Certè nihil ejuſmodi vir ingenioſus probavit. Ceteroquin [7] ea, quæ olim à Patribus Chriſtianis lecta ſunt & etiamnum ſuperſunt Oracula, omnia ejuſdem generis & auctoritatis eſſe non exiſtimat, ac ſuperiora. In his quippe, quæ Chriſti natales præceſſerunt, Sibyllinis, ea ſolùm, ſi ei credimus qui ea numquam viderat, continebantur, quæ ex Prophetarum Scriptis depromta eſſent vaticinia. At verò in illis, quæ vulgò leguntur, ea quoque occurrunt, ut fatetur, quæ non ab aliis, quàm ab iis potuerunt conſcribi, qui centum & viginti demum annis Chriſto fuere poſteriores. Satis hoc inde colligitur, ut ait, quod in iis nominatim memorentur Cæſares ad Hadrianum uſque. Potuiſſet dicere, ut vidimus, ad M. Aurelium. Attamen cùm, ut vult, in iis ea quoque compareant, quæ manifeſtè conſtat ſcripta fuiſſe, etiam ante adventum Chriſti; quod tamen non oſtendit, quamvis confidenter oſtenſum à ſe dicat; teſtatur ſe adſentiri *Celſo* adfirmanti, compluribus in locis, interpolatos eſſe à Chriſtianis Sibyllinos libros, quantumvis contradicat *Origenes*. Ego verò *Davidi Blondello* omnia uni impoſtori tribuenti, cùm idem redoleant omnia ingenium & ſtylum eumdem, adſentiri me

Ἡνίκα δεύτερον εἶδον ἐγὼ ῥιπτούμενον οἶκον Πρηνηδὸν, πυρὶ τεγγόμενον διὰ χειρὸς ἀνάγνου.
Crediderim legendum τηκόμενον, *tabefactum*, non τεγγόμενον, *irrigatum*.

6 *Vir doctiſſimus*] *Iſaacus Voſſius*, cujus hoc Opus exſtat in volumine variorum ejus opuſculorum.

7 *Ea quæ olim*] E Cap. VIII. *de hodiernis quæ ſuperſunt Sibyllinis.*

ANN. CXXXI. me potiùs profiteor. Is tamen quiſnam fuerit, juxta cum ignariſſimis, ſcire me fateor; quamvis *Pœmandri* Scriptorem non abſurdè fraudis ejus inſimulet *Blondellus*.

VII. Revera *Celſus* Sybylliſtarum meminerat, quaſi generis cujuſdam Chriſtianorum, apud [8] *Origenem*; qui, rem diſſimulat, quòd fortè Sibyllinis libris fidem ipſe non haberet, quamvis alios aliter ſentire ſciret, neque eos confutare ſuſtineret. Sed eo nomine deſignatos Chriſtianos apertè docet [9] *Lactantius*, qui prolatis verſibus Sibyllæ, ex hiſtoria Evangelica manifeſtò re deſumtâ, *his teſtimoniis*, inquit, *quidam revicti ſolent eò confugere, ut aiant non eſſe illa carmina Sibyllina,* [10] *ſed à noſtris conficta atque compoſita.* Et meritò quidem, cùm liquidum ſit in iis Evangelia exſcribi, nec quidquam eſſe, quod antiquiora tempora redoleat. Addit tamen *Lactantius* hoc *profectò non putaturum, qui Ciceronem, Varronémque legerit, aliosque Veteres, qui Erythræam Sibyllam, ceteráſque commemorant.* Sibyllæ quidem ab iis ſunt memoratæ, ſed propterea conſequens non eſt eos ipſos libros, quos proferebant Chriſtiani, earum fuiſſe. Putabat quidem *Lactantius* earum *ex libris iſta exempla proferri*; at non erant libri, de quibus *Cicero* & *Varro*, aliique, qui numquam monuerunt talia iis ineſſe. Non dubitabat vir diſertiſſimus, *quin ea carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita eſſent, cùm ea nemo tum intelligeret, latuiſſéntque multis ſæculis, poſtea verò animadverſa fuiſſent, quàm Chriſti nativitas & paſſio patefeciſſent arcana: ſicut etiam voces Prophetarum, quæ cùm per annos mille quingentos & eo ampliùs lectæ fuiſſent à populo Judæorum, nec tamen intellectæ ſunt; niſi poſtquam illas Chriſtus, & verbo & operibus interpretatus eſt.* Sed, vel è teſtimonio Judæorum, conſta-

8 *Origenem*] Lib. V. p. 272. Ed. Cantabr. ubi *Origenes* diſſimulare videtur Chriſtianos ab eo intelligi, fortè quòd ipſe *Sibylliſta* non eſſet; vix enim potuit fieri ut omnes, ea de re, conſentirent. Certè Lib. VII. p. 336. poſtquàm Hebræos vates cum Ethnicis contulit & quantò præſtantiores iis fuerint oſtendit: διόπερ, inquit, ἐν οὐδενὶ μὲν τιθέμεθα λόγῳ τὰ ὑπὸ τῆς Πυθίας, ἢ Δωδωνίδων, ἢ Κλαρίου, ἢ ἐν Βραγχίδαις, ἢ ἐν Ἄμμωνος, ἢ ὑπὸ μυρίων ἄλλων λεγομένων θεοπρόπων προειρημένα· τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐν Ἰουδαίᾳ προφητευσάντων τεθήπαμεν, καὶ τὰ ἑξῆς: *propterea nihili pendimus quæ à Pythia, aut Dodonidibus, aut Clario Apolline, aut apud Branchidas, aut in Ammonis templo, aut à ſexcentis aliis, qui dicuntur vates, prædicta ſunt; miramúrque ea quæ in Judæa edita ſunt.* Quæ tamen cum Sibyllinis conferri non poſſent, ſi hæc eſſent genuina.

9 *Lactantius*] Inſt. Divin. Lib. IV. 15. poſtquàm protulit verſus Sibyllæ de Chriſto, in quibus dicitur *verbo ventos placaturus, mare furens ſtraturus, eo pedibus conculcato, morbos ſoluturus, mortuos excitaturus, dolores multis abacturus, & ex uno fonte panis ſatietas hominibus futura.*

10 *Sed à noſtris*] *Celſus* apud *Origenem* Lib. VII. p. 369. incuſat Chriſtianos quaſi *multa inſeruiſſent Sibyllæ verſibus, eáque blaſphema*; in Deos, nempe: ὅτι παρενεγράψαμεν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα. Quibus ſubjicit, *non tamen demonſtraſſe Celſum quæ ſint illa, quæ inſeruiſſent Chriſtiani; quæ demonſtraſſet, ſi protuliſſet antiquiora exemplaria puriora, & quæ non haberent quæ inſerta putabat:* μὴ ἀποδείξας μηδ᾽ ὅ, τι παρενεγράψαμεν· ἀπέδειξε δ᾽ ἂν εἰ τὰ ἀρχαιότερα καθαρώτερα ἐδείκνυε, καὶ οὐκ ἔχοντα ὅπερ οἴεται παρεγγεγράφθαι. Sed mirum non eſt proferri non potuiſſe antiquiora exemplaria, ſi omnia Sibyllina, quæ tunc exſtabant, ea erant quæ habemus, quæ ab eadem manu eſſe videntur. *Origenes* verò nihil, quod adverſario favere poſſe putabat, concedere voluit; quod tamen candi-

conſtabat Prophetas fuiſſe ante Chriſtum, eorúmque vaticinia Hebraicè exſtabant apud Hebræos, & erant poſtea etiam ante Chriſtum in Linguam Græcam converſa; at Sibyllinos hoſce verſus, ante Sæculum Secundum, nemo viderat. Certè ſi quis ea vidiſſet, tempore Chriſti, aut paullò pòſt, conſtitiſſétque ea eſſe antiqua, etiam Ethnicis; [11] nihil fuiſſet opportunius iis vaticiniis, præ quibus Prophetiæ Veteris Teſtamenti meræ ſunt tenebræ; nam Ethnici nihil habuiſſent, quod tam manifeſtis prædictionibus opponerent; quibus etiam nomen Chriſti, in Acroſtichide, continebatur, & ubi Idololatria omnis Ethnicorum apertè damnabatur. Sed nihil opus eſt nos diutiùs huic rei immorari. ANN. CXXXI.

VIII. Retrahunt tamen nos, ad alia feſtinantes, [12] viri eruditi, qui auctoritatem Veterum plus æquo reverentur, nobiſque objiciunt *Athenagoram*, *Theophilum* Antiochenum, *Clementem* Alexandrinum, *Tertullianum*, Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctorem, *Conſtantinum* Magnum, *Euſebium*, *Optatum*, *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Proſperum*, *Palladium*, *Sozomenum*, *Junilium* & alios, qui Sibyllarum adversùs Ethnicos teſtimoniis uſi ſunt, aut Prophetidas fuiſſe crediderunt. Verùm ubi res ipſa loquitur, & manifeſta eſt, contrariarum auctoritatum nullum eſt pondus; Veritati enim perſpectæ opponi nequeunt. Reverentia, quam Patribus debemus, hoc unum à nobis poſtulat, ut iis hallucinantibus ignoſcamus, útque bonâ fide ac imprudentiâ eos erraſſe & loquutos eſſe putemus; non ut Veritati obloquamur, aut ut res ipſas, in opinionum & hominum gratiam, torqueamus, ne deceptos eos fuiſſe fateamur. [13] Nec defuerunt, qui hallucinationem ſenſerint.

IX.

candidius & Religione Chriſtiana dignius fuiſſet. Jam eum diſſimulaſſe Chriſtianos Sibylliſtas dictos oſtendimus. *Conſtantinus*, aut fortè *Euſebius* ejus nomine, *Orationis ad Sanctos* c. 19. ejuſdem Ethnicorum objectionis meminit, cui tamen *Lactantio* meliùs non reſpondet. *Ciceronem* etiam perperam laudat, ut rectè *Henr. Valeſio* obſervatum.

11 *Nihil fuiſſet opportunius*] Scio à *Clemente* Alexandrino Strom. Lib. VI. p. 636. proferri, è neſcio quo Libro Apocrypho, quaſi verba Pauli: λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους· ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι: *ſumite etiam libros Græcos, legite Sibyllam, quemadmodum ſignificet unum Deum & quæ erant futura.* Sed non ſunt hæc digniora fide, quàm *prædicatio Petri*, cujus aliquot verba antea profert *Clemens.*

12 *Viri eruditi*] Vide *Richard. Montacutium* Exercit. Eccleſ. IV. Sect. 2. ubi non tantùm, hac in re, fallere noluiſſe Patres, quod non ægrè conceſſerim, ſed nec deceptos fuiſſe perperam contendit. Error eſt manifeſtus, atque ex eo certò colligimus hallucinatos eſſe; nec adſumendum, ſine ratione, eos in re aperta falli non potuiſſe, unde colligatur lapſos non eſſe, quamvis re verâ lapſos videamus.

13 *Nec defuerunt* &c.] Certè *Auguſtinus* de Civitate Dei Lib. XVIII. c. 47. non obſcurè omnes ejuſmodi prophetias rejici potuiſſe teſtatur; *Quæcumque*, inquit, *aliorum* (non Judæorum) *Prophetiæ, de Dei per Jeſum Chriſtum gratia, proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe conficta. Ideò nihil eſt firmius ad convincendos quoſlibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtróſque faciendos ſi rectè ſapuerint, quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Judæorum ſcripta ſunt Codicibus* &c. Profert quidem Acroſtichidem & quædam alia Sibyllæ Erythrææ, ſed rem tam frigidè tractat, ut vix crediſiſſe videatur.

ANN. CXXXII.

IX. Vir doctus, [14] qui hoc argumentum copioſiùs pertractavit, quatuor potiſſimùm errorum reum Sibyllinorum Carminum Scriptorem agit. Primus eſt *omnium Animos deſcendere in inferos, iiſque detineri, ad diem uſque reſurrectionis Corporum.* Alter, *incendium omnium rerum, ultimo die, fore inſtar ignis, quo purgabuntur Animi & Corpora Sanctorum:* Tertius, *Paradiſum terreſtrem etiamnum incolumem eſſe, ut nonnulli è Sanctis, poſt reſurrectionem Corporum, eò ſe recipiant.* Quartus, *Chriſtum per mille annos, ante reſurrectionem, in terris, & quidem Jeroſolimæ regnaturum.* Nec licet negare ita ſenſiſſe hunc Scriptorem; ſed fatendum ſimul multos alios, ex antiquiſſimis Patribus, has ſententias eſſe etiam amplexos; ſive propter Sibyllarum commenticiarum auctoritatem; ſeu quòd jam, ab hiſce temporibus, eæ invaluiſſent opiniones, è fictis traditionibus, aut malè intellectis Scripturæ locis, aut temerariis nonnullorum conjecturis; quæ ſenſim, inſtar dogmatum verorum, admiſſæ ab incautis fuerint & tempore, ut fit, ac errantium conſenſu confirmatæ. Ipſe vir doctus copiosè oſtendit magnum Eccleſiaſticorum Scriptorum, & quidem vetuſtiſſimorum, numerum cum Sibyllini Operis fictore ſenſiſſe. Unde intelligere licebit, nos non fruſtra ad Ann. I. hujus ſæculi monuiſſe tritico Evangelico zizania, ab imprudentibus, miſceri cœpta eſſe.

Sentio Augurino, & Severiano COSS. Hadriani Imp. XVI. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXII.

I. Hoc anno, [1] cùm Hadrianus Imp. Oriente relicto, in Italiam rediiſſet, palam Judæi defecerunt, & aperto quidem Marte cum Romanis confligere auſi non ſunt; ſed opportuna Judææ loca invadebant, ſubterraneiſque cryptis & muris muniebant; ut ad ea, ſi vis ſibi inferretur, perfugium haberent, útque ad ſe invicem, per occultas illas vias, commeantes, oculos hoſtium fugerent. Quæ ſi longiores erant, deſuper humo perforatâ, ventum & lumen quoque ſolis ſubinde excipiebant. Quod teſtatur *Dion* in Epitome *Xiphilini.*

II. Judææ tum præerat Tinius Rufus, legatus Cæſaris, ad quem, creſcente in dies defectione, miſſæ ſunt ab Hadriano copiæ. Is verò ex amentia & deſperatione gentis, occaſione ſæviendi captâ, ingentem numerum Judæorum, cum conjugibus & liberis, occidit; agrúmque, quaſi jure belli captum, in poteſtatem Cæſaris redegit. Erat tunc temporis Judæorum dux quidam, qui ſe vocari volebat *Barchochbam*, hoc eſt, *filium ſtellæ*, quòd, [2] ut quidem aiunt Judæi, de ſe interpretaretur Num. XXIV, 17. *Procedet Stella à Jacobo, ſurgétque ſceptrum ex Iſraële* &c. Sed

14 *Qui hoc argumentum* &c.] *David Blondellus* de Sibyllis Lib. II. c. 9. & ſeqq.

1 *Cùm Hadrianus* &c.] Vide ad hunc annum *Ant. Pagium* n. III.

2 *Ut quidem aiunt*] Quæ in vetuſtioribus Judæorum monumentis de *Barchochba*, ברכוכבא, exſtant, collegit *Joan. Buxtorfius* loco citato.

Sed cùm malè res ei ceſſiſſet, vocarunt eam [3] *Barchozbam*, hoc eſt, filium mendacii. Vir fuit latrociniis & cædibus adſuetus, & qui ſpecioſo illo nomine miſeris Judæis fucum fecit; quaſi ſidus fuiſſet è cœlo delapſum, quod malè habitis lucem, hoc eſt, liberationem adferret. Qua de re egit *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 6. & quæ apud Rabbinos ſuperſunt collegit *Joan. Buxtorfius*, in Lexico Chaldaïco & Thalmudico, ad radicem ככב. *Juſtinus Martyr*, qui his temporibus vixit, in I. Apologia, prodidit Barchochbam ſolos Chriſtianos ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent & maledictis inceſſerent, juſſiſſe rapi. Quod legere eſt p. 72. Ed. Par. cap. XXXVIII. Oxonienſis. Similia habet *Hieronymus* in Catalog. S. E. in Agrippa Caſtore.

ANN. CXXXIII, & CXXXIV.

Hibero & Siſennâ COSS. Hadriani Imp. XVII. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXIII.

I. ROMANI Judæorum rebellionem initio ſpreverant. Sed poſtquàm totam Judæam ad arma concurriſſe, Judæóſque omnes ubique gentium tumultuari, & coïtiones facere, multa damna clam & apertè inferre; plures alias gentes, cupiditate lucri, ſe ſe iis adjungere, & ob eam cauſam totum fermè Imperium commoveri intellexiſſent; tum demum Hadrianus ſelectiſſimos duces adversùs eos miſit, & ſummæ rerum Julium Severum, qui Britanniæ præerat, præfecit. Is tamen, deſperatione & multitudine Judæorum territus, ſignis collatis cum iis congredi non auſus eſt; ſed eorum vires paullatim carpendas & adtenuandas ratus, ſeparatim eos ſubinde adgreſſus, commeatu, quâ potuit, prohibuit, quæ artes feliciter ei ceſſere.

II. AD hunc annum [1] viri docti Martyrium Fauſtini & Jovitæ aliorúmque referunt; ſed cùm hæc nitantur teſtimonio Actorum, [2] quibus quæ fides debeatur nemo dixerit, ea omittimus; quamvis ceteroqui negare nolimus Martyras quoſdam, per Imperium Romanum, fuiſſe; quia Hadrianus non vetuerat, ut diximus ad Ann. CXXV. de Chriſtianis pœnas ſumi, ſed eos tantùm, ſine accuſatoribus, damnari.

C. Julio Serviano III. C. Vibio Varo COSS. Hadriani Imp. XVIII. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXIV.

I. JULIUS Severus paullò quidem ſeriùs, ſed minore periculo, nec tamen ſine ſanguine, Judæos ita adtrivit, ac fregit; ut perpauci ſeditioſorum evaſerint, quinquaginta eorum arces munitiſſimæ ſolo æquatæ ſint, nongentique & octoginta quinque vici celeberrimi ferro & igne vaſtati.

3 *Barchozbam*] ברכוזבא *Barchozba*, hoc eſt, ex idiomate Hebraïco, *hominem mendacem*.

1 *Viri docti* &c.] *Ant. Pagius* ad An. CXX, 3. CXXXII, 2.

2 *Quibus quæ fides* &c.] Ea in Collectione Actorum Martyrum omiſit *Theodor. Ruinartus*.

ANN. CXXXIV.

vaſtati. Cæſa ſunt in minutis prælliis, excurſionibúsque, virorum quingenta & octoginta millia. Eorum verò, qui fame, morbis & igni perierunt, numerus iniri non potuit; ſed Judæa in ſolitudinem fermè converſa eſt. Multi etiam è Romanis, in eo bello, cecidere; quos non exiguo numero fuiſſe oportuit, quandoquidem *Hadrianus*, cùm confectum bellum ad Senatum ſcriberet, ſollemni formulâ litteras inchoare non ſuſtinuit: *Si vos*, *liberique voſtri valetis*, *bene eſt*; *ego quidem & exercitus valemus.* Atque hæc quidem ſic narrat *Dion*, in Epitome *Xiphilini*, vel Libri LXIX. reliquiis.

II. Nonnulla alia addit *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 6. Maxima, ut ait, vis belli exarſit anno Hadriani octavo decimo, in [1] Bitthera urbem munitiſſimam, Jeroſolimâ non remotam. Longâ demum obſidione capta eſt, ſeditioſis, fame & ſiti ad exitium adactis, ſuppliciúmque de ſeditionis auctore Barchochba ſumtum. Ab eo deinceps tempore, univerſæ Judæorum genti [2] in agrum Jeroſolimitanum pedem inferre, lege Hadriani, vetitum eſt; adeò ut ne proſpicere quidem è longinquo eam liceret, ut ſcripſerat *Ariſto* Pellæus. Hæc *Euſebius*. [3] Attamen *Hieronymus* poſtea à Judæis pretio emtam facultatem Jeroſolimam quotannis inviſendi, ut uno die exſcidium ejus lugerent, docet, ad Sophoniæ Cap. II. *Excepto planctu*, inquit, *prohibentur ingredi Jeruſalem*; *& ut ruinam ſuæ eis flere liceat civitatis*, *pretio redimunt*; *ut*, *qui quondam emerunt ſanguinem Chriſti*, *emant lacrimas ſuas*, *& ne fletus quidem ei gratuitus ſit. Videas in die*, *quo capta eſt à Romanis & direpta*, *Jeruſalem venire populum lugubrem*, *confluere decrepitas mulierculas*, *& ſenes pannis annisque obſitos*, *in corporibus & in habitu ſuo iram Dei demonſtrantes &c. Adhuc fletus in genis & livida brachia & ſparſi cineres & miles mercedem poſtulat*, *ut illis flere plus liceat.* Sed hæc fortè, poſterioribus dumtaxat temporibus, contigere.

III. Igitur Jeroſolima veteribus ſuis incolis prorſus exhauſta, confluentibus eò alienigenis, urbs & colonia Romana facta eſt, ac Ælia Capitolina dicta; atque hoc demum tempore, [4] abſolutam ejus inſtaurationem crediderim. Vide *Euſebium* loco memorato.

Pontia-

1 *In Bitthera*] Videndum eſſe ait *Henr. Valeſius*, ad hunc locum, an eadem ſit cum Betthar quæ in Itinerario Burdegalenſi mutatio dicitur, quinquaginta & duobus millibus paſſuum diſtans ab urbe Jeroſolimitana; ſed eſſe & Bethar villam, in eodem Itinerario, duodecim millibus ab eadem urbe remotam, quam putat *Bethoronem* ab *Hieronymo* vocari. Sed res eſt obſcurior, niſi quòd propiorem hîc ſignificari crediderim, quam tamen *Beth-horonem* nec ſuperiorem, nec inferiorem vocare poſſe non videmur.

2 *In agrum Jeroſolimitanum* &c.] Vide hac de re, quæ habent *Joſ. Scaliger* p. 216. ſecundæ Editionis Animadverſ. in Chronicon Hieronymianum, & *Henr. Valeſius* ad Euſebii locum.

3 *Attamen Hieronymus* &c.] Vide utrumque etiam, hac de re.

4 *Abſolutam*] Certiſſimum quidem eſt cauſam rebellionis Judaïcæ fuiſſe inſtaurationem

Pontiano & Atiliano COSS. *Hadriani Imp.* XIX.
Æræ Vulgaris Chriſti CXXXV.

I. Expulsis Jeroſolimâ Judæis, [1] nihil vetuit quominùs Chriſtiana Eccleſia, quæ Gentilibus conſtabat, ſedem illic figeret, & primus quidem, poſt Epiſcopos è circumciſione, Eccleſiæ Jeroſolimitanæ præfuit Marcus, ut ait *Euſebius*. At valde incerta ſunt tempora ſucceſſionum illarum primævarum, quòd initio, apud Chriſtianos, nulla aut exigua fuiſſet poſteritatis cura; nec tabularium ullum in Eccleſiis, in quo rerum geſtarum monumenta, aut Acta publica ſervarentur. Ideò in ſucceſſionibus Epiſcoporum Jeroſolimitanorum, magna confuſio eſt; cùm à Juſto, qui Symeoni, Jacobi fratri, Anno CXVI. ſucceſſiſſe fertur, ad hunc Annum numerentur Zacchæus, Tobias, Benjamin, Joannes, Matthias, Philippus, Seneca, Juſtus, Levis, Ephres, Joſes & Judas, qui omnes ex circumciſione Epiſcopi fuerunt. Difficile eſt creditu duos primos Epiſcopos LXXXVI. annos, duodecim verò ſequentes XIX. tantùm annos ſimul impleſſe. Priorum longior æquo vita, poſteriorum brevior ficta videtur. Sed ſingulorum tempora notare, Vatis eſſet, non Hiſtorici.

II. Quærunt [2] viri docti, ubi ſederit Symeon, & ceteri Epiſcopi à Jeroſolimæ obſidione & exſcidio, ad hæc uſque tempora, aut certè ad initium Hadriani, cùm ab Anno LXX. à Tito Jeroſolima ſolo æquata eſſet. Primùm quidem conſtat, inſtante obſidione, Chriſtianos ſe Pellam contuliſſe; ubi manſerunt donec ſtetit Jeroſolima, & fortaſſe aliquamdiu poſtquàm everſa fuerat. Sed cùm poſtea, magno conſenſu, Veteres Jeroſolimam Chriſtianos rediiſſe teſtentur, Eccleſiámque illic inſtauraſſe; quæritur ubi habitarint, cùm Jeroſolima tota in ruinis jaceret, nec liceret in urbe, cui aratrum inductum eſſet, quod factum Jeroſolimæ fuerat, ædificia inſtaurare. Reſpondet vir magnus, ubicumque Epiſcopi ſederint, ibi fuiſſe Eccleſiam Jeroſolimitanam, quamvis Jeroſolimæ non eſſet, quemadmodum ab aliquot ſæculis Antiochena ſedes non eſt in ea urbe, unde nomen habet, ſed Meredinæ ad ripam Chobaris fluvii, ad ortum Euphratis, & tamen non deſinit eſſe

tionem Jeroſolimæ ab Hadriano; ſed nihil vetat rem primùm inchoatam bellum creaſſe; quo confecto, abſoluta ſit. Eâ ratione *Euſebius* ſibi conſtabit, quem reprehenderunt *Scaliger* & *Valeſius*, nec immeritò, certè ob parum adcuratam narrationem. Utrumque vide, neque enim, in hiſce brevibus notis, exſpatiari in ejuſmodi digreſſiones poſſumus.

1 *Nihil vetuit*] Vide *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 6. ad calcem. Credibile eſt Chriſtianos circumciſos, quamvis Judæi non eſſent, quia Judaïſmi ob circumciſionem ſuſpecti eſſe poterant, inde ſponte abiiſſe, ut vitarent Ethnicorum vexationes, aut expulſos; unde fit ut *Euſebius* Jeroſolimitanam Eccleſiam ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθεῖσαν dicat.

2 *Quærunt viri docti* &c] *Joſephus Scaliger* ad Chron. Hieronymianum p. 211. & ſeqq. ubi multis hac de re.

ANN. CXXXVI. eſſe Antiochena Eccleſia & Antiochena Cathedra. Similiter & Alexandrinus thronus diu eſt poſtquàm Kairum tranſlatus eſt, & tamen non Kairenſis Patriarcha, ſed Alexandrinus dicitur.

III. Attamen, ne quid diſſimulem, mœnia quidem urbis, cui aratrum inductum fuerat, inſtaurare, niſi conſentiente Imperatore, non licuiſſe facilè crediderim; privatorum enim non erat talia moliri. Sed vix mihi perſuaſerim non licuiſſe privata ædificia, ſi modò arcis, aut caſtelli ſpeciem nullam præ ſe ferrent, excitare, aut in refectis ædibus habitare, potiſſimùm pauperculis hominibus & à quibus Reipublicæ metuendum nihil fuit. Profertur quidem Lex 21. D. quibus modis uſus fructus, vel uſus amittitur: *ſi uſus fructus civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago; ideóque, quaſi morte, deſinit habere uſum fructum.* Sed non exiſtimarunt Veteres Jeroſolimam jus civitatis recuperaſſe, antequàm ab Hadriano inſtauraretur; nec tamen quidquam vetuit eam, mœnibus & ædificiis publicis deſtitutam, inſtar vici, ab hominibus pauperioribus incoli. Quare nihil eſt cur propterea Veterum teſtimonia, de reditu Chriſtianorum in Jeroſolimitana rudera, ſuſpecta habeamus.

L. Ceionio Commodo, Sex. Vetuleno Civica Pompeiano COSS. *Hadriani Imp. XX. Æræ Vulgaris Chriſti* CXXXVI.

I. Jam ab Anno CXXX. ab Hadriano, liberis carente, adoptatus erat, ſed ſine ſpe ſucceſſionis, L. Ceionius Commodus, hujus anni Conſul. [1] Sed hoc demum anno, cùm Conſulatum gereret, Ælium Verum Cæſarem adpellavit Hadrianus, & Pannoniis impoſuit.

II. His temporibus vixiſſe putatur *Ariſto* Pellæus, cujus meminit *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 6. ubi narratâ obſidione & expugnatione Bittherorum, memoratisque pœnis, quas cùm de ſeditioſis, tum de tota Judæa Gente ſumſerunt Romani, qui eam vetuerunt *patrium ſolum*, ſeu Jeroſolimitanum, vel è longinquo proſpicere, addit: 'Αρίςων ὁ Πελλαῖος ἱςορεῖ. Quæ verba an ad totam Hiſtoriam Belli Judaïci, ſub *Hadriano*, an ad exſilium tantùm Judæorum, è ſolo Jeroſolimitano, referantur non liquet. [2] *Joſephus* quidem *Scaliger* quæcumque anteceſſerunt, de bello Judaïco, deſignari ab *Euſebio* & verba ipſa *Ariſtonis* eſſe putavit. At *Henr. Valeſius* verba *Euſebii* eſſe cenſuit, quòd ſtylum ejus redoleant, ſoleát-

1 *Sed hoc demum anno* &c.] Vide *Ant. Pagium* ad hunc Annum.

2 *Joſephus quidem Scaliger*] Pag. 216. Animadverſionum in Chronicon Hieronymianum.

3 *Diſceptationem* &c.] Verba ejus ſunt: ἀνέγνων δὲ τοῦτο, ἑπτὰ οὐρανοὺς, καὶ ἐν τῇ συγγεγραμμένῃ 'Αριςῶνι τῷ Πελλαίῳ διαλέξει Παπίσκου καὶ 'Ιάσωνος, ἣν Κλήμης ὁ 'Αλεξανδρεὺς, ἐν ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν ὑποτυπώσεων, τὸν ἅγιον Λουκᾶν φησὶν ἀναγράψαι. Si verum eſt *Clementem* hoc ſcripſiſſe de Luca, *Clemens* temerè traditioni neſcio cui fidem habuerit; nemo enim Veterum ejuſmodi opus Lucæ adſcripſit.

4 *Etiamnum exſtat*] Inter Opera perperam

ſoleátque, quoties verba ipſa auctorum adducturus eſt, ſemper de eo Lectorem admonere; & *Ariſto* ille Bittherorum expugnationem fuſiùs proſequutus fuiſſet. Verùm ne hoc quidem, quod poſtremo loco dixi, ſatis conſtare videtur. Potuit enim *Euſebius* ſic loqui, prout loquutus eſt, quamvis *Ariſto* ſolius Judæorum exſilii, ex agro Jeroſolimitano, alicubi meminiſſet; uſque adeò difficile eſt è Scriptore minùs adcurato ratiocinari! ANN. CXXXVI.

III. Ei *Maximus*, Scholiaſtes *Pſeudo-Dionyſii* Areopagitæ, de Myſtica Theologia Cap. I. ut obſervavit *Valeſius*, tribuit [3] *Diſceptationem Papiſci & Jaſonis*; *quam*, inquit, *Clemens Alexandrinus*, *ſexto libro Hypotypoſeon*, *S. Lucam deſcripſiſſe ait*. Quibus poſtremis verbis, quid ſibi velit aut *Maximus*, aut *Clemens* non ſatis intelligo; niſi *Clemens*, miro errore, tribuerit *Lucæ* Evangeliſtæ fœtum *Ariſtonis*. Hoc opuſculum *Celſus*, apud *Origenem* Lib. IV. p. 199. ſummopere contemnit, aitque *non tam riſu dignum*, *quàm miſeratione & odio*. At *Origenes* negat quidquam odio dignum in eo libello fuiſſe & ne ridiculum quidem, ſi ab æquis lectoribus expendatur; aitque in eo induci Chriſtianum cum Judæo diſceptantem, atque ex ipſis Judæorum Scripturis oſtendentem, quæcumque à Prophetis de Meſſia dicta ſunt, in Jeſum quadrare; Judæumque ſatis gnaviter perſonam ſuam agere. Verterat hoc opus Latinè *Celſus* quidam, idque *Vigilio* neſcio cui dicarat; quæ dedicatio [4] etiamnum exſtat, unà cum Prooemio altercationis ipſius. Cetera perierunt, niſi in forulis Bibliothecarum, nondum ſatis excuſſarum, exſtent. In Epiſtola *Celſi* ad *Vigilium*, ait *Celſus illud præclarum*, *atque memorabile glorioſúmque* Jaſonis Hebræi Chriſtiani & Papiſci Alexandrini Judæi *diſceptationis occurrere*, *Judaïci cordis obſtinatam duritiam*, *Hebræâ monitione ac leni increpatione mollitam*; *victricem*, *in* Papiſci *corde*, Jaſonis *de Spiritûs ſancti infuſione doctrinam*. *Quâ* Papiſcus *ad intellectum Veritatis admiſſus*, *& ad timorem Domini*, *ipſo Domino miſerante*, *formatus*, *& in Jeſum Chriſtum Filium Dei credidit*, *& ut ſignaculum ſumeret*, *deprecatus Jaſonem*, *poſtulavit*.

IV. Hieronymus, initio Quæſtionum Hebraïcarum in Geneſin, obſervavit *pleroſque æſtimare*, *ſicut in altercatione quoque* Jaſonis *&* Papiſci *ſcriptum eſt*, *&* Tertullianus, *in libro contra Praxeam diſputat*, *nec non*, Hilarius, [5] *in expoſitione cujuſdam Pſalmi adfirmat*, *in Hebræo haberi:* in filio fecit Deus cœlum & terram, *quod falſum eſſe ipſius rei veritas comprobat*;

ram Cypriano adtributa. Inſcriptio eſt: *ad Vigilium de Judaïca Incredulitate*, pag. 199. Edit. Oxonienſis Amſtelodami recuſæ. Præfatio *Ariſtonis* ſequitur, hoc titulo: *Tractatus adversùs Judæos*, *qui inſequuti ſunt Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum*, p. 172. ejuſdem Editionis.

5 *In expoſitione*] In Pſalmum II. Ed. Benedict. col. 28. ubi dicit *Hilarius* ambiguam eſſe Linguam Hebraïcam, & *Breſith*, verbum Hebraïcum, *tres ſignificationes habere*, *id eſt*, in prinpicio, *&* capite, *&* in filio. De *Tertulliano* vide ab Editore Benedictino notata.

ANN. CXXXVII. *probat.* Nec fallitur *Hieronymus*, ſed interpretationis originem fortè adtigerit, qui dixerit *initium* pro *filio* & quidem *primogenito* ſumtum, quòd primogenitum ſuum vocet Jacobus Gen. LXIX, 3. *principium virium ſuarum.* Idem *Hieronymus* Lib. II. in Ep. ad Galatas ad Cap. III. agens de loco Deut. XXI, 29. *Memini me*, inquit *in altercatione* Jaſonis & Papiſci, *quæ Græco ſermone conſcripta eſt*, *me reperiſſe* λοιδορία θεοῦ ὁ κρεμάμενος, *id eſt*, *maledictio Deo qui adpenſus eſt.* Nihil aliud exſtat, quod equidem norim, de hoc libro; quem ſuſpicor nimis allegoricum fuiſſe & propterea à *Celſo* irriſum, & ab *Origene*, Allegoriarum nimis amante, defenſum.

L. Ælio Cæſare II. P. Cælio Balbino Vibullio COSS. Hadriani Imp. XXI. Æræ Chriſti Vulgaris CXXXVII.

I. His temporibus vivebant Valentini diſcipuli, quorum etiam meminit *Irenæus* [1] de Hæreſibus, & de quibus pauca quædam hîc trademus; nam omnia exponere longum eſſet & inutile. „ Secundus (*diſci-„ pulus Valentini*) primam Ogdoadem ſic tradidit, dicens Quaterna-„ tionem (τετράδα) eſſe dextram & Quaternationem ſiniſtram, lumen „ non

1 *De Hæreſibus*] Lib. I. c. 11. ex nova diſtinctione.

2 *Nec facile eſt* &c.] Hinc factum, ut qui adſuit varia libris *Tertulliani* de Præſcript. Hæreticorum, rem non intellexerit, qui ſic de ea loquitur c. XLIX. *Ptolemæus & Secundus Hæretici, qui cum Valentiniano per omnia conſentiunt. In eo ſolo differunt; nam cùm Valentinus Æonas tantum triginta finxiſſet, iſti addiderunt alios complures; quatuor enim primùm, deinde alios quatuor adgregarunt.* Fallitur, hoc enim voluiſſe videtur *Secundus*, in prima Ogdoade fuiſſe Tetradem bonam, quam vocat dextram & lumen; & Tetradem malam, quam ſiniſtram & tenebras adpellat. Diſſenſiſſe ergo videtur non de numero Æonum, ſed de natura duarum tantùm primarum Tetradum. Reliqua habet Pſeudo-Tertullianus, ut *Irenæus. Epiphanius* Hæreſ. XXXII. quæ eſt Secundianorum, totus pendet ab *Irenæo.* Sed non intellexit quid ſibi vellent Æones *dextri* & *ſiniſtri*, qui ſunt Dii boni & mali. Sic Ethnici loquebantur, qui Deos quidem *dextros* vocabant faventes & beneficos, *lævos* verò adverſantes & maleficos. Res eſt apud Latinos Poëtas frequens, quam proinde non pluribus trademus. *Virgilius* unus plura *dextrorum* & *lævorum* Numinum exempla ſuppeditabit.

3 *Epiphanes*] Vide *Ren. Maſſuetum* ad locum. Epiphanem hunc Carpocratis fuiſſe filium docet *Epiphanius*, ejus Hæreſeos I & III. quod habet à *Clemente* Alexandrino Strom. Lib. III. p. 428. quem tamen non ſatis adtentè exſcripſit. Verba ſunt *Clementis*, quæ Latinè tantùm, brevitatis causâ, proferam: „ Qui à Carpocrate & Epiphanio „ ortum ducunt, cenſent oportere uxores „ eſſe communes; à quibus contra no-„ men Chriſti maximum emanavit pro-„ brum. Hic autem Epiphanes, cujus „ etiam Scripta circumferuntur, filius erat „ Carpocratis & matris, cui nomen erat „ Alexandriæ; ex patre quidem Alexan-„ drinus, ex matre verò Cephalleneus. „ Vixit autem ſolùm ſeptemdecim annis & „ Samæ, quæ eſt urbs Cephalleniæ, ut „ Deus eſt honore adfectus. Quo in loco, „ templum ex ingentibus lapidibus, alta-„ ria, delubra, muſeum ædificatum eſt „ & conſecratum; & cùm eſt nova Luna, „ convenientes Cephallenei ad Templum, „ natalem Apotheoſin Epiphani oblatis ſa-„ crificiis celebrant, libántque, & convi-„ vantur, & hymnos canunt. Quod ait *Clemens* in urbe Cephalleniæ Same factum eſſe, id *Epiphanius* factum *in Samo* dicit, niſi ſit

„ & tenebras; diſcedentem autem & deſtitutam Virtutem (*Sophiam*) ANN. CXXXVII.
„ non è triginta Æonibus fuiſſe, ſed è fructibus eorum. Qua de re, aliter ſenſiſſe *Valentinum* vidimus, ad Ann. CXXI, 8. [2] nec facile intellectu eſt quid voluerit *Secundus*.

II. Alius verò quidam, qui & clarus ([3] *Epiphanes*, quód fuit nomen proprium ab Interprete *Irenæi* perperam quaſi adpellativum intellectum) „ eſt magiſter eorum, in magis ſublime, & quaſi in majo-
„ rem agnitionem extenſus primam quaternationem dixit ſic: Eſt qui-
„ dem ante omnes Proarcha, proanennoëtos, & inenarrabilis & inno-
„ minabilis, quam ego Monotetem voco. Cum hac Monotete eſt Vir-
„ tus, quam & ipſam voco Henotetem. Hæc Henotes, & Monotes,
„ cùm ſint unum, emiſerunt, [4] cùm nihil emiſerint, (*hoc eſt, ut videtur, à ſe ſejunctum*) Principium omnium, [5] intelligibile, ingenitum &
„ inviſibile, quam Archen ſermo Monada vocat. Cum hac Monade eſt
„ Virtus [6] ejuſdem ſubſtantiæ ei, quam etiam voco Hen. [7] Hæ autem
„ Virtutes, id eſt, Monotes & Henotes, & Monas & Hen emiſerunt
„ reliquas emiſſiones Æonum. Quæ omnia inania ſunt verba, quibus fucum faciebant ſtultis, qui aures eis præbebant; quis enim ſanus talia audire ſuſtineret? Nonnulla etiam aliorum non meliora addit & ridet meritò *Irenæus*, quæ omittemus.

Cameri-

ſit error Codicum. Sed ne quid diſſimulem, crediderim Templum, de quo hìc ſermo eſt, conſecratum fuiſſe cuidam Deo, cujus nomen fortè ignorabatur, & qui dictus ſit ἐπιφανὴς, hoc eſt, *conſpicuus*, quòd ſe aliquando conſpiciendum præbuiſſe putaretur; unde poſtea factum ut Carpocratianus aliquis finxerit Carpocratis filio Epiphani conſecratum fuiſſe Templum. Vix enim credibile eſt Hæreticum neſcio quem, qui ſe Chriſtianum dicebat, à Cephallenenſibus in Deorum numerum relatum. „ A Patre autem didicit, in-
„ quit *Clemens*, & orbem diſciplinarum &
„ Platonis Philoſophiam. Fuit autem prin-
„ ceps monadicæ cognitionis: καθηγήσατο δὲ τῆς μοναδικῆς γνώσεως, quæ verba reſpiciunt doctrinam, quam in ſequentibus tradit *Irenæus*. Plura habet *Clemens* de ejus ſententia circa Juſtitiam, quæ apud ipſum legentur.

4 *Cùm nihil emiſerint*] Eſt in Græcis: προήκαντο μὴ προέμεναι, de quibus verbis vide *Ren. Maſſuetum*, ad hunc locum.

5 *Intelligibile*] Νοητὴν, nempe, ἀρχήν. Qua de voce ejúſque diſcrimine à voce Νοερὸς, vide notata à nobis in Indice Philologico Philoſophiæ Orientalis *Thom. Stanleii*.

6 *Ejuſdem ſubſtantiæ ei*] Ὁμοούσιος αὐτῇ Rectè obſervavit V. R. *Georg. Bullus* Valentinianos primos in Divinis hanc vocem uſurpaſſe, initio Sect. II. c. I. Defenſionis Fidei Nicænæ. Sed animadverſum ab eo oportuit, hac voce non ſignificatam *numericam identitatem ſubſtantiæ*, ſed tantùm *ſpecificam*. Eum vide.

7 *Hæ autem Virtutes* &c.] Hæc omnia meritò ridet *Tertullianus* adversùs Valentinianos c. XXVII. *Accipe alia ingenia carrucæ Enniani, inſignioris apud eos Magiſtri* (putavit etiam ἐπιφανὴς nomen eſſe adpellativum, ut Interpres Irenæi) *qui & pontificali ſuâ auctoritate ita cenſuit*: eſt, *inquit*, ante omnia Proarche, inexcogitabile & inenarrabile, & innominabile (*Principium*) quod ego nomino Monoteta. Cum hac erat alia Virtus, quam & ipſam adpello Henoteta. Monotes & Henotes; *id eſt*, *ſolitas & unitas*; cùm unum eſſent protulerunt, non proferentes, initium omnium intellectuale, innaſcibile, inviſibile, quod ſermo Monada vocavit. Huic adeſt conſubſtantiva Virtus, quam adpellat Unio. *Hæ igitur Virtutes Solitas, Singularitas, Unitas, Unio, ceteras prolationes Æonum propagarunt. O differentia! mutetur Unio & Unitas, Singularitas & ſuum Solitas, quamquam deſignaveris, unum eſt.* Hæc eſt μοναδικὴ γνῶσις, ut loquitur *Clemens Alexandrinus*.

Hhhh

ANN. C-XXXVIII.

Camerino & Magno COSS. Antonini Pii Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXVIII.

I. Calendis Januariis hujus Anni, Ælius Verus Cæſar obiit, & Hadrianus quidem, diu anceps quid faceret, Antoninum tandem adoptavit, cui Pio, ut antea diximus, cognomen erat. Ei conditionem addidit, ut ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret, filiámque ſuam Vero, non Marco collocaret. Adoptatus autem eſt Antoninus a. d. V. Cal. Martias, factúſque eſt Patri & in Imperio Proconſulari & in Poteſtate Tribunitia Collega. Quæ teſtantur *Spartianus*, in Ælio Vero, c. VI. & *Capitolinus*, in Antonino, cap. IV.

II. Interim cùm graviſſimè Hadrianus ægrotaret, vitæque tædio ſibi manus adferre vellet, niſi Antoninus obſtitiſſet; venit quædam mulier, ſi *Spartiano* credimus, hæc c. V. vitæ Hadriani narranti, quæ dixit ſomnio ſe monitam, ut vetaret Hadrianum ne ſe occideret, quia valetudinem firmiorem recuperaturus erat; quod cùm non feciſſet, eſſe cæcatam. Juſſam tamen iterum Hadriano eadem dicere, atque genua ejus oſculari; recepturam viſum, ſi id feciſſet. Quod cùm inſomnium impleſſet, viſum recuperavit, [1] poſtquàm aquâ, quæ ex fano erat, à quo venerat, oculos abluiſſet. Venit & è Pannonia quidam natus cæcus ad Hadrianum febricitantem, eúmque tetigit; quo facto, & ipſe oculorum uſum conſequutus eſt, atque Hadrianum febris reliquit. At quisquis paullò adtentiùs prioris præſertim miraculi hiſtoriam legerit, non difficulter animadvertet has eſſe meras imitationes commenticias & ſimulatas miraculorum Chriſti. Quæ imitamenta triplici fortè de ratione inſtituta, ab Antonino, aut iis qui Hadriani ægrotantis curam gerebant. Prima fuit ut aliquo modo ſedaretur anxietas Hadriani, quâ factum erat ut aliquoties aut ſe occidere ipſe, aut occidi ab aliis voluiſſet. Homo ſuperſtitioſus ac proinde ejuſmodi fraudibus obnoxius, præſertim æger; audito mulieris ſomnio gaviſus eſt, quia ſe Diis curæ eſſe è miraculo collegit. Simul, quod ſecundo loco ſpectari potuit, Antoninus non ſine gaudio vidit hanc eſſe rationem, quâ ſanctior & venerabilior populis Cæſaris dignitas fieri poterat; quandoquidem tactu Hadriani, Deus, aut ipſe Hadriani Genius ejuſmodi miraculum edere videbatur. Qualem artem olim etiam in Ægypto adhibuerat, apud ſuperſtitioſum & credulum vulgus, Veſpaſianus Auguſtus, non ſine occulta quoque Chriſti imitatione; ut ſatis intelligent, qui hiſtoriam adibunt, quæ à *Tacito*

1 *Poſtquàm aqua* &c.] Vide Joann. IX, 7. unde hoc deſumtum imitamentum.

2 *Quippe Diis caro*] Huc facit locus *Ariſtotelis* è Lib. V. de Republica, p. 484. Editionis Victorianæ, ubi docet quî Tyranni tutos ſe præſtare queant. Ait oportere Tyrannum τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπȣδάζοντα διαφερόντως· ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων· ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα· καὶ ἐπιβȣλεύȣσιν ἧττον, ὡς συμμάχȣς ἔχοντι καὶ τοὺς Θεοὺς· δεῖ δὲ ἄνευ ἀβελτηρίας

Tacito narratur Hiſtoriarum Lib. IV. c. 81. Sed & tertio loco, Antoninus, cui non ignoti erant Chriſtiani, à tempore, quo Aſiæ Proconſul fuerat, potuit, invaleſcenti Chriſtianiſmo eâ ratione obſiſtere voluiſſe; aut certè ea mens potuit eſſe hominum callidorum, qui fortè hujus conſilii auctores ei fuere. Itaque mulier quædam & Pannonius neſcio quis, qui probè videbant, ſubornati ſunt; ut ſe, Hadriani tactu, altera viſum recepiſſe, alter tum primùm adeptum eſſe, Deorum monitu, dictitarent. Sed Hadrianum, inquies, febris reliquit. Quid verò mirum febris, in homine fermè moribundo, calorem exſtinctum eſſe, cùm paſſim præ debilitate hoc fiat? Saltem ut Deus aliquis, veluti è machina, feſſo vi morbi & ſenii Hadriano ſubvenire videri poſſet, curatum ipſum fuiſſe & in multos annos vitam deinde produxiſſe oportuiſſet. Fraudem ſenſere ipſi Ethnici, quandoquidem, ut ait *Spartianus*, *Marius Maximus*, celebris & adcuratus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor qui intercidit, *hæc per ſimulationem facta* dixerat. ANN. C. XXXVIII.

III. Nec erit præter rem paucis expendere miracula, quæ Veſpaſiano tribuuntur, cùm ex eorum examine diſcrimen, quod intereſt ea inter & miracula Chriſti, liquidum ſit futurum. „ Per eos menſes, qui„ bus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies & certa maris „ operiebatur; multa, inquit *Tacitus*, miracula evenere, queis cœleſtis „ favor & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur. Is, nempe, fuit finis ſimulatorum miraculorum, ut ſuperſtitioſi Ægyptii Veſpaſiano dicto audientes eſſent; Imperatori [2] quippe Diis caro. Quod tamen tanti non erat, ut miracula in ejus gratiam fierent; cùm præſertim ſat durum fuerit avari ſenis imperium. Titus quidem major natu filius, humani generis deliciæ, ei ſucceſſit, ſed breve fuit ejus imperium; cujus commodis nequaquam penſata fuerunt dira, tetra, multóque longiora minoris natu filii Domitiani tempora. Ad rei ipſius veritatem quod adtinet, non facilè adfirmantibus credere licet, cùm vix tutum eſſet id negare, quo Imperatori obſequentiores fiebant Ægyptii, & quod proinde intererat Imperatoris verum videri. Fraudes ejus retegere, qui fallere vult & omnibus Reipublicæ copiis inſtructus eſt, numquam tutum fuit; imò verò talia quaſi vera tuentibus, amorémque ſummæ Poteſtatis, eâ adulatione, jactantibus patent præmia & honores, quibus veritatis amantibus ſpes omnis intercluditur. Ideò procedente tempore, cùm jam indicia fraudis intercidere, fallacia oſtendi non poteſt; quo fit ut mendacium veritatis locum obtineat & tueatur. Contraria omnia fuerunt in miraculis Chriſti, quæ tanti erat fieri, ut Humani

τηρίας φαίνεσθαι τοιοῦτον: *erga Deos videri ſemper ſtudium ponentes eximiè; minùs enim metuunt injuſtum quid pati ab hujuſmodi hominibus; ſi religioſum exiſtimaverint principem, & curam Deorum gerere; & minùs ei inſidiabuntur, ut auxiliares habenti etiam Deos. Oportet autem talem videri, ſine amentia.* Quod monitum hîc egregiè exſequutus eſt Veſpaſianus.

ANN. C. XXXVIII. mani Generis emendationi & ſaluti proſpiceretur, & quorum tamen veritas nonniſi cum ſummo periculo defendi potuit, ab iis qui primi omnium rem ſparſerunt, nedum ut iis emolumento res eſſe quiverit. Tantùm etiam abfuit ut periculoſum eſſet, apud Judæos, aut Ethnicos, aſpernari, aut confutare quod aiebant Chriſti diſcipuli; ut res honori & laudi, apud eas gentes, eſſet.

IV. Sed audiamus Veſpaſiani miracula: „ Ex plebe Alexandrina „ quidam, oculorum tabe notus, inquit *Tacitus*, genua ejus ad- „ volvitur remedium cæcitatis expoſcens gemitu; monitu Serapidis „ Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit; precabatúr- „ que Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpargere „ [3] oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pe- „ de ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primò irri- „ dere, aſpernari; atque, illis inſtantibus, modò famam vanitatis me- „ tuere; modò obſecratione ipſorum & vocibus adulantium, in ſpem „ induci. Poſtremò æſtimari à Medicis jubet, an talis cæcitas ac de- „ bilitas ope humanâ ſuperabiles forent. Medici variè diſſerere: huic „ non exeſam vim luminis & redituram, ſi pellerentur obſtantia; illi „ elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. „ Id fortaſſe CORDI DEIS ET DIVINO MINISTERIO PRIN- „ CIPEM ELECTUM. Denique patrati remedii gloriam penes „ Cæſarem, irriti ludibrium penès miſeros fore. Igitur Veſpaſianus „ cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultrà incredibile, „ læto ipſe vultu, erectâ, quæ adſtabat, multitudine, juſſa exſequi- „ tur. Statim converſa ad uſum manus, ac cæco reluxit dies. Utrum- „ que qui interfuere nunc quoque memorant, poſtquàm nullum men- „ dacio pretium.

V. Sed I. facillimè ſubornari potuerunt duo homines à Veſpaſiani miniſtris, etiam exiguâ pecuniâ, cùm nihil eſſet quod timerent, & Ægyptus ac præſertim Alexandria abundaret fallace & lucri cupidâ plebeculâ; adjuvantibus fortè & Sacerdotibus Serapidis, qui rem vulgo creditam Deo, non minùs quàm Veſpaſiano, honori futuram facilè intelligerent, & fortè ſibi lucroſam. II. Veſpaſianus, ne dolus quæſitus videretur, ejúſque conſcius crederetur, pulcrè hiſtrioniam egit, dum primùm ridet homines, negátque ſe iis, quod petebant, gratificaturum. III. At ii edocti à fraudis architectis quid fieri oporteret, inſtantiùs urgere. IV. Nihil opus erat medicos conſuli, niſi ut eorum teſtimonio immedicabiles eſſe plerumque morbos conſtaret; quamvis poſſet interdum fieri ut curarentur, ſi remedia apta, quæ nemo ſcire poterat, adhiberentur, quibus obſtantia oculorum & manûs uſui pellerentur. V. Sed quæ petebantur à Veſpaſiano non erant remedia, curandis morbis

3 *Oris excremento*] Salivâ, ut Chriſtus, qui in humum ſpuit, fecit lutum ſputo, & inunxit eo luto oculos cæci, Joan. IX, 6.

4 *An-*

bis illis idonea; nam miraculum nullum fuiſſet, ſi remediis, à medicis Veſpaſiani præſcriptis, curati eſſent. VI. Itaque medici, non ex arte ſua, ſed ex ea arte, quâ plebs mendaciis, Reipublicæ causâ, confictis, paſcitur, rem ad Deorum favorem, quo Veſpaſianum complectebantur, referunt; addúntque, ſi ea ſpes falleret, nihil fore periculi Cæſari. Id ipſum reſponderi ſibi volebat Veſpaſianus. Neſcio annon etiam fraudem olfecerit *Suëtonius*, qui rem narraturus, vitæ ejus c. VII. ſic orditur: *Auctoritas & quaſi majeſtas quædam, ut, ſcilicet, inopinato & adhuc novo Principi, deerat. Hæc quoque acceſſit*, & quidem tam opportunè, ut arte quæſita facilè intelligatur. VII. Eſt quoque diſcrimen nonnullum inter narrationes *Taciti*, & *Suëtonii*; prior enim alterum ſubornatorum *manu ægrum*, poſterior *debilem crure* fuiſſe narrat. Fateor tamen diſcrimen non eſſe tanti. VIII. Nihil mirum erat rem memorari, ab iis qui adfuerant, etiam poſtquàm nullum mendacio pretium erat; cùm non omnes fraudis eſſent conſcii, ne propalaretur ac irrita fieret, nec deſint uſquam homines creduli, & qui rem minimè exploratam temerè adfirment. At Jeſu-Chriſto favere & adulari nemo, ſpe lucri, poterat, imò verò periculoſum erat. Nec oſtentabat ille miracula, qui incredulis petentibus ſæpe negavit. Nec quæ patravit dubitanter edidit, neſcius an curationes morborum futuræ eſſent; ſed poteſtatis ſuæ ſibi probè conſcius, quam nequaquam diſſimulabat. Conſilio medicorum, ut ſciret curarine poſſent ægri, qui ad ejus opem confugiebant, nequaquam utebatur, nec callidè ſibi præcavebat, ne è contrario eventu exiſtimationi ſuæ labes naſceretur, quia probè norat irritas ſuas preces non futuras. Denique in terris nullum ſibi regnum quærebat, imò verò adfectati ſuſpiciones omnes, ut in vitæ ejus in terris narratione oſtendimus, ſummâ curâ fugiebat; quamvis ſæpiùs ab imperita plebe, imò & à diſcipulis, eò vocaretur. Quæ cùm ita ſint, miracula ficta Veſpaſiani & Hadriani, nemo cum Chriſti miraculis componere jure poſſit.

VI. Nunc, ut ad Hiſtoriam revertamur, Hadrianus, nedum ut valetudinem recuperarit, hoc ipſo anno a. d. VI. Idus Julias apud Baias obiit, ut teſtatur *Spartianus*, in ejus vita c. XXV. ac proinde [4] annos LXII. menſes V. dies XVII. vixit, natus enim erat a. d. IX. Calendas Februarias, Veſpaſiano VII. & Tito V. Coſſ. ut prodidit idem Scriptor, c. V.

ANN. CXXXIX.

Antonino Pio Aug. II. Bruttio Præſente COSS. Antonini Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti CXXXIX.

I. Hoc anno Antoninus Pius, [1] per uxorem Fauſtinam, cum M. Aurelio egit, ut diſſolutis ſponſalibus, quæ ab eo cum L. Ceionii Commodi

4 *Annos LXII* &c.] Vide *Ant. Pagium*, ad hunc Annum num. III.

1 *Per uxorem ſuam* &c.] *Capitolinus* in Marco c. VI. Vid. & *Ant. Pagium*, ad hunc An. n. II & III.

ANN. CXXXIX. modi filia contracta erant, Fauſtinam filiam, Vero deſponſam, duceret, contra quàm voluerat Hadrianus. M. Aurelium deinde Conſulem ſecum in ſequentem annum deſignavit, & Cæſaris adpellatione donavit.

II. [2] Antequam M. Aurelius Cæſar vocaretur, *Juſtinus* Priſci F. Bacchii N. qui vulgò ſolet cognomine *Martyris* inſigniri, [3] Flavia Neapoli Samariæ oppido oriundus, ut ipſe docet, Apologiam pro Chriſtianis [4] priorem Antonino ejuſque filiis obtulit.

III. Quandoquidem verò hæc antiquiſſima eſt Apologia, quæ ad manus noſtras pervenerit, nec multa de iis quæ, hiſce temporibus, Chriſtianis contigerunt, litteris ſunt mandata; paullò pluribus de *Juſtino* ejúsque Apologia agemus, quàm alioquin, ubi plura de totius Eccleſiæ Chriſtianæ hiſtoria dicenda erunt, de aliorum Scriptorum Chriſtianorum vita & libris faciemus. *Juſtinus* ergo è parentibus Ethnicis natus, [5] ut ipſe narrat initio Dialogi cum Tryphone, Dei cognoſcendi ſtudio, à Deo ipſo in eo excitato, Philoſophiæ operam dedit. Stoïcum Philoſophum primùm, deinde Peripateticum, tum Pythagoricum audivit, ac tandem ad Platonicum ſe contulit; nam Platonica etiam Philoſophia eo ævo magnis laudibus ferebatur. [6] Non ita pridem commorabatur Neapoli vir prudens & eximius inter Platonicos, cujus nomen reticuit *Juſtinus*; cum quo plurimùm verſatus eſt, cujúsque operâ multùm in Philoſophiæ Platonicæ cognitione profecit. Summopere delectabatur incorporeorum notione, ideárumque contemplatione Mens ejus veluti alas ſuas recipiebat, & brevi tempore ſperabat à ſe Deum conſpectum iri, is enim eſt finis Philoſophiæ Platonicæ. Cùm verò ſic adfectus eſſet, ſolitudinem quamdam mari vicinam, meditationi operam daturus, petiit. [7] Hic autem in ſenem Chriſtianum incidit, à quo meliùs edoctus, Chriſtianæ Religionis amore, flagrare cœpit. Potuiſ-

2 *Antequàm* &c.] Nam *Juſtinus* eum *Philoſophum* tantùm vocat, non omiſſurus *Cæſaris* titulum, ſi jam tum eo ornatus fuiſſet, ut rectè ab *Ant. Pagio* eſt animadverſum, ad Ann. CXLVIII, 5.

3 *Flavia Neapoli*] Urbs eſt Samaritidis Sichem antea vocata, & cùm inſtaurata fuiſſet Νεάπολις dicta, inde & *Flavia Neapolis*, poſtquàm à Veſpaſiano, vel filiorum altero Colonia Romana eò ducta eſſet. Dicitur etiam in nummis Μητρόπολις, unde Samariæ Metropolin fuiſſe colligere eſt. Vide quæ de ea habeat *Chriſt. Cellarius* Collect. Hiſtor. Samaritanæ C. I.

4 *Priorem*] In Editionibus perperam vocata eſt *ſecunda*, cùm priorem vocet *Euſebius* H. E. Lib. II. c. 13. & Lib. IV, 17, 18. alteram verò poſteriorem Lib. IV. c. 16. qua de re jam eruditi omnes conſentiunt, nósque propterea ſemper, antiquo more, loquuti ſumus, dum Apologiarum meminimus, aut teſtimonia protulimus.

5 *Ut ipſe narrat*, &c.] Pag. 218. Ed. Paris. ab his verbis, in fine pag. Ἐγώ τε κατ᾽ ἀρχὰς ὅτω ποθῶν καὶ αὐτὸς συμβαλεῖν τούτων ἑνὶ, ἐπέδωκα ἐμαυτὸν Στωϊκῷ τινι, διατρίψας ἱκανὸν μετ᾽ αὐτοῦ χρόνον, ἐπεὶ οὐδὲν πλέον ἐγίνετό μοι περὶ Θεοὺς (οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ἠπίςατο οὐδὲ ἀναγκαίαν ἔλεγε ταύτην εἶναι τὴν μάθησιν:) *Ego quoque ſic cupiens & ipſe cum uno eorum colloqui, me tradidi cuidam Stoïco, & poſtquàm cum eo multum tempus triviſſem, nec quidquam amplius de Deo mihi innotuiſſet* (*nam neque ipſe ſciebat, & negabat neceſſariam hanc diſciplinam*) *ab eo deſcivi, & ad alium me contuli, qui Peripateticus dicebatur.* Tum addit ſe huic quoque, paucis pôſt diebus, quòd mercedem poſceret, quæ res indigna Philoſopho videbatur, valedixiſſe; tum adiiſſe Pythagoreum, qui quòd Muſicam, Aſtronomiam &

Potuiſſet ſenex ille, ſi verè fuit qui hæc diceret, non fictus, more ANN. CXXXIX.
Platonicorum, Dialogus, meliora & adcuratiora pro Religione Chriſtiana proferre. Sed illo ævo rationes, quibus nititur, ſeligere, diſtinctè exponere & in bona luce collocare nondum ſciebant; quamvis Ethnicos facilè confutarent.

III. SED *Juſtinus* in Apologia II. (more Veterum loquor, non Editorum Codicum) nos docet ſe [8] „ Platonicis dogmatibus etiamnum „ gaudentem, cùm calumnioſè audiret Chriſtianos deferri, intrepidóſque videret ad mortem, & alia omnia quæ terribilia putantur ire; „ ſecum reputaſſe fieri non poſſe, ut eſſent nequitiæ & voluptatis amori dediti. Quis enim, *inquiebat*, voluptarius, aut intemperans, & „ qui vorare humanas carnes rectum putat, mortem libenter amplecti „ queat, ut bonis ſuis privetur, ac non potiùs conetur omni ratione „ ſemper hîc vivere, & magiſtratibus latere; nedum ut ſe ipſe necandum deferat? Nec multò pòſt innuit ſe, ſimilitudine Platonicæ doctrinæ cum Chriſtiana, adductum eſſe ut Chriſtianiſmum amplecteretur: „ [9] Chriſtianum me compertum, *inquit*, glorior & omnibus „ viribus contendens profiteor, non quòd Platonis placita ſint à Chriſti „ dogmatibus aliena, ſed quia non ſunt omnino ſimilia, ut nec aliorum.

IV. NUNC non hancce, ſed priorem Apologiam, in epitomen redactam expendemus. Oſtendit 1. rem eſſe indignam Imperatoribus, qui *Pii* & *Veri* vocarentur, Chriſtianos indictâ causâ, & nominis tantùm ratione habitâ, ſine ullis flagitiis quorum convicti ſint, damnare, qua de re diximus ad Ann. CXI, 6. ubi de Epiſtola *Plinii* ad Trajanum. capp. II, III, IV. 2. Ejus iniquitatis cauſam adſignat c. V. malis Dæmonibus, qui *olim conſpicui facti & mulieres conſtuprarant, & pueros vitiarant, & terriculamenta hominibus oſtenderant, ut Deos illos, præ metu*

& Geometriam ignoraret, ſe dimiſiſſet.

6 *Non ita pridem* &c.] Νεωϛὶ ἐπιδημήσαντι τῇ ἡμετέρᾳ πόλει συνετῷ ἀνδρὶ καὶ προὔχοντι ἐν τοῖς Πλατωνικοῖς συνδιέτριβον ὡς τὰ μάλιϛα καὶ προέκοπτον καὶ πλεῖϛον ὅσον ἑκάϛης ἡμέρας ἐνεδίδουν, καὶ τὰ ἑξῆς.

7 *Hic autem in ſenem* &c.] Ibidem: παλαιός τις πρεσβύτης ἰδέσθαι οὐκ εὐκαταφρονητὸς, πρᾶον καὶ σεμνὸν ἦθος ἐμφαίνων, ὀλίγον ἀποδέων μου παρείπετο: *ſenex quidam grandævus, adſpectu minime contemnendus, manſuetúmque & gravem vultum præ ſe ferens, modico intervallo me ſequebatur* &c. Tum addit colloquium ejus, quo Philoſophos ignorantiæ de Deo arguit, nonnulla de Anima non ſatis adcurata, nec per omnia vera dixit, Prophetas laudavit, Chriſtum prædicavit, preces ad Deum fundendas monuit, ut ei Veritatem patefaceret, multáque alia ſubjecit, quæ non addit *Juſtinus*; qui eo colloquio cupiditate cognoſcendi Prophetas accenſus, deinde Chriſtianam Religionem ſolam veram eſſe Philoſophiam intellexit.

8 *Platonicis* &c.] Pag. 50. Ed. Pariſienſis, cap. XII. Oxonienſis: καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τοῖς πλατωνικοῖς χαίρων διδάγμασι διαβαλλομένους ἀκούων χριϛιανοὺς, ὁρῶν δὲ ἀφόβως πρὸς θάνατον καὶ πάντα τὰ ἄλλα νομιζόμενα φοβερὰ, ἐνενόουν ἀδύνατον εἶναι ἐκ κακίᾳ καὶ φιληδονίᾳ ὑπάρχειν αὐτούς, καὶ τὰ ἑξῆς.

9 *Chriſtianum* &c.] Χριϛιανὸς εὑρεθῆναι καὶ εὐχόμενος καὶ παμμάχως ἀγωνιζόμενος ὁμολογῶ· οὐχ ὅτι ἀλλότριά ἐϛι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριϛοῦ (leg. τῶν τοῦ Χριϛοῦ) ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἔϛι πάντη ὅμοια, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων. Pag 51. Ed. Paris. vel Cap. XIII. Oxon. ubi hic locus non ſatis rectè verſus eſt.

ANN. CXXXIX. *metu eſſe putarent.* Quæ quidem *conſtuprationes mulierum* & *vitiationes puerorum* mera ſunt commenta Poëtarum, ſed poterant tamen Ethnicis objici, qui magno in pretio Poëtas habebant, & religionem ejuſmodi fabulis conſentaneam profitebantur. Nec tamen diſſimulandum [10] fuiſſe hanc communem *Juſtini*, ceterorúmque Patrum opinionem, nullâ probabili ratione nixam.

V. 3. Ibidem docet *Juſtinus* Socratem, cùm adgrederetur oſtendere Deos Ethnicorum hujuſmodi malos Dæmonas fuiſſe, & mortales ab iis abducere, effeciſſe eos, ut quaſi Atheus & impius occideretur. Verùm Socrates non docuit Deos Athenienſium fuiſſe malos Dæmonas, nec ad unius veri Dei cultum eos adhortatus eſt. Hoc unum querebatur multa dici à Poëtis, de Diis, quæ Diis erant indigna & contumelioſa, [11] qua de re alibi diximus. Sed Veteres Chriſtianorum Scriptores Patrem Philoſophiæ, & qui magno in pretio apud Ethnicos erat, è partibus ſuis videri ſtetiſſe, è re ſua eſſe putabant.

VI. 4. Fatetur *Juſtinus* c. VI. Chriſtianos *Atheos* fuiſſe, ſi eâ voce deſignentur homines, qui Diis commenticiis non credebant; ſed negat eos expertes fuiſſe Dei veri, patris juſtitiæ, temperantiæ, virtutúmque aliarum & ſine ullius vitii miſtura. Tum continenter addit: *ſed & illum & Filium, qui ab eo venit, & docuit nos hæc & aliorum eum ſequentium eique ſimilium bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum propheticum colimus.* Quibus in verbis, quæ ſunt inter voces *Filium* & *Spiritum*, habenda ſunt quaſi Parentheſis, [12] quâ docet *Juſtinus* Filium à Patre veniſſe, hominéſque & Angelos ipſos Religionis Chriſtianæ occultæ antea dogmata docuiſſe. Fatendum incommodam eſſe hanc Parentheſin atque alieno loco inſertam, & quidem ita ut poſſet fallere Lectores non ſatis peritos doctrinæ *Juſtini*; qui credere, ob ſtructuræ verborum ambiguitatem, potuiſſent à Chriſtianis non tantùm Patrem, Filium & Spiritum S. [13] ſed & Angelos eſſe cultos. Vix imprudentiæ criminationem evadere hîc poteſt *Juſtinus*; niſi fortè, qui poſtea Angelos coluerant, hæc verba in ejus orationem intruſerint; quod in tanta interpolandi Veterum Scripta facilitate & licentia non eſt incredibile.

VII.

10 *Fuiſſe hanc communem* &c.] Vide *Juſtinum* Apol. II. c. 6. & aliorum Patrum loca, apud *Dion. Petavium*, Dogm. Theol. Tom. III. Lib. de Angelis III, 2. Originem erroris oſtendimus ad Ann. CI, 11.

11 *Qua de re alibi* &c.] Silvarum Philologicarum Cap. III, 5, 8. quæ illic legenda.

12 *Quâ docet Juſtinus* &c.] Verba Græca ſunt, quæ addito Parentheſeos ſigno, ſic eſſent ſcribenda: Ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν (ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν ἄλλον ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν) Πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. Quæritur quò referendum τὸ ταῦτα, an ad proximè antecedentia, quæ de virtutibus dicta ſunt, an ad ſuperiora de malis Dæmonibus; qua de re egit *Ern. Grabius*, in notis ad hunc locum. Neutrum tamen intellexerim, nam Angeli boni nequaquam ignorabant aut eſſe malos Angelos, aut Deum omnium virtutum auctorem eſſe, nec talia à Chriſto primùm didicerunt; ſed ταῦτα putarim dici univerſam ſalutis hominum & Gentium omnium, per Jeſum, curationem, quæ nonniſi poſt eventum

VII. 5. Pluribus innocentiam Chriſtianorum prædicat, negátque malè eos habendos, quorum inculpata erat vita, nec fides quidquam flagitii poſt ſe trahebat; cùm & factorum præmia à Deo exſpectarent & malos pœnas ei daturos docerent. Credituros alios ſimilia addit, niſi mali Dæmones obſtarent, & perſequutiones in Chriſtianos concitarent, quas & Chriſtus prædixerat. Hæc & alia nonnulla habentur Cap. VII. & ſeqq. ad XIV. ANN. CXXXIX.

VIII. 6. Quæ ſummatim dicta ſatis, ut ait *Juſtinus*, eſſe poterant, ad defenſionem Chriſtianorum; ſed rem iterum copioſiùs adgreditur, fermè ſine ordine; at non ſine repetitionibus, quia norat non facilè animum, ignorantiâ occupatum, mutari. Ait tantùm abeſſe, ut Chriſtiani ſint Athei, ut Deum creatorem omnium rerum colant, non quidem ſacrificiis, aliisque quæ, ut alimentum nobis ſint, creata ſunt, ſed precibus, hymnis & gratiarum actionibus: Magiſtrum hujus doctrinæ iis fuiſſe Jeſum Chriſtum, ſub Pontio Pilato, Judææ, Tiberii Cæſaris temporibus, Procuratore, in crucem ſublatum: Quem Jeſum, Dei veri Filium, ſecundo poſt Patrem loco habebant, tertio verò Spiritum Sanctum. Sibi quidem exprobrari quaſi inſaniam, quòd proximo, poſt Deum immutabilem & ſempiternum, loco honorem homini crucifixo deferrent; ſed ignorare Ethnicos myſterium, quod in ea re lateret, audiríque priùs adtentè ab iis debere Chriſtianos, quàm eos damnarent. Quæ habet *Juſtinus* Capp. XV & XVI.

IV. 7. Deinde à quot & quantis vitiis liberati Chriſtiani, quænam eorum eſſent jam virtutes oſtendit, & varia Chriſti ex Evangeliis, de omni virtutum genere, præcepta profert. Commemorat alacritatem quâ [14] tributa & vectigalia Chriſtiani Imperatoribus penderent, quibus, exceptâ ſolâ Religione, per omnia parebant, & preces quas pro iis funderent. Addit ſi hæc non curentur ab Imperatoribus, ſatis Chriſtianis futura æterna præmia, quæ Deus Virtuti promiſiſſet, vitatáſque pœnas impœnitentibus impoſitas. Quâ occaſione adreptâ, oſtendit, ne apud Ethnicos quidem, ignotam eſſe animorum immortalitatem; quod probat ex eo quòd Magi, apud eos, animos mortuorum evocarent; quòd

tum Angelis ipſis innotuit, ut habet Paulus Epheſ. III, 10. quod & *Grabius* animadvertit, quamvis ſibi per omnia non conſtet.

13 *Sed & Angelos* &c.] Vide hac de re pluribus agentem *Georg. Bullum* Defens. Fidei Nicænæ Sect. 2. C. IV, 8. Docet apertè *Juſtinus* c. XXI. *Deum ſolum eſſe adorandum*, τὸν Θεὸν μόνον δεῖν προσκυνεῖν. & c. XVI. ubi iterum de iis qui adorabantur à Chriſtianis, memorato Patre, ſic de Filio & Spiritu Sancto, omiſſis planè Angelis: ἐν δευτέρᾳ ἔχοντες, πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, ὅτι μετὰ λόγου τιμῶμεν ἀποδείξομεν: *ſecundo loco habentes & Spiritum propheticum tertium ordine, à nobis eos cum ratione coli oſtendemus.*

14 *Tributa & vectigalia* &c.] Diligenter hoc inculcabant Chriſtiani, ex Apoſtolica doctrina, ne res novas moliri credi poſſent; quod non falsò objiciebatur Judæis, ſed erat à Chriſtiana Religione, quæ nihil niſi cœleſte regnum quærit, alieniſſimum. Vide *Tertullianum* Apol. c. XLII.]

ANN. CXXXIX.

quòd eſſent homines, [15] qui à malis animis vexarentur; quòd Philoſophi & Poëtæ ſuperſtites animos docuiſſent, quibus poſtea etiam addit [16] *Sibyllam* & *Hyſtaſpen*, quorum commenticia Scripta nimis ſecurè tunc temporis lectitabant & laudabant Chriſtiani. Tum agit de reſurrectione, quam non eſſe intellectu ac creditu difficiliorem, generatione ipsâ hominis, quæ incredibilis videretur, niſi quotidianâ experientiâ conſtaret, verè contendit. Quæ leguntur à Cap. XVII, ad XXVII.

X. 8. In ſequentibus, multa probat à Philoſophis & Poëtis dicta, quæ ſunt adfinia iis quæ docebant Chriſtiani; qui tamen propterea odio ſoli habebantur. Horum nonnulla, ut quæ de filiis Jovis habet, Mercurio & Perſeo, quos confert cum Dei Filio, ita ſunt intelligenda, ut [17] κατὰ συγκατάβασιν, ſeu ut ſe ſe ad captum Ethnicorum demitteret, dicta accipiantur; nihil enim alioqui ſimile eſſe putabat, ut ſatis liquet ex eo modo, quo de Jove loquitur, cui vitia & flagitia humana exprobrat. Hæc habentur Cap. XXVIII. & tribus ſequentibus.

XI. 9. Exprobrat quoque *Juſtinus* Ethnicis, & quidem meritò, cùm Chriſtiani malè haberentur, qui de Deo nihil docebant, quod præſtantiſſimam naturam ejus dedeceret, nec quidquam mali admiſerant; ferri tamen homines, qui bruta Deorum loco haberent, narrarique de Diis turpiſſima, quæ neminem offenderent; quin etiam à Romanis Simoni Mago ſtatuam eſſe conſecratam. Quod poſtremum à *Juſtino*, ex ignorantia Linguæ Latinæ, Religionisque priſcorum Romanorum, dictum [18] eſſe oſtendimus. Prudentiùs feciſſet, ſi quod ſibi ſatis exploratum non erat reticuiſſet; ne Ethnicis, dum perperam hoc eis objiciebat, ludibrium deberet. Quæ invenientur à Cap. XXXII ad XXXIV.

XII. Hoc unicum, ait C. XXXII. habuiſſe Ethnicos, cujus poſſent incuſare Chriſtianos, non eosdem Deos, ſecum ab iis cultos, neque mortuis inferias, nec nidores, nec coronas (ςεφάνυς ἐν γραφαῖς) nec victimas oblatas. *Cl. Salmaſius* in Cap. IV. vitæ M. Antonini Philoſophi conjecit coronas ἐν γραφαῖς eſſe ἀντὶ τοῦ ἐν ῥαφαῖς, hoc eſt, *ſutiles coronas*, vel ῥαπτοὺς, ſeu contextis floribus conſtantes. Sed mihi non perſuaſit, qui putem legendum ἐν ταφαῖς, in funeribus; nam agit *Juſtinus* de mortuis, & notum eſt [19] ab Ethnicis mortuos coronari ſolitos, quod [20] facere detrectabant Chriſtiani.

XIII.

15 *A malis animis* &c.] *Ant. van Dale* de Falſis Prophetis Cap. IV. non ineptè conjicit *Juſtinum* hanc opinionem à *Joſepho* hauſiſſe qui Lib. VI. de B. Jud. c. 23. ubi de radice Baara: τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια, ταῦτα δὲ πονηρῶν ἐςιν ἀνθρώπων πνεύματα, τοῖς ζῶσιν εἰσδυόμενα καὶ κτείνοντα τοὺς βοηθείας μὴ τυγχάνοντας: *quæ enim vocantur Dæmonia, hæc ſunt malorum hominum Spiritus, qui vivos ſubeunt, & eos occidunt, qui auxilio carent.*

16 *Sibyllam* &c.] Vide antea dicta ad Ann. CXXXI. Sed & de hiſce aliquid poſtea.

17 Κατὰ συγκατάβασιν] Sed nollem dictum fuiſſe à *Juſtino*, *priuſquàm* (Chriſtus) *homo inter homines eſſet, occupaviſſe quoſdam propter malos Dæmonas, dicere per Poëtas, quaſi facta, quæ inſtar fabularum fictarum protulerunt*: πρὶν ἢ ἐν ἀνθρώποις αὐτὸν γενέσθαι ἄνθρωπον φθάσαντάς τινας διὰ τοὺς κακοὺς δαίμονας, διὰ τῶν ποιητῶν ὡς γενόμενα εἶπον, ἃ μυθοποιήσαντες ἔφησαν. Quaſi, nempe, Cacodæmones, ut nocerent

XIII. 10. Memorato Menandro, Simonis Magi diſcipulo, & ipſo Mago, meminit etiam *Juſtinus* Marcionis Pontici; quem illo ipſo tempore docuiſſe ait eſſe alium Deum, Creatore majorem, & qui majora feciſſet, & quidem multos adlexiſſe diſcipulos; qui, ut & alii, vocabantur Chriſtiani, cùm tamen communia dogmata non haberent; ut Philoſophi pariter dicebantur, qui diſſidentes Philoſophiæ ſectas ſequebantur. „ An verò, inquit, infamia illa & fabularum inſtar vulga-„ ta facinora admittant, lucernæ everſionem, & promiſcuos concubi-„ tus, & humanarum carnium paſtum neſcimus; ſed eos non vexari à „ vobis, neque occidi propter dogmata novimus. Quod fieri facilè poterat, quia Marcionitæ ſe Chriſtianos eſſe negabant, nec falsò; nam Chriſtiani non erant, qui Deum Creatore majorem eſſe dictabant; & fortè ſacra faciebant, Ethnico more, ſi cogerentur. Ait præterea ſibi eſſe, contra omnes Hæreſes librum compoſitum, quem legendum daturum ſe promittit. Hæc habet C. XXXV. De Marcione verò poſteà iterum Cap. LXXV. loquitur, de quo nos etiam ad An. CXLI. agemus. ANN. CXXXIX.

XIV. 11. Testatur *Juſtinus* Chriſtianos ab expoſitione infantium, quæ apud Ethnicos vulgaris erat, abhorruiſſe; quòd omnes ita expoſitos viderent à lenonibus ſublatos & educatos, poſtea proſtitui, nec puellas tantùm, verùm etiam maſculos; atque inde inceſtas nuptias poſſe ſequi, cùm inter ignotos ſæpe contrahantur; præter quàm quòd res iniqua & crudelis eſſet. Inter hæc Hyperbaton ingens inſeritur, quo *Juſtinus* Ethnicis exprobrat talia ferri & tributa ab ejuſmodi mangonibus exigi, multos eſſe qui conjuges & liberos ſuos proſtituant, quoſdam caſtrari & Matri Deûm conſecrari, ut cynædorum more vivant, eáque palam fieri, quæ Chriſtianis, quaſi clam ab iis facta, falsò exprobrabantur. Tum memorato Diaboli ſupplicio, quod luent etiam improbi homines, & quod, ut ait, differebatur à Deo, propter humanum genus; „ prævidet enim, inquit, quoſdam ex pœnitentia ſerva-„ tum iri, & fortè nonnullos eorum nondum eſſe natos. Ab initio, „ genus humanum fecit intelligentiâ præditum, & quod poſſet eligere „ vera & bene agere, adeò ut nulla hominibus apud Deum ſuperſit ex-„ cuſatio. -[21] Quàm doctrinam copioſiùs tradit hujuſce Apologiæ Cap. LIV. & ſeqq. ad LVII. & alibi. Hæc Cap XXXVI.

XV.

rent Evangelio, de quo Prophetarum vaticinia norant, fabulas per Poëtas narrarint, quibus ut facta deſcripſerunt, quæ olim fieri oportebat. Qua inani conjectura nimiùm delectatus eſt *Juſtinus*, ut ex Capp. LXX & LXXI. liquet, ubi repetitur.

18 *Eſſe oſtendimus*] Vide ad Sæculi I. An. XLII, 7.

19 *Ab Ethnicis*] Vide *Joan. Kirchmannum* de Funeribus Roman. Lib. I. c. 12. & *Pet. Moreſtelli* Pompam Feralem Lib. I. c. 17.

20 *Quod facere detrectabant*] Vide *Tertullianum* de Corona Militis, c. X. & *Minutium Felicem* ſub finem Dialogi, ſeu Cap. 38.

21 *Quam doctrinam* &c.] Ab hiſce verbis p. 80. Ed. Par. *τὰς τιμωρίας καὶ τὰς κολάσεις καὶ τὰς ἀγαθὰς ἀμοιβὰς κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἑκάστου ἀποδίδοσθαι διὰ τῶν προφητῶν μαθόντες, καὶ ἀληθὲς ἀποφαινόμεθα· ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ καθ' εἱμαρμένην πάντα γίνεται, οὔτε τὸ ἐφ' ἡμῖν ἐστὶν ὅλως, εἰ γὰρ εἵμαρται τόνδε τινὰ ἀγαθὸν εἶναι καὶ τόνδε φαῦλον,*

ANN. CXXXIX.

XV. 12. Profitetur Chriſtianos non alia de cauſa matrimonium contrahere, niſi ut liberos procreent; ſi verò matrimonium refugiant, perpetua uti continentia. Qua ex occaſione narrat quemdam Chriſtianum, ut oſtenderet falſum eſſe quod dicebatur, de promiſcuis Chriſtianorum concubitibus, Felici, qui Alexandriæ præerat, obtuliſſe libellum ſupplicem, ut pateretur à Medico ſe caſtrari; quod ſine Præſidis permiſſu, à ſe fieri poſſe negabant Medici. Felice verò libello ſupplici ſubſcribere nullo modo volente, adoleſcentem manſiſſe in ſententia, ſua ipſius idémque ſecum ſentientium conſcientia contentum. Quam Hiſtoriam omiſſam præſtitiſſet à *Juſtino*, [22] cùm factum minimè ſit laudandum. Nec admodum erat aptus locus, quo meminiſſet Antinoi, ab Hadriano nuper conſecrati, & continuò Chriſti; quæ omnia leguntur Cap. XXXVII.

XVI. 13. A ſequente verò Capite, oſtendere adgreditur Chriſtum à Prophetis prædictum, quod ad finem fermè Apologiæ facit; ſed iis argumentis, quæ firmiora eſſent, apud Judæos aut Chriſtianos, de divino adflatu Prophetarum Hebræorum, ſenſúque eorum verborum conſentientes; quàm apud Ethnicos, qui etſi à Judæis intelligere poterant Prophetas illos à Chriſtianis minimè confictos fuiſſe, iis tamen non credebant, nec verborum eorum ſententiam Chriſtianis favere facilè intelligebant; præſertim repugnantibus Judæis, qui idem de Meſſia non ſentiebant. Faciliùs potuiſſet *Juſtinus* veritatem Hiſtoriæ Chriſti demonſtrare, unde ſequebatur à Deo, ut dicebat, verè miſſum fuiſſe, adeóque veram ejus doctrinam eſſe; quod etiam ex ejus cum recta Ratione conſenſu, præſtantiáque conſtare poterat. Sic ſe geſſere Recentiores, hac in re, Veteribus cautiores & adcuratiores. Nos verò ſingillatim de vaticiniis à *Juſtino* prolatis non agemus, ſed in pauca quædam reliquæ Apologiæ loca animadverſiones noſtras proferemus.

XVII. 14. Capite XXXVIII. ait *Juſtinus* Ptolemæum, *ad Herodem tunc apud Judæos regnantem miſiſſe, qui peterent ad ſe mitti libros Prophetiarum.* Quod fecit Herodes, qui & rogatus à Ptolemæo Interpretes addidit Hebraïcè doctos, qui eos Græcè verterent. Anachroniſmum ingentem eſſe omnes intellexerunt, qui norant multos annos inter eorum Regum tempora interceſſiſſe. Nec *Pſeudo-Ariſteas*, totius fabulæ auctor, nec *Joſephus*, ab Herode petitos Libros Sacros, ſed ab Eleazaro, Pontifice Maximo, prodiderunt. Itaque [23] vir doctus pro *Herodis*

οὔθ᾽ οὗτος ἀποδεκτὸς, οὐδὲ ἐκεῖνος μεμπτέος: *ſupplicia & pœnas, nec non egregias remunerationes, pro uniuſcujuſque factorum merito; tribui per Prophetas edocti, id quod verum eſt etiam profitemur. Nam ſi hoc non ſit, ſed fato omnia fiant, nullum omnino eſt liberum arbitrium. Si enim fatale ſit hunc quidem eſſe bonum, illum verò malum; neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus.* Vide & ſequentia, ubi pluribus rem confirmat. Adde & Apol. II. c. 7. vel p. 45. Ed. Pariſienſis. Similia habet *Irenæus* Lib. IV. c. LXXI. è vulg. diviſione, è Pariſina XXXVI. ubi copioſè hac de re agit. Qui hanc antiquiſſimorum Patrum doctrinam eſſe negant, aut eos non legerunt; aut, metu aliter ſentientium, id quod norant diſſimulant, quod nonnullis contigit.

22. *Cùm*

Herodis nomine ἱερέα ſubſtituit; ſed cùm nulli Codices MSS. ei faveant, ſitque inter voces nimium litterarum & ſoni diſcrimen, non eſt cur ei adſentiamur, præſertim cùm *Juſtinus* in talibus minimè ſit adcuratus. Itaque longè præſtat fateri, memoriâ & Hiſtoriæ ignorantiâ, bonum alioqui virum lapſum eſſe. Idem in Cohortatione ad Græcos p. 13 & 14. Ed. Par. c. XIII. Oxon. hiſtoriam LXX. Interpretum copioſiùs narrat, argumentúmque veritatis eorum, quæ narraverat, profert veſtigia domuum, in quibus LXX. Intt. vertendis Libris Sacris operam dederant, quæ & ipſe viderat; ad quod accedebat, quòd ab incolis qui res patrias norant à Majoribus ſibi per manus traditas, rem accepiſſet. Potuerunt ſanè rudera quædam domuum *Juſtino*, in inſula Pharo, oſtendi; ſed minimè hinc ſequitur vera fuiſſe, quæ de iis tradebantur; & meram eſſe fabulam oſtenderunt [24] doctiſſimi viri, nec eſt cur diutiùs rei immoremur. ANN. CXXXIX.

XVIII. 15. Videtur interdum *Juſtinus* teſtimonia Veteris Teſtamenti memoriter protuliſſe, ut Cap. XLII. ubi adfert hoc vaticinium, quaſi Eſaiæ: ἀνατελεῖ ἄϛρον ἐξ Ἰακὼβ, καὶ ἄνθος ἀναβήσεται ἀπὸ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί: *exorietur ſtella ex Jacob, & flos è radice Jeſſæ adſcendet.* Sed prima verba, de aſtro ex Jacobo exorituro, exſtant Num. XXIV, reliqua tantùm ſunt Eſaïæ c. XI, 1. Adnotavit tamen hîc [25] vir doctus, apud *Irenæum* Lib. III. c. 9. ubi vaticinium legitur, in optimo Codice, pro *Balaam* cui verè in aliis Libris tribuitur, legi *Yſaias*; unde colligit, veluti è conſenſu *Juſtini* & *Irenæi*, olim hæc verba alicubi in Eſaïa exſtitiſſe. At ſi vera eſſet ea lectio Codicis *Irenæi*, multò ſatius eſſet dicere ab *Irenæo* nimis ſecurè exſcriptum *Juſtinum*, [26] quod & alibi ab eo factum oſtendimus.

XIX. 16. Sic & Cap. XLIII. ait Angelum Dei, qui ad Virginem Mariam miſſus eſt, ei dixiſſe: *ecce concipies in utero* ex Spiritu Sancto, *& paries filium & filius altiſſimi vocabitur; & vocabis nomen ejus Jeſum, ille enim ſervabit populum ſuum à peccatis ſuis.* Ad vocem uſque *vocabitur*, habet *Juſtinus* ſententiam eorum, quæ leguntur Luc. I, 31, 35. ubi Angelus Mariam ipſam adloquitur. Reliqua verò verba ſunt Matth. I, 21. ubi Angelus Joſephum ſolum compellat. Quemadmodum hinc nemo jure collegerit verba, quæ exſtant apud Matthæum, olim etiam apud Lucam, in nonnullis exemplaribus, lecta: ſic nec fuiſſe, apud Eſaïam, quæ numquam fuerunt, ſuſpicari licet, ex ſola citatione

22 *Cùm factum minimè ſit laudandum*] Vide Origeniana *P. Dan. Huëtii* Lib. I. c. 1.

23 *Vir doctus*] *Erneſtus Grabius* ad hunc locum. Cùm ſint apud multos egregios Scriptores, μνημονικὰ ἁμαρτήματα, quos tamen nemo emendat, ſic nec emendandus hîc *Juſtinus*.

24 *Viri doctiſſimi*] Omnes fermè qui hac de re egerunt, quorum teſtimonia inveniuntur apud *Humfred. Hodium*, qui magno volumine idem probavit.

25 *Vir doctus*] *Grabius* ad locum, ubi dicit ſuſpicionem hæc ſibi injeciſſe olim ejuſmodi prophetiam Eſaïæ exſtitiſſe, non tamen eo quem citat loco. C. XI, 1.

26 *Quod & alibi* &c.] Ad Ann. CI, 8.

ANN. CXXXIX. tatione *Juſtini*, parum adcuratè teſtimonia Scripturæ non raro proferentis, quod & in ſequentibus videbimus.

XX. Eodem Cap. poſtquàm dixit ab Eſaïa prædictum fuiſſe naſciturum Chriſtum, addit: „ *Spiritum* autem & *Virtutem*, *quæ à Deo* „ *eſt*, aliud nihil intelligere licet, præter Λόγον, *qui* & Primogenitus „ Deo eſt (*ut*) Moſes, ſupra dictus propheta, ſignificavit. Cur verò apud Lucam, *Spiritus Sanctus* & *Virtus Altiſſimi* ſint de Ratione æterna intelligenda, non equidem video. Apud Moſem, Λόγον *primogenitum Dei* dici fortè credidit, quòd Moſes Deum omnia *verbo* creantem inducat; quod tamen eſt longè petitum. Ideò [27] vir doctus, pro Μωσῆς, ſuſpicatur ſcriptum olim fuiſſe ωσῆς, quod compendium fuerit horum verborum, ὡς Ἡσαίας, mutatúmque ſit temerè in Μωσῆς. Verùm nuſquam Eſaias docet Λόγον πρωτότοκον εἶναι Θεῷ. Fateor eum Prophetam, in proximè antecedentibus verbis, fuiſſe citatum; ſed cùm Moſis etiam ſuperiùs producta ſint verba, Capp. XL & XLI. potuit hîc dici: ὁ προδεδηλωμένος προφήτης, nec ulla mutatione opus eſt.

XXI. 17. Cap. XLIV. confidenter ait *Juſtinus* è deſcriptionibus factis ſub Cyrenio, hoc eſt, P. Sulpicio Quirino, *qui primus* Romanorum *in Judæa* ἐπίτροπος, *Procurator*, fuerat, Romanos potuiſſe ſcire ubi natus eſſet Jeſus. Re verâ, ſub Quirino, facta eſt deſcriptio Judææ; ſed hoc ſeriùs contigit, decennio, nempe, poſt natum Chriſtum, cùm Judæa in Provinciam redacta eſt, ſicut diſcere eſt ex *Joſepho* Antiquit. Jud. Lib. XVII. c. 15. & XVIII. c. 1. At tum *Quirinus* quidem Præſes Syriæ fuit, *Coponius* verò Procurator Judææ, quem ei dicto audientem eſſe oportebat. Vivo & regnante Herode Rege, nullus fuit Procurator Judææ, nomine Romanorum. Sed tempus deſcriptionis Judææ, per Quirinum, perperam hîc adſignatum eſt, ob malè intellectum locum Lucæ II, 2. [28] ut in Hiſtoria Chriſti oſtendimus. Scio eſſe [29] viros doctiſſimos, qui nolint *Procuratorem* verti ἐπίτροπον, quâ voce utitur hic *Juſtinus*; quia reverâ, ut diximus, non erat Procurator Judææ. Sed quamvis non eſſet, *Juſtinus* fuiſſe credidit, ut liquet ex eo quod πρῶτον ἐπίτροπον vocet; nam extraordinaria poteſtas, quæ in eum collata eſt, qui deſcriptionem Judææ peregit, vivo Herode, ut deceſſorem

27 *Vir doctus*] *Grabius* ad locum, qui tamen huic ſuæ conjecturæ fidere non audebat, ut ipſe profitetur. Ceterùm ex hac ipſa citatione (ſive Moſis, ſive Eſaïæ dixeris, perinde eſt) ſatis liquet non eſſe è citationibus *Juſtini* colligendum quidquam deeſſe Codicibus Græcis Veteris Teſtamenti; nam apud neutrum Λόγος dicitur, quod equidem ſciam, πρωτότοκος Θεοῦ, niſi fortè deducto, veluti per fidiculas, conſectario.

28 *Ut in Hiſtoria*] Ad Annum, ante Chriſtum natum V, 8. & poſt natum VII, 1.

29 *Viros doctiſſimos* &c.] *H. Grotium* ad locum Lucæ II, 2. & *Grabium* ad *Juſtini* verba.

30 *Ejuſmodi hallucinationes*] *Iſ. Caſaubonus* contra *Baronium* Exercit. I. n. 2. prolato loco *Cyrilli* Alexandrini, in quo regnaſſe apud Judæos homines è Tribu Judæ & Davidis poſteris, ad Herodem uſque, adfirmat: *Vel hic locus*, inquit, *tanti Patris*, & *Theologi adeò præſtantis*, *fidem fecerit*

ſorem non habuerat, ſic nec ſucceſſorem ullum habuit. Primus Romanorum ἐπίτροπος fuit *Coponius*, qui Judææ in formam Provinciæ redactæ præfuit. Potuerunt [30] ejuſmodi hallucinationes, quamvis ad ſummam rei nihil faciant, nocere Chriſtianis, ſi ab Ethnicis animadverterentur; nam propter errores aliquot nihili, integram homines maligni, & laude ceteroqui dignam orationem aſpernantur. Sed nunc nobis nocere non poſſunt, ſi modò iis quidem ignoſcamus, non verò plaudamus. ANN. CXXXIX.

XXII. 18. Nec proderant Religioni Chriſtianæ interpretationes Prophetarum violentæ, aut nimis figuratæ, quales aliquot ſunt in *Juſtino*, & multæ paſſim in aliis Secundi & Tertii Sæculi Patribus. Sic Cap. XLV. hæc verba Eſaiæ IX, 6. *puer natus eſt nobis &c. adoleſcentulus datus eſt nobis, cujus ſuper humeros imperium*; ita interpretatur ut penultimâ voculâ ad ſupplicium crucis adludi velit, quam ait fuiſſe μηνυτικὴν τῆς δυνάμεως τοῦ ςαυροῦ, ᾧ προσέθηκε τοὺς ὤμους ςαυρωθεὶς: *indicaſſe potentiam crucis, cui humeros adplicuit crucifixus.* At crux non erat δύναμις, nec [31] admotio humerorum cruci huc quidquam facit, ut nunc omnes norunt. Locus Eſaiæ LXV, 2. *expandi manus meas ad populum infidelem* intelligitur, ab eo, de Chriſto in cruce expanſis manibus ſuſpenſo; quo nihil poteſt eſſe alienius à ſententia Prophetæ. Sic & Cap. LXXII. crucem ubique invenit, in antennis navium, in aratris, in ligonibus &c. C. LXXVII. fingit perticam, è qua ſuſpenſus fuit ſerpens æneus, fuiſſe *figuram crucis æneæ* & quod magis mireris, vult *Platonem* hinc deſumſiſſe ſuum [32] χιασμὸν vel figuram τοῦ X. de qua in Timæo. Quæ quidem quid ſibi velit, apud Philoſophum, neſcio; ſed putarim ad crucem Chriſti eum reſpexiſſe certò me poſſe negare. Vide & Cap. LXXVII.

XXIII. 19. Cap. LIII. poſtquàm in prioribus protulit loca quædam prophetica, ita concepta; ut de rebus præteritis agere videantur, ait ſe rem declaraturum, ὅπως ἀπολογίαν μὴ παράσχῃ τοῖς ἐντυγχάνουσι, hoc eſt, *ne excuſationem præberet iis qui inciderent* in ſuum librum, & qui hanc rationem haberent non credendi prophetiis, quòd de rebus præteritis agere viderentur. Quem locum non quia difficilis eſt, ſed quia non eſt [33] viris aliquot doctis intellectus, obiter interpretari neceſſe habuimus. Sic autem

rit viros ſanctiſſimos & doctiſſimos, Patres dico Græcos & Latinos, in Hiſtoria & in iis, quæ fidei non ſunt, graviter interdum hallucinari; ſive quòd majoribus intenti curis, inquirendæ harum rerum veritati non vacaverint; ſive quòd primos Librorum Sacrorum Interpretes (qui non potuerunt, iter nemini priùs tritum ingredientes, non in multis ceſpitare) ἀβασανίστως, aut non ſatis diligenti examine, ſint ſequuti. Quod huic & aliis erroribus *Juſtini* excuſandis, non comprobandis, in uſum revocari queat.

31 *Admotio humerorum*] Manifeſtum eſt hîc ſignificari regnum eſſe inſtar oneris humeris regnantis impoſiti, eóque ſpectari, non ad crucem. Vide Intt. ad locum.

32 Χιασμὸν] Vide Timæum *Platonis* p. 36. Ed. Stephanianæ Tom. III. Platonis Operum, ubi adi *Joan. Serrani* notas.

33 *Viris aliquot doctis* &c.] *Lango*, *Gelenio*, *Wolfio* de quibus vide *Grabium*, ad hunc locum.

ANN. CXXXIX. tem rem declarat *Juſtinus*: *omnia quæ futura eſſe conſtat, ea tamquam facta* (Propheta) *prædicit*. Quod verum eſt & in confeſſo, apud omnes qui vaticiniorum Vet. Teſtamenti divinitatem agnoſcunt, ſed Ethnicis non facilè perſuaderi poterat. Imò verò nec Judæis umquam probaſſet agi Pſ. XCVI, 10. de regno Chriſti in cruce, quamvis vaticinium ita proferat: *Dominus regnavit è ligno*; quia meritò conqueſti eſſent meram hanc eſſe additionem malè feriati Chriſtiani, nec contrarium oſtendere bonus *Juſtinus* potuiſſet.

XXIV. 20. AIT *Juſtinus* Cap. LIX. „ operâ malorum Dæmonum „ mortis ſupplicium adversùs Librorum Hyſtaſpis, aut Sibyllæ, aut „ Prophetarum Lectores, conſtitutum eſſe; ut metu homines abſ- „ terrerent, quominùs legentes rerum bonarum notitiam percipiant. De Prophetis conſtat minùs hoc eſſe verum, cùm Judæi eos privatim quotieſcumque vellent, & publicè, ſingulis diebus Sabbathi, in Synagogis lectitarent; ne jam dicam de Chriſtianis nuſquam legi, inter crimina, quæ iis objiciebantur, hoc fuiſſe. Nec Hyſtaſpem, [34] aut Sibyllina oracula, quæ ſuperſunt, legentibus uſquam alibi mortis pœnam propoſitam fuiſſe quiſquam, præter *Juſtinum*, dixit. Ac ſanè, dum licuit legere Vetus & Novum Teſtamentum, quid ſibi ab Hyſtaſpe, aut Sibyllis, quorum opera manifeſtò confiđa fuerant, metuere potuerint Ethnici non intelligere me fateor. Nec moveor fiduciâ *Juſtini*, qui tot alia minùs vera confidenter adfirmat; non quidem animo fallendi, ſed quia aliis nimis facilè crediderat.

XXV. 21. OBJICIENTIBUS ſontes non fuiſſe, qui ante Chriſtum vixerunt, eò quòd eum noſſe non potuerint, reſpondet *Juſtinus* Cap. LXI. „ Cùm Chriſtum primogenitum Dei eſſe edocti ſimus; cúm- „ que Rationem (*Λόγον*) eum eſſe, cujus univerſum hominum genus „ particeps fuerit, antea indicaſſet; quicumque cum ratione vixerint, „ Chriſtianos fuiſſe, quamvis Athei habiti ſint. Quales, inter Græcos „ fuerant Socrates & Heraclitus, atque iis ſimiles &c. Verum eſt quidquid Rationis apud homines fuit, aut eſt, totum id Bonitati Dei, qui homines ſuæ ipſius Sapientiæ, pro eorum modulo, participes facit, deberi. Verum itidem eſt Rationis lumina ſequutos, ex æquitate naturali, Deo ingratos eſſe non potuiſſe; & contra ingratos fuiſſe, qui leges

34 *Aut Sibyllina*] Intelligenda ea, quæ habemus & quæ *Juſtinus* intellexit; nam Ethnica Oracula nefas erat legi, ut docet *David Blondellus*, de Sibyllis Lib. I. c. 9. Quin imò Tarquinius *M. Tullium Duumvirum* (nam tunc temporis à Duumviris tantùm libri illi adſervabantur) *quòd librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum, corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, ſacco inſutum in mare abjici juſſit*. Fortè hac aut ſimili Hiſtoriâ deceptus *Juſtinus* Sibyllinis, quæ exſtabant, tribuit, quod de occultis tantùm libris dici oportebat.

35 *Incommodè*] Nam pro ראשיכם *raſchechem*, *ἄρχοντες ὑμῶν*, *principes veſtri*, ſine ſenſu verterunt. Scio Veteres voluiſſe Angelos ſignari, ut liquet non tantùm è *Juſtino* hîc & p. 255. Dialogi cum Tryphone, ſed & è Commentar. *Euſebii* & *Theodori* Heracleotæ, itémque è Catena Corderiana in hunc Pſalmum. Sed nuſquam dicunt

leges à Ratione ſancitas violarint. Sed propterea Chriſtianos potuiſſe vocari, ob illam τοῦ Λόγȣ participationem, pauci, ut opinor, credent. Ludus eſt in ambiguo, ut quod poſtea improbos ἀχρήςȣς vocat, quaſi ἐχθροὺς τῷ Χριςῷ, *inimicos Chriſto*. Vide & Capp. III & V. ANN. CXXXIX.

XXVI. 22. POSTQUAM ex Eſaiæ Cap. LIII. varia de Chriſto probaſſet, adgreditur oſtendere è Pſalmo XXIV, 7. prædictum fuiſſe Chriſtum è terris in cœlum rediturum, atque ita profert, c. LXV. Pſaltæ verba: *Tollite portas cœlorum, aperiamini, ut ingrediatur Rex gloriæ*: Ἄρατε πύλας οὐρανῶν. Sed nulla vox eſt in Hebraïco textu, aut in Græca LXX. Intt. verſione, quæ ſit adfinis ſenſu voci οὐρανῶν. Habet enim Pſaltes Hebraïcè: *tollite, portæ, capita veſtra*, ראשיכם *raſchechem*; Græci verò Interpretes: ἄρχοντες ὑμῶν *principes veſtri*, [35] incommodè quidem, ſed propiùs ad Hebraïcam vocem. *Aquila* meliùs verterat *capita veſtra*, quod & ſequutus eſt *Hieronymus*, in verſione Pſalmorum, ex Hebræo. Si Judæi aut Ethnici legiſſent hæc *Juſtini*, contuliſſentque illi cum Hebræo textu, hi cum Græco, quem adflatum putabat *Juſtinus*, quos clamores ſuſtuliſſent? Sed & pro Daniele, paullò pòſt, Jeremiam citari conqueſti eſſent, nam hæc verba Dan. VII, 13. leguntur: *Ecce quaſi filius hominis venit cum nubibus cœli*; ſed nec ſequuntur hæc: *& Angeli ejus ſunt cum eo*, quæ addit *Juſtinus*, quem memoria hìc decepit. Nemo, ut opinor, hæc teſtimonia rectè prolata dicet, eò quòd ſic proferantur à Philoſopho & Martyre, cùm res ipſa ſit clara. Decuiſſet tamen eum majorem diligentiam adhibuiſſe, apud Imperatorem & filios, cauſam Religionis Chriſtianæ agentem, Ethnicorúmque ac Judæorum dicteriis ſe ſe exponentem. Sed & Cap. LXXXI. Jethronem ait fuiſſe *avunculum Moſis*, πρὸς μητρὸς θεῖον, quod verum eſſe nequit, niſi Jethronem filium nothum Levis fuiſſe ſtatuat *Juſtinus*; quod commentum erat, aptius ad riſum Judæis movendum, quàm ad Scripturæ ſtudium oſtendendum.

XXVII. 23. NIHIL præterea addemus, niſi unam, aut alteram emendationem. *Juſtinus*, Cap. LXX. cùm dixiſſet malos Dæmonas gnaros eorum quæ de Chriſto prædicta fuerant, προεβάλλοντο, inquit, πολλοὺς λεχθῆναι λεγομένȣς υἱοὺς τῷ Διί, quæ verba ſenſu carent; qui reſtituetur, ſi legeris τεχθῆναι: *in anteceſſum dixerunt multos natos eſſe Jovi, qui*

[35] dicunt ſimpliciter *Principes*, & multò minùs *Principes veſtri*; nam malè diſtinguunt Græca hoc modo: ἄρατε πύλας, οἱ ἄρχοντες, ὑμῶν, ut poſſint vertere: *tollite portas, Principes, veſtras*. Poſſeſſivum enim pronomen refertur in voce Hebraïca, ad *Principes*, non ad *Portas*, quod qui Hebraïca non inſpexerant intelligere non poterant. Fortè *Juſtinus* aut memoriâ labente erravit; aut οὐρανῶν addiderat, quaſi neceſſariam, ac proinde indubitatam vocis πύλας, interpretationem, ſed perperam; nam hìc agitur de Templo, in quod Arca inferenda erat, ut habet ad hunc locum Paraphraſtes Chaldæus, cui doctiſſimi Interpretes adſenſi ſunt. Quin & ipſe *Juſtinus*, in Dial. cum Tryphone, p. 255. hoc additamentum omittit, ut & in ſequentibus.

ANN. CXXXIX. *qui filii ejus dicerentur*; ut fabula videretur, quod dicturi erant Apoſtoli, Jeſum eſſe Dei Filium. Similiter & Cap. LXXII. legendum non τὸν Περσέα λεχθῆναι προεβάλλοντο, ſed τεχθῆναι *natum eſſe*; nempe, *per virginem*, aut *ex virgine*, quia Jupiter fingebatur cum Danaë concubuiſſe, non formâ hominis, ſed auri indutum; quod comprobat ipſe *Juſtinus*, in Dialogo cum Tryphone p. 297. ubi ἐκ παρθένȢ γεγενῆσθαι τὸν Περσέα, ex Ethnicorum ſententia, dicit. Sunt & alia mutila, [36] etiam plura quàm vulgò putantur, & corrupta in hac Apologia & poſteriore, quæ ſine melioribus Codicibus emendari nequeant.

XXVIII. 24. De Simone Mago, cujus meminit *Juſtinus* Capp. XXXIV & LXXIII. nihil diximus, quia de eo ſat copiosè egimus ad Ann. XLII, 4. & ſeqq. Sed deſcriptionem cœtuum Chriſtianorum, cultúsque in iis divini prætermittere non poſſumus. Exſtat ea Cap. LXXXV. & ſeqq. ac particulatim, additis animadverſionibus noſtris, tota à nobis proferetur. Videtur ergo *Juſtinus*, antea deſcripto baptiſmo, ejúsque ritibus (quæ pars Apologiæ I. [37] intercidit, quod tamen à viris doctis animadverſum non video) ſic porrò perrexiſſe: „ Nos autem poſtquàm eum, qui perſuaſus eſt & adſenſum præbuit, ſic abluimus, ad fratres, qui dicuntur, ducimus, illuc ubi congregati ſunt, communes preces, pro ſe ipſis, pro illuminato (*hoc eſt*, *baptizato*) & aliis ubique gentium omnibus, enixè fuſuri; ut qui vera didicimus digni ſimus, qui factis boni homines, & obſervantes eorum, quæ præcepta ſunt, comperiamur, quò ſalutem æternam conſequamur. Cùm deſiimus precari, nos viciſſim oſculo ſalutamus. I. Baptiſmi cærimonias deſcripſerat, non minùs quàm poſtea Euchariſtiam deſcribit; nam hiſce temporibus *Diſciplina Silentii* nondum obtinebat, ut liquet è rituum Euchariſticorum apertiſſima deſcriptione, qui cur potiùs promulgarentur, quàm quæ fiebant in Baptiſmo, nulla ratio erat. II. Quamvis Chriſtiani omnes homines, ab uno communi parente Adamo oriundos, loco *proximorum*, & *fratrum* haberent; attamen poſterius hoc nomen, [38] ſingulari jure, eorum erat qui jam Euchariſtiæ participes erant. III. Pro omnibus precabantur, ex Apoſtoli præcepto, de quo ad Ann. LXV, 2. quod erat planè contrarium Judæorum moribus; qui cùm, ſtante Templo, ſacra pro Cæſare facere noluiſſent, multò

tò

36 *Etiam plura*] Vide proximè ſequentia.

37 *Intercidit*] Poſtquàm enim dixit *Juſtinus* omnes, qui dicuntur Jovis filii, factis ipſis argui in fine Cap. LXXXIV. continuò ſubjicit: ἡμεῖς μετὰ τὸ ὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον &c. quæ manifeſtè oſtendunt deſcriptum priùs ab eo baptiſmum fuiſſe; qua de re tamen, in hac Apologia, nihil habet. Fortè poſt inſtitutam *Arcani Diſciplinam*, è codicibus *Juſtini*, ea deſcriptio ſublata eſt, ne à quovis legi poſſet.

38 *Singulari jure*] Sic paſſim, in Apoſtolorum Scriptis, Chriſtiani ἀδελφοὶ vocantur.

39 *Oſculo ſe invicem* &c.] Vide & Conſtitutiones Apoſtolicas Lib. II. c. 57.

40 *Aquæ & vini*] Ὕδατος καὶ κράματος, quo, nempe, aqua ἐκεραννύετο, alioqui κρᾶμα eſt liquor ipſe miſtus. Res ipſa & ſequentia oſtendunt vinum tantùm intelligi.

41 *Statuebant ita quoque* &c.] Auctor Conſtitutionum Apoſt. Lib. VIII. c. 12. Jacobum Zebedæi F. inducit hoc narrantem, quaſi vidiſſet à Chriſto fieri.

42 *Per*

tò minùs pro eo orabant. IV. Sibi præſertim petebant, ut veritate cognitâ, convenienter ei viventes à Deo, cùm animum acturi erant, deprehenderentur; hoc eſt, ut tentationes omnes amoliretur, aut infringeret, quibus à Virtute avocari poſſent; ſubſidiáque omnia concederet, quibus in ea confirmarentur. V. Precibus fuſis, [39] oſculo ſe invicem, fraterni amoris indicio, ſalutabant; quod fortè initium præbuit calumniæ, de promiſcuo concubitu. De oſculo egerunt Interpretes ad 1. Cor. XVI, 20. 2. Cor. XIII, 12. & alibi. ANN. CXXXIX.

„ XXIX. Deinde ei, qui fratribus præeſt, offeruntur panis & poculum [40] aquæ & vini admiſti. Quibus ille acceptis, laudem & gloriam „ Patri omnium rerum, per nomen Filii & Spiritûs Sancti, rependit, „ & gratiarum actionem, quòd hiſce nos dignatus ſit, prolixè agit. „ Qui ubi preces & gratiarum actionem abſolvit, totus præſens populus fauſtâ adclamatione dicit: Amen; quæ Hebraïca vox ſignificat *Fiat*. Poſtea quàm Præſes gratias egit & adclamavit totus populus, qui vocantur apud nos Diaconi dant unicuique præſentium è „ pane, ſuper quo gratiæ ſunt actæ, éque vino & aqua, ut eorum participes fiant, & ad abſentes ferunt. I. Is qui præeſt eſt προεςὼς, ſive ſit Epiſcopus, ſive Presbyter, eo abſente, aut vices ſuas Presbytero mandante. II. Ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος hîc memoratur, quod aquam vino miſcerent, quia vino diluto cùm vulgò uti ſolerent, [41] ſtatuebant ita quoque feciſſe Chriſtum; non ob neſcio quam ſignificationem myſticam, ab hoc ritu prorſus alienam. III. [42] *Per nomen Filii & Spiritûs Sancti*, Deum laudare dicuntur, qui vocantur Filii & Spiritûs Sancti diſcipuli, ſéque ejuſmodi palam primùm in baptiſmo & poſtea ſemper profitentur, quod & ex aliis locis liquet. IV. Dicitur Præſes cœtûs. Deo gratias, egiſſe quòd *hiſce*, hoc eſt, pane, aqua & vino *nos dignatus ſit*. Sic [43] Judæi in celebratione Paſchatis, cui hæc Chriſtiana cærimonia ſubſtituta eſt, ſolebant de pane dicere: *Benedictus tu, Domine Deus noſter, Rex mundi, qui producis panem è terra:* & de vino: *qui creas fructum vitis.* V. Adclamabat populus *Amen*, quâ voce ſignificabat ſibi probari auditas à ſe gratiarum actiones, perindéque erat ac ſi ipſe eas repetiſſet. Vide 1. Cor. XIV, 16. VI. Videtur hîc omiſiſſe *Juſtinus* conſecrationem panis in eum uſum, qui in hoc ritu ſpectatur; nimirum, ut ſit Symbolum corporis Chriſti; [44] ſed poſtea hoc ſatis monet.

42 *Per nomen Filii* &c.] Idem ſignificatur in formula Baptiſmi Matth. C. XXVIII, 19. ubi vide quæ notavimus, in additamentis ad *Hammondum*.

43 *Judæi*] Vide *Joan. Buxtorfii* Exercitationem in Hiſt. S. Cœnæ, num. XLII. & XLIV.

44 *Sed poſtea*] Quia tamen, neque hoc loco, in quo ordo rei poſtulabat ab eo dici, quî panis & vinum uſui Euchariſtico dedicabantur, ſeu conſecrabantur, ullius formulæ verborum meminit, neque in ſequentibus hujus rei mentionem facit; ſi quis ſuſpicetur hîc quoque aliquid reſecatum ab iis quibus *Diſciplina Arcani* probabatur, non equidem admodum repugnarim. Quædam habet *Irenæus* de conſecratione Euchariſtici panis & vini Lib. IV. c. XXIV. è vet. diſtinctione, XVIII. è nova. Sed pauca ſunt, nec ſatis clara. Vide & *Chriſtoph. Matthæi Pfaffii* Diſſertationem de Conſecratione.

ANN. CXXXIX.

net. VII. [45] Diaconi adhibebantur, ut panis & vinum populo dividerentur, non quòd Epiſcopus, aut Presbyteri non poſſent eo quoque munere fungi; ſed propter multitudinem populi, cui celeriùs & faciliùs per plures dividebantur, atque ad abſentes deinceps ferebantur; qui eorum participes fiebant, non aliter ac ſi præſentes adfuiſſent.

,, XXX. Atque hoc alimentum, *ait Juſtinus*, apud nos vocatur ,, Euchariſtia, cujus nulli alii participem eſſe fas eſt, niſi vera creden- ,, ti, quæ à nobis docentur; lavacro, propter remiſſionem peccato- ,, rum ac regenerationem, abluto; & ita, ut tradidit Chriſtus, viven- ,, ti. Non enim, ut vulgarem panem & vulgarem potum, ea ſumi- ,, mus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus-Chriſ- ,, tus, Servator noſter, carnémque & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ ,, habuit: ita quoque illud [46] per precis verbum, quod ab eo eſt, ali- ,, mentum pro quo gratiæ ſunt actæ, ex quo ſanguis & carnes noſtræ ,, per mutationem aluntur, illius Jeſu-Chriſti incarnati carnem & ſan- ,, guinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli, in Commentariis à ſe ,, ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, tradiderunt ita ſibi præcepiſſe Je- ,, ſum, & pane accepto, gratiiſque actis dixiſſe: *Hoc facite in memoriam* ,, *mei*; *hoc eſt corpus meum*; & poculo ſimiliter accepto & gratiis actis, ,, dixiſſe: *Hoc eſt ſanguis meus*, ac ſolis ipſis ea tradidiſſe. — Nos au- ,, tem poſtea ſemper in poſterum invicem hæc nobis in memoriam re- ,, vocamus; & qui habemus indigentes omnes juvamus, & ſemper unâ ,, invicem ſumus. I. Cùm ſine gratiarum actione numquam celebraretur Cœna Dominica, ideò panis & vinum, pro quibus gratiæ Deo erant actæ, ſunt *Euchariſtia*, hoc eſt, ut loquitur antea *Juſtinus*, εὐχαριστηθεῖσα τροφὴ, vocata. II. Participes ejus non poterant fieri, niſi qui credebant Chriſto, memoréque & grato animo, mortem ejus ſui causâ obitam celebrabant, proptereáque ei parebant, priùs ſe velle per eum peccatorum remiſſionem & regenerationem conſequi, in baptiſmo, ex ejus mandato, profeſſi. III. Docet *Juſtinus* quemadmodum corpus Chriſti

45 *Diaconi* &c.] Vide Conſtit. Apoſtolicas Lib. VIII. c. 28. ubi de Diacono: οὐ προσφέρει, τοῦ δὲ ἐπισκόπου προσενεγκόντος, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου, αὐτοὺς ἐπιδίδωσι τῷ λαῷ, οὐχ ὡς ἱερεὺς ἀλλ᾽ ὡς διακονούμενος ἱερεῦσι: *non offert, ſed cùm Epiſcopus obtulit, aut Preſbyter, ipſe dat populo, non ut Sacerdos, ſed ut miniſter ſacerdotum.*

46 *Per precis verbum*] Δι᾽ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ᾽ αὐτοῦ, quod alii vertunt: *per orationem verbi, ab ipſo profecti.* Clariùs viſum eſt vertere, quaſi dixiſſet: διὰ τοῦ τῆς εὐχῆς λόγου, quod potiùs dixeris *verbum precis*, quam *precem verbi.*

47 *Sic Euchariſticum* &c.] Ex hoc ſimilibusque locis Veterum, nonnulli collegerunt Symbola Euchariſtica, in unionem hypoſtaticam, à Chriſto cum corpore & ſanguine ſuo adſumi: quemadmodum ab Æterna Ratione, vel Verbo adſumta eſt, in unitatem perſonæ, tota Chriſti Humanitas. Sed comparationem, quæ excidit *Juſtino*, Scriptori minimè adcurato, uſque adeò urgere, ut inde dogma fiat, cujus nullum in Scriptura veſtigium; id verò eſt infirmis fundamentis inædificare. Nec puto ipſum *Juſtinum* ſic rem interpretaturum fuiſſe, ſi copioſiùs paullò mentem ſuam expreſſiſſet. Quis ſibi finxerit nos corpore, ὑποστατικῶς cum corpore Chriſti conjuncto, ali?

48 *Die verò qui dicitur ſolis*] Quamvis nolim negare his temporibus, imò & ſeriùs diem Sabbathi obſervatum fuiſſe, ut oſtendit

Chriſti ab æterna Ratione, vel Verbo adſumtum, factum eſt caro Rationis, vel Verbi: [47] ſic Euchariſticum panem & vinum, quibus mutatis aluntur ſanguis & carnes noſtræ, fieri ejus carnem & ſanguinem, per orationem prolatam, quia Chriſtus, in celebratione hujus ritûs, ea loco ſuæ carnis, ſuique ſanguinis haberi voluit. IV. Videtur, unà cum gratiarum actionibus, recitata à Præſide Cœnæ Dominicæ inſtitutio; quâ ſignificabat panem & vinum, pro quibus gratias egerat, non ampliùs vulgarem cibum & potum haberi oportere, ſed cibum & potum, quo memoria corporis Chriſti pro nobis fracti, & ſanguinis pro nobis fuſi revocabatur. V. Peractâ Dominicâ Cœnâ, ſinguli, pro modulo facultatum, ſtipem in uſum egenorum, ut & in aliis cœtibus, conferebant. ANN. CXXXIX.

XXXI. Postea quædam alia, quæ in cœtibus, diebus Dominicis coactis, fiebant ſic deſcribit: „ In omnibus, quæ offerimus, benedicimus ei qui omnia fecit, per Filium ejus Jeſum Chriſtum & per „ Spiritum Sanctum. [48] Die verò, qui dicitur Solis, omnium qui vel „ in urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit & „ Commentarii Apoſtolorum, vel ſcripta Prophetarum, quoad tempus „ fert, leguntur. Deinde, poſtquàm deſiit Lector, Præſes oratione „ admonitionem & adhortationem, ad pulcrarum illarum rerum imitationem, habet. Poſtea unà omnes conſurgimus, & Deum precibus „ adimus. [49] Tum, ut dixi, nobis precari deſinentibus, panis offertur & vinum & aqua; ac Præſes quidem, pro facultate ſua, ſimiliter „ preces & gratiarum actiones fundit; *quibus auditis*, populus fauſtâ „ adclamatione dicit: Amen. Diſtributio & communicatio eorum, „ propter quæ gratiæ actæ ſunt, unicuique fit; ac per Diaconos abſentibus mittitur.

„ XXXII. Qui verò locupletes ſunt [50] & volunt, quiſque, pro „ ſuo arbitrio, quod libet dant, & quod colligitur apud Præſidem „ deponitur; [51] ipſe verò opitulatur pupillis, viduis, illis qui propter „ morbum, aut aliam cauſam indigent, iis qui in vinculis ſunt, peregrè

oſtendit vir eruditiſſimus *Stephanus Curcellaus*, de Eſu ſanguinis Cap. VI. attamen præcipuos conventus die Dominico habitos ex hoc *Juſtini* loco colligere poſſe videmur; quod & Cap. LXXXIX. confirmat.

49 *Tum, ut dixi* &c.] Hinc intelligimus *Juſtinum*, quod rectiùs fuiſſet, antea ordine non expoſuiſſe quæ in cœtibus Chriſtianorum fierent. Incipiendum fuiſſet ab iis quæ proximè hîc antecedunt. *Die qui dicitur Solis* &c. Neglectus ordinis, & circumſtantiarum omiſſio multas tenebras Antiquitati offuderunt, & inutiles repetitiones pepererunt. Sed iis temporibus ordinis obſervandi, perſpicuitatis causâ, neceſſitas nondum erat ſat nota.

50 *Et volunt* &c.] Poterant eſſe fructus, aut pecunia. Vide Can. Apoſt. III. Libera quidem erat liberalitatis menſura, ſed tamen aliqua eſſe debuit. Vide *Joan. Fellum* ad Epiſt. *Clementis* Cap. XL.

51 *Ipſe verò opitulatur* &c.] De iis quos ſublevari oportebat egit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum Lib. IV. De diſtributionis ratione multa ſunt ejus Operis Lib. II. c. 25. & *ſeqq.* Sed & in alimentum eorum, qui publicis muneribus fungebantur in Eccleſia, conferebant Chriſtiani. Vide Canones Apoſtolicos III, IV & V. atque ad eos *Gul. Beveregium*.

ANN. CXXXIX. „ grè advenientibus hoſpitibus; & universè indigentium omnium cura- „ tor eſt. Atque hæc non fuit ultima cauſa, cur Chriſtianorum numerus brevi tempore uſque adeò creſceret, ut vidimus ad annum XCIX. dum contrà Ethnica Religio, in qua nulla ſimilis liberalitas, nulla animorum conjunctio, nullam ad Virtutem adhortatio erat, in dies minueretur; nam tametſi ejus incrementi, ut omnium aliorum bonorum, habenda eſt Divinæ Providentiæ gratia, attamen cùm etiam utatur inſtrumentis, quibus conſilia ſua exſequitur, eâ quoque ratione id quod inſtituerat perfecit.

XXXIII. Tandem cauſam, cur die Solis convenirent Chriſtiani, aperit *Juſtinus* Martyr, hiſce verbis: „ Solis autem die, unà omnes „ conventum agimus, quia is primus dies eſt, quo Deus, tenebris & „ materiæ adlatâ mutatione, mundum fecit; & quia Jeſus-Chriſtus, „ ſervator noſter, illo ipſo die, è mortuis reſurrexit. Pridie enim Sa- „ turni eum crucifixerant, & poſtridie Saturni, qui eſt dies Solis, Apoſ- „ tolis & Diſcipulis ſuis conſpicuus factus eſt. Eâ deſcriptione cœtuum Chriſtianorum, quam veram eſſe aut norant, aut facilè ſcire poterant Ethnici, placari aliquo modo eis debebant, ſi vel minima iis fuiſſet æquitas. Quòd ſi meditati etiam eſſent & apud animum ſuum reputaſſent quæ de doctrinæ Chriſtianæ ſumma dixerat, eáque cum Majorum ſuorum Religione contuliſſent; hujus abſurditatem, illius præſtantiam intelligere eos neceſſe fuiſſet, niſi præjudiciis prorſus occæcati eſſent. Nec dubito quin inter eos, qui hanc Apologiam legerunt, ſi paullò majore numero fuerint, nonnulli inventi ſint, qui eâ ad meliorem mentem adducti fuerint; quamvis conſtet Imperatores, ad quos miſſa eſt, eâ, ut par erat, adfectos non fuiſſe; cùm Chriſtianos perſequi non deſtiterint, & ipſe *Juſtinus*, Religionis causâ, interierit.

XXXIV. Varia quidem in ea peccavit *Juſtinus*, ut oſtendimus, ſed ad ſummam rei nihil faciunt; nec ſine Divina Providentia factum puto, ut horum temporum Chriſtiani nec adcuratè ratiocinandi, nec rectè diſponendi quæ cogitabant, nec admodum diſertè exprimendi arte pollerent. Si res aliter habuiſſet, potuiſſent ſuſpicaces Ethnici addubitare annon ejuſmodi homines, Philoſophorum inſtar, eſſent dogmatum Chriſtianorum auctores, aut certè ea perfeciſſent, aut expoliiſſent,

52 *Cùm qui primi* &c.] Sic habent Græca, p. 218. Ed. Par. Συνέβη τοῖς πρώτοις ἁψαμένοις αὐτῆς, καὶ διὰ τοῦτο ἐνδόξοις γενομένοις ἀκολȣθῆσαι τοὺς ἔπειτα, μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας πέρι, καταπλαγέντας δὲ μόνον τὴν καρτερίαν αὐτῶν καὶ τὴν ἐγκράτειαν, καὶ τὸ ξένον τῶν λόγων, ταῦτα ἀληθῆ νομίσαι, ἃ παρὰ τοῦ διδασκάλȣ ἕκαςος ἔμαθεν, εἶτα καὶ αὐτοὺς τοῖς ἔπειτα παραδόντας τοιαῦτα ἅττα καὶ τούτοις προσεοικότα, τοῦτο κληθῆναι τȣ̈́νομα, ὅπερ ἐκαλεῖτο ὁ πατὴρ τοῦ λόγȣ.

1 *Cujus alibi meminimus*] Ad Ann. XXIX. n. 67.

2 *Ut bene à viris doctis*] Ab *Ant. Pagio* ad An. CXXXVI, 8. qui *Joſ. Scaligerum* & *Ger. Joan. Voſſium* ſequutus eſt.

3 *Si rerum mirabilium* &c.] Ita cenſuit *Joſ. Scaliger*, ad num. MMXLIV. vel p. 185. Ed. Amſtel. ubi ait *Phlegontem*, in Libris Olympiadum, omnia quæ in toto orbe acciderant memorabilia retuliſſe, ut ne de Chriſti quidem miraculis tacuerit. Re verâ mentionem ab eo factam eſſe Chriſti, quaſi futurorum præſcii, ait *Ori-*

genes

ſent, & ingenio atque eloquentiâ Sectam illam ſuam tuerentur, augerent, & ad poſteros propagaturi eſſent, præſertim accedente morum probitate; quamvis ceteroquin omnia hæc, humanis conſiliis, fierent. Sic ipſe *Juſtinus* Philoſophorum ſectas propagatas docuit, in Dialogo cum Tryphone Judæo, ,, [52] & cùm qui primi Philoſophiam adtigerant, ,, propterea gloriam & celebritatem nacti erant, contigiſſe ut qui poſ- ,, tea fuerunt eos ſequerentur, nec quidquam de veritate (*dogmatum*) in- ,, quirentes, ſed perculſi tantùm eorum patientiâ, continentiâ & inuſi- ,, tato genere dicendi, crederent ſingulos vera, quæ à Magiſtro acce- ,, piſſent; tum & ipſi, ejuſmodi placitis, aliíſque ſimilibus traditis ,, poſteris, eo nomine vocati eſſent, quod Sectæ conditoris fuerat. Religio contrà Chriſtiana ab hominibus, nequaquam eruditis propagata, nec eorum fœtus haberi potuit, nec ex inculta melior facta credi; ſed tota primo ejus conditori Chriſto accepta referri omnino debuit, quod re verâ etiam contigit. Nec divina Religionis Chriſtianæ præſtantia diſertos & ratiocinandi peritos reddidit Chriſtianos: nec ſiquid minùs rectè dictum, aut minùs adcuratum iis excidit, eorum imperitia divinis dogmatibus nocuit. Hæc paucis obſervari debuere, ne quis eos, qui proximè Apoſtolos ſequuti, doctiores non fuiſſe miretur; aut eruditionem eis tribuat, quam in eorum Scriptis nemo reperit; quòd alioqui Sapientia Divina Religionis Chriſtianæ propagationi non ſatis conſuluiſſe videretur; quæ multorum, à quibus Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcripta eſt, ſententia fuit, à ſtudio fortè Religionis orta, ſed à Vero aliena.

ANN. CXL.

Antonino Aug. III. M. Aurelio Cæſare COSS. Antonini Pii Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti CXL.

I. Hoc anno *Phlegon* Trallianus, Hadriani libertus, [1] cujus alibi meminimus, Olympiadas ſuas edidit, anno quarto nempe, CCXXIX. Olympiadis, cujus anni initium in hunc ipſum incidit; ut bene [2] à viris doctis eſt obſervatum. Hunc Scriptorem mirum eſt à Chriſtianis diligenter & ſæpiùs non exſcriptum, aut certè ipſa ejus verba prolata; [3] ſi rerum mirabilium, quas Chriſtus fecerat, meminerat.

II. Ut

genes contra Celſum Lib. II. p. 69. *Φλέγων μέν τοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ, οἶμαι, τῶν Χρονικῶν καὶ τὴν περί τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριςῷ, συγχυθεὶς ἐν τοῖς περὶ Πέτρȣ ὡς περὶ τοῦ Ἰησοῦ:* *Phlegon*, inquit, *in XIII vel XIV. ut puto, Chronicorum, de quibuſdam futuris præcognitionem Chriſto conceſſit, confuſus* (Petrum miſcens cum Chriſto) *in iis quæ de Petro dicit, quaſi de Jeſu.* Vellem clariùs loquutum *Origenem*, qui videtur hoc velle, Jeſu Phlegontem tribuiſſe, quæ de Petro dicta fuerant. Tum addit: *καὶ ἐμαρτύρησεν ὅτι κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπ᾽ αὐτοῦ τὰ λεγόμενα ἀπήντησε· πλὴν κακεῖνος καὶ διὰ τῶν κατὰ τὴν πρόγνωσιν ἄκων ὡσπερεὶ οὐ κενὸν θειοτέρας δυνάμεως ἀπεφήνατο εἶναι τὸν ἐν ταῖς πατράσι, τῶν δογμάτων λόγον: & teſtatus eſt, prout dixerat, dicta contigiſſe. Attamen & ille, vel propter præcognitionem, veluti invitus, diviniore facultate, vacuum non fuiſſe dixit ſermonem de dogmatibus, qui apud patres noſtros fuit.* Dignus erat locus *Phlegontis*, qui verbo tenus proferretur; ſed tunc tempo-

ris

ANN. CXL.

II. Ut ad antecedentem Annum de Apologia I. *Juſtini* egimus, ad hunc de Dialogo cum Tryphone, quæ antiquiſſima eſt diſceptatio cum Judæis, poſt Apoſtolorum tempora, quæ ad nos pervenerit, nonnulla dicemus; nam nimis prolixus eſt liber, quam ut in Epitomen hîc à nobis redigatur. Si umquam habitus eſt, nam fieri poſſet ut [4] more Platonico fictus eſſet, ad tempora remotiora differri non poteſt; cùm ita de ſe Tryphon, ab initio Dialogi, loquatur: [5] *ſum ex circumciſione Hebræus, è bello quod jam confectum eſt profugus, in Græcia & Corinthi plerumque agens.* In eo Dialogo Juſtinus, poſtquàm narravit quî è Philoſopho Ethnico Chriſtianus factus eſſet, Judæum adgreditur ad fidem Chriſtianam adducere.

III. Multa habet *Juſtinus*, contrà Judæos, recta & ab omnibus Chriſtianis ſine dubio probanda; ſed cùm loca protuliſſe è Vetere Teſtamento, & quidem ſine ordine, contentus, rarò oſtendat aliter non poſſe ea intelligi, quàm eo modo, quo à ſe capiebantur, non ſatis prudenter, in eo certamine, ſe geſſit. Si res ei fuiſſet cum Judæo, qui verè vixiſſet, quique noſſet quî Magiſtri Judæorum Scripturam interpretari ſolerent, non facilè ei ſatisfeciſſet. Totus liber evolvatur, multáque ejuſmodi, ſingulis fermè paginis, occurrent; quæ aut prorſus omitti debuiſſent, aut non proferri, quemadmodum fecit. Itaque, his miſſis, pauca quædam ex hoc Dialogo delibabimus.

IV. Justinus quærit à Tryphone [6] utrum crederet calumniis, quæ de Chriſtianis jactabantur, *comedere eos homines, & poſt epulas, exſtinctis lucernis, in illicitis ſtupris volutari*, an verò ſimpliciter errare. Reſpondet Trypho quod hominem æquum reſpondere par erat, *quæ à multitudine*, hiſce de rebus, *dicebantur indigna eſſe fide*, *quòd eſſent ab humana natura remota.* Nec quidquam in Chriſtianis reprehendit, niſi quòd, cùm Prophetis crederent, Legem tamen obſervare nollent; quòd rectè confutat *Juſtinus.*

V. Cum

ris liber *Origeni* ad manum non erat & fortè Chriſto *Phlegon* detrahebat.

4 *More Platonico*] Videntur hoc ſuadere non tantùm prolixæ citationes locorum Scripturæ, quæ verbo tenus vix quiſquam memoriter recitare poſſit; ſed etiam quòd Judæos inducat ſibi nimis facilè adſentientes, nec quidquam fermè reſpondentes ad loca Scripturæ; quæ, more Judæorum, facilè poterant eludere; nec confutare conatos eos memoret, quæ falſa eſſe probè norant, qualia ſunt Etymologia vocum *Satanas* & *Iſraël* & corruptio Exemplarium Veteris Teſtamenti, à ſuæ Gentis doctoribus; nec dicat quidquam multis infirmis ratiocinationibus, quibus utitur, repoſuiſſe.

5 *Sum ex circumciſione* &c.] Εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς, φυγὼν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον, ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Κορίνθῳ τὰ πολλὰ διάγων. Ubi primis verbis ſignificare videtur ſe non Proſelytum eſſe, ſed genere Judæum, atque Majoribus circumciſis oriundum; alioqui potuiſſet eſſe Judæus ἐξ ἀκροβυστίας, hoc eſt, qui & incircumciſus antea fuiſſet & è patre incircumciſo natus & ad incircumciſos Majores ortum referret. Deinde ſignificat, cùm fugiſſet è Judæa, ne ſeditionibus gentis implicaretur, etiam bello nuper confecto ſe eò non rediiſſe, ſed vivere in Græcia. Sunt qui velint *Tryphonem* eumdem fuiſſe cum Judæo, qui טרפון *Tarphon* à Rabbinis dicitur, & ſodalis Akibæ fuit. Sed ſola ſimilitudo nominis non eſt ſat firmum argumentum, ut fidere ei poſſimus, nec

credi-

V. Cum dixiſſet *Juſtinus* Chriſtianos [7] mortem potiùs perpeti, quàm ut Idololatriam committerent, aut [8] *Idolis mactatâ comederent*, μήτε εἰδωλόθυτα φαγεῖν, reponit *Trypho*, ſe accepiſſe à multis Chriſtianis rem religioni minimè duci. *Juſtinus* verò ei reſpondet veros illos non fuiſſe Chriſtianos, ſed qui perperam id nominis uſurparent; inter quos numerat Marcionitas, Valentinianos, Baſilidianos & Saturnilianos; qui Chriſtiani vocarentur, ut Philoſophi dicebantur homines diverſarum ſectarum, quamlibet inter ſe diſſentientium. At ejuſmodi homines, ſi Chriſtianiſmi famæ apud Ethnicos nocerent, proderant etiam inviti Chriſtianis; qui propterea non cæco impetu adſenſum Religioni præbebant, ſed nonniſi probè expenſam ſequebantur; quem diſſentionum uſum [9] alibi fuiſſe jam diximus. ANN. CXL.

VI. Varia habet Juſtinus [10] de Typis Chriſti, in Veteris Teſtamenti ſacrificiis, ut in Paſchali Agno, in Hirco emiſſario, oblatione Similæ quæ fiebat ab iis, qui à lepra purgati erant, aliiſque idgenus. Nec dubium eſt Chriſtianis, quin in ejuſmodi rebus eſſet adumbratio quædam perfectioris & præſtantioris Religionis, quam Deus olim revelaturus erat. Sed cùm hoc facilè iis probari nequeat, qui nondum fidem habent doctrinæ Chriſtianæ, quia res è Vetere Teſtamento demonſtrari non poteſt; non eſt, ejuſmodi armis, cum Judæis certandum. Sed & quædam hìc dicuntur, quæ potiùs ingenioſi ludi haberi queant, quàm Theologicæ demonſtrationes. Exempli causâ, agnus paſchalis ita toſtus dicitur, ut figura ejus in veru ſymbolum eſſet crucifixionis Chriſti; „ nam rectum veru unum, ut ait *Juſtinus*, ab inferioribus partibus ad „ caput transfigitur, & alterum rurſus juxta tergum, è quo ſuſpendun„ tur manus agni (*anteriores pedes*) quod erat inſtar transverſarii ligni „ crucis. Nullius ponderis ſunt ejuſmodi ratiocinationes, ex quibus crucis figuram ubique invenire licet; qua tamen in re, mirè luſerunt & ſibi placuerunt [11] Veteres, qui ſunt *Juſtini* argutias nimis avidè imitati. Scio

credibile eſt Akibæ ſodalem fugiſſe è Palæſtina, ne bello Judaïco intereſſet; aut Hebraïcè neſciviſſe, ut hic Juſtini Antagoniſta, quo audiente, impunè bonus vir in Linguæ Hebraïcæ elementa peccat. *Euſebius* Hiſt. Eccl. Lib. IV. c. 18. eum *Judæorum tunc temporis celeberrimum* vocat, colloquiúmque Epheſi habitum eſſe ait.

6 *An crederet* &c.] Pag. 227. *Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπιστεύκατε περὶ ἡμῶν, ὅτι δὴ ἐσθίομεν ἀνθρώπους, καὶ μετὰ τὴν εἰλαπίνην ἀποσβεννύντες τοὺς λύχνους, ἀθέσμοις μίξεσιν ἐγκυλιόμεθα; ἢ αὐτὸ τοῦτο καταγινώσκετε ἡμῶν μόνον, ὅτι τοιούτοις προσέχομεν λόγοις, καὶ οὐκ ἀληθεῖ, ὡς οἴεσθε, πιστεύομεν δόξῃ;* Poſterius fatetur à ſe credi Tryphon, non prius, *πόῤῥω γὰρ κεχώρηκε τῆς ἀνθρωπίνου φύσεως.* Æquum ſanè judicium, quod vellem imitatos eos, qui contra Hæreticos ſcripſerunt, ſimiliáque eis objecerunt. Vide ad Ann. LXXVI, 10.

7 *Mortem potiùs perpeti*] Pag. 252. & ſeqq.

8 *Idolis mactata*] Addendum fuiſſet, ſi moniti eſſent eſſe Idolothyta, aut ſcandalum timerent. Alioquin è macello, ſi carnem emerent, mactatáne fuiſſet, nécne, non quærebant, aut certè quærere neceſſe non habebant, ut docet Paulus 1. Cor. IX, 25. & ſeqq. Sed Chriſtiani videntur interdum ipſo Apoſtolo rigidiores fuiſſe, quod laudari nequit; vergunt enim talia ad ſuperſtitionem.

9 *Alibi*] Ad Ann. LXXXIII, 8.

10 *De typis Chriſti*] Pag. 259. Ed. Paris.

11 *Veteres*] Vide præſertim *Tertullianum* in

ANN. CXL.

Scio quidem Judæos ejuſmodi nugarum nequaquam parcos eſſe, ſed Chriſtianos eodem modo ineptire, in re tam ſeria, non decebat, cùm præſertim à Judæis rideri poſſent.

VII. Justinus eodem loco vult Hircum quidem emiſſarium typum fuiſſe Chriſti prioris adventûs, alterum verò Hircum, qui Jeroſolimæ mactabatur, poſterioris; eò quòd eodem in loco eum, quem ignominia adfecerant, agnituri eſſent Judæi; quod & contortum eſt, & inane prorſus. Ubi enim dicitur Chriſtus Jeroſolimam rediturus, ut à Judæis agnoſcatur? Deliria hæc fuere Chiliaſtarum, quorum immunis non fuit *Juſtinus*, ut poſtea videbimus. Verùm ſignificatio *Similæ*, in oblatione leproſi adhibitæ, longè eſt alienior à Chriſtianæ Religionis ingenio, & Judæorum ſannis multò magis obnoxia. „ Typus erat, inquit, panis „ Euchariſtiæ, quem in commemorationem perpeſſionum quas tulit, „ pro hominibus, quorum animi ab omni purgantur nequitia, faciendum „ à nobis tradidit Dominus noſter Jeſus-Chriſtus. Diceret ſaltem fuiſſe Similam typum Chriſti, qui panis cœleſtis eſt, quamquam ne hoc quidem Judæo probari potuit; ſed ſymbolum ſymboli fuiſſe quis ferat? quis Judæus non riſerit?

VIII. Non eſt tamen prorſus inutile talia, apud Veteres, legere; non quidem ut Veritatem ſed ut Hiſtoriam cognoſcamus dogmatum, ſciamúſque quibus argumentis & quo ingenio primi illi, poſt Apoſtolos, Religionis Chriſtianæ patroni eam defenderint, adverſarióſque ejus oppugnarint. Sæpe etiam contingit ut aliud agentes quædam cognitu digniora nos doceant. Sic ex occaſione hujus ſignificationis Similæ, quædam à *Juſtino* accipimus, ex quibus nonnulla colligere licet de ritibus & oblatione Euchariſtiæ, apud Veteres, quæ ſpernenda non ſunt: „ Simul, *inquit*, gratias agimus Deo, quòd mundum, cum omnibus „ quæ in eo ſunt, hominis causâ crearit, & quòd nos à vitio, in quo „ eramus, liberarit. E primis enim verbis intelligere eſt precibus ejus, qui præerat celebrationi Euchariſtiæ, gratias Deo actas, primùm ob fructuum creationem, ut ſolebat à Judæis in Cœna Paſchali fieri, quemadmodum [12] antea diximus; deinde etiam ob redemtionem, quæ Euchariſticâ Cœnâ celebratur, quamobrem Deo Panis & Vinum offerebantur, & conſecrabantur in eum uſum; non Sanguis & Corpus Chriſti, quæ ſemel ab eo oblata ſunt. Itaque oblatio, aut conſecratio ſymbolorum Euchariſticorum nihil aliud fuit, niſi teſtificatio publica, quâ Epiſcopus, aut Presbyter ſignificabat Panem & Vinum in Menſa poſita, non uſui jam ſolito, ſed morti Chriſti celebrationi adhiberi & Deo prop-

in Judæos cap. X. & aliis locis, quæ collecta ſuppeditabit *Car. Moræus*, in *Tertulliani Omniloquio Alphabethico*, ubi ingenium hominis Afri, *Juſtinum* temerè ſequuti, præter modum luxurians mirari licebit.

12 *Antea diximus*] Ad Ann. CXXXIX, 29.

13 *Ut ſibi demonſtraret*] *Pag.* 267.

14 *Si videretur* &c.] Græcè: ἐὰν φαίνηται ὡς] ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων γεννηθεὶς καὶ ἐκλογῇ γενόμενος εἰς τὸν Χριςὸν εἶναι ἀποδεικνύηται· καὶ γάρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρȣ γένȣς ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριςὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαι-

propterea offerri. Perperam quidem *Juſtinus*, nec ſatis prudenter, apud homines Judæos, vult eò reſpexiſſe *Malachiam* Cap. I, 11. cùm ubique oblatum iri Deo *ſuffitum & oblationem mundam* prædixit; nam aptiùs hæc in preces Chriſtianorum, quàm in Euchariſtica ſymbola quadrant. Attamen hinc intelligere licet à *Juſtino* oblationem Panis & Poculi Euchariſtici, eo quem diximus modo, intellectam fuiſſe. Plura hanc in rem non addemus; nam hæc ſatis erunt, ut liqueat etiam in locis, in quibus omnia probare non poſſumus, eſſe quod diſcamus. ANN. CXL.

IX. Cum *Trypho* oraſſet *Juſtinum*, [13] ut ſibi demonſtraret Chriſtum fuiſſe Deum ante ſæcula, deinde ſuſtinuiſſe naſci in terris hominem, nec tamen fuiſſe *hominem ex homine*, hoc eſt, more conſueto è conjunctione viri & mulieris natum eſſe; reſpondet *Juſtinus*, quamvis hæc probare non poſſet, ideò non ſequi Jeſum non fuiſſe Meſſiam, [14] „ ſi „ videretur ſicut homo ex hominibus natus, & oſtenderetur electione „ Chriſtus factus eſſe. Sunt enim, *inquit*, ô amici, quidam è noſtro „ genere, qui fatentur quidem eum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex „ hominibus fuiſſe adfirmant. Quibus non adſentior, nec plerique, „ qui eadem mecum ſentiunt (*Chriſtiani*) dixerint. Unde colligere eſt primùm, iis temporibus quoſdam fuiſſe, è Chriſtianorum numero, qui Jeſum putabant *hominem ex hominibus* natum eſſe; quales fortè erant nonnulli orti è prioribus Nazaræis, qui ſe Chriſtianos profitebantur, & propiùs forſan eo ævo ad ceteros acceſſerant, & de quibus diximus ad Ann. LXXII: ſecundò, pleroſque Chriſtianos eis eſſe adverſatos, adeóque credidiſſe Jeſum non tantùm eſſe Meſſiam, quod illi fatebantur, ſed præterea non *hominem ex hominibus*, ſeu è congreſſu maris & fœminæ, ſed è Spiritûs Sancti *inumbratione*, ut loquitur Lucas I, 35. natum: tertiò, non conſtare, an ii ſeu Nazaræi, ſeu quicumque alii fuerint, negarent, præter *hominem ex hominibus* natum, quidquam in Jeſu fuiſſe; hoc eſt, divinam ejus naturam rejicerent, neque enim perſpicuè hîc loquitur *Juſtinus*: quartò cum minimè in eos invectum, ut [15] in Baſilidianos, Saturnilianos, Valentinianos & Marcionitas, quos Chriſtianos fuiſſe negat; ſed tantùm negaſſe ſe iis & pleroſque Chriſtianos adſentiri; quòd, nimirum, Matthæus & Lucas conceptionem Chriſti è Spiritu Sancto apertè docuiſſent: quintò propterea videri Nazaræos (ſic enim eos vocabimus) Evangeliis illis mutilatis uſos: ſextò, cùm ea in re graviter errarent, errorem tamen illum non fuiſſe parem erroribus eorum Hæreticorum, quos modò diximus, quòd Nazaræi illi, in ceteris fidei Chriſtianæ capitibus à rectè ſentientibus Chriſtianis fortè tunc diverſi non

φαινόμενοι· οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐ δ' ἂν πλεῖστοι ταὐτά μοι δοξάσαντες εἴποιεν.

15 *In Baſilidianos* &c.] Vide §. V. & p. 252. *Juſtini*, ubi hæc verba, poſtquàm de Hæreticis egit, habentur: ὧν οὐδενὶ κοινωνοῦμεν οἱ γνωρίζοντες ἀθέους, καὶ ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους αὐτοὺς ὑπάρχοντας, καὶ, ἀντὶ τοῦ τὸν Ἰησοῦν σέβειν, ὄνομα μόνον ὁμολογεῖν: *cum quorum nullo communionem habemus, qui novimus eſſe Atheos, impios, injuſtos, legis expertes, &, qui cùm Jeſum colere deberent, nomine tantùm eum profitentur.* Poſtea eos, quos diximus, nominatim recenſet.

ANN. CXL. non abirent. Sed quatenus eos ferrent alii Chriſtiani, aut quî ipſi ſeſe erga alios gererent, ob veterùm monumentorum penuriam, nobis non conſtat. Interim cùm *Juſtinus* de ejuſmodi hominibus, non exiguo errore laborantibus, tantâ verborum moderatione, loquatur; invidia non eſt iis facienda, qui Jeſum non tantùm eſſe Meſſiam, ſed etiam è Spiritu Sancto, præter naturæ ordinem, conceptum credentes, totúmque Novum Teſtamentum, admittentes, & ad ejus normam mores componentes, æternis ſuppliciis addicere non audent; eò tantùm quòd in arduo capite, de divina Chriſti natura, à ceteris diſſentiant, quia eam in Novi Teſtamenti Libris doceri non putant.

X. Novi eſſe [16] Doctiſſimum Virum, qui multis hunc *Juſtini* locum interpretatus eſt, contenditque legendum in eo eſſe, non ἀπὸ τοῦ ἡμετέρȣ γένȣς, *è noſtro genere*, ſed ὑμετέρȣ, *veſtro*; ita ut intelligantur veteres Ebionæi, ſeu Nazaræi, reverâ è Judæis oriundi. Facilis quidem, fateor, ὑμετέρȣ & ἡμετέρȣ mutatio fuit; ſed nulla ſat firma ratio eſt credendi, hoc in loco, factam eſſe. Nimis frigidè *Juſtinus* contra Ebionæos, qui aut Legem Moſaïcam etiamnum obſervabant, vel qualem Libris conſcriptam habemus, rejiciebant, loquutus eſſet; ſi dixiſſet tantùm *ſe iis non adſentiri*, cùm in tot aliis graviſſimis capitibus diſſentiret. Præterea, hoc in loco, *quibuſdam è genere noſtro*, hoc eſt, Chriſtiano, opponuntur *plerique qui eadem ſentiebant ac Juſtinus*; unde intelligere eſt agi de ejuſdem generis hominibus. Præterea è ſententia viri doctiſſimi, tunc temporis, non *plerique*, ſed *omnes* Chriſtiani, eo certè nomine digni, erant à dogmate, quod hîc improbat *Juſtinus*, alieni; ideóque, niſi ſecum ipſe diſſentiat, non poteſt ab eo mutari ἡμετέρȣ in ὑμετέρȣ. Sed vult γένος, apud Græcos, aptiùs dici de *gente*, quàm de ſecta; ac proinde, mutationem illam admittendam eſſe, quam ſuadet. Nec negarim propriam hanc eſſe τοῦ γένȣς ſignificationem, qua etiam ipſe *Juſtinus* uſus eſt; verùm tamen uſitata etiam fuit ea vox, ubi de ſecta ſermo eſt, ut liquet vel è *Platone*, quem magni fecit *Juſtinus*, & cujus elegantiam in oratione omnes ſemper mirati ſunt. Sic enim ait Epiſt. VII. κακῶν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς, ἢ τὸ τῶν δυναςευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἐκ τινὸς μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ: *malorum finem priùs non habituras humanas gentes, quàm rectè & verè philoſophantium genus ad civitatum imperia*

16 *Doctiſſimum*] *Georgium Bullum*, qui anno MDCCX. S. Davidis, in Anglia, Epiſcopus obiit, in *Judicio Eccleſiæ Catholicæ trium primorum ſæculorum* &c. *contra Sim. Epiſcopium.*

17 *In ſequentibus* &c.] Pag. 274 & 275.

18 *Non multò pòſt*] Pag. 276. ſub finem: πειράσομαι πεῖσαι ὑμᾶς ὅτι ȣ̃τος ὁ, τε τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὦφθαι λεγόμενος καὶ γεγραμμένος Θεὸς ἕτερός ἐςι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, ἀριθμῷ λέγω, ἀλλὰ οὐ γνώμῃ· οὐδὲν γάρ φημι αὐτὸν πεπραχέναι ποτὲ (adde ob ſequentia ἢ εἰπεῖν) ἢ ἅπερ αὐτὸς ὁ τὸν κόσμον ποιήσας, ὑπὲρ ὃν ἄλλος οὐκ ἐςὶ θεὸς, βεβούληται (ſupple αὐτὸν) καὶ πρᾶξαι καὶ ὁμιλῆσαι. Quæ poſtrema verba oſtendunt γνώμην conſenſum ſignificare, atque hoc *Juſtinus* velle Patrem & Filium eſſe unum, quia ſunt ὁμογνώμονες.

19 *Vulgò Patres* &c.] Eam in rem teſtimonia multa Veterum protulimus in Vitis

ria perveniat; *aut potentium in civitatibus*, *divinâ quadam ſorte*, *verè philoſophetur*. ANN. CXL.

XI. Nunc, ut ad alia *Juſtini* loca veniamus, ait [17] in ſequentibus Deum, qui ſe Abrahamo conſpiciendum præbuit, cum duobus Angelis, „ miſſum fuiſſe ab alio, qui in locis quæ ſupra cœlum ſunt „ ſemper manet, atque à nemine conſpectus eſt, neque cum ullo per„ ſe ipſe colloquutus; quem creatorem omnium & parentem intelligi„ mus. Ex quibus verbis & aliis pluribus intelligere eſt *Juſtino* creditam προϋπαρξιν τοῦ Λόγȣ, ſeu Rationem exſtitiſſe, antequàm Homo, cui conjuncta eſt, naſceretur. Sed quia eumdem eſſe non putabat, qui miſerat & qui miſſus fuerat, [18] non multò pòſt ait ſe, „ perſuadere „ tentaturum Judæis eum, qui Abrahamo, Jacobo & Moſi conſpectus „ eſt, qui dicitur & ſcribitur Deus, alterum eſſe ab eo qui omnia fecit. Quod ne perperam intelligeretur, „ numero, inquit, dico, non „ ſententiâ. Nego enim eum quidquam feciſſe umquam (*aut dixiſſe*) „ quàm quæ ipſe, qui mundum fecit & ſupra quem nullus alius eſt „ Deus, voluit (*eum*) dicere & facere. Quæ poſtrema verba ſunt interpretatio vocis γνώμη, *ſententia*, docéntque, ex *Juſtini* ſententia, Deum Patrem unum eſſe Deum *numero*, Filium verò alterum itidem *numero*, ſed duos *numero* unum eſſe conſenſu; quæ una eſt ex rationibus, ob quas [19] vulgò Patres unitatem Patris & Filii tuentur.

XII. Sed & ipſe *Juſtinus* [20] alibi mentem ſuam pleniùs aperit, ubi memoratis locis Scripturæ, in quibus Deus *deſcendiſſe*, *adſcendiſſe*, *Arcam clauſiſſe* dicitur; „ ne putate, inquit, ipſum ingenitum Deum deſcen„ diſſe aliunde; etenim ineffabilis Pater & Dominus omnium neque in „ locum ullum venit, neque ambulat, neque ſurgit, ſed in regione „ ſua, quæcumque tandem ea ſit, manet, acutùm videns & acutùm „ audiens; non oculis, non auribus, ſed potentiâ, quæ dici non po„ teſt, & omnia inſpicit, & omnia cognoſcit, nec quiſquam noſtrûm „ eum fugit. Neque loco ullo, imò ne univerſo quidem mundo capi „ poteſt; quippe qui erat, antequàm mundus fieret. Quonam igitur „ modo ille vel adloqueretur aliquem, vel cuiquam conſpiceretur, [21] vel „ in minima Terræ parte adpareret? &c. Itaque neque Abrahamus, „ neque Iſaacus, neque Jacobus, neque alius ullus Patrem & ineffabilem „ Dominum omnium omnino rerum & ipſius Chriſti vidit; ſed eum „ qui,

tis Gallicis *Euſebii* Cæſareenſis, & *Gregorii* Nazianzeni, Tomis X & XVIII. Bibliothecæ Univerſalis inſertis.

20 *Alibi*] Pag. 356. & ſeqq. Μὴ ἡγεῖσθε αὐτὸν τὸν ἀγέννητον Θεὸν καταβεβηκέναι ἢ ἀναβεβηκέναι πόθεν, καὶ τὰ ἑξῆς.

21 *Vel in minima Terræ parte*] Jam hoc dixerat p. 287. Οὐ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα καταλιπόντα τὰ ὑπὲρ οὐρανὸν ἅπαντα ἐν ὀλίγῳ γῆς μορίῳ πεφάνθαι πᾶς ὁστισοῦν κἂν μικρὸν νοῦν ἔχων, τολμήσει εἰπεῖν: *conditorem & patrem omnium*, *relictis*, *quæ ſupra cœlum ſunt*, *omnibus*, *in exiguo terræ ſpatio adparuiſſe*, *nemo cui vel minimum ſit mentis*, *dicere auſit*. Ipſam Dei ſubſtantiam conſpicuam fieri, aut exiguo, aut amplo etiam loco contineri, nemo ſanè dixerit; ſed nihil vetat adparitores ejus Angelos, perſonámque ejus ſuſtinentes, induto ad certa miniſteria corpore, conſpici, quod rectè oſtendit *Auguſtinus*, ut obſervavimus ad Gen. c. XVIII, 1. & in Indice Penta-teuchi

ANN. „ qui, ſecundùm ejus conſilium, & Deus fuit, Filius ejus & Angelus,
CXL. „ cùm voluntatis ejus adminiſter fuerit, quem & voluit hominem per
„ Virginem naſci, & qui ignis aliquando fuit, in colloquio quod cum
„ Moſe è rubo habuit. Quòd niſi ſic Scripturas intellexerimus, eò
„ res evadet ut Pater & Dominus univerſarum rerum tum in cœlo non
„ fuerit, cùm per Moſem dictum eſt: *Et Dominus pluit in Sodomam*
„ *ignem & ſulfur à Domino è cœlo.* Simile nihil timendum eſſe, & quo ſenſu Deus, qui ubique eſt, *adſcendere* & *deſcendere* dicatur oſtenderunt multò adcuratiùs recentiores præſertim Scripturæ Interpretes. Rectiùs iidem locum Moſis, de pluvia ignis & ſulfuris *à Domino*, in Sodomam demiſſa, interpretati ſunt; nec occaſionem præbuerunt perperam de Deitate Chriſti ſentientibus fingendi Divinitatem, quæ in eo eſt, minùs ubique eſſe, quàm Divinitatem Patris.

XIII. AUDIAMUS & alia, quæ [22] non multò pòſt habet *Juſtinus*, ubi rejicit ſententiam [23] neſcio quorum hominum, qui contendebant Potentiam, quæ à Patre conſpicua facta erat, nunc *Angelum*, nunc *Gloriam*, nunc *Virum* fuiſſe vocatam, propter ſpeciem externam, quam Deus oculis hominum objecit, & propterea Dei Verbum vocari, quòd Dei verba ad homines perferret. Potentiam autem illam à Patre nullo modo reſecari & ſeparari poſſe, quemadmodum dicitur ſolis lux in terra eſſe, ſine reſectione, aut ſeparatione, dum ſol eſt in cœlo, & poſtquàm occidit, ſimul cum eo lux aufertur: ſic & Patrem, cùm vult, facere ut Potentia ſua proſiliat, & quando libet eam ad ſe retrahere, eóque modo etiam Angelos fieri. At *Juſtinus* Angelos ſeorſim meritò exſiſtere docet, aitque rem à ſe demonſtratam, tum ita pergit: „ Potentiam
„ hanc, quam & Deum vocat Propheticus Sermo [24] & Angelum, plu-
„ ribus ſimiliter oſtenſum eſt, non ut lucem Solis nomine ſolùm nume-
„ rari, ſed alterum quidpiam numero eſſe, ut paucis, adcurato ſer-
„ mone, probavi; cùm dixi hanc Potentiam genitam eſſe à Patre,
„ potentiâ & conſilio ipſius, at non reciſione, quaſi diviſa eſſet à Pa-
„ tris ſubſtantia; qualia omnia alia, diviſa & reſecta, non ſunt idem
„ quod erant, antequàm reſecarentur. Atque, exempli gratiâ, ſumſe-
„ ram ignes ab igne accenſos, quos alteros eſſe videmus, nihil immi-
„ nuto eo, à quo accendi multi poſſunt, ſed eodem manente. Deinde repetito Moſis loco de *Domino à Domino pluente*, ſubjicit: „ Duos
„ Pro-

teuchi ad vocem *Angeli.* Si Judæos doctiores, hac de re, conſuluiſſet *Juſtinus*, tam infirmo argumento uſque adeò immoratus non eſſet; certè recentiores Judæi, non difficulter, ratiocinationes ejus elevarent.

22 *Non multo pòſt*] Pag. 358.

23 *Neſcio quorum hominum*] Vix potuerunt eſſe Chriſtiani, qui Angelorum ὑποστάσεις negarunt; nec ſatis capio Judæos de Potentia illa, quæ potiſſimùm hîc ſpectatur, ita loquutos. Potuerunt eſſe nonnulli, quibus peculiaris hæc fuit ſententia, qui viam tritam non calcarunt.

24 *Et Angelum*] Verba Græca hîc videntur in mendo cubare, propter voculæ trajectionem; ſic enim habent: καὶ ὅτι δύναμις αὕτη, ἣν καὶ Θεὸν καλεῖ ὁ προφητικὸς λόγος, διὰ πολλῶν ὡσαύτως ἀποδέδεικται, καὶ ἄγγελον. Videtur legendum Ἄγγελον, καὶ Θεὸν

„ Propheticus Sermo numero eſſe indicat; hunc quidem, qui erat in terra, & quem ait deſcendiſſe, ut videret clamorem Sodomorum; illum verò, qui erat in cœlo & in terra Domini Dominus eſt, ut Pater & Deus, eique, & Potenti & Domino & Deo, cauſa fuit cur exſiſteret. Plura non addam, ſatis enim liquet, niſi benignè admodum hæc interpretemur, & veluti torqueamus, ut honori *Juſtini* conſulamus, ulteriùs æquo progreſſum; & dum vult interpretari, quæ nemo adſequatur, impeditiora reddidiſſe, atque imprudentem errandi anſam præbuiſſe iis, qui tres Deos inæquales Chriſtianis obtrudere poſtea conati ſunt. Multò ſatius erat non ita conjecturis indulgere, atque Apoſtolorum more loqui; quod jam alibi monuimus. ANN. CXL.

XIV. Verum vir optimus, qui à Philoſophia Platonica, quam maximi faciebat, in Religionem Chriſtianam tranſierat, è prioribus placitis retinuit quod cum ea minimè pugnare putabat, cùm præſertim nonnulla eſſet verborum ſimilitudo; unde & videmus, in *Cohortatione ad Græcos*, eum contendiſſe *Platonem* multa debuiſſe Prophetis, quæ nequaquam debuit; propter nonnullam verborum, potiùs quàm rerum, adfinitatem. Cùm vidiſſet à *Philone* Λόγον vocari [25] ἕτερον Θεὸν, *alterum Deum*; de Chriſti Divina Natura eodem modo loqui & ipſe auſus eſt, eique aptare quæcumque de ſummo Deo, in Vetere Teſtamento, parum commodè dicta eſſe ſibi videbantur; qua in re mirum non eſt virum pium, ſed & Hebraïcæ Linguæ & Criticæ prorſus imperitum, lapſum eſſe. Dignus tamen eſt, morte pro Chriſto conſtanter obitâ, cui hæc aliáque ſimilia condonemus; modò ne, ejus honoris causâ, ſacroſancta Veritatis jura, ulla in re, violemus. Vel hinc intelligere eſt, quàm ſapienter Chriſtus Apoſtolos olim, Philoſophiæ omnis imperitos, elegiſſet, ne doctrinæ ſuæ philoſophica commenta imprudentes admiſcerent; cùm tertiâ pòſt Apoſtolos ætate, Philoſophi, dum putant à ſe Theologiam Chriſtianam illuſtrari, multas inanes conjecturas, atque ab ea alienas doctrinas exploratæ Veritati addiderint & pro Chriſtianis dogmatibus venditarint. Nec tamen propterea paſſa eſt Divina Providentia ſummam Religionis intercidere; quæ in hominum, interdum errantium, Scriptis integra etiamnum inveniri poteſt. Malè quidem multi unitatem Dei ſunt interpretati, ſed omnes tamen conſenſerunt in dogmate Scripturis conſentaneo; unum eſſe Deum, rerum omnium Crea-

Θεὸν vel Θεὸν καὶ Ἄγγελον.

25 Ἕτερον Θεὸν] In Libro ζητημάτων καὶ λύσεων, cujus verba profert *Euſebius* de Præp. Evangelica Lib. VII. c. 13. Quæſtio eſt: διά τι, ὡς περὶ ἑτέρȣ Θεοῦ, φησι τὸ, ἐν εἰκόνι Θεοῦ ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ᾽ οὐχὶ τῇ ἑαυτοῦ; *cur quaſi de altero Deo dixit*, (Moſes Gen. I, 27.) *in imagine Dei fecit hominem, non ſui ipſius?* Solutio verò: παγκάλως καὶ σοφῶς τȣτὶ κεχρησμῴδηται, θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον Θεὸν, ὅς ἐςιν ἐκείνȣ Λόγος: *Præclarè omnino & ſapienter hoc oraculo editum eſt, mortale enim nihil formari ad imaginem ſummi* (Dei) *& patris omnium rerum poterat, ſed ad imaginem ſecundi Dei, qui eſt ejus Ratio.*

ANN. CXL. Creatorem, nec multitudinem Deorum admittendam; quod ad nos uſque propagatum & ad ſimplicitatem Apoſtolicam, de unitate numerica Dei, ſenſim redactum eſt.

XV. Quærit à *Juſtino* Trypho [26] an Judæus, qui tametſi Jeſum ſciret & crederet eſſe Meſſiam, eique parêret, tamen ritus Moſaïcos obſervare ſimul vellet, ſalutem, ex ejus ſententia, conſequi poſſet. Reſpondet verò *Juſtinus* „ videri ſibi talem hominem ſervatum iri, modò „ ne alios (eos autem ſe dicere, quorum, cùm eſſent è Gentibus, errores à Chriſto circumciſi forent) omni ratione conaretur perſuade„ re, ut hæc obſervent, negans ſine horum obſervatione quemquam „ ſervatum iri, ut initio ſermonum fecerat ipſe Tryphon. Quod ſanè moderationis & prudentiæ *Juſtini* ſingulare eſt exemplum; poterant enim illa ferri, modò ne quaſi ad ſalutem neceſſaria fierent, néve aliis obtruderentur; cùm Chriſti præcepta quidquid eſt ad ſalutem neceſſarium complectantur, & ſola ſint, quæ per ſe nos ad beatitatem perducere queant. Quo admiſſo, poterat in Judæis fidelibus ferri obſervatio rituum, olim genti illi impoſitorum; quaſi in hominibus, qui Religionis Chriſtianæ ingenium non ſatis intellexerant, & ſuperſtitione aliquâ etiamnum laborabant. Tum quæſivit Tryphon annon quidam eſſent, qui ſalutis participes futuros ejuſmodi homines negarent. Fatetur *Juſtinus* quoſdam Chriſtianos in hac eſſe ſententia, qui nec conſuetudinis, nec hoſpitii communionem cum idgenus Judaïzantibus Chriſtianis habere vellent; ſed iterum ſibi ferendos ejuſmodi homines videri profitetur, quæ reverâ eſt Apoſtolica manſuetudo.

XVI. Adtigerat [27] obiter *Juſtinus* Prophetiam, quæ exſtat Eſaiæ VII, 14. *de Virgine quæ gravida futura erat, & filium paritura*; ſed longâ digreſſione abruperat ejus loci interpretationem, ad quam [28] multò pòſt redit, & poſtquàm negavit ullum, ex Abrahami genere, è Virgine eſſe natum, præter unum Jeſum; inducit reſpondentem *Tryphonem* & negantem eſſe in Scriptura Παρθένον, *Virginem*; pro qua voce, Hebraïcæ vertendæ adhibendam vocam Νεάνιδα, *puellam*. Sic verterat *Aquila*, ſi ejus verſio jam hoc tempore exſtiterit; quem poſtea *Symmachus* & *Theodotion* ſequuti ſunt. Addit etiam *Tryphon*, adoleſcentulæ illius filium fuiſſe *Ezekiam*, non Meſſiam. Fuerunt [29] & quidam Rabbini, qui propterea contenderunt nullum fuiſſe Meſſiam ampliùs exſpectandum, quia tempore Ezekiæ jam venerat. Verum eſt, referendum hunc locum ad Meſſiam, ſed aliter primo & proprio ſenſu intelli-

26 *An Judæus*] Pag. 265.
27 *Obiter*] Pag. 262.
28 *Multò poſt.*] Pag. 291.
29 *Et quidam Rabbini*] Quod jam obſervavit *Raim. Martini* in Pugione Fidei Part. 2. C. IV, 25. ubi è Gemara Cod. Sanhedrin, refert *Hillelem R. Akibæ*, armigeri Barchochbæ, æqualem dixiſſe: *nullus erit Iſraëli Meſſias, jam enim eo fruiti ſunt, diebus Ezekiæ.*
30 *Recentiores Interpretes.*] Vide *Hug. Grotium* ad Matth. I, 22.
31 *Quas autem eis* &c.] Pag. 294. ἃς δ' ἂν λέγωμεν αὐτοῖς γραφὰς, αἳ διαῤῥήδην τὸν

telligendus eſt, quàm putabat *Juſtinus*; quod [30] recentiores Interpretes oſtendêre. ANN. CXL.

XVII. Non tantùm ſæpe *Juſtinus* inducit *Tryphonem* faciliorem, quàm perſona Judæi pati videatur; ſed etiam omnibus Judæis ea tribuit, quæ numquam ab iis conceſſa putem, quòd non ſatis eorum doctrinam teneret. „ [31] Quas autem eis proferimus Scripturas, *inquit*, diſertè „ Chriſtum & perpeſſionibus obnoxium & adorandum & Deum eſſe „ oſtendentes, quas & antea vobis recitavi, eas de Chriſto quidem dic„ tas coacti conſentiunt; hunc verò (*Jeſum*) Chriſtum eſſe negare au„ dent, ſed (*alium*) venturum & paſſurum & regnaturum & adorabilem „ Deum futurum fatentur. Quod nec concedunt hodierni Judæi, nec veteres concedere poterant, qui Deum naſci poſſe negabant, [32] ut ex hoc ipſo Dialogo paſſim liquet. Judaïcorum, nimirum, inſtitutorum imperitus erat *Juſtinus*, qui eos non multò pòſt confidenter inſimulat corruptæ Scripturæ; qua in re tam fallebatur, quàm in temerè concepta opinione de LXX. Intt. inſpiratione; de quibus rebus jam, ad Ann. I. hujus Sæculi, diximus.

XVIII. Recte obſervarunt [33] viri docti Dialogum hunc per biduum habitum à *Juſtino* ſtatui; ideóque in duas partes eſſe dividendum. Sed, ut iidem animadverterunt, finis eorum quæ primo die dicta fuerant, & initium ſecundo die dictorum legi debebant p. 300. poſtquàm dixit Jeſum, excitatum è mortuis, totius terræ Regem à Deo eſſe creatum; ubi verba ſuperioribus connexa non ſunt. Itaque lacunæ aliqua ſignificatio illic eſſet addenda.

XIX. Inter ea, quæ ſecundo die à *Juſtino* quæſivit *Trypho*, hoc fuit, [34] an profiterentur Chriſtiani ſe credere Jeroſolimam inſtauratum iri, & Chriſtianos, unà cum Chriſto, Patriarchis, Prophetis, & Judæis etiam Proſelytis, qui, ante adventum illum alterum Chriſti, ei credidiſſent, beatam vitam acturos. *Juſtinus* verò: „ faſſus tibi ſum, *in„ quit*, & priùs (*in iis quæ perierunt*) me & plures alios hæc ſentire, quem„ admodum etiam vos omnino ſcitis futurum; ſed multos, qui puræ, „ piæque ſunt Chriſtianorum ſententiæ addicti, hoc non agnoſcere ti„ bi ſignificavi. Deinde invehitur in Gnoſticos, qui Chriſtiani vocabantur, cùm non eſſent, maledicebant Patriarcharum Deo, negabántque reſurrectionem corporum, quamvis immortalitati animorum fidem non detraherent, quippe qui poſt mortem corporis, eos cœlo recipi dicerent. Monet hos non magis eſſe Chriſtianos, quàm Judæi erant Sadducæi, aliique

τὸν Χριστὸν καὶ παθητὸν, καὶ προσκυνητὸν, καὶ Θεὸν ἐπιδεικνύουσι, καὶ τὰ ἑξῆς.

32 *Ut ex hoc ipſo dialogo*] Vide vel pagg. antecedentes 292 & 293. Ἄπιστον καὶ ἀδύνατον, σχεδὸν, ait Trypho, πρᾶγμα ἐπιχειρεῖς ἀποδεικνύναι, ὅτι Θεὸς ὑπέμενε γεννηθῆναι καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι: *incredibilem &, quæ ferè fieri nequeat, rem adgrederis demonſtrare, Deum ſuſtinuiſſe gigni & hominem fieri.*

33 *Viri docti*] *Ern. Grabius* Spicilegio Patrum Sæculi II. p. 160. & ſeq. quem vide.

34 *An profiterentur* &c.] Pag 306.

ANN. CXL. aliique Hæretici, ut Meriſtæ, Geniſtæ, Galilæi, Helleniani, Phariſæi, Baptiſtæ. Atqui *Sadducæos*, *Galilæos*, ſeu Judæ Galilæi diſcipulos, *Phariſæos* & *Hemerobaptiſtas*, (quos *Baptiſtas* vocat) Judæos fuiſſe nemo Judæorum olim negaſſet. Quinam *Meriſtæ*, *Geniſtæ* & *Helleniani* fuerint nobis non liquet, & fortè ſibi verba dari, hac in re, ut in aliis, paſſus erat bonus *Juſtinus*. Tum ſubjecit „ *ſe & ſi qui rectè per omnia* „ *ſententiæ Chriſtiani ſunt*, *& carnis reſurrectionem futuram noſſe*, *& mille* „ *annis in inſtaurata*, *exornata & aucta Jeroſolima* pios victuros (videtur „ enim hîc omiſſum εὐσεβεῖς βιώσεσθαι, aut ſimile quid) quod auctoritate Eſaïæ, Ezekielis & Joannis in Apocalypſi probare nititur. Magis „ ſapiebant alii illi rectè ſentientes Chriſtiani, qui ſimile nihil exſpectabant.

XX. Redit [35] & poſtea *Juſtinus* ad locum Eſaiæ VII. aitque Judæos „ audere adulterare interpretationes, quarum auctores fuerant eorum Seniores, apud Ptolemæum, qui fuerat Rex Ægypti, cùm negarent habere Scripturam, quemadmodum illi verterant; ſed, *ecce*, „ inquit, *adoleſcentula* (νεᾶνις) *uterum geret*. Paullò inferiùs, poſtquàm oſtendit Virginis vocem in hunc locum meliùs quadrare, addit: *ne adulterare*, *aut falſâ interpretatione corrumpere audetote prophetias*; μὴ παραγράφειν ἢ παρεξηγεῖσθαι τολμᾶτε τὰς προφητείας; unde intelligere eſt *adulterationem* illam fuiſſe pravam Prophetiarum interpretationem.

XXI. Attamen, [36] ſi credimus *Juſtino*, Judæi agnoſcebant omnia loca Scripturæ, quæ permulta protulit, quaſi Chriſtum reſpicientia, in hoc Dialogo, & quorum quædam ſine dubio contorta erant, ad eum reverâ pertinere. Quod profitetur *Trypho*, his verbis: „ Scito genus „ omne noſtrum Chriſtum exſpectare, & nos fateri omnia loca Scrip„ turæ, quæ dixiſti, de Chriſto dicta eſſe. Sed & hoc addo, nomen „ Jeſu, quo vocatus eſt filius Nauæ, me pudore ſuffudiſſe, & me, ad „ hoc quod adtinet, vobis adſentiri. Qui talia crediſſet verè *Juſtino* dicere poterat, quod Rex Agrippa Paulo, per jocum, dixiſſe videtur: *parum abeſt*, *quin mihi perſuadeas ut fiam Chriſtianus*. Ubique *Tryphon* & comites eum audiunt potiùs, ut magiſtrum, quàm ut adverſarium; eique pauca quædam objiciunt, ut loquendi occaſionem ſuppeditent, potiùs quàm ut ſua dogmata tueantur, aut Chriſtiana confutent.

XXII. Si veri Judæi, & qui vel elementa Linguæ Sanctæ tenuiſſent,

35 *Et poſtea*] Pag. 310. ubi non ſatis aptè dicit Judæos παραγράφειν τὰς ἐξηγήσεις LXX Interpretum, neque enim eorum codices παρέγραφον, *adulterabant*; ſed vocem Hebraïcam contendebant verti oportere νεᾶνις, non παρθένος. Sententiam eorum de ea Verſione ſic exprimit ipſe *Juſtinus* p. 294. μὴ εἶναι ἔν τισιν ἀληθῆ, *non eſſe veram*, *in quibuſdam*, & negaſſe eos, quæ ſuæ ſententiæ adverſabantur, οὕτω γεγράφθαι, *ſic ſcripta*, ut citabantur à Chriſtianis, non in Græca tranſlatione, ſed in Hebraïcis Codicibus; hoc eſt, non ſatis aptè eſſe verſa.

36 *Si credimus Juſtino*] Pag. 316. Res eſt vix credibilis, & quæ Dialogum Platonicum redoleat, in quo doctrinæ Platonicæ adverſarius ſemper longè altero indoctior

ſent, Etymologiam vocis *Satanas* audiſſent, riſum ſanè tenere non potuiſſent. „ Apud Jobum, *inquit*, & apud Zachariam *Diabolus* adpellatur, „ & [37] à Jeſu vocatur Satanas, innuente nactum eum eſſe nomen compoſitum, quod ejus factis congruit. Nam *Sata*, Judæorum & Syrorum Linguâ, eſt transfuga; nomen verò *Nas*, è quo, per interpretationem „ etiam, ſerpens vocatur, idem eſt ac vox *Sata*, ſi Hebraïcam vocem „ interpreteris. Qui ſciunt שטן *Satan* Hebraïcè, aut Syriacâ flexione סטנא *Satana*, ſcribi, & ſignificare *adverſarium*, aliud nihil quærent, nec in terminatione Græca NAS putabunt latere vocem נחש nahhaſch *ſerpens*. Hac in re quoque, fucus bono viro factus erat, qui videtur eò faciliùs crediddiſſe, quòd à fraude ipſe abhorreret; nemo certè, ejuſmodi hominibus, faciliùs fallitur. Hinc intelligere licet, ubi de factis ſermo eſt, non oportere ratiocinationibus multùm indulgere. Fuere enim [38] viri docti, qui eò quòd *Juſtinus* in urbe Samariæ natus eſſet, colligebant eum fuiſſe Hebraïcè doctum; cùm exceptis Judæis, Samaritis propriè dictis, & Nazaræis, in Palæſtina, nemo iis temporibus, Hebraïcè ſciret; nec neceſſe eſſet colonos Flaviæ Neapolis Samaritas eſſe, aut Judæos, hoc eſt, Samariticæ aut Judaïcæ Religioni addictos, & multo minùs Nazaræos.

ANN. CXL.

XXIII. JAM [39] antea diximus à *Juſtino* vaticinium Malachiæ I, 11. aptari oblationi panis & vini Euchariſtici. Negat in eo Deus ſe acceptum habiturum munus è manu Judæorum; *ab ortu enim ſolis*, *uſque ad occaſum*, *magnum eſt*, inquit, *nomen meum in Gentibus*, *& in omni loco ſacrificatur*, *& offertur nomini meo oblatio munda.* [40] Quæ ita interpretabantur Judæi, tempore *Juſtini*, ut dicerent Deum quidem non admiſiſſe ſacrificia, quæ tum Jeroſolimæ fiebant; ſed acceptas habuiſſe preces Judæorum, per totum orbem poſtea ſparſorum. Non diffitetur quidem *Juſtinus*, quin preces & gratiarum actiones à dignis peractæ, ſolæ eſſent vitii omnis immunes & gratæ Deo victimæ. Sed contendit à Chriſtianis ſolis oblatas, in Euchariſtiæ celebratione, negátque Judæos per totum orbem fuiſſe ſparſos, cùm multæ eſſent Gentes, apud quas nullus umquam Judæus habitarat, & Chriſtianos ubique ſparſos eſſe adſeveranter ait: „ Ne „ unum quidem eſt, *inquit*, genus hominum, ſive Barbarorum, ſive „ Græcorum, ſeu quocumque tandem nomine vocentur, vel Hamaxobiorum, vel ſine domibus degentium vocatorum, vel in tentoriis „ habitantium & pecus alentium, apud quos preces & gratiarum actio- „ nes,

tior deſcribitur, nec fermè reſpondet, niſi quod facit ad ejus doctrinæ confirmationem.

37 *A Jeſu vocatur Satanas*] Pag. 331. Apud Jobum etiam, Cap. I, & II. *Satan* vocatur & apud Zachariam III, 2. in Hebraïcis Codicibus, quod oportuiſſet ſciri ab homine, tantâ cum fiducia, cum Judæis diſceptante.

38 *Viri Docti*] *Andr. Rivetus* Critici Sacri Lib. II. c. 5. *Chriſtoph. Chriſtophori Sandius* de Vet. Scriptor. Eccleſ. p. 21. & alii.

39 *Antea*] Num. VIII.

40 *Quæ ita interpretabantur*] Pag. 344. ſub finem.

ANN. CXL. „ nes, per nomen Jeſu crucifixi, Patri & Creatori omnium rerum „ non fiant. Quæ neſcio annon hyperbolica ſint, cùm nec apud Boreales gentes, nec in interiore Africa, nec in Aſiæ partibus ultra Tigrim fuerint, niſi ſeriùs multò, Eccleſiæ. Verùm & [41] alii, non multò recentiores *Juſtino*, ſimilia dixerunt, & poteſt fieri ut latiùs multò ſparſus eſſet Chriſtianiſmus, quàm Judaïſmus.

XXIV. Nihil dicam hîc, de exprobratione *Juſtini*, quâ Judæos infamat ſemel, [42] & iterum, quaſi mutilaſſent Scripturas, neque de Statua Simonis Magi, ad quam in hoc Dialogo reſpicit; quia de utroque alibi jam egi. Sed claudam haſce noſtras animadverſiones, eorum quæ [43] de ſignificatu vocis *Iſraël* habet *Irenæus* examine, ex quo intelligere clariùs licebit, quod & antea diximus, ſi *ſimplex* fuit *inſtar columbæ*, quod negare nolim, nequaquam *prudentiam ſerpentum* eſſe adſequutum. Quærit ergo bonus vir à Judæis, quibuſcum diſceptantem ſe inducit, quænam ſit poteſtas voci *Iſraël* ſubjecta; quibus tacentibus, quaſi quæſtio nimis ardua fuiſſet hominibus Judæis, cùm ſolvatur ab ipſo Moſe, & noſtro egregia occaſio oſtentandæ ſuæ eruditionis minimè eſſet prætereunda, ait ſe „ id quod novit dicturum; neque enim ſe putare, ſi ſciat, æquum „ eſſe à ſe non dici; neque ſi ſuſpicaretur eos, quibuſcum res ei erat, „ rem ſcire, ſed præ invidia, aut imperitia [44] dicere nolle, ignorare ſe „ hoc ſibi ſemper curandum eſſe, ſed ſcire omnia ſimpliciter & ſine „ fuco dicenda. Alia etiam addit ex Evangeliis, quibus oſtendit ſibi non licere rem tam utilem ſilentio premere, & poſt tot præfationes, tandem arcanum illud aperit, quaſi ſibi probè notum: „ Nomen *Iſraël*, „ *inquit*, hoc ſignificat: *homo vincens potentiam*; nam *Iſra* homo eſt, „ *El* verò potentia. Sic habent Codices noſtri, ſed omiſſum neceſſariò quidpiam oportet, nam alioqui *Juſtinum* dicere oportuiſſet *Iſraël* eſſe *homo potentia*, non *vincens potentiam*. Crederem ergo legendum IS, *homo eſt*, SRA, *vincens*; vel, ISRA eſt *homo vincens*, EL *verò potentia*; quod multò propiùs ad veritatem accedit. [45] Attamen prima ſyllaba Iſraëlis eſt יש *jiſch*, non איש *iſch*, hoc eſt, *homo*. Deinde SRA, etiam repetitâ litterâ S, quæ non repetitur in voce Hebraïca, in qua non geminatur ש, ſollemni geminationis ſigno, ſignificare non poſſet *vincentem*

41 *Alii non multò recentiores*] *Tertullianus* adversùs Judæos c. VII. *In quem enim alium univerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Cui enim & aliæ Gentes crediderunt; Parthi, Medi, Elamitæ & habitantes Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; & incolentes Pontum, Aſiam & Pamphyliam; immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem inhabitantes? Romani & incolæ, tunc & in Hieruſalem Judæi & ceteræ Gentes; ut jam Gætulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca; Chriſto verò ſubdita & Sarmatarum, & Dacorum, Germanorum & Scytharum, & additarum* (f. abditarum) *multarum Gentium & provinciarum & inſularum multarum nobis ignotarum & quæ enumerare minùs poſſumus?* Sed & hæc adaucta videntur, certè Evangelii prima ſemina, ſi quæ apud tot populos jacta, brevi exaruerunt, ut in Proœmio hujus operis diximus.

42 *Et iterum*] Pag. 349.

43 *De ſignificatu*] Pag. 354.

tem ſed tantùm *certantem*, ut ad Gen. XXXII, 28. oſtendimus, utque locus ille neceſſariò poſcit. Denique אל *el*, quamvis deducatur ab איל *ejal*, potentia, ex ipſo loco Geneſeos *Deus* verti debuit. Ab homine ergo aut imperito, aut qui ei os ſubleverat, ineptam Etymologiam acceperat *Juſtinus*; quæ Hebraïcè doctis non potuiſſet non excipi ſummo riſu, poſt tantum adparatum verborum, quo eam bonus vir propoſuerat. Prudentiùs multò ſe geſſiſſet, ſi *Joſephum* conſuluiſſet, qui rectè *ἀντιςάντα ἀγγέλῳ θείῳ*, *reſiſtentem Angelo divino*, vertit. Quod ſi hoc colloquium in manus Judæi, Hebraïcè ſcientis, incidit, delictum hoc in Hebraïcam Grammaticam, ut & quod admiſit noſter in voce *Satanas*, ac præſertim inſimulatio corruptarum à Judæis Scripturarum, ne alia leviora memorem, hominem jam alienum à Chriſtiana doctrina, alieniorem facere potuit. Itaque ſi qui Judæi, iis temporibus, ex animo Religionem Chriſtianam amplexi ſunt, aliis rationibus permotos eſſe oportuit. Qua in re etiam Providentia Divina magis enituit, quàm ſi peritiores fuiſſent Chriſtiani, qui Secundo poſt Chriſtum Sæculo, & ſequentibus, ſine cognitione Linguæ Hebraïcæ, Judæos ad fidem Chriſtianam adducere conati ſunt. Res enim non eorum ingenio, ſed præſtantiæ ipſi Religionis, quam interdum ſat bene non tuebantur, accepta tota referri debuit.

ANN. CXLI.

M. Peducæo Syloga Priſcino, T. Hænio Severo COSS. Antonini Pii Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti CXLI.

I. Circa hæc tempora, nam de anno non conſtat, Romam venit Marcion, à quo *Marcionitæ*, aut *Marcioniſtæ* dicti. Genere fuit Ponticus, ex ea parte, quæ Helenopontus dicta eſt, & quidem ex urbe Sinope. Filius erat Epiſcopi, & initio vitæ continentiam profeſſus cœlibem vitam egerat, at poſtea tamen Virginem vitiavit, ut quidem [1] prodidit *Epiphanius*. Propterea à patre, viro religioſo, Eccleſiâ expulſus, à quo ut, ſuſceptâ atque exantlatâ pœnitentiâ, reciperetur in communionem enixis precibus poſtulavit. Quod cùm non potuiſſet impetrare, clam oppido egreſſus eſt & Cerdonem quemdam Gnoſticum Magiſ-

44 *Dicere nolle* &c.] Mendoſa ſunt Græca, ut vidit *Sylburgius*, & pro *δὶ ἀπειρίαν τὴν τοῦ βούλεσθαι*, legendum *μὴ βούλεσθαι*. Alioqui ſenſus nullus eſt. Suſpicer & in *ἐπίςαμαι αὐτὸς*, quod ſequitur, eſſe neſcio quid corruptum. Fortè ſcripſerat *ἐπίςαμαι αὐτὸν*, *nec ſcio ipſum debere curare*, hoc eſt, *ſcio ipſum non debere curare.*

45 *Attamen prima ſyllaba*] Scriptor ineptus libri de Nominibus Hebraïcis, qui *Hieronymo* tribui ſolet, ſic de voce *Iſraël* habet: *eſt videre Deum*, ſive *vir*, aut *videns Deum*. Quod confutavit ipſe *Hieronymus* in Quæſtionibus Hebraïcis ad Geneſin, ubi interpretatur, *princeps Dei*, ſive *rectus Dei*, aptiùs quidem quàm *Juſtinus*, ſed tamen minùs commodè. Vide ad Gen. XXXII, 28.

1 *Ut prodidit Epiphanius*] Hæreſ. XLII, 1. cui in talibus an ſit, per omnia, credendum neſcio. Certè tanto adfectu rem adgreditur, & aliàs tam parum adcuratus eſt, ut ſine periculo fides ei haberi nequeat. In hac Hiſtoria, admodum ſuſpecta eſt patris erga filium nimia ſeveritas.

ANN. CXLI. Magiſtrum nactus, hæreſin ejus, quam etiam adauxit, tueri cœpit, [2] primùm in Aſia, deinde etiam Romæ, quò Cerdon prior venerat, defendit.

II. De Cerdone jam diximus ad Annum CXXVII. unde ſumma ejus doctrinæ petenda eſt, ne hîc eam repetere neceſſe habeamus. Hygino vivente Romam venerat, ac proinde ante Annum CXXVII. Quo verò temporis intervallo, eum ſequutus ſit Marcion non ſatis liquet. Succeſſorem tantùm Cerdonis fuiſſe adfirmare licet, & Antoninorum temporibus vixiſſe.

„ III. Huic ſuccedens Marcion, [3] *inquit Irenæus*, ſcholam ejus am-
„ pliavit ſine pudore blaſphemans in eum, qui à Lege & Prophetis ad-
„ nunciatus eſt, Deum; malorum auctorem, bellorum concupiſcentem,
„ inconſtantem quoque ſententiâ, & contrarium ſibi ipſum dicens. [4] Je-
„ ſum autem ab eo Patre, qui eſt ſuper mundi fabricatorem Deum,
„ venientem in Judæam, temporibus Pontii Pilati Præſidis, qui fuit
„ Procurator Tiberii Cæſaris, in hominis forma manifeſtatum his, qui
„ in Judæa erant, diſſolventem Prophetas & Legem & omnia opera
„ ejus, qui Mundum fecit, quem & Coſmocratorem dicit. Super
„ hæc, id quod eſt [5] ſecundùm Lucam Evangelium circumcidens, &
„ omnia quæ ſunt de generatione Domini conſcripta auferens, & de doc-
„ trina ſermonum Domini multa demens, in quibus manifeſtiſſimò con-
„ ditorem hujus Univerſitatis ſuum Patrem confitens Dominus con-
„ ſcriptus eſt, ſemet ipſum eſſe veraciorem, quàm ſunt hi, qui Evan-
„ gelium tradiderunt, Apoſtoli, ſuaſit diſcipulis ſuis; non Evange-
„ lium, ſed particulam Evangelii eis tradens. Similiter autem & A-
„ poſtoli Pauli Epiſtolas abſcidit, auferens quæcumque manifeſtè dicta
„ ſunt ab Apoſtolo, de eo Deo qui Mundum fecit, quoniam hic pa-
ter

2 *Primùm in Aſia*] Vide *Anton. Pagium* ad Ann. CXLIV, 3.

3 *Inquit Irenæus*] Lib. I. Cap. XXVII, aut XXVIII.

4 *Jeſum ab eo Patre* &c.] Cùm hæc diſtinctio Principiorum & emanatio Jeſu à Deo bono, operâ omnium Æonum, ſit dogma Valentinianorum, ut diximus ad Ann. CXX, 8. cùmque iidem crederent Jeſum non eſſe è Virgine Maria natum, ut ibidem diximus num. 13. ſed per eam veluti per canalem tranſiſſe; ex iis dogmatibus erit hic intelligenda mens Marcionis. Hinc *Athanaſius* Lib. I. contra Apollinarium c. 12. *Ἰ Τί γὰρ ἕτερον παρ᾽ ὑμᾶς εἴρηκε Μαρκίων; οὐχὶ οὐρανοφανὲς τὸ σῶμα, ἐν ὁμοιώσει ἀνθρωπίνῃ καὶ οὐκ ἀληθείᾳ; Quid enim aliud dixit Marcion, quàm quæ vos profertis? Nonne corpus, quod ex cœlo adparuit, in ſimilitudine humana, non in veritate?* Sic & antea *Tertullianus* de Carne Chriſti C. I. *Marcion, ut carnem Chriſti negaret, negavit & nativitatem; aut ut nativitatem negaret, negavit* & *carnem.*

5 *Secundùm Lucam* &c.] Corruptiones Marcioneas Novi Teſtamenti latè proſequuti ſunt *Tertullianus* Lib. III & IV. & *Epiphanius* in ejus Hæreſi.

6 *Corpus verò* &c.] *Tertullianus* Lib. V. c. 10. *Marcion in totum carnis reſurrectionem non admittens & ſoli animæ ſalutem repromittens, non qualitatis, ſed ſubſtantiæ fecit repromiſſionem.*

7 *Cùm deſcendit ad inferos*] De deſcenſu Chriſti ad Inferos diximus ad Ann. CI, 12, 13. Adde & quæ congeſſit *David Blondellus* de Sibyllis Lib. II. c. 9. Aliorum commentis, de animis omnium illic degentibus, addidit hoc ſuum perabſurdum Marcion. Sic ex uno temerè admiſſo ſomnio multa alia pullularunt.

8 *Abel autem* &c.] Conveniunt hæc abſur-

„ ter Domini Noſtri Jeſu-Chriſti, & quæcumque ex propheticis me- ANN. CXLI.
„ morans Apoſtolus docuit, prænunciantibus adventum Domini.

„ IV. Aiebat præterea ſalutem earum ſolùm animarum futuram „ quæ ejus doctrinam accepiſſent, [6] corpus verò, quoniam à terra ſit „ ſumtum, non poſſe particeps eſſe ſalutis. Attamen docebat etiam, ut prodidit *Irenæus*, „ Caïnem & eos qui ſimiles ſunt ei, & Sodomitas „ & Ægyptios & ceteros idgenus ac omnes omnino Gentes, quæ in „ permiſſione malignitatis ambulaverunt, ſalvatas eſſe à Domino, [7] cùm „ deſcendit ad inferos & adcurriſſent ei, & in ejus regnum adſumtas. „ [8] Abel autem & Enoch & Noë & reliquos juſtos & eos, qui ſunt orti „ à Patriarcha Abraham, cum omnibus Prophetis & his, qui placue- „ runt Deo, participes non fuiſſe ſalutis. Quoniam autem ſciebant, in- „ quit, Deum ſuum ſemper eos tentaſſe, etiam tunc tentare eum ſuſ- „ picati non adcurrerunt Jeſu, neque crediderunt adnunciationi ejus, & „ propterea remanſiſſe animas eorum apud inferos dixit.

V. Hinc intelligere eſt Cerdonem & Marcionem potiſſimum Veterum Gnoſticorum errorem [9] de duobus Principiis, quorum alterum bonum eſſet, alterum malum ſequutos eſſe, & à Valentinianis verbis potiùs, quàm re, diſſenſiſſe, [10] quod eſt à viris doctis demonſtratum. Sunt etiam qui præter duo illa Principia, à Marcione tertium, quod à Cerdone non admittebatur, additum eſſe; nimirum Diabolum, duobus prioribus interpoſitum, velint. Unde & aliis Tritheïſmi inſimulatur. Quin & quartum ei exprobratur Principium, Materia, quæ mala ſit & æterna atque infecta. Verùm plerique [11] duo tantùm Principia ab eo poſita prodiderunt; nec certè opus ei erat Diabolo, aut Materia, ut mali rationem redderet, cùm malum Principium, atque ab eo Mundum creatum eſſe contenderet.

VI.

abſurdo dogmati, de Deo Veteris Teſtamenti malefico,

9 *De duobus principiis.*] Hinc duos Marcioni Deos exprobrat *Tertullianus* Lib. I. c. 2. *Duos Ponticus Deos adfert, quaſi duas Symplegadas naufragii ſui* &c. & alibi ſæpe. Sic & *Juſtinus* Martyr. Apol. I. c. 35. & 75. *Rhodon*, apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 13. & *Athanaſius* contra Sabellianos, num. 6. Ed. Benedictin. Sed *Rhodon*, loco memorato, prodidit quoſdam è Marcionis diſcipulis, non duas, ſed *tres naturas* eſſe adfirmaſſe; unde factum putarim ut tria Principia ipſi Marcioni ſint exprobrata; ut liquet è loco *Dionyſii* Romani, apud *Athanaſium* de Decretis Synodi Nicænæ num. 26. ubi ait Μαρκίωνος τοῦ ματαιόφρονος δίδαγμα, ὡς τρεῖς ἀρχὰς τῆς μοναρχίας τομὴν καὶ διαίρεσιν, παίδευμα διαβολικόν: *Marcionis inſanientis doctrinam, ſectionem & diviſionem Monarchiæ in tria Principia, inſtitutionem diabolicam.* Vide & *Cyrillum* Jeroſol. Catech. XVI. & apertiùs loquentem *Epiphanium* Hæreſ. LXII, 3. Conſectaria etiam, quæ ex ejus doctrina eliciebant, ei tribuerunt, ut *Tertullianus* Lib. I. c. 15. ubi eum agnoſcere oportuiſſe ait Deum & Materiam eſſe Deos, quo pacto non tres, non quatuor, ſed quinque Deos ſtatuiſſet; ad quos ſi accedat Diabolus, à Creatore diſtinctus, quem illi objicit *Epiphanius*, ſex Principia admiſiſſe eum oporteret. Sed accuſatoriè hæc in eum dicta, quæ negaſſet.

10 *Quod eſt à viris doctis* &c.] Vide *Renat. Maſſuetum*, in Diſſert. Prævia ad *Irenæi* Libros, ubi de Marcione.

11 *Duo tantùm* &c.] Antiquiores, quos laudamus & *Auguſtinus* de Hæreſ. ubi de Marcione agens *Epiphanium* confutat.

ANN. CXLI.

VI. Auctor eſt [12] *Irenæus* „ omnes, qui erant malæ ſententiæ, „ motos fuiſſe eâ legiſlatione, quæ eſt ſecundùm Moyſem, diſſimilem „ eam & contrariam Evangelii doctrinæ arbitrantes; nec eſſe conver- „ ſos, uti differentiæ utriuſque Teſtamenti inquirerent cauſas — pu- „ taſſéque ſe plus inveniſſe, quàm Apoſtolos, alterum Deum adinve- „ nientes, & Apoſtolos quidem, adhuc quæ ſunt Judæorum ſentientes, „ adnunciaviſſe Evangelium; ſe autem ſinceriores & præſtantiores A- „ poſtolis eſſe. Unde & Marcion & qui ab eo ſunt ad intercidendas „ converſi Scripturas, quaſdam quidem in totum non cognoſcentes (*Vetus Teſtamentum*, *&* *Novum*, *exceptis decem Pauli Epiſtolis*) „ ſecun- „ dùm autem Lucam Evangelium, & decem Epiſtolas Pauli decur- „ tantes, hæc ſola legitima eſſe dicunt.

VII. Alios ejus errores omitto, quòd ter baptizaret, quòd Sabbatho jejunaret, & ſimiles, quos *Epiphanius* Hæreſ. XLII. & *Tertullianus* Libris V. contra Marcionem aliique, qui de Hæreſibus ſcripſerunt, ſuppeditabunt. Promiſerat etiam *Irenæus* à ſe Marcionem, ſingulari opere, confutatum iri; quod aut prorſus intercidit, aut aliis occupato ſcribi non potuit. De origine Mali opportuniùs agemus, ubi ad tempora Manichæorum devenerimus. Paucas tantùm animadverſiones, in ea quæ habet *Irenæus*, hîc addemus I. Perabſurdè colligebant Marcionitæ Deum Veteris Teſtamenti eſſe malum, eo quòd pœnas de flagitioſis ſumi, & bella interdum geri in ſceleratas quaſdam Gentes juſſiſſet. Pœnæ enim ejuſmodi de ſingulis hominibus, aut de Gentibus integris, non ſumebantur à Deo, per Judices ac Populum Hebræum, ut ſontibus malè faceret, voluptatémque ex ultione caperet; indigna illa ſunt Deo, [13] revelationique contraria; ſed ut Rempublicam Hebræorum incolumem ſervaret, ac bonos cives contra malos defenderet; & ne ut Virtus omnis in Humano Genere tandem exſtingueretur, ſuppliciis ſubinde de Populis expetitis, impediret. II. Si dixeris fuiſſe bonitatis Creatoris, ſi bonus fuiſſet, cùm rem prævideret, antevertere peccata hominum, ac proinde etiam pœnas, quæ peccatorum dumtaxat causâ inſtitutæ ſunt; quod feciſſet ſi ita homines creaſſet, numquam ut, ulla in re, ab officio deficere poſſent; objectionem in bonitatem Creatoris profers, qua uti [14] non poterant Marcionitæ, quin illico contra eos retorqueretur; qui docebant eſſe Bonum Principium, Malo ſuperius, quòd tamen talia à Malo fieri paſſum eſſet, cùm potuiſſet impedire; unde ſequeretur, ex eorum ratiocinatione, aut bonum non eſſe, aut minùs potens, quid illi negabant. III. Non fuit boni Creatoris antevertere omnia mala,

12 *Irenæus*] Lib. III. C. XII, 12. ex diſtinctione *Maſſueti*.

13 *Revelationique contraria*] Ezekielis C. XVIII, 23. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus*, & *non ut convertatur à vitiis ſuis, & vivat?* Et verſ. 32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini.* Vide & Cap. XXXIII, 11.

14 *Uti non poterant*] Ea tamen utebantur, ut liquet è Lib. II. *Tertulliani*, ubi ei objectioni reſpondet.

15 *Crea-*

mala, ita ut non poſſent homines peccare, adeóque pœnæ omnis immunes eſſent; niſi quis neget 1. potuiſſe à Creatore produci [15] Creaturam liberam, & quæ per Leges in officio contineretur; quidquid enim eſt liberum tam poteſt ruere in deterius, quàm Virtuti conſtanter adhærere, aut ad ſaniorem mentem redire: 2. poſſe item ullam Virtutem eſſe, quæ Creatori benefico placeat; hoc eſt, liberam obedientiam, quam præmio adficere queat; quia non eſt ejuſmodi Virtus, ſine Vitio: 3. poſſe denique eſſe ullam ejus Miſericordiam, erga Homines; quia, ex Marcionis ſententia, ſub Creatore bono, non poſſunt eſſe miſeri; cùm nequeant eſſe mali, quorum dumtaxat causâ miſeria hominibus innotuit. Quæ ſi quis negaſſet Creatori, multùm ei detraxiſſet, nec rectiùs ſenſiſſet de Bono Principio; quod ejuſmodi malis aut noluiſſet, aut non potuiſſet mederi. Cui uſui fuiſſet Marcionitis agnoſcere Deum ſummum eſſe bonum, ſi boni nihil præſtaret Humano Generi, quod à malo creatum ejus malevolæ & maleficæ potentiæ, ſine liberationis ſpe, obnoxium eſſet? IV. Sed docebat Marcion Chriſtum veniſſe, ut opera Creatoris diſſolveret. At de Chriſto nihil norat, niſi quod ex Novo Teſtamento acceperat, unde contrarium planè liquet; niſi quæcumque Marcionis ſententiæ adverſantur, quæ innumera ſunt, inſanâ licentiâ reſecentur; quod nemo, ſui compos, probaverit. V. Præterea quî diſſolviſſe poterat dici Chriſtus opera malefici Creatoris, qui nihil in hac vita mutavit; niſi quòd publicam Virtutis Scholam in Eccleſia Chriſtiana inſtituerit, in qua homines quidem bonos mores à teneris docentur, & ad ſanctè vitam inſtituendam multi etiam adducuntur; ſed longè plurimi, intra & extra Eccleſiam, pro libertate ſua, cui vim Chriſtus non adtulit, per totam vitam, mali ſunt? VI. An Chriſtus etiam homines omnes, aut certè bonos, ab omnibus miſeriis vindicavit? Imò contraria quotidie fieri videmus. Itaque non erat cur Marcion ſe quæſtioni: *unde malum?* meliùs ſatisfacere, quàm rectiùs ſentientes Chriſtianos, gloriaretur.

ANN. CXLI.

VIII. Ad repugnantes ſententias quod adtinet, quas in Vetere Teſtamento invenire ſe putabat; unde colligebat Marcion, Deum Veteris Teſtamenti eſſe *ſententiâ inconſtantem*; compoſuerat ipſe opus *Antitheſin*, ut ait *Tertullianus* Libro contra eum IV. c. 1. *cognominatum & ad ſeparationes Legis & Evangelii coactum; quâ duos Deos dividens, proinde diverſos, alterum alterius Inſtrumenti, vel, quod magis uſui eſt dicere, Teſtamenti; ut exinde Evangelio quoque, ſecundùm antitheſes, credendo patrocinaretur.* Reſpondet ei *Tertullianus* Lib. IV & V. multis quidem

15 *Creaturam liberam*] Hoc argumento utitur *Tertullianus* Lib II. c. 5. & ſeqq. ubi multa recta inveniantur, ſi meliore ordine, & clariore dictione exprimantur; quas orationis virtutes numquam ille curavit; ad quarum neglectum acceſſit in eo multa præter rem dicendi, & ſæpiùs idem repetendi incommoda conſuetudo. Sed hæc vitia fuere non hominis tantùm, verùm etiam ipſorum, quibus vixit, temporum.

ANN. CXLI. dem verbis, ſed confusè & obſcurè, ut ſolet. Quidquid eſt objectionum à Marcione prolatum facilè ſolvi poteſt, ſi duo probè teneantur. Alterum quidem eſt multas proferri repugnantias, inter loca Veteris Teſtamenti, quæ re verâ non ſunt; quod à Veteribus quidem olim, ſed pleniùs ab adcuratioribus Veteris Teſtamenti Interpretibus, qui à ſeſqui ſæculo floruerunt, oſtenſum. Alterum verò, antiquius Fœdus fuiſſe adtemperatum ingenio rudiori Populi Hebræi, ac proinde multa complecti, quæ per ſe laudanda & Deo accepta dici nequeunt; quòd, eo tempore, nondum Deus plenam voluntatis ſuæ revelationem edere voluiſſet; interim in Libris Veterum Prophetarum & adumbratam Religionis multò perfectioris imaginem, ritibus illis deformatam, & dicta eſſe, quæ interdum multùm temporum illorum captum ſuperant; unde colligere licuit, acutioribus & melioribus hominibus, adfuturum fuiſſe aliquando tempus, quo fœdus priore præſtantius Deus eſſet cumhominibus facturus, ſeu quo Leges Moſaïcis præſtantiores toti Humano Generi laturus eſſet. Ex quibus liquet duo illa Fœdera, vel duas νομοθεσίας, unius ejusdémque Dei fuiſſe, primùm obſcuriùs & minùs plenè, tum ſummâ perſpicuitate & pleniùs multò ſe ſe patefacientis. Unus idémque elementa Virtutis rudi populo, & conſummatam ejus deſcriptionem tradere ſapientioribus potuit; ſine ulla conſiliorum, vel minima, repugnantia. Multa apud *Tertullianum*, in magno rerum acervo, eóque incondito, quæ huc faciant, invenientur.

IX. Ex eodem *Tertulliano*, ſi credere ei licet, circumſtantias ad *Marcionis* vitam pertinentes colligere poſſumus, ex quibus intelligere eſt, neque ab initio, neque ad finem uſque hominem inſaniiſſe. Ait ergo *Tertullianus* eum [16] *pecuniam, in primo calore fidei, Catholicæ Eccleſiæ contuliſſe; projectam mox cum ipſo, poſtea quàm in hæreſin ſuam à veritate deſcivit.* Credibile eſt hoc in Aſia factum, antequàm ex Eccleſia pelleretur, quamvis *Tertullianus* rem quaſi Romæ contigiſſet deſcribat. Nam non erat tunc in eo *primus calor fidei*, nec expulſi à Patre pecunia à Romanis capta eſſet, & rationes ſunt credendi in Aſia cœpiſſe eum Cerdonem ſequi. Addit *Tertullianus* exſtitiſſe Marcionis *Epiſtolam*, ex qua conſtabat eum Chriſtianæ Religioni antea addictum fuiſſe. Sed & [17] alio loco de

16 *Pecuniam* &c.] Lib. contra Marcionem IV. c. 4.

17 *Alio loco*] De Præſcript. Hæreticorum C. XXX. *Ubi tunc Marcion, Ponticus nàuclerus, Stoïcæ ſtudioſus? Ubi Valentinus Platonicæ ſectator? Nam conſtat illos neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidiſſe, apud Eccleſiam Romanenſem, ſub Epiſcopatu Eleutherii; donec ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, quam fratres quoque vitabant, ſemel & iterum ejecti, Marcion quidem, cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſſidium relegati venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt. Poſtremùm idem Marcion pœnitentiam confeſſus, cùm conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus ſi ceteros, quos perditioni erudiiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.* Fortè de Marcione dixit, quod de Cerdone, ejus Magiſtro, apud *Irenæum* legerat Lib. III. c. 5.

1 *E ſententia doctiſſimorum Chronologorum*] Vide *Joan. Pearſonium*, de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum, Diſſert. II. c. XIII, 1. & XXI, 1, 2, 3. & *Henr. Dod-*

de Marcione & Valentino ita loquitur, quaſi Romæ ſe cum ceteris Chriſtianis ſentire ſimulaſſent, ſub Eleuthero; donec ſemel, iterúmque ejecti & Marcion quidem, cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ dederat, ac tandem prorſus expulſi venena doctrinarum ſuarum ſpargerent; & quaſi Marcion ſe ad pœnitentiam admitti & pacem Eccleſiæ conſequi iterum optaſſet, résque eſſet ei promiſſa; ſi modò eos, quos deceperat, ad ſaniorem doctrinam revocaret; quod, morte præventus, effectum dare non potuerit. Sed cùm poſtrema parum veriſimilia ſint, falli eum in tempore, quo Romæ verſatus eſt Valentinus, oſtendimus ad Ann. CXXI, 4. ANN. CXLII.

Cuſpio Rufino, L. Statio Quadrato COSS. Antonini Pii Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti CXLII.

I. Pio Epiſcopo Romano ſucceſſit Anicetus, [1] è ſententia doctiſſimorum Chronologorum.

II. Irenæus, expoſitâ Valentini ſententiâ, antequàm ad ejus Diſcipulorum mutationes & additamenta tranſeat, ſummatim totius Eccleſiæ Chriſtianæ, eo quo vixit tempore, fidem deſcribit Lib. I. c. 10. quam [2] è Græcis, quæ ſuperſunt, verbo tenus trademus, animadverſionésque nonnullas addemus; ut liqueat ſummam Religionis Chriſtianæ, quamvis acriter adverſarentur Hæretici, nec rectiùs ſentientes per omnia minutiora Capita, diſtinctè ſpectata, concordes eſſent, ſalvam atque incolumem, non ſine Divina Providentia, fuiſſe. „ Eccleſia, *inquit*, „ tametſi per totum orbem, uſque ad extremos terræ fines, ſparſa, ab „ Apoſtolis, eorúmque Diſcipulis fidem accepit, quæ eſt I. in unum „ Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram & mare „ & omnia quæ in eis ſunt, II. & in unum Jeſum-Chriſtum, Filium „ Dei, noſtræ ſalutis causâ, incarnatum; III. & in Spiritum Sanctum „ qui, per Prophetas, [3] œconomias & [4] adventus (*Chriſti*) prædi„ cavit & generationem è Virgine, & perpeſſionem & reſurrectionem „ è mortuis & cum carne in cœlos adſumtionem dilecti Chriſti Jeſu Domini

Dodwellum Diſſ. Singul. de eadem ſucceſſione C. XIII, 1. & ſeqq.

2 *E Græcis*] Quæ exſtant apud *Epiphanium*, Hæreſi XXXI.

3 *OEconomias* &c.] Vox *Dei* non eſt apud *Epiphanium*; ſed aut eam legit Vetus Interpres, aut ſupplendam ſtatuit, cùm habeat *diſpoſitiones Dei*. Verùm æquè poſſet de Chriſti OEconomiis loquutus eſſe *Irenæus*; hoc eſt, de induta ab eo carne, totóque Eccleſiæ Chriſtianæ regimine; quæ *OEconomiæ* nomine vocata à Patribus notum eſt & oſtendet, ſi opus ſit, *Joan. Caſp. Suicerus*, in Theſ. Eccleſiaſtico. Sed & Paulus eo ſenſu hac voce uſus eſt Eph. I, 10. ubi vide *Hug. Grotium*. Atque eò veriſimiliora hæc ſunt, quòd proximè ſequantur ἐλεύσεις, quæ Chriſti adventus ſunt, & reliqua omnia ad eum pertineant.

4 *Adventus*] Ἐλεύσεις, ut eſt apud *Epiphanium*, quod rectius eſt quàm ἔλευσιν, *adventum*, ut habet Int. Latinus *Irenæi*; cùm Apoſtoli non unum Chriſti adventum prædicarint. In ſequentibus, *OEconomias & adventus* Chriſti diſtinctiùs exponit *Irenæus*.

ANN. CXLII. „ Domini noſtri, & è cœlo adventum ejus, [5] in gloria Patris, [6] ad „ colligenda omnia, & ad excitandam omnem totius Humani Generis „ carnem; IV. ut Chriſto Jeſu Domino noſtro & Servatori & Regi, „ ſecundùm Patris inconſpicui voluntatem, [7] flectatur omne genu cœ- „ leſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis Lingua ei confiteatur, „ útque ipſe juſtum judicium in omnibus ferat, ſpiritualia quidem ne- „ quitiæ & Angelos transgreſſores, quique in defectione fuerunt; im- „ piósque item homines & injuſtos & flagitioſos & blaſphemos in ignem „ æternum mittat: juſtis, verò & ſanctis, qui præcepta ejus ſervaverint, „ & in amore permanſerint, ſeu ab initio, ſeu poſt pœnitentiam, vitam „ gratificatus, immortalitate eos donet, & gloriâ æternâ circumdet.

III. Hanc confirmat in ſequentibus *Irenæus* fidem, per totum terrarum orbem, à Chriſtianis unanimi conſenſu & unâ voce doceri, variis linguis, apud Germanos, apud Iberos, apud Celtas, in Oriente, in Ægypto, in Libya, & in Eccleſiis quæ ſunt [8] in media terra conſtitutæ. „ Nec, *inquit*, qui, inter Eccleſiæ Præſides, dicendi facultate „ pollet, alia, quàm hæc ſunt, dicet (nemo enim Magiſtro potior eſt), „ nec qui minùs in dicendo valet traditam doctrinam minuet; cùm ſit „ enim una & eadem fides, neque qui de ea multùm dicere poteſt, „ abundat; [9] neque qui pauca, eam minuit; quod & pluribus in ſe- „ quentibus oſtendit. Hinc intelligere eſt eadem eſſe omnibus ſumma Fidei Capita, nec doctos pluribus indigere ad conſequendam ſalutem, quàm minùs eruditos, neque ad plura admittenda adigi poſſe. Revelationi, nimirum, ut detrahi nihil poteſt, ſic nec quidquam addere fas eſt. Ideóque ſemel conſtituta Fidei Capita neque augeri, ſine nova Revelatione, neque minui poſſunt. Quod ad animum revocaſſe oportuiſſet eos, qui nova Fidei Capita, ſequentibus ſæculis, ſine novis ullis à Deo mandatis acceptis, condiderunt. Ceterùm hanc ipſam Fidei Confeſſionem, in pauciora verba contractam, habet *Irenæus* Lib. III. c. 4. ubi eam

5 *In gloria Patris* &c.] Matth. XVI, 27. Marc. VIII. 38.

6 *Ad colligenda omnia*] Ἐπὶ τὸ ἀνακεφαλαιώσεσθαι τὰ πάντα, loquutione deſumtâ ex Epheſ. I, 10. ubi videtur hoc velle Paulus à Chriſto in unum corpus collectum iri Angelos & Homines ipſos, ſeu unum corpus ex utriſque, Hominibus in beatas ſedes admiſſis, conflatum iri. Quæ ſignificatio optimè in hunc *Irenæi* locum quadrat, éſtque ea vox, apud eum, non infrequens. Vide & *Joan. Caſp. Suicerum*, in Theſauro, ad hanc vocem.

7 *Flectatur* &c.] Ex Philip. II, 10.

8 *In media terra*] Αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι. Memoravit antea Eccleſias ad ſeptemtriones, ad occaſum, ad ortum & ad meridiem, in extremis Imperii Romani Provinciis, aut apud vicinos barbaros conditas. Itaque *mediæ* erant, quæ hiſce cingebantur. Nihil opus eſt nos de Jeroſolimitana Eccleſia, quæ perperam in media terra collocabatur, hæc intelligere; cùm tot aliæ Eccleſiæ extremis illis interpoſitæ, nec tamen excludendæ ex hoc cenſu, omittantur.

9 *Neque qui* &c.] Adludit ad Exod. XVI, 18. ubi de Manna colligentibus ſermo eſt.

10 *Ut viri docti oſtenderunt*] Vir eruditus & acutus qui Anglicè edidit, omiſſo nomine, *Hiſtoriam Criticam Symboli Apoſtolici*, Cap. I.

11 *Dubia quamvis recepta*] Talis erat doctri-

eam *veterem traditionem* vocat, non quòd integra in ſcriptis Apoſtolicis non inveniatur; ſed quia ſemper, apud Chriſtianos, etiam ore tradita fuerat & *multæ erant Gentes barbarorum*, *qui*, ut ait, *in Chriſtum credebant*, *ſine charta*, *vel atramento*, *ſcriptam habentes*, *per Spiritum*, *in cordibus ſuis*, *ſalutem*; hoc eſt, doctrinæ Chriſtianæ probè memores. ANN. CXLII.

IV. Ex hac, aliisve idgenus priſcis Confeſſionibus, conflatum poſtea eſt, quod vocatur *Symbolum Apoſtolorum*, [10] ut viri docti oſtenderunt. I. Earum ſimplicitas & in rebus abſtruſioribus ſobrietas oſtendunt initio pro Capitibus Fidei non venditata fuiſſe dogmata [11] dubia, quamvis recepta, aut obſcura & quæ captum plerorumque, ne omnium dicam, ſuperant; & Capitibus illis, quæ totidem verbis in Novi Teſtamenti Libris exſtant, non tantùm nihil detrahere, ſed nec etiam addere fas & pium creditum fuiſſe. II. Indidem liquet conceptas, verbis & formulis Apoſtolicis, fuiſſe; nec ambigua & nimis jejuna habita loquendi genera, quibus Apoſtoli uſi eſſent, quòd tum Chriſtiani adflatis illis Magiſtris ſapientiores ſe non eſſe putarent. III. Fide de uno Deo, omnium rerum conditore, diſtinguebantur Chriſtiani, non ab Ethnicis tantùm, ſed etiam [12] ab omnibus illis priſcis Hæreticis, qui duo Principia eſſe volebant, bonum & malum, & à malo quidem Mundum univerſum creatum fuiſſe. IV. Diſtinguebantur etiam ab iis, fide de incarnatione Chriſti, quam negabant quicumque volebant eum ſpecie tenus hominem fuiſſe, qui error etiam fuit antiquiorum fermè omnium illorum Hæreticorum, ut ſuis locis oſtendimus. V. Fide de Spiritu Sancto, per quem Prophetæ & Apoſtoli adflati fuerant, ut ea docerent, quæ in eorum Scriptis leguntur, à ſecus ſentientibus diſcriminabantur; nomine enim *Prophetarum* intelligendi non tantùm Prophetæ Veteris Teſtamenti, ſed præſertim Novi, hoc eſt Apoſtoli; per quos Spiritus Sanctus multò clariùs, latiùs & efficaciùs, quàm per veteres, *prædicavit*, κεκήρυχε. VI. Nativitatis Chriſti è Virgine, perpeſſionis, reſurrectio-

doctrina de Mille annorum Regno, quam ipſe *Irenæus* ſequebatur, & de deſcenſu Chriſti ad Inferos, quam non minùs amplectebatur, quáſque ambas *Juſtinus* etiam tuebatur, & quarum nulla in hoc Symbolo mentio, aliáque idgenus. Non tam prudenter ſe poſtea geſſerunt Afri, *Tertulliani* tempore, ſi eorum Symbolum profert Lib. de Præſcript. Hæreticorum I. c. XIII. *Regula eſt autem fidei*, inquit, *ut jam hinc quid defendamus profiteamur*, *illa*, *ſcilicet*, *quâ creditur unum omnino Deum eſſe*, *nec alium præter mundi conditorem*, *qui univerſa è nihilo produxerit*, *per Verbum ſuum primò omnium demiſſum*. Quæ poſtrema verba obſcura ſunt. Addit deinceps: *Id Verbum*, *Filium ejus adpellatum*, *in nomine Dei*, *variè viſum à Patriarchis*, *in Prophetis ſemper auditum*; quæ ſunt etiam doctrinæ *Juſtini* & *Irenæi*, quamvis adparitiones illæ Verbi meræ ſint conjecturæ, nemini quaſi ad ſummam Chriſtianæ Fidei pertinentes imponendæ. Sed multò ſimpliciùs & prudentiùs loquutus eſt de Regula fidei Lib. de Velandis Virginibus Cap. I. ubi propiùs ad Symbolicam, illius ævi, formulam accedere omnino videtur. Locum vide.

12 *Ab omnibus illis priſcis* &c.] Eos in pleriſque omnibus Symboli Apoſtolici capitibus reſpici, eruditè & acutè, copioſiúſque, quàm quiſquam fecerat, oſtendit Anonymus Anglus, in *Hiſtoria Critica Symboli Apoſtolici*.

ANN. CXLII. rectionis & adſcenſionis in cœlum ἐνσάρκȣ fides oppoſita eſt ſententiæ Gnoſticorum & Valentinianorum, qui diſertè hæc negabant; [13] ut diximus, cùm de iis egimus. VII. Fides reditûs Chriſti è cœlo, excitationis omnium hominum, judiciique poſtremi contraria etiam erat iiſdem Hæreticis; quæ omnia ſæpiùs, in Novo Teſtamento, verbo tenus, habentur. VIII. Quamvis in hoc Symbolo, nulla diſerta mentio fiat fidei, quæ Libris Sacris Veteris & Novi Teſtamenti habenda eſt, tamen Articulo IV. ſatis innuitur; cùm quiſquis fidem habet Spiritui Sancto, qui per Prophetas utriúsque Fœderis totam ſalutis noſtræ œconomiam nunciavit, non poſſit non credere Libris Sacris, quibus pleniùs & certiùs continetur, quàm ullâ inſtitutione Doctorum; qui quidquid norunt, de Religione, illinc hauſerunt. IX. Non fit etiam mentio ſanctitatis vitæ Chriſtianæ, quam profiteri & re ipsâ præſtare prorſus eſt neceſſarium; niſi quatenus Patri, Filio & Spiritui Sancto, per Prophetas & Apoſtolos loquuto, nemo verè credit, qui per omnia iis parendum perſuaſum non habeat. Continetur & in hoc ſanctitas Chriſtiana, quòd obſervantes præceptorum Chriſti ſoli ſervandi dicuntur, alii verò in ignem æternum mittendi. X. Ex aperta hac fidei Chriſtianæ, quam Libris ſuis inſeruit *Irenæus*, formula intelligimus eo ævo nondum invaluiſſe conſuetudinem [14] occultandi alienis à fide Chriſtiana Symboli, quod ne cum Catechumenis quidem communicabatur, niſi paullò ante baptiſmum. Quæ conſuetudo, ut viri docti oſtenderunt, nata eſt jam à Tertio Sæculo, ex prava imitatione Ethnicorum, apud quos Symbola Myſteriorum, tam in verbis, quàm in rebus ſita, occultari ſolebant.

V. IRENÆUS poſtquàm dixit ſummo conſenſu Capita hæc doctrinæ ab omnibus verè Chriſtianis admiſſa, per totum terrarum orbem; ait Valentinianos [15] *cùm duo aut tres eſſent, inconſtantes in ſua ſententia fuiſſe, nec de iiſdem eadem dixiſſe; verùm etiam pugnantia & rebus & verbis inter ſe pronunciaſſe*, quod exemplis probat, quorum aliquam partem adtulimus antea, ubi de *Epiphane* ad Ann. CXXXVII. & plura in ſequentibus proponemus.

C. Bel-

13 *Ut diximus*] De Gnoſticis quidem ad Ann. LXXVI. & ſeqq. ubi de variis eorum ſectis, de *Valentinianis* verò ad Ann. CXXI. Vide & Opus Anglicum modò laudatum Cap. III. & ſeqq. ubi res pluribus demonſtratur.

14 *Occultandi*] Videtur hæc orta conſuetudo tertio ſæculo, cùm jam obtineret *Diſciplina Arcani*, è myſteriis Ethnicorum etiam deducta. Sic *Cyprianus* probat *Sacramentum fidei non eſſe profanandum*, è Proverb. XXIII, 9. Matth. VII, 6. Lib. III. Teſtimoniorum c. 50. Sic & *Ambroſius* Lib. I. de Caïn & Abel C. IX. & num. 37. Ed. Benedictin. *Cave ne incautè Symboli vel Orationis Dominicæ divulges myſteria.* Vide & *Hiſt. Criticam* Symboli Apoſtolici c. I.

15 *Cum duo* &c.] Lib. I. c. 11. è diſtinct Bened.

1 *Apud Irenæum*] Lib. I. c. 6. è vulgari diſtinctione & 12. è Maſſuetiana.

2 *Aut certè ejus Schola*] Orditur hoc modo *Irenæus*, in vetere Interpretatione, *hi verò qui ſunt circa Ptolemæum ſcientiores* &c. Græcè ſine dubio dixerat: οἱ δὲ περὶ τὸν Πτολεμαῖον, quæ verba ſunt ambigua, poſſúntque, è Linguæ Græcæ uſu, aut ipſum

C. Bellicio Torquato, T. Claudio Attico Herode COSS. Antonini Pii Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti CXLIII.

I. Cum eventuum ad Eccleſiam Chriſtianam, per hoſce annos, pertinentium nulla ſuperſit memoria; Valentini diſcipulorum, qui hac tempeſtate vixerunt, hiſtoriam & dogmata, prout licet, texere adgrediar, *Irenæi* ductum potiſſimùm ſequutus; quamquam per omnia inſanarum opinionum diverticula vagari non ſit animus. Summa dumtaxat capita adtingam, digito, ſi quis hæc deliria penitiùs cognoſcere aveat, ad fontes intento.

II. Epiphanem, & neſcio quos alios Valentini diſcipulos, quorum meminimus ad Ann. CXXXVIII, 2. [1] apud *Irenæum*, ſequitur Ptolemæus, [2] aut certè ejus Schola. Volunt viri docti ejus traditam eſſe doctrinam, novem, aut quinque, ut alii diſtinguunt, primis Capitibus, ſub nomine Valentini, cujus decreta optimè omnium interpretatus fuerit; nec deſunt ita ſentiendi rationes. [3] *Epiphanius* tamen ipſum Ptolemæum intelligendum cenſuit, Hæreſ. XXXIII, 1. Adcuratiùs hæc expendere noſtrâ nihil intereſt. Docebant ergo Ptolemaïci „ Bython duas conjuges habere, quas & [4] adfectiones vocabant, Ennœam (*Intelligentiam*) „ & Theleſin (*Voluntatem.*) Primùm enim, ut aiebant, mente concepit quod emitteret, deinde emittere voluit. Quapropter duabus hiſce „ adfectionibus [5] aut facultatibus, Ennœas & Theleſeos, veluti inter „ ſe commiſtis; emiſſio Monogenis (*Unigeniti*) & Aletheiæ (*Veritatis*) ſecundùm conjugium facta eſt. Quas figuras & imagines duarum adfectionum Patris inviſibilium viſibiles progreſſas; Thelematis quidem Nun (Νοῦν, *intellectum*, qui idem ac *Monogenes*) Ennœas „ verò Aletheian; & propterea adventiciæ Voluntatis maſculum eſſe „ imaginem; innatæ verò Ennœæ fœminam, quoniam Voluntas veluti facultas Ennœæ facta eſſet. Cogitaſſe enim Ennœam ſemper emiſſionem; non tamen & emittere ipſam per ſe potuiſſe, quæ cogitabat; cùm autem Voluntatis facultas advenit, tunc quod cogitabat emiſiſſe.

III. Ad

ipſum *Ptolemæum*, aut ejus tantùm Diſcipulos ſignare; de quibus ſolis vult agi *Renat. Maſſuetus*, quem vide in Diſſert. I. Act. II. 4.

3 *Epiphanius tamen* &c.] Hæreſ. XXXII, 1. quæ eſt Ptolemaïcorum, ſic ejus doctrinam explicare orditur: Οὗτος τοίνυν ὁ Πτολεμαῖος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἔτι ἐμπειρότερος ἡμῖν τοῦ ἑαυτῶν διδασκάλȣ προελήλυθε, τῇ ἐκείνων (leg. ἐκείνȣ, nam ad διδάσκαλον refertur) ὑφηγήσει προσθήκης τινὸς ὑπερβολὰς ἐξευρών: *Hic ergo Ptolemæus, cum ſuis, doctior adhuc eorum Magiſtro* (Valentino) *progreſſus eſt, & explicationi illius magnam acceſſionem invenit.* Tum paraphraſticâ oratione *Irenæum* interpretatur. Vide de Ptolemæo *Ren. Maſſueti* Diſſert I. in *Irenæum* Art. II, 4.

4 *Adfectiones*] Dixerat *Irenæus* διαθέσεις hoc eſt, *diſpoſitiones*, *proprietates*, *adtributa*. *Diſpoſitiones* habet Vetus Interpres, ſed perſpicuitatis causâ *adfectiones*, cum *Billio* & *Petavio*, vertere maluimus.

5 *Aut facultatibus*] Ἢ καὶ δυνάμεων, quam vocem commodiùs vertas hîc *Facultates*, quàm, cum Vetere Interprete, *Virtutes*.

ANN. CXLIII.

III. Ad hæc animadvertas I. finxiſſe Ptolemaïcos, [6] quemadmodum veteres Gnoſtici, & eos ſequutus Valentinus fecerant, conjugia neſcio quæ, ut divinorum adtributorum conjunctionem, atque ex ea omnia manaſſe oſtenderent; quod liquet ex eo quòd Bythi conjuges vocarint *adfectiones*; ac ſanè *Intelligentia* & *Voluntas* non ſunt perſonæ divinæ, ſed Dei adtributa. II. Verum eſt Deum priùs à nobis, pro modulo noſtro, intelligi concipere quid fieri à ſe poſſit, quàm facere. Sed cùm in ipſo Deo omnia ſimul fiant, [7] ut rectè in ſequentibus *Irenæus* atque ex eo *Epiphanius*, nihil adtinebat adtributa ejus quaſi perſonas diſtinctas inducere. III. Hîc videre licet, quod [8] aliàs de ejusmodi Agyrtis jam obſervavimus, res omnibus notas, aut etiam prorſus falſas, quàm obſcuriſſimè poterant, eos protuliſſe, ut nova quædam atque eximia adferre imperitis viderentur. IV. Intelligimus rationem conjugii ſupremi Dei cum Intelligentia & Voluntate; ſed non intelligimus cur *Intellectus* ille *Unigenitus* & *Veritas* dicantur imagines conſpicuæ inconſpicuarum Propatoris adfectionum; cùm hæc non magis ſub oculos cadant, quàm illa, nec inter Voluntatem & Intellectum ſit major nexus, quàm inter Voluntatem & Veritatem. V. Maſculus hîc dicitur eſſe imago Voluntatis, quia Νοῦς eſt maſculini generis, & quia Voluntas eſt actuoſa quædam facultas; fœmina verò Intelligentia, quia Ἀλήθεια fœminini generis vox eſt & mera Intelligentia patitur magis, quàm agit. VI. Ceterùm videntur Ptolemaïci hoc voluiſſe, è voluntate Dei manaſſe res omnes Intelligentes, inter quas Mentes Humanæ, & Veritatem omnem ab ejus ſumma Intelligentia ad nos etiam veniſſe; quæ nemo Chriſtianorum, imò ne Ethnicorum quidem prudentiorum negabat. De his Hæreticis, adeundi *Tertullianus* de Præſcript. Hæret. C. XLIX. & *Epiphanius* Hæreſ. XXXIII.

IV. Sed non eſt prætermittenda *Ptolemæi* ad Floram Epiſtola, quam habet *Epiphanius* Hæreſi XXXIII, 3. de Lege Moſaïca, in qua rejectis eorum ſententiis qui totam Legem ad ſummum Deum auctorem, aut contrà ad Cacodæmonem referebant, ait „ univerſam illam Legem, „ quæ quinque Voluminibus Moſis continetur, non ab uno eſſe Legiſ- „ latore profectam; ſolo, videlicet, Deo; ſed admiſta quædam homi- „ num eſſe mandata, ut, quemadmodum Servator ipſe docuit, trifa- „ riam Lex ſit omnis diſtributa. Quædam enim, *inquit*, ad ipſum „ Deum ejúsque ſanctiones pertinent. Alia Moſi ſeorſim tribuenda „ ſunt, non quidem quatenus aliquid à Deo, illius interventu, decre- „ tum eſt; ſed quatenus per ſe, ac ſuâ ſponte, nonnulla conſtituit. Alio-

6 *Quemadmodum veteres Gnoſtici.*] De Gnoſticis conjugiis diximus ad Ann. LXXVI, 3. & ſeqq. de Valentinianis ad Ann. CXXI, 7. in Notis.

7 *Ut rectè in ſequentibus*] Eleganter Græcè dixerat *Irenæus*: Ἅμα τῷ νοηθῆναι καὶ ἐπιτετελεῖ (ſic bene legit *Maſſuetus* è Vetere Interp. non ἐπιτετελεκέναι) τοῦ θ' ὅπερ ἠθέλησε, καὶ ἅμα τῷ θελῆσαι καὶ ἐννοεῖται· τοῦ θ' ὅπερ καὶ ἠθέλησε, τοῦτο ἐννοούμενος ὁ καὶ θέλει, καὶ τοῦτο θέλων ὅτε ἐννοεῖται· ὅλος θέλημα, ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς, ὅλος ὀφθαλμὸς, ὅλος

„ Aliorum denique Seniores, qui in populo erant, ſeorſim auctores fue- ANN. CXLIII.
„ runt; ac primi illi privata quædam præcepta inſeruiſſe deprehenſi
„ ſunt. Quod quemadmodum ſe ſe habeat, ex ipſis Servatoris verbis, in-
„ telliges. Hic enim quodam in loco (*Matth. XIX, 6. & ſeqq.*) ad eos
„ verba faciens, qui de repudii libello ſecum diſceptabant, quòd repu-
„ dium licitum eſſe Lege conſtitutum erat, ſic illos adloquutus eſt:
„ *Moſes, ob duritiem cordis veſtri, permiſit vobis dimittere uxores veſtras;*
„ *ab initio verò non fuit ſic. Deus enim,* inquit, *conjugium hoc copula-*
„ *vit; &, quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* Ubi aliam eſſe Dei
„ Legem oſtendit, quæ uxorem à viro ſejungi prohibeat; aliam Mo-
„ ſis, quæ ob duritiem cordis par illud diſſociari permittat. Qua in re, Mo-
„ ſes quiddam Deo contrarium tulit; ei ſcilicet, cautioni, quâ diſſolvi
„ matrimonium vetuerat. Deinde poſtquàm oſtendit Moſem hoc per-
miſiſſe, ob contumacem Judæorum indolem, & collegit inde, vel è ſo-
lo illo exemplo liquere, Moſis Legem à divina diverſam, in quibuſdam
rebus, fuiſſe, ita porro pergit: „ Legi verò implicitas quaſdam eſſe
„ Seniorum traditiones, non obſcurè Servator oſtendit. *Deus enim,*
„ inquit, *dixit* (Matth. XV, 3. & ſeqq. & Marci VII, 3. & ſeqq.)
„ *honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene ſit ſibi; vos autem dixiſtis,*
„ inquit Seniores adloquens, *Munus Deo quodcumque ex me tibi proderit;*
„ *& irritam facitis legem Dei, propter traditiones Seniorum veſtrorum.* Hoc
„ ipſum pronunciavit Eſaïas dicens: (C. XXIX, 13.) *Populus hic labiis*
„ *me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Fruſtra autem colunt me,*
„ *docentes doctrinas & mandata hominum.* Ex hiſce liquere putabat *Pto-*
lemæus, Legem Moſaïcam dividendam in partes tres, Seniorum, Mo-
ſis & Dei. I. Ut ab ultimis ordiar, Legem ejuſmodi miſturæ inſimu-
lare potuiſſet, ſi Seniorum traditiones in ipſis Codicibus Moſis, unà
cùm ceteris Legibus, legerentur; ſed cùm ſeorſim docerentur, & velu-
ti à Majoribus ore poſteris, per ſingulas ætates, traditæ dicerentur;
meritò à Lege Moſaïca, quam irritam faciebant, diſtinguuntur, quam-
vis Judæi non minùs earum obſervantes eſſent, quàm Legum ſcriptis
mandatarum. Mendacia enim erant hominum pravorum, aut ſuperſti-
tioſorum, multis poſt Moſem ſæculis inventa, nec umquam Legibus
ejus inſerta. II. Verum eſt Moſem quædam toleraſſe in moribus He-
bræorum, quæ vituperanda erant, ut Divortium & Polygamiam; ſed
aliud longè eſt *tolerare*, aliud *probare*; nec quidquam vetat Moſem juſ-
ſum eſſe à Deo ipſo ferre quædam, quæ pro indole populi Hebræi mu-
tari non poterant, niſi Deus, inaudito miraculo, omnes Hebræorum ani-
mos

ὅλος ἀκοὴ, ὅλος πηγὴ πάντων τῶν ἀγαθῶν. Sic *Epiphanius*, qui perpauca mutavit, niſi ſint à Vetere Interprete omiſſa, qui ſic habet: *Qui ſimul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit; & ſimul ac voluit & cogitat hoc quod voluit; tunc cogitans, cùm vult: & tunc volens, cùm cogitat; cùm ſit totus cogitatus & totus ſenſus & totus oculus & totus auditus & totus fons omnium bonorum.*

8 *Aliàs*] Vide de Gnoſticis ad Ann. LXXVI, 3. & de Valentinianis ad Ann. CXXI, 16.

ANN. CXLIII. mos mutaret, quod facere numquam voluit. III. Nec Deus ipſe Veterem Legem promulgavit, quaſi cultûs ſui, Virtutúmque omnium conſummatiſſimam deſcriptionem, cui nihil addi, nihil detrahi poſſet; ſed quaſi *elementa* quædam Religionis & Virtutis; quæ poſtea, ſuo tempore, perfecturus eſſet, quemadmodum ſub Evangelio fecit; quod Sect. II. *Prolegomenωn* probavimus. Unde ſequitur ſuperfuiſſe in ea Lege, multa quæ ſupplenda eſſent alterâ Chriſti revelatione, quamvis tota Lex divina eſſet.

V. Sed, ſi credimus *Ptolemæo*, eam partem Legis, quæ, etiam ex ejus ſententia, à Deo profecta erat, iterum trifariam dividi oportebat. „ Alia enim, *inquit*, ſunt ſincera præcepta & ab omni mali per„ miſtione ſecreta, quæ propriè *Lex* vocatur; cujus ſolvendæ causâ non „ venit Servator, ſed [9] ſupplendæ; non enim alienus erat ab ea, quam „ ſupplevit, alioqui perfectionem adſequuta non erat. Alia ſunt dete„ rioribus implicata & injuſtitiæ proxima; quæ Servator, abhorrentia „ à natura ſua, ſuſtulit. Alia ſunt ſymbolica & typica, ut eſſent præſ„ tantiorum imago, à Lege poſita; quæ Servator ab eo, quod ſenſi„ bus expoſitum eſt & cernitur, ad ſpirituale, nec adſpectabile tranſtulit. Sunt quidem in hiſce vera nonnulla, ſi recto ſenſu intelligantur; nam Moralia, quæ ſunt æterni juris, implevit & perfecit Chriſtus; quæ ingenio populi, ad certum tempus, adcommodata erant vetuit; ac tandem cærimonias, quæ erant tantùm melioris Religionis olim futuræ adumbratio, ſuſtulit. Sed omnia hæc erant à Deo verè inſtituta. Poſtea *Ptolemæus* ait Decalogum eſſe inter ea, quæ pura & ſincera erant, ſed quæ, quòd nondum perfectionem complecterentur, ſupplemento à Servatore indigebant. Tum ultionis permiſſionem, quæ ſecundi erat generis, à Servatore auferri oportuiſſe oſtendit. Denique typica in ſpiritualem colendi Dei rationem mutata contendit, nec omnino malè.

VI. Divisione eorum, quæ in Lege ſunt, abſolutâ, ad Legis auctorem venit. „ Si neque, inquit, ab ipſo perfecto Deo poſita Lex „ eſt, neque à Diabolo, quod dictu etiam nefas eſt, alius ſit oportet, „ qui eam Legem tulerit. Hic eſt igitur totius hujuſce mundi & eo„ rum quæ in eo ſunt creator & auctor, ab illorum (*Dei perfecti & „ Diaboli*) natura diverſus, & medius inter eos jure ſuo habendus, qui„ que mediæ naturæ nomen ferre queat. Quòd ſi perfectus ille Deus „ naturâ ſuâ bonus eſt, ut eſt reverâ (*unum enim eſſe bonum Deum* ac „ *patrem ſuum*, quem & hominibus patefecit, Servator adfirmavit) eſt &,

9 *Supplendæ*] Πληρῶσαι, ut apud Matthæum V, 17. quod paſſim eſt *ſupplere*, quod clarius eſt quàm *implere*, quod eſt perfectè obſervare; cùm hîc agatur de ſupplendis iis, quæ Legi Moſaïcæ deerant, ad Cultum Dei, & Virtutem quod adtinet. Ideóque τελειῶσαι *perfectam reddidiſſe* Legem poſtea dicitur Servator, & ipſa caruiſſe perfectione.

10 *Qui eſt contrariæ naturæ*] Ὁ τῆς τοῦ ἀντικειμένȣ φύσεως κακός τε καὶ πονηρός. Legendum videtur ὁ τῆς ἀντικειμένης φύσεως *contrariæ naturæ*; aut, quod majore mutatione indigeret: ὁ ἀντικείμενος τὴν φύσιν κακός &c. Vertit *Petavius*, *contraria natura præditus*, ſenſum ſequutus, quamvis de loci

,, &, [10] qui eſt contrariæ naturæ, malus & pravus, injuſtitiáque dig- ANN. CXLIV.
,, noſcitur. Qui inter illos ambos medius eſt, cùm neque bonus ſit,
,, neque malus, neque injuſtus, propriè dici queat juſtus, qui juſtitiæ,
,, quam habet, remunerator eſt, & ſit quidem oportet hic Deus im-
,, perfectior Deo perfecto, & ejus juſtitiâ inferior, ut pote genitus,
,, non ingenitus. Unus enim eſt ingenitus Pater, ex quo propriè om-
,, nia, cùm univerſa ab eo pendeant. Erit tamen adverſario illo major
,, & præſtantior, & ſubſtantiæ ac naturæ diverſæ ab utriuſque ſubſtan-
,, tia. Hæc erat natura Demiurgi, ſeu Creatoris, ex ſententia *Ptolemæi*, à quo Creatore pars pura & ſincera Legis Moſaïcæ lata erat: at reliquæ ab hominibus ortum ducebant. Quæ ſunt monſtra, facilè confutanda, ex iis quæ antea diximus; & tamen ab Apoſtolica traditione manaſſe à *Ptolemæo* dicebantur. Quibus meritò *Irenæus* Eccleſiæ Chriſtianæ conſtantem doctrinam, cùm ore, tum ſcriptis conſervatam opponit. Nihil enim eſt conſtantius, quàm unum eumdémque ſummum Deum à Judæis & Chriſtianis primævis, quaſi rerum omnium unicum creatorem, cultum.

Lolliano Avito & Claudio Maximo COSS. Antonini Pii Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti CXLIV.

I. Fuit & quidam [1] Colorbaſus, Ptolemæi diſcipulus, qui aut ſectam condidit, aut certè partis Valentinianæ Scholæ princeps fuit. Colorbaſii autem docebant, ut habet [2] *Irenæus*, in prima Ogdoade
,, non gradatim alterum ab altero Æonem emiſſum, ſed ſimul & ſemel
,, Æonas per emiſſionem à Propatore & ejus Ennœa genitos & [3] ſibi ip-
,, ſos obſtetricaſſe: Nec è Logo & Zoë Anthropon & Eccleſiam, ſed
,, ex Anthropo & Eccleſia Logon, & Zoën eſſe natos: [4] Quod co-
,, gitavit emittere Propator, hoc Pater vocatum eſt; at ubi quæ emi-
,, ſit vera fuerunt, hoc Aletheia nominatum. Cùm ergo voluit ſemet
,, ipſum oſtendere, hoc Antrhopos dictum. Quos autem præcogitave-
,, rat, poſtea quàm emiſit, hoc Eccleſia vocata eſt. Loquutus eſt
,, Anthropos Logon, hic eſt primogenitus filius. Subſequitur autem
,, Logon Zoë, & ſic prima Ogdoas completa eſt. Hæc ſi conferantur cum Valentini, aut Ptolemaïcorum prima Ogdoade, ſive Æones habeantur pro proprietatibus, aut Ideis Divinis, ſive Perſonæ fingantur;

loci depravatione nihil dixerit.

1 *Colorbaſus*] De hoc vide *Ren. Maſſueti* Diſſert. I. in *Irenæum* Art. II, 5.

2 *Irenæus*] Lib. I. Cap. V, aut XII, 3. ubi non nominantur quidem in *Irenæi* mutilis, hoc in loco, Codicibus, ſed tamen deſcribuntur, ut liquet ex *Epiphanio* Hær. XXXV, 1.

3 *Sibi ipſos obſtetricaſſe*] Sic habet Vetus Interpres, at *Epiphanius* mendosè ὡς αὐτὴς μαιωσάμενος, pro αὐτοὺς μαιωσαμένȣς. Vide *Maſſuetum* ad *Irenæi* locum.

4 *Quod cogitavit*] Hæc ſunt ex *Epiphanio* emendata. Vide locum in *Irenæi* Editionibus.

ANN. CXLV. tur; abſurda quidem commenta omnia eſſe videmus, ſed quæ ſint omnium abſurdiſſima vix definire poſſimus; ita ut mutationis rationem adſequi nemo queat.

„ II. Multa etiam contentio fuit, inter eos, de Servatore. Quidam enim eum ex omnibus Æonibus genitum eſſe dicebant; quapropter Eudocetum vocari, quoniam univerſo Pleromati viſum eſſet (ηὐδόκησεν) per eum glorificare Patrem. Alii verò è ſolis decem Æonibus, qui ſunt à Logo & Zoë emiſſi; quapropter Logon & Zoën dici eum, progenitorum nomina ſervantem. Alii ex duodecim Æonibus, qui ſunt ab Anthropo & Eccleſia facti, & propterea filium Hominis ſe confiteri, quippe ex Anthropi poſteris. Alii à Chriſto & Spiritu Sancto, ad confirmationem Pleromatis, natum dicebant, & propterea Chriſtum eum dici, & patris à quo emiſſus eſt ſervantem adpellationem. Alii erant qui eum Propatorem omnium & Proarchen, & Proanennoëton Anthropon dicerent vocari; & hoc eſſe magnum & abſtruſum myſterium, Potentiam, nempe, quæ ſupra univerſum eſt & omnia complectitur Anthropon vocari, & propterea Servatorem ſe dicere Filium Hominis. Quæ ejuſmodi ſunt, ut quodcumque tandem dogma eligas, inter diſſidentes horum Philoſophorum ſententias, ſani nihil ſis electurus. Magiſtri hi Valentiniani verè, ut Proverbio Romano utar, *Sardi* fuerunt *venales*, aliis alii nequiores.

Antonino Pio Aug. IV. M. Aurelio Cæſare II. COSS. Antonini Pii Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti CXLV.

I. Tædet jam dudum me Valentinianorum, & ut puto, Lectores meos, ſed Sæculi Secundi Hiſtoria iis adeò referta eſt & Patres eorum

1 *Ipſam ſupremam* &c.] Ex *Irenæi* Lib. I. c. 10. aut 14. cujus tamen verba Græca, qualia exſtant apud *Epiphanium* in Hæreſi Marcoſianorum, potiùs quàm verſionem Latinam Veterem, ſequuti ſumus, quòd hæc obſcurior eſſet; quamvis ſi quid addat iis, quæ habet *Epiphanius*, ubique addiderimus.

2 *Subſtantiæ omnis expers*] Ἀνούσιος, hoc eſt, qui ſubſtantiam non habet Creaturarum ſubſtantiæ ſimilem, quo ſenſu dicitur Platonicis ὑπερούσιος. Qua de re vide *Joan. Damaſcenum* Orthod. Fid. Lib. I. in appendice addita Cap. XII. Ed. Pariſ. 1712. T. I. p. 147. & *Joan. Caſp. Suicerum*, in Theſauro.

3 *Os aperuit*] Hæc multi rectiùs ſentientes ſunt imitati, qui multò prudentiùs feciſſent ſi de re ignota tacuiſſent. Quis enim eos docuit è voce Λόγος colligi poſſe æternum Λόγον prolatione genitum? Annon pari jure poſſemus dicere ratiocinatione genitam eſſe Rationem, διὰ τοῦ λογισμοῦ Λόγον γεννηθέντα, cùm Λόγος, in hoc negotio, potiùs *Rationem*, quàm Verbum, aut Sermonem ſignificet? Cùm præferat *Tertullianus* poteſtatem vocis Λόγος, quâ Rationem ſignificat, Lib. contra Praxean Cap. V. poſtea tamen nihil intereſſe putat *Sermonémne* dicas, an *Rationem*; & ſic de Sermone argutatur Capitibus VI. & VII. *Ut primùm Deus voluit ea quæ, cum Sophiæ ratione & Sermone diſpoſuerat intra ſe, in ſubſtantias & ſpecies ſuas edere, ipſum primum protulit Sermonem, habentem in ſe individuas ſuas Rationem & Sophiam, ut per ipſum fierent univerſa* — *Tunc etiam ipſe Sermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, ſonum & vocem, cùm dicit ipſe Deus*: fiat Lux: *hæc activitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit*;

rum temporum æquales, poſterioréſque tam ſæpe ad eos reſpiciunt, ut opinionum monſtra exponere neceſſe ſit; quæ ne dignæ quidem alioqui ſunt, per ſe, quæ vel ſemel à nobis audiantur. Paullò pluribus tradendæ hîc nobis ſunt ſententia & vitæ ratio Marci & Marcoſiorum, qui fuere Colobarſi diſcipuli, ut nos docet *Irenæus*, & priùs quidem de dogmate agemus, poſteriùs verò de ritibus & moribus Marci quod ad nos pervenit exponemus; ordinem *Irenaïco* contrarium ſequuti, nam ille de ritibus & moribus primùm, deinde de opinionibus verba fecit. Aiebat ergo Marcus, „ ut dictis ſuis pondus adderet, [1] ipſam ſupremam Tetradem ex inconſpicuis ac nomine carentibus locis ad ſe deſcendiſſe, „ formâ muliebri (quandoquidem, uti dicebat, vim ejus maſculam mundus ferre non poterat) deinde ſe quænam eſſet aperuiſſe, generatiónemque omnium rerum, quam nulli umquam Deorum, aut Hominum revelarat, ipſi ſoli expoſuiſſe, his verbis. ANN. CXLV.

„ II. Cum primùm Pater, is qui patre caret, qui neque cogitatione capi poteſt & [2] ſubſtantiæ omnis expers, neque mas eſt, neque „ fœmina, parturiret, voluit quod ei erat ineffabile poſſe proferri & „ quod erat inconſpicuum formam conſequi, [3] os aperuit, ac Verbum „ ſibi ſimile emiſit. Quod adſtans id quod ipſe erat ei oſtendit, cùm „ ejus qui inconſpicuus erat forma adparuiſſet. Nominis autem prolatio ejuſmodi fuit. Protulit [4] vocem primam nominis ſui, quæ erat „ Ἀρχὴ (*Principium*) cujus [5] complexio quatuor litteris conſtabat. Adjunxit & ſecundam, quæ & ipſa quatuor litteras continebat. Deinceps addidit & tertiam, quæ etiam ipſa decem litterarum erat. Deinde & quartam proloquutus eſt, quæ & ipſa duodecim litteras habebat. Itaque totius nominis enunciatio triginta litterarum fuit & quatuor complexionum. Adduntur deinde ineptæ argutiæ, eæque obſcuræ

cedit; *conditus ab eo primùm, ad cogitatum, in nomine Sophiæ:* Dominus condidit me initio viarum; *deinde generatus ad effectum*: cùm pararet cœlum aderam illi ſimul. *Exinde eum parem ſibi faciens, de quo procedendo filius factus eſt primogenitus, ut ante omnia genitus, & unigenitus, ut ſolus ex eo genitus, propriè de vulva cordis ipſius, ſecundùm quod & Pater ipſe teſtatur:* Eructavit cor meum ſermonem optimum, &c. *Hunc ex Deo*, inquit Apologetici Cap. XXI. *prolatum didicimus & prolatione generatum, & idcircum Filium & Deum dictum, ex unitate ſubſtantiæ.* Quæ imitatus etiam eſt *Lactantius* Inſt. Divin. Lib. IV. c. 8. Sed plura exempla ſuppeditabit *Dion. Petavius* de Trinitate Lib. VI. in II. Vol. Dogmatum Theologicorum.

4 *Vocem primam nominis ſui*] Λόγον τὸν πρῶτον τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, primum & potiſſimum nomen quo ſolet vocari, nempe, ἀρχή.

5 *Complexio quatuor litteris conſtabat*] Συλλαβὴ αὐτοῦ, quod non debet hîc verti *Syllaba*, ſed *complexio*, ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν, nam in voce ἀρχὴ ſunt duæ Syllabæ. Plures etiam fuere in vocibus quas non memorat, ut quæ decem, aut duodecim litteris conſtabant. Non miror Veterem *Irenæi* Interpretem hîc ambiguitatem vocis *Syllaba* non vitaſſe, omnia enim verbo tenus vertit, nullámque obſcuritatem refugit; ſed *Petavium* & *Billium* hanc quoque vocem Latinè loquentes retinuiſſe. *Complexiones* autem hæ videntur fuiſſe voces fictæ & confectæ ex initialibus litteris Æonum & primum quidem ſecundæ Tetradis, tum Decadis, poſtea Duodecadis, denique triginta Æonum.

ANN. CXLV. ræ de litteris, de quibus ipſe *Irenæus*, ejúsque interpretes adeundi, qui hiſce deſcriptum Pleroma Valentinianum oſtendent; tædioſum enim eſſet, & inutile ejuſmodi nugis immorari.

III. Hæc Marci commenta nihil mutationis Valentiniano Pleromati, in ſe ſpectato, adferebant; ſed receptam ab aliis gregalibus doctrinam illuſtrabant, ut ei videbatur, aut potiùs obſcurabant, ut grandia myſteria occultare imperitis videretur. Sed ſi cærimonias, quas veluti ritus Religionis adhibebat, ut eas habet *Irenæus*, inſpicias, omnes uſque adeò abſurdas, vitámque tam flagitioſam comperies, ut argutiis è litteris captatis ignoſcere ſis paratus, dum gravioribus indignaris. Audiamus verò *Irenæum*, cujus verba, ex vetere potiſſimùm Interpretatione, ſed nonnihil emendata proferam: „ [6] Pro calice vino miſto fingens ſe „ gratias agere, & multùm producens [7] verba invocationis (*nempe, veluti ad ſummos Æones*) purpureus & rubicundus calix ut adpareat facit; ita ut videatur [8] Gratia, ab iis qui ſunt ſupra omnia (*Æonibus*) ſanguinem ſuum in illius calicem, per ejus invocationem, ſtillare; útque valde concupiſcant ex illo guſtare poculo, ut eos etiam inundet, quæ ab hoc Mago invocatur Gratia. Rurſus mulieribus dans calices miſtos, ipſas jubet gratias agere, adſtante ſe. Ubi hoc factum eſt; ille alium calicem multò majorem, quàm is fuerat in quo decepta mulier gratias egerat, prolatum implet, exhauſto minore, de quo mulier gratias egit, in eum quem ipſe adtulit, additque: *Illa quæ eſt ſupra omnia, quæ nec capi, nec dici poteſt Gratia impleat interiorem tuum hominem & augeat in te cognitionem tuam, granum ſinapis in bona terra ſerens.* Dein cùm talia quædam dixit & infelicem illam ad inſaniam adegit, tum mirabilia facere videtur, majore calice è minore, ita ut (*humor*) redundet, impleto. Alia quædam his ſimilia faciens multos fefellit & poſt ſe abduxit. I. Videtur hîc ſpectari calix, quem implebat Marcus vino albo, quo calice ante ſe poſito, gratias agebat; & quem deinde, dum Gratiam, hoc eſt, Sigen vel ſummi Dei conjugem, è ſumma Tetrade, invocaret, colore rubro tingebat; quam in rem minimè magicis artibus, ſed arte, aut dexteritate quadam opus fuit, ut clam adfunderetur vinum rubrum, aut pulvis, qui albo vino rubrum colorem diſſolutus conciliaret, quod θαυματοποιοῖς illis facile fuit, præſertim apud plebeculam pravâ religione jam occæcatum. II. Difficile eſt intellectu quid ſibi voluerint Marcoſii, ſanguine *Gratiæ* vel *Siges*, quam corpoream eſſe non putabant; niſi metaphoricè ita vocarent vinum, quod fingebant ejus potentiâ rubro colore tinctum fuiſſe. III. *Agere*

6 *Pro Calice vino miſto*] Lib. I. c. VIII. vel XIII. Habet *Irenæus*, in Græcis ab *Ephanio* conſervatis, προσποιούμενος ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα εὐχαριστεῖν.

7 *Verba invocationis*] Λόγον τῆς ἐπικλήσεως, preces quibus Charin orabat, ut album colorem in rubrum converteret. Miror eſſe, qui crediderint voluiſſe Marcum Transſubſtantiationem imitari, cùm hac de re planè taceat *Irenæus*.

8 *Gratia*] Viri docti rectè intellexerunt Conjugem τοῦ Προπάτορος, quæ non tantùm

Agere gratias, εὐχαριστεῖν, video viros doctos credere hîc eſſe id quod alii Chriſtiani vocant *Euchariſtiam celebrare.* Neſcio tamen annon fallantur, nam quæ potuit eſſe Euchariſtia, more Chriſtianorum, ubi calicis tantùm mentio fit, & calicis quidem in quo non dicebatur eſſe ſanguis Chriſti, ſed ſummi Æonis conjugis? IV. Bene *Irenæus* obſervat Marcum [9] *cùm infelicem mulierem ad inſaniam adegiſſet, tum mirabilia facere viſum*; nihil eſt enim facilius, ut jam diximus, quàm ſuperſtitione laborantibus fucum facere; & qui potuerant Valentinianas de Æonibus fabulas concoquere, quidvis admittere facilè poterant. ANN. CXLV.

IV. Pergit *Irenæus*; „ veriſimile eſt eum & Dæmonem quemdam „ [10] paredrum habere, per quem ipſe quoque prophetare videtur, & „ quotquot dignas putat, quæ ſuæ gratiæ participes fiant. Maximè „ enim circa mulieres occupatur, & eas quidem quæ ſunt eleganter „ cultæ, purpurâ indutæ, & ditiſſimæ, quas abducere conatur. Tum addit blanda hominis verba, quibus ſimulabat ſe iis prophetidas agendi donum conferre, quibus prolatis mulier „ inflata & amens & animo in- „ cenſa, ob vaticinandi ſpem, cùm cor ejus multò pluſquàm oporteat „ palpitet, audet deliria proloqui, & quidquid temerè occurrit, ina- „ niter & audacter, quippe quæ eſt vano ſpiritu concalefacta. Deinde „ verè Prophetidem ſe putat & gratiam agit Marco, qui participem „ eam fecit ſuæ gratiæ, ac vicem ei rependere conatur, non tantùm „ facultatum ſuarum largitione (unde magnas pecunias collegit) ſed „ etiam corporis ſui copiâ factâ, dum per omnia ei uniri cupit, ut „ unum cum eo fiat. Verùm ad ejuſmodi fraudes, paredro Dæmone minimè opus fuit, ſed tantùm ſtultitiâ & lubricitate mulierum; quæ ſine magicis artibus facilè falluntur, quia falli volunt. Hinc factum ut mulieres, quæ deceptæ quidem initio ab eo fuerant, ut narrat poſtea *Irenæus*, ſed omnem Dei timorem non abjecerant, cùm Prophetidas eas facere vellet, hominem, quaſi à Dæmone obſeſſum, *exſufflaverint*, & diris devotum reliquerint. Ait etiam *Irenæus* [11] Philtris & Agogimis, hoc eſt, amatoriis & illicientibus poculis erga quaſdam mulieres eſſe uſum; quæ pocula non amorem certi cujuſdam viri eorum animis injicere poterant, ut vulgus putat, ſed libidinem incendere, ita ut qui norant, ab iis mulieribus hauſta pocula, faciliùs æſtuantes pellicere poſſent.

V. Ne conficta hæc putentur, teſtis eſt *Irenæus* „ has mulieres, „ reverſas ad Eccleſiam Dei, ſæpe confeſſas ſe à Marco corpore vitia- „ tas & ſummo amore cum eſſe proſequutas; ita ut Diaconus quidam Chriſtia-

tùm Σιγὴ & Ἔννοια à *Valentinianis* vocabatur, ſed etiam Χάρις, ut docet *Irenæus*, ejuſdem Lib. I. c. 1.

9 *Cùm infelicem mulierem* &c.] Ἐξοιστρήσας τὴν ταλαίπωρον θαυματοποιὸς ἐφάνη, priùs certè fruſtra fuiſſet, nam mulier ſui compos facilè fraudem intellexiſſet.

10 *Paredrum*] Vide ad Ann. CXX, 4.

11 *Philtris & agogimis*] Sic & Carpocrates faciebat. Vide locum laudatum.

ANN. CXLV. „ Chriſtianorum, qui erant in Aſia, cùm eum domo ſuâ excepiſſet, in „ ejuſmodi calamitatem incidiſſet; nam cùm ejus uxor formoſa eſſet, „ animo & corpore, corruptam eſſe ab illo Mago, & multo tempore „ eum ſequutam; deinde cùm magno labore eam convertiſſent „ fratres, mulierem per totum (*vitæ*) tempus lugentem & ejulantem, „ quòd à Mago conſtuprata fuiſſet, [12] in Exomologeſi perſtitiſſe. Sunt viri docti, è Schola Pontificia, qui hinc [13] *Confeſſionem Auricularem*, ut vocatur, temporibus *Irenæi* obtinuiſſe liquere volunt; eò quòd agatur de arcanis & pudendis delictis, quæ pœnitentium pudor non patiebatur propalari. Verùm de modo confeſſionis nihil habet *Irenæus*, nec quidquam vetat quin mulieres quæ palam peccaſſent, dum Marcum, relictis viris, ſequerentur, palam etiam poſt reditum ſe ab eo vitiatas faterentur, pœnitentiáque perpetuâ, ac lacrimis teſtarentur quantopere ſibi anteactæ vitæ ratio diſpliceret. Quin & *Exomologeſis*, quamvis propriè vox confeſſionem ſignificet, paſſim apud Veteres totam Pœnitentiam publicam complectitur; [14] quod viri eruditi extra omnem dubitationis aleam poſuerunt.

VI. Narrat quoque [15] *Irenæus* à Marci diſcipulis deceptas fuiſſe mulierculas, eásque non tantùm ſingularem rerum divinarum ſcientiam, quâ ipſos Apoſtolos ſuperarent, præ ſe tuliſſe; ſed etiam jactaſſe ſibi omnia eſſe licita, [16] nec ſe cerni, aut adprehendi poſſe, ſi modò recitarent neſcio quas orationes, quas [17] ἀπολυτρώσεις, hoc eſt, *liberationes* vocabant. Unius exemplum ſubjiciemus, quod tamen aut datâ operâ obſcurè conceptum ne intelligeretur, aut Librariorum culpâ corruptum putamus. Videtur autem hac prece compellari [18] Sophia, Theleti conjux & mater Achamothæ, [19] ut mœchum & adulteram deprehenſos tueatur, & judicio eripiat. *O quæ Deo & myſticæ, ante ſæcula, Sigæ adſides; quâ duce & conciliatrice Magnitudines eæ, quæ Patris faciem perpetuò contuentur, utentes formas ſuas ad ſuperiora ſubtrahunt*, [20] *quibus nimiùm audax illa* (Achamoth) *conſpectis ob bonitatem Propatoris, produxit nos* (eorum) *imagines, cùm tunc cogitationem de ſuperioribus quaſi inſomnium concepiſſet; en Judex adpropinquat, ac me præco jubet me defendere. Tu igitur*

12 *In Exomologeſi remanſiſſe*] Iis temporibus, Chriſtiani Idololatriæ, Mœchiæ, & Homicidii convictis pœnitentiam perpetuam, per totam vitam, ſine ſpe veniæ, aut pacis Eccleſiæ, imponebant; qua de re vide *Gabr. Albaſpinæum* Obſerv. Lib. II. & *Jacob. Sirmondum* Hiſt. Pœnit. C. I. Hinc *Irenæus* de uxore Diaconi, αὕτη τὸν ἅπαντα χρόνον ἐξομολογουμένη διετέλεσε, quod non debet verti cum *Billio*, *reliquum vitæ tempus confiteri non deſiit*, ſed cum *Petavio*, *in pœnitentia traduxit*; quod ſolebant ſignificare voce *Exomologeſis*, ut oſtendit *Albaſpinæus* Lib. II. Obſerv. XXVI.

13 *Confeſſionem* &c.] *Ren. Maſſuetus* Diſſert. III. in *Irenæum* Art. VII. initio. Sed quod modò diximus oſtendit voce Exomologeſis, pro frequentiſſimo apud Veteres uſu, ſignificari actus externos pœnitentiæ, ut lacrimas, fletus, jejunia, macerationes, & publicam criminis deteſtationem; quod multis probavit, candore ſanè laudando, Aurelianenſis Epiſcopus, quem modò citabamus.

14 *Quod viri eruditi* &c.] Præter *Albaſpinæum*, vide *Joan. Dallæum* de Confeſſione,

igitur, *quippe quæ res utriuſque tenes*, *utriuſque noſtrûm orationem*, *quaſi unam*, *Judici expromito.* „ Quibus ſtatim auditis, Mater (*Sophia*,) „ inquit *Irenæus*, iis Homericam Plutonis galeam circumponit, ut inconſpicuâ ratione Judicem fugiant. Tum ſine mora ſurſum evectos, „ & in thalamum introductos ſponſis ſuis reſtituit. Sponſi illi ſunt *Angeli*, de quibus vide Cap. XXI. ſub finem. ANN. CXLVI.

VII. Nec tantùm hæc in Aſia obtinuerunt, „ ſed Marcoſii talia dicentes & facientes etiam in Rhodanuſiæ tractibus (hoc eſt, in agris „ Rhodano adſitis) multas deceperunt mulieres; quæ, *ut ſubjungit* „ *Irenæus*, cauteriatam habentes conſcientiam, aliæ palam rem con„ fitentur, aliæ pudore ductæ, & paullatim in deſperationem vitæ Dei „ delapſæ, partim prorſus defecerunt; aliæ verò in utramque partem „ propendent, atque, ut proverbio fertur, nec intra, nec extra conſiſtunt. Hinc intelligimus cur tam copioſè abſurda dogmata confutarit *Irenæus*; quia, nimirum, in locis Rhodano adjacentibus graſſabantur.

VII. Sed & Cap. XXI. *Irenæus* profert quaſdam alias preces Græcè & Hebraïcè, ſed ita corruptis verbis, ut nullum, aut exiguum Hebraïcæ Linguæ, in iis, deprehendatur veſtigium. Videntur autem hæ preces, quas & ἀπολυτρώσεις vocat, formulæ quædam, quas adhibebant in ritibus neſcio quibus, inter quos & Chriſtianum Baptiſmum videtur nonnulla fuiſſe adfinitas; aut etiam, ut liberarent moribundos, vel mortuos [21] ab inferioribus Poteſtatibus, ne ad ſuperiora adſcendere vetarentur. Hæc omnia aliáque exigui ad Hiſt. Eccleſiaſticam momenti, apud *Irenæum* & *Epiphanium*, qui Græca ejus verba habet, quærentur; conſulentúrque ſimul eorum Interpretes, qui obſcuris hiſce dogmatibus lucem inferre conati ſunt.

Sex Erucio Claro II. Cn. Claudio Severo COSS. Antonini Pii Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti CXLVI.

I. Hegesippus his temporibus floruit, cùm ſub Aniceto Romam veniſſe eum conſtet. *Euſebio* Hiſt. Eccl. Lib. II. c. 23. [1] *in prima Apoſtolorum ſucceſ-*

ne, Lib. III. c. 3. ubi de hoc *Irenæi* loco pluribus agit.

15 *Irenæus*] Cap. XIII. ſub finem.

16 *Nec ſe cerni* &c.] Similia jactaverant Baſilidiani. Vide ad Ann. LXXIV, 8.

17 Ἀπολυτρώσεις] Sunt quidem propriè *redemtiones*, ſed cùm fierent prolatione orationum, nullo λύτρῳ perſoluto, ſunt liberationes intelligendæ; quomodo verbum ἀπολυτρόω non raro ſumitur, apud LXX. Intt.

18 *Sophia*] Ultima Duodecadis Valentinianæ, cujus Enthymeſis dicta eſt Mater *Achamoth*, è qua ortus erat *Demiurgus*, ſeu Creator, ac proinde homines.

19 *Mœchum & adulteram*] Hoc colligimus ex ultimis precum verbis & iis, quæ proximè ſequuntur.

20 *Quibus nimiùm audax* &c.] *Achamoth*, de qua vide ad Ann. CXXI, 9. & ſeqq.

21 *Ab inferioribus* &c.] Hæc intelligi poterunt è doctrina Carpocratis, de qua diximus ad An. CXX, 2. multa enim communia habuerunt veteres hi Hæretici.

1 *In prima* &c.] Ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν Ἀπο-

ANN. CXLVII, & CXLVIII.

ſucceſſione fuiſſe dicitur. Scripſerat ὑπομνήματα, ſeu *Commentarios* de Hiſtoria Eccleſiaſtica, è quibus protulimus ad Ann. LXII, 3. hiſtoriam Martyrii Jacobi, primi Epiſcopi Jeroſolimitani, fide parum dignam; ad Ann. XCV, 4. quæ de Chriſti conſanguineis, eo tempore ſuperſtitibus, prodiderat; denique ad Ann. CXVI, 3. & ſeqq. quæ de Symeonis, Jacobi Fratris, Martyrio ſtatúque Eccleſiæ Jeroſolimitanæ, eo tempore, ubi & alia ſuſpecta occurrunt, litteris mandarat, omnia ex *Euſebio* depromta. Docet idem Scriptor H. E. Lib. IV. c. 8. eum ſignificaſſe tempus, quo innotuit, cùm de iis, qui ſimulacra primùm invexerant, ſic ſcribat: *Quibus Cenotaphia & Templa ſtruxerunt, uſque ad hæc tempora. Ex quibus fuit Antinous, Hadriani Cæſaris ſervus, cujus certamen Antinoënm celebratur, qui & tempore noſtro fuit. Nam & urbem Antinoi cognominem condidit & Prophetas inſtituit.* [2] Unde liquet, ut putat, temporibus Hadriani eum vixiſſe, quod non obſtat quominùs ad M. Antonini tempora vitam produxerit; ſub quo eum quoque collocat *Euſebius* Lib. IV. c. 21. Ipſe c. 22. teſtatur ſe Romam, ſedente Aniceto, navigaſſe, qua de cauſa ejus hìc meminimus; ſed quia Commentarios ſuos ſub Eleuthero demum ſcripſit, aut edidit, de eo iterum agemus ad Ann. CLXIII.

Largo & Meſſalino COSS. Antonini Pii Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti CXLVII.

I. Hoc anno [1] eruditiſſimi Chronologi M. Aurelium ab Antonino Pio Tribunitiâ Poteſtate & Imperio Proconſulari extra Urbem donatum; hoc eſt, Collegam Imperii creatum, è nummis ac Hiſtoricis, oſtenderunt. Quod annorum ſeriei ſervandæ causâ adnotamus, quamvis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam nihil, aut parum faciat.

C. Bellicio Torquato II. Juliano COSS. Antonini Pii Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti CXLVIII.

I. Circa hæc tempora (de annis enim certum nihil dici poteſt) fuit ſecta Heracleonitarum, à quodam Heracleone dicta, quem quaſi Valentinianum, cum Ptolemæo conjunxit [1] *Irenæus* Lib. II. c. 4. Verùm

Ἀποςόλων γενόμενος διαδοχῆς, quæ verba ad ſeriora tempora eum differri non poſſe oſtendunt. Ac ſanè eum facit *Euſebius Juſtino* æqualem, quamvis diutiùs multò vixerit *Hegeſippus*.

2 *Unde liquet* &c.] *Henr. Valeſius* ad *Euſebii* H. E. Lib. IV. c. 8. non rectè ab eo collatum in tempora Hadriani putat *Hegeſippum*. Nec falsò locum, de Antinoo, id non evincere putat; nam poſt Hadriani tempora, ſcriptus potiùs videtur. Verùm temerè credidit *Euſebium* c. 21 & 22. ejuſdem Libri, quaſi priorem ſententiam retractantem, *Hegeſippum* conferre in tempora M. Antonini, cùm à morte Hadriani, ad initium M. Aurelii effluxerint tantùm viginti tres anni.

1 *Eruditiſſimi* &c.] Vide *Ant. Pagium*, ad hunc annum.

1 *Irenæus*] Lib. I. c. 34. è vetere, 30. è nova diſtinctione.

2 *Quas Irenæus*] Confer *Epiphanium* cum Irenæo

rùm *Epiphanius*, in Heracleonitarum Hæreſi, quæ eſt XXXVI. Colorbaſi ſucceſſorem facit, ſectámque peculiarem ei tribuit. Attamen ubi Valentinianis dogmatibus ab eo addita tradere adgreditur, nihil habet ſingulare, præter quàm quod negat uſum eſſe eadem formula liberationis; qua alii moribundorum animos contra inferiores Poteſtates tuebantur, quæ impediebant, ne ad Pleroma revolarent; &, quod magis mireris, eaſdem formulas profert, [2] quas *Irenæus* Marcoſiis tribuit; unde colligere eſt *Epiphanium*, Hæreſium augendi numeri perquàm cupidum, quamvis nihil hîc habeat quod *Irenæo* non debeat, ut adcuratior videretur, unam Hæreſin in duas diviſiſſe; [3] quod & alibi ab eo factum conſtat. Auctor additamentorum, quæ ſunt ad calcem Libri *Tertulliani*, de Præſcriptionibus Hæreticorum, Cap. XLIX. paria ſenſiſſe Heracleonem cum Valentiniano, ait, *ſed novitate quadam pronunciationis voluiſſe videri alia ſentire.* Quod quid ſibi velit non docet, nec divinatione nunc adſequi poſſumus. ANN. CXLIX.

II. Heracleonis aliquot fragmenta, è Commentariis in Lucam & Joannem, à *Clemente* Alexandrino & *Origene* producta [4] collegerunt viri docti; in quibus nihil, niſi Valentiniana deliria ac interpretationes contortas & violentas cernere licet. Itaque iis non immorabimur.

Ser. Sulpicio Orfito, Q. Nonio Priſco COSS. *Antonini Pii Imp. XII. Æræ Vulgaris Chriſti* CXLIX.

I. Multis deſcripſit [1] *Irenæus* ſectam quamdam, quæ, in inſcriptione Capitis, *Ophitarum* & *Sethianorum* dicitur, videtúrque Gnoſticorum fuiſſe, potiùs quàm Valentinianorum; quamvis etiam nonnulla, ut opinor, haberent à Valentino mutua. *Epiphanius* verò, Hæreſium numeri augendi ſtudio, geminam ſectam fuiſſe credidit, & dogmata neſcio quæ utrique ſectæ adtribuit, nam *Irenæum* hîc non ſequitur. *Ophitas* dictos vult, quòd Ὄφει, id eſt, Serpenti ſcientiam omnem tribuerent & cognitionis fuiſſe auctorem dicerent, proptereáque colerent. Vereor tamen ne hoc ſit convicium in eam Sectam jactum, ex eo quòd dicerent de *Serpente*, filio Creatoris, quem Jaldabaoth vocabant. Fortè ſe

Irenæo L. I. Cap. XVIII. ex antiqua diviſione, aut XXI. ex nova.

3 *Quod & alibi*] Vide ad Annum ſequentem, de Hæreſi Ophitarum & Sethianorum.

4 *Collegerunt*] *Joan. Erneſt. Grabius*, in Spicilegio Sæculi II. atque ex eo *Ren. Maſſuetus* ad calcem *Irenæi*.

1 *Irenæus*] Lib. I. c. 34. è vetere diſtinctione, 30. è nova. Mirum eſt *Epiphanium*, qui ſolet verbotenus *Irenæum* ſequi, hîc, eo relicto, obſcurè admodum & jejunè in Hæreſ. XXXVII, & XXXIX. de Ophitis & Sethianis egiſſe; quæ prætermittimus, quia ſoli adfirmanti credere parum tutum judicamus; nec proinde recentioribus Scriptoribus, qui ex eo pleraque hauſerunt, & propriis adſumentis magis ac magis depravarunt.

ANN. CXLIX. ſe ipſi *Sethianos*, à Setho Adami filio, honeſtiore certè vocabulo, adpellari volebant.

II. PAUCIS portenta, quæ iis tribuuntur, memorabimus; nam ea ſingillatim exponere, è barbara & obſcura *Irenæi* verſione, longum, tædioſum, & inutile eſſet. Deſcribebant ergo primum Numen, quaſi lumen quoddam in Bytho, beatum, immortale, & infinitum. Pater omnium fuit, vocabántque etiam *primum Hominem*. Ennœam ab eo emiſſam filium ejus, & *ſecundum Hominem* & *filium Hominis* dictitabant. Contrà de Spiritu, qui ferebatur ſupra aquam, tenebras, abyſſum, chaos, loquebantur quaſi de [2] *prima Fœmina*; è qua primo Homini, filióque ejus natum eſſe ajebant filium, quem Chriſtum vocabant. Hæc unà cum filio incorrupti Æones facti erant, dicebatúrque illa *Mater viventium*, ſancta & vera Eccleſia.

III. CHRISTUS dextrorſum è matre eruperat & ſuperiora petierat; ſed ſiniſtrorſum, & inferiora versùs deciderat alia Potentia, cui Sophiæ nomen erat, & quam etiam [2] Prunicon, & Maſculo-fœminam dicebant. Hæc deciderat in aquam, unde corpus ſibi ſumſerat, quo depreſſa quidem fuerat; ſed tamen, cùm ad ſe rediiſſet, non potuerat impediri quominùs tandem ad ſuperiora reverteretur; ubi cœlum, quod videmus, è corpore ſuo fecit; cúmque ſuperiore lumine illuſtrata fuiſſet, corpus planè depoſuit.

IV. FILIUM hæc habuit, qui & poſteros vidit, ad ſextum nepotem uſque; ita ut ejus poſteri Hebdomadem cum eo confecerint, in qua natu majores minoribus natu dignitate ſuperiores erant. Nominibus Hebraïcis, ut imperitis docti viderentur, quod & [4] antiquiores Gnoſtici fecerant, conditorem gentis & poſteros vocarunt. Nomen *Jaldabaoth* videtur eſſe יה אל צבאות jah el [5] tsbaoth, *Jah Deus exercituum*; filius *Jao* eſt יהוה *jahwoh*, quæ eſt pronunciatio priſca vocis; nepos *Sabaoth* צבאות *tsbaoth*, exercitus; pronepos *Adonæus* ארני *adonai*, Dominus; abnepos *Eloeus* אלוה *eloha*, Deus; adnepos *Horeus* אור *or*, lux; filius ejus *Aſtaphæus*, fortè הצופה *hatſopheh*, ſpeculator, niſi ſit vox corrupta. Suſpicabar *Aſſaddæus*, ex השרי *haſſchaddai*, ſufficiens, quod nomen eſt Dei; & ſunt ſanè frequentia, in vocibus Hebraïcis, menda. Poteſtates & Angelos præterea genitos à Jaldabaoth aiebant, eóſque omnes, pro natalium ordine, unà cum Angelis, cœlis præeſſe.

V. ORTA, inter conditorem gentis & poſteros, de principatu contentione, Jaldabaoth genuit fœtum, ſerpentis formâ, quem vocabant *Nun*, Intellectum; qui tamen patri ſuo non minùs adverſatus eſt, quàm fratres.

2 *Prima Fœmina*] Fortè à Judæo acceperant, aut à verſione *Aquilæ*, quæ κατ' ἀκρίβειαν dicebatur, ſi modò exſtabat, vocem Hebraïcam רוח *rouahh*, quæ *Spiritum* ſignificat, fœminini eſſe generis, Gen. I, 2. ubi quaſi *incubans* aquis deſcribitur. Hi plani multa Judæis & Chriſtianis debebant, quæ commentis ſuis corruperant.

3 *Prunicon*] Vide de hac voce ad Ann. LXXVI, 8.

4 *Antiquiores*] Vide ad Ann. LXXVI, 4.

5 *Tſbaoth*] Poterat pronunciari *Dabaoth*, propter

fratres. Jaldabaoth verò, propter ſibi ſubjectos, gloriatus exclamavit: *Ego Pater & Deus & ſupra me nemo.* Quâ voce auditâ, ſic eum mater increpuit: *ne mentiaris, Jaldabaoth, eſt enim ſupra te pater omnium, primus Homo & Homo filius Hominis.* Sed Jaldabaoth irritatus vocavit Angelos, quibus dixit: *venite faciamus Hominem ad ſimilitudinem noſtram,* cui è ſua Enthymeſi, hoc eſt, cogitatione educto, inſufflavit Jaldabaoth ſpiritum vitæ. Deinde uxorem Evam ei dedit, cum qua & Angeli concubuerunt, unde nati ii, quos Angelos vocant. I. Ex hiſce commentis, ſatis liquet *Jaldabaoth* vocari creatorem humani generis, ac proinde nos rectè interpretatos eſſe *Jehovam Deum exercituum,* quo nomine ſæpe à Prophetis vocatur. II. Hinc quoque intelligimus Sethianos aut Ophitas, quemadmodum Veteres alios Hæreticos, negaſſe [6] Deum Judæorum, ſeu Creatorem Mundi, ſummum eſſe Deum. Qui Philoſophiæ peritos hos, alióſque ſimiles Hæreticos dixerunt, magnâ ſanè injuriâ Philoſophiam adfecerunt. Qui enim in Mundo nec potentiam nullis clauſam limitibus, nec inexhauſtam bonitatem vident; è quibus colligere eſt Creatorem ejus eſſe ſummum & unicum Deum; ii ne elementa quidem aut Philoſophiæ Naturalis, aut Dialecticæ adtigerunt, & ipſis Ethnicis Philoſophis cæciores fuerunt. ANN. CXLIX.

VI. Addebant Matrem (Jaldabaothi, ut videtur) cogitaſſe de Adamo & Eva tentandis, an Jaldabaothi præceptum (de non comedendo fructu) perrumpere vellent; uſámque eam in rem Serpente, cui Eva, quaſi Dei filio, facilè credidiſſet, Adamóque etiam perſuaſiſſet, ut comederet fructum à Deo vetitum. Tum Adamum & Evam expulſos Paradiſo, & diris à Jaldabaotho devotos liberos nullos è conjugio ſuo habuiſſe; dejectúmque ipſum Serpentem è cœlo, in poteſtatem ſuam redegiſſe Angelos, qui erant in terris, & ſex alios procreaſſe, qui cum eo Hebdomadem conficerent, Patris ſui Hebdomadi ſimilem; atque hos ſeptem Dæmonas eſſe, qui in terris hominibus adverſarentur, eò quòd Serpens, propter eos, è cœlo deturbatus eſſet. Quæ omnia ſunt Hiſtoriæ Sacræ mera corruptio, aut inſanorum putida commenta, ut & cetera.

VII. Sophiam deinde, vel [7] Prunicon in meliorem ſtatum Homines revocaſſe, ſuperno lumine illuſtratos, unde factum erat ut, ejus ope, eſcâ inventâ, concubuiſſent, gravidáque facta Eva peperiſſet Caïnem; qui à Serpente quàm primùm ſeductus Abelem, poſtea natum, occiderat. Prunici providentiâ, natos eſſe poſtea Sethum & Noream, unde prognati eſſent reliqui omnes homines. Inferiorem verò Hebdomadem Serpentis homines ad omne vitiorum & ſcelerum genus impuliſſe;

propter litterarum *Daleth* & *Tſade* adfinitatem, præſertim in Lingua Arabica.

6 *Deum Judæorum*] Vide ad Ann. LXXVI, 8. LXXVIII, 3. LXXIX, 3. CXXI, 11.

7 *Prunicon*] Vide ad Ann. LXXVI, 8. Eo nomine videntur Sethiani Providentiam intellexiſſe, ſi quis ſanus ſenſus eorum ſomniis tribui debeat.

ANN. CL. liſſe; dum Sophia inconſpicuâ ratione pravæ Hebdomadi adverſaretur, & ne lumen, quo homines illuſtrarat, exſtingueretur impediret. Superiorem Hebdomadem eſſe ſeptem Planetas, Serpentémque duplici nomine Michaëlem & Samaëlem dici.

VIII. Jaldabaothum iratum hominibus iis immiſiſſe Diluvium, ſed à Prunico ſervatum Noachum & qui unà erant in Arca, propter lumen quo eos illuſtrarat; ab hiſce iterum propagatum humanum genus, è quo Jaldabaoth elegiſſet Abrahamum, cum quo & ejus poſteris fœdus percuſſerat; Moſem eduxiſſe Hebræos ex Ægypto, legémque eis dediſſe; deinde ex eo populo ſeptem Deos, quos Sethiani ſanctam Hebdomadem vocabant, elegiſſe ſibi Prophetas quoſdam ex iis, quorum Libros habemus, aut quorum mentio fit, in Vetere Teſtamento, & per eos eſſe loquutos; Sophiam ipſam adflaſſe iis vaticinia de Chriſto & curaviſſe ut Jaldabaoth, neſcius quid ageret, duos homines, alterum ex Eliſabetha ſterili, alterum è Maria Virgine naſci curaret.

IX. Sophiam, cùm nulla frueretur quiete, ad auxilium Matris confugiſſe, quæ Chriſtum ut ei opem ferret, in Jeſum demiſerat; eum *quippe è Virgine per operationem Dei generatum*, *ſapientiorem*, *mundiorem & juſtiorem omnibus hominibus fuiſſe*; multos è Diſcipulis Jeſu ignoraſſe deſcenſum in eum Chriſti, qui cùm deſcendiſſet, tum demum cœpiſſe Jeſum miracula facere & ſe manifeſtò filium *primi Hominis* profiteri; cùm duceretur ad ſupplicium, Chriſtum & Sophiam ad immortales Æones rediiſſe, Jeſúmque crucifixum & mortuum, ſed à Chriſto revocatum in vitam; nec tamen agnitum à Diſcipulis, quòd corpore ſpirituali, non carnali, indutus eſſet; adſcendiſſe in cœlum, animáſque ſanctas ad ſe revocare, inſcio patre Jaldabaotho; finem denique omnibus impoſitum iri, quando Spiritus luminis, qui apud homines eſt, prorſus collectus fuerit atque in Æonem immortalem abreptus.

X. Quidam etiam ipſam Sophiam ſerpentem factam docebant, ideóque creatori Adami adverſatam & homines ſcientiæ participes feciſſe, qua de cauſa Serpentem omnium ſapientiſſimum dictum. Volebant & inteſtina noſtra, per quæ alimentum fertur, eò quòd ſerpenti ſimilia ſint, oſtendere abditam in nobis eſſe generandi ſerpentis facultatem. Quæ quidem longè abſurdiſſima ſunt, ſed vix Serpentem ab iis cultum propterea ex iis collegeris. Hinc Ophitæ videntur dicti. De Sethianis non agemus, cùm iidem fuiſſe videantur. Certè *Irenæus* nullum iis dogma ſeorſim tribuit.

Gallicano & Vetere COSS. Antonini Pii Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti CL.

I. Superſunt [1] ex *Irenæo* memorandi Caïani, aut potiùs Caïniani; qui, ut ait, Caïnem à ſuperioribus Æonibus deducebant, & doce-

1 *Ex Irenæo*] Lib. I. c. 35. ex vetere diviſione, 38. ex nova.

docebant, ſi credimus eorum adverſariis, Eſavum, Corachum, Sodomitas & omnes ejuſmodi homines ſuos eſſe; à Creatore eos oppugnatos, mali tamen nihil paſſos eſſe, quòd Sophia quidquid ſuum erat in illis abripuiſſet; Judam proditorem Domini hæc probè ſciviſſe, quare eum prodidiſſe, quâ proditione terrena & cœleſtia omnia diſſoluta eſſent; quæ commenta *Judæ Evangelium* vocabant; Hyſteræ, quo nomine Creatorem cœli & terræ vocabant, opera diſſolvenda eſſe, nec ſe poſſe ſervari niſi per omnia (*flagitia*) irent, quod & Carpocrates docuerat; omni peccato Angelum adeſſe, cui quidquid mali delictis inerat, tribuendum eſſet, & dicendum, *ô Angele, abutor opere tuo: ô Poteſtas, opus tuum perficio*; atque hoc eſſe ſcientiam perfectam talia, ſine ullo metu, facere, quæ ne nominari quidem fas eſt. ANN. CLI.

II. HÆC *Irenæus*, qui memoratorum Hæreticorum infenſiſſimus quidem adverſarius fuit, & qui fortaſſe mentem eorum ubique non eſt adſequutus. Attamen tam impia & tam abſurda ſunt, quæ profert, & tanto numero, ut, ſi quid fortè minùs rectè intellexerit, quin impietatum & abſurditatum innumerarum verè rei fuerint dubitare non liceat. Vel ipſa obſcuritas, quâ dogmata ſua velabant, oſtendit nihil, quod iis eſſet ſingulare, quódque religioſis hominibus placere poſſet, ab iis prolatum fuiſſe. Veritas enim & ſanctitas dogmatum nullâ re magis placent & capiunt animos, quàm perſpicuitate, quæ numquam in ejuſmodi rebus nimia eſſe poteſt. Quare cùm dixerit Socrates, de obſcuro *Heracliti* libro, quæ intellexiſſet bona eſſe, qua de cauſa & quæ adſequutus non eſſet bona etiam putaret; id inverti, hoc in negotio, poſſe exiſtimo, & quandoquidem veterum Hæreticorum placita ſingularia, quæ intelligimus, falſa & impia ſunt; meliora non eſſe putanda, quæ adſequi non poſſumus, quam ob rem denſis tenebris ſunt circumſepta.

Quinctilio Condiano, Quinctilio Maximo COSS. Antonini Pii Imp. XIV. Æræ Vulgaris Chriſti CLI.

I. EPIPHANIUS, poſtquàm egit de Sethianorum Hæreſi, [1] progreditur ad Hæreſin neſcio quam, quam vocat *Archonticorum*. Vix extra Palæſtinam nota erat, quamvis in Armeniam quoque minorem irrepſiſſet. Eam tribuit *Epiphanius* Petro cuipiam, à quo neſcio quis Eutactus eam accepiſſet, ſub finem Imperii Conſtantii. Videtur tamen ab antiquioribus Gnoſticis hauſta fuiſſe, quorum quædam deliria profert confusè, pro more ſuo, *Epiphanius*. Quia verò an medio Sæculo Secundo jam fuerint Archontici nobis non liquet, nec hiſce temporibus ulla occurrit eorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis, mentio; eos prætermittemus.

Sex,

1. *Progreditur* &c.] Hæreſi XL. quam vide, ſi de Archonticis plura ſcire cupias.

ANN. CLII.

Sex. Acilio Glabrione, Valerio Omullo Veriano COSS. *Antonini Imp. XV. Æræ Vulgaris Chriſti* CLII.

I. Hoc anno, vulgò credebatur emiſſum Antonini Pii reſcriptum, quo Chriſtiani vexari vetabantur, idque propter Apologiam I. ei à *Juſtino* oblatam anno CL. Sed [1] adcuratiores Chronologi & Apologiam decennio citiùs prodiiſſe, & reſcriptum, non Antonini Pii, ſed M. Aurelii, ad Ann. CLXIX. eſſe differendum oſtenderunt.

II. Ad ultimum Aniceti annum referendum cenſuimus, quod de itinere Polycarpi Romam prodidit *Irenæus* Lib. III. c. 3. quia ſub Aniceto quidem factum docet, de anno verò nihil habet. Res citiùs quidem contigiſſe, ſed ultra hunc annum, aut ſequentis fortè partem differri non poteſt, ex calculo, quem ſequimur; [2] cùm Aniceto, anno ſequente, ſucceſſerit Soter. Multos, ſi *Irenæo* credimus, Valentinianos & Marcionitas ad ſaniorem de Religione ſententiam revocavit; dum id, quod docebat, ab Apoſtolis accepiſſe ſe fidem faceret. Quin & ipſi Marcioni, aliquando ſibi occurrenti, quærentique, an ei notus eſſet, reſpondit: *novi te primogenitum Satanæ.* Quo elogio dignus erat, non quivis, bonâ fide, in quemvis errorem delapſus; ſed impoſtor, & qui auderet duo Principia tueri, Mundique Creatorem malum eſſe dicere, aliáque id genus portenta, quæ vix cum ulla Religione conſiſtere poſſunt.

III. Eusebius H. E. Lib. IV. c. 14. vult Polycarpum Romam iviſſe, propter contentionem de die, quo Paſcha celebrandum eſſet, exortam, auctorémque ejus rei profert *Irenæum*, qui tamen de cauſa itineris nihil habet. Erant quidem certè, ea de quæſtione, jam ſermones inter Chriſtianos, ſed nondum, inter diſſentientes, acriores exarſerant rixæ. Quare videtur Romam, aliqua alia de cauſa, ex Aſia ſe contuliſſe Polycarpus; cúmque, ut habet *Irenæus*, in fragmento Epiſtolæ ad Victorem, quod exſtat apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 24. exigua quædam eſſet inter eos, de aliis nonnullis rebus, controverſia, ſtatim pacem

1 *Adcuratiores Chronologi*] Vide *Anton. Pagium* ad Ann. CXLVIII, 5. & quæ habemus ad Ann. CXXXIX.

2 *Cùm Aniceto*] De initio Soteris ſententiam *Henr. Dodwelli* ſequuti ſumus. *Euſebius* Anicetum primùm ſedere cœpiſſe Anno Chriſti CLIV. vult in Chronico, & ad eum annum habet ſub Aniceto *Polycarpum Romam veniſſe*; ſed, hoc ipſo anno, rem contigiſſe non adfirmat. Faſti Siculi iter differunt in annum CLVIII. quo Tertullus & Sacerdos Conſules fuere; quam ſententiam ſequitur *Ant. Pagius*, ad Ann. CLXV, 5. Cui licèt non adſentiamur, in temporibus primorum Urbis Romæ Epiſcoporum, non difficulter tamen adſenſum præbemus, in eo quòd hoc iter ad ſummam Polycarpi ſenectutem differendum eſſe non putat; quod nec, ex calculo quem ſequuti ſumus, fieri poteſt.

3 *Cum Joanne*] Lunâ XIV. poſt Æquinoctium Vernum, cùm alii Die Dominico Lunam XIV. ſequente Paſcha celebrarent. Eſt cur dubitemus an Apoſtoli umquam Paſchalem diem, quaſi feſtum, adcuratè obſervarint, & obſervandum eſſe alios

cem inter ſe habuerunt, nec de hoc capite vehementer inter ſe contenderunt. Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere umquam potuit, ne obſervaret quæ [3] cum Joanne, Diſcipulo Domini, aliiſque Apoſtolis, cum quibus verſatus erat, ſemper obſervarat. Neque item Polycarpus Aniceto perſuaſit, ut idem ſecum obſervaret, ſibi retinendam conſuetudinem [4] Presbyterorum, qui ante ſe fuerant, dicenti. Quæ cùm ita eſſent, unà Euchariſtiam celebrarunt, & in Eccleſia Anicetus, honoris causâ, Polycarpo [5] munere Præſidis defungendi vices conceſſit. Deinde, amicè à ſe invicem diſceſſerunt; tam iis qui Romanum morem, quàm qui Aſiaticum obſervabant, pacem inter ſe mutuam colentibus. Qua de controverſia, pluribus, ubi ad Victoris, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, tempora deventum erit, dicemus. Interim Anicetum & Polycarpum, propter merum ritum, hoc eſt, rem dubiæ, mediæque naturæ, pacem abrumpendam non eſſe judicantes, modò ne contra animi ſui ſententiam quidquam facere cogerentur, meritis laudibus adficiemus. Geſſerunt ſe, prout veros Chriſtianos, quibus nihil eſt mutuo amore antiquius, decuit; atque utinam Rectores omnes Eccleſiarum Chriſtianarum eos eſſent ſemper imitati! Magnis certè in Deum & homines delictis, innumeriſque calamitatibus obviam iviſſent. ANN. CLIII, & CLIV.

C. Bruttio Præſente, A. Junio Rufino COSS. Antonini Pii Imp. XVI. Æræ Vulgaris Chriſti CLIII.

I. Mortuo Aniceto ſucceſſit, hoc anno, Soter in ſede Romana; quod multis argumentis probatum dedit [1] egregius Chronologus, qui conſuli hac de re poterit; nos enim à Chronologicis tricis, quoad ejus fieri poterit, abſtinere ſtatuimus.

L. Aurelio Commodo, T. Sextio Laterano COSS. Antonini Pii Imp. XVII. Æræ Vulgaris Chriſti CLIV.

I. His temporibus, certè dum Romæ ſederet Soter, [1] concitatæ videntur, in Græcia & alibi, vexationes Chriſtianis, quarum meminit *Melito*

alios docuerint; quia, ſi ita ſe res haberet, conſtantior fuiſſet & ſui ubique ſimilis traditionis eorum memoria, in qua tamen Romani ab Aſiaticis diffidebant. Nec ejuſmodi dies feſti quidquam habent, quod cum Religionis Chriſtianæ natura ſit conjunctum. Nemini tamen propterea controverſiam movendam cenſuerim; niſi fortè, quaſi fidei Chriſtianæ caput neceſſarium, obſervationem ejuſmodi Feſtorum Dierum, de quibus nihil eſt in Novi Teſtamenti libris, aliis imponere conetur. Hoc demum vituperandum, non obſervatio ipſa, quæ res eſt media.

4 *Presbyterorum*] Sic vertit *Valeſius*; hoc eſt, Epiſcoporum, more loquendi antiquo. Quod ſi quis malit *antiquiorum*, per nos licet.

5 *Munere Præſidis*] Quod deſcripſimus, è Juſtino Martyre ad Ann. CXXXIX.

1 *Egregius Chronologus*] *Henr. Dodwellus* de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum C. XIV, 1, 2.

1 *Concitatæ videntur*] Vide eumdem *Dodwellum* Ibid.

ANN. CLV. *Melito* Sardianus, apud *Euſebium* Lib. IV. c. 26. Queritur, in Apologia ad M. Aurelium ſcripta „ [2] quod numquam antea factum fuerat, „ perſequutionem tunc paſſum piorum hominum genus, novis per Aſiam decretis exagitatum; impudentes enim delatores & alienarum „ opum cupidos, ex edictis occaſionem nactos, palam interdiu noctúque „ graſſatos, atque homines innoxios ſpoliaſſe. Quod intelligendum, ut videtur, de edictis, quæ nomine M. Aurelii per Aſiam vulgata fuerant; & quorum causâ, Aſiæ Civitates Chriſtianos vexandi occaſionem adripuerant. Quod ſi, inquiebat *Melito*, Marcum ipſum compellans, „ hæc tuo juſſu fiant, rectè atque ordine facta ſunto; [3] neque enim „ fieri poteſt, ut juſtus Princeps umquam quidquam injuſtè conſtituat; „ & nos libenti animo ejuſmodi mortis præmium ferimus. Quæ quamvis ſub imperio M. Aurelii facta & ſcripta ſint, ſimilia tamen iis contigiſſe antea ſub Antonino ex ſequentibus liquebit.

C. Julio Severo, M. Rufino Sabiniano COSS. *Antonini Pii Imp. XVIII. Æræ Vulgaris Chriſti* CLV.

I. Scripsit, in eadem Apologia, *Melito*, „ M. Aurelii patrem, „ [1] quo tempore Marcus omnia cum eo adminiſtrabat, auditis iis quæ „ fiebant in Chriſtianorum perniciem, in Græcia, ſcripſiſſe ad Civitates, ne quid de Chriſtianis novarent, & nominatim quidem ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique „ Græcos. Quæ manifeſtò oſtendunt ante mortem Antonini Pii, cùm particeps jam Imperii eſſet M. Aurelius, ſimilia paſſos eſſe Chriſtianos iis quæ poſtea ſub ipſo M. Aurelio tulerunt, & quæ qualia fuerint, ex verbis ad Annum ſuperiorem prolatis intelligere eſt; nempe, Civitatum

2 *Quod numquam antea*] Verba Græca habent: τὸ οὐδὲ πώποτε γενόμενον νῦν διώκεται τὸ τῶν θεοσεβῶν γένος, καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι κατὰ τὴν Ἀσίαν. *Nova* illa *decreta* fuerunt, ut videtur, decreta Civitatum Aſiæ, quæ nitebantur reſcriptis, aut, ſi mavis, *conſtitutionibus*, διατάγμασι, quæ dicebantur eſſe M. Aurelii, nec tamen erant. Ceterùm obiter nobis obſervandum Chriſtianos hîc dici τὸ θεοσεβῶν γένος, ac proinde ἡμέτερον γένος rectè intelligi de Chriſtianis, apud *Juſtinum*, in Dialogo cum Tryphone, ut diximus ad Ann. CXL.

3 *Neque enim fieri poteſt* &c.] Hæc non ſunt intelligenda, quaſi, jure Naturæ, poſſent Principes in aliter ſentientes de Religione ſævire; aut injuſtitiæ arguendi propterea non eſſent, quòd Leges in eos ſummam auctoritatem contuliſſent. Aliter ſenſerunt Chriſtiani, ut ex eorum Apologiis ſatis liquet, & præſertim ex Apologetico *Tertulliani* C. IV. Vult *Melito* idem quod dixit *Paulus* Juriſconſultus Tit. D. de Juſtitia & Jure, L. *jus pluribus*, his verbis: *Prætor quoque* jus reddere *dicitur*, *etiam cùm iniquè decernit*; *relatione*, *ſcilicet*, *factâ*, *non ad id*, *quod ita Prætor fecit*; *ſed ad id*, *quod Prætorem facere convenit.* Si verba Melitonis: δίκαιος γὰρ βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιτο πώποτε; plus ſignificare videntur, id adſignandum reverentiæ, quâ Imperatorem par erat compellari, & *Melitonis* comitati.

1 *Eo tempore* &c.] Ibidem apud *Euſebium*: ὁ δὲ πατήρ σου, καί σου τὰ σύμπαντα διοικοῦντος σὺν αὐτῷ, ταῖς πόλεσι περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν ἔγραφεν, καὶ τὰ ἑξῆς. Quibus reſcriptis non ſuſtulerunt Antoninus Pius & M. Aurelius omnem perſequutionem

tum decretis occaſionem ſumentium ex edictis Imperatorum, quæ circumferebantur, malè habitos Chriſtianos. ANN. CLVI.

M. Ceionio Silvano, C. Serio Augurino COSS. *Antonini Pii Imp. XIX. Æræ Vulgaris Chriſti* CLVI.

I. Circa hæc tempora, aut paucis annis ſeriùs, [1] *Dionyſius*, Corinthius Epiſcopus, egregias litteras dedit ad Soterem, Epiſcopum Romanum, totámque, quæ ei ſuberat, Eccleſiam; cujus Epiſtolæ partem debemus *Euſebio* Lib. IV. c. 23. in qua ſic Romanos adloquitur *Dionyſius*: „ Hæc vobis conſuetudo eſt, jam ab initio, ut fratres om-
„ nes vario beneficiorum genere adficiatis, útque Eccleſiis multis op-
„ pidatim vitæ ſubſidia mittatis. Quâ ratione, dum indigentium pauperta-
„ tem ſublevatis, & fratres, qui ſunt in metallis, ſuſtentatis; per hæc
„ quæ mittitis munera ab initio, Romani, Romanorum patrium mo-
„ rem retinetis. Quem non tantùm ſervavit beatus veſter Epiſcopus
„ Soter, [2] ſed etiam adauxit; dum ſuppeditat liberalia munera ſanctis
„ eroganda, & fratres peregrè advenientes, tamquam liberos ſuos pa-
„ ter amantiſſimus, beatis ſermonibus conſolatur.

II. Addit etiam *Dionyſius* lectam in Corinthia Eccleſia Epiſtolam, quam à Romanis acceperant; non minùs ac antiquiorem Epiſtolam [3] *Clementis*, ad Corinthios. „ Hodie, *inquit*, ſacrum diem Domini-
„ cum tranſegimus; quo Epiſtolam veſtram legimus, quam quidem
„ perpetuò legentes in poſterum, ut & priorem per Clementem ad nos
„ miſſam, noſtri officii admonebimur. Ex quibus liquet quanto ſtudio Chriſtiani, ut unius ejuſdémque corporis artus, prout poterant, & debebant, ſe invicem inopiâ, vel calamitatibus preſſos, aut adhortationibus

tionem in Chriſtianos, ſed vetuerunt tantùm ne quid fieret præter Trajani & Hadriani reſcripta; quibus dumtaxat vetabant, ne inquireretur in Chriſtianos, néve ſine accuſatore, qui eos in jus vocaſſet, & Chriſtianiſmi, apud Provinciarum Præſides, conviciſſet, plecterentur; quod & erga eos tantùm volebant fieri, qui nollent Chriſtianæ Religioni nuncium remittere. In hiſce, Græciæ Civitates neſcio quid novaſſe videntur.

1 *Dionyſius.*] Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμῖν ἔθος ἐστὶ τοῦτο, πάντας μὲν ἀδελφοὺς ποικίλως εὐεργετεῖν, ἐκκλησίαις τε πολλαῖς ταῖς κατὰ πόλιν ἐφόδια πέμπειν, καὶ τὰ ἑξῆς.

2 *Sed etiam adauxit*] Unde colligere eſt auctum eſſe eo tempore numerum hominum locupletum, in Eccleſia Romana, aut certè creviſſe liberalitatem Chriſtianorum; quam imitatus Soter, rerum oblatarum OEconomus, liberaliore largitione uſus eſt quàm antea, erga Chriſtianos indigentes, ubicumque eſſent. Sed ad eam laudem non adſpirarunt, qui collatis pecuniis in uſum ſuum converſis, Principes hujus mundi, potiùs quàm veteres Chriſtianos, imitati ſunt.

3 *Clementis ad Corinthios*] De qua egimus ad Ann. LXIX, 6. Hinc intelligere eſt lectos in Eccleſiis, non libros tantùm Apoſtolicos, quemadmodum Judæi Libros tantùm Veteris Teſtamenti Hebraïcè ſcriptos, in Synagogis legebant; ſed alios etiam, quos à viris piis & inſignibus ſcriptos, aptóſque eſſe ad alendam pietatem conſtabat. Nec propterea ſequitur Apoſtolicis eſſe æquatos.

ANN. CLVII. bus egentes, etiam procul remoti adjuvarent. Quod cùm ſemper neceſſarium fuerit, tum potiſſimùm vexationum tempore, ad Eccleſiarum Chriſtianarum ſalutem, maximi momenti fuit, ut ad Ann. XCIX. jam obſervavimus.

Barbaro & Regulo COSS. *Antonini Pii Imp.* XX. *Æræ Vulgaris Chriſti* CLVII.

I. Sub Sotere ortos, & quidem his temporibus, Phrygas, aut Hæreſin κατὰ Φρύγας, unde & ab aliis Cataphrygæ dicti, docet *Epiphanius*, in eorum Hæreſi, quæ eſt XLVIII. ubi circa annum Antonini Pii XIX. fuiſſe eos prodidit. Sed & Scriptor libri, qui *Prædeſtinatus* inſcribitur, éſtque [1] à *Jac. Sirmondo* editus, rem confirmat, cùm Hær. XXVI. teſtetur Soterem & Apollonium, Epheſium Antiſtitem, contra eos ſcripſiſſe; iiſque *Tertullianum*, Carthaginienſem Presbyterum, repoſuiſſe. Cui Scriptori, cur fidem, hac in re, derogemus nullam rationem eſſe putant [2] viri doctiſſimi; cùm liber, quo *Tertullianus* Soterem & Apollonium confutarat, Sæculo V. incolumis eſſe potuerit, & lectum reverâ conſtet ab Auctore *Prædeſtinati*, ut mox dicemus.

II. Originem autem Sectæ, cui Montanus nomen fecit, ſic deſcripſit [3] Scriptor vetus, qui eam oppugnarat, apud *Euſebium* Lib. V. c. 16. Ardaba vicus erat, in Myſia contermina Phrygiæ. Illic aiunt Montanum quemdam ex iis, qui non ita pridem Evangelio fidem habuerant, cùm immodicâ primi loci, inter Chriſtianos, cupiditate teneretur; ut ſibi majorem famam pararet, quàm quæ Neophyti eſſe poterat, Prophetam agere cœpiſſe. Tum verò, quaſi Spiritu correptus, agitari, & ſubito quodam furore ac mentis exceſſu concuti; deinde vaticinans ea dicere quæ nova eſſent, & præter Eccleſiæ inſtituta & mores, à primis temporibus ad hæc derivata. Ex iis, qui tunc temporis ſermones ejus audiverant, alii hominem, [4] quaſi à Cacodæmone obſeſſum & ſpiritu erroris actum, ac turbas in populo excitare conantem indignantes objurgabant & loqui ulteriùs prohibebant; alii verum Prophetam rati, ultrò cum ad loquendum invitabant. III.

1 *A Jacobo Sirmondo*] Primùm ſeorſim, deinde Operum Tom. I. col. 466. & ſeqq. Hinc conſtat non temerè *Epiphanium* Cataphrygarum Hæreſin, contrà quàm putabat *Dionyſ. Petavius*, in notis ad eam Hæreſin, ad hoc tempus retuliſſe.

2 *Viri doctiſſimi*] *Henr Dodwellus* Diſſert. de ſucceſſ. primorum R. E. C. XIV, 2.

3 *Scriptor vetus*] Nomen ejus non addit *Euſebius*.

4 *Quaſi à Cacodæmone* &c.] Multa mala à Cacodæmonibus fieri ſatis docent Scripturæ; ſed ſi quid homo nequam novi molitur, ut ſi prophetam contortionibus corporis, verbiſque ambiguis, fingit ac ſimulat; quod nequaquam eſt ſupra captum humanæ nequitiæ ac ſollertiæ; non eſt illico fraus humana Cacodæmoni tribuenda. Itaque neſcio an ſatis prudenter loquerentur Veteres, cùm paſſim hominum vitia & prava facta ei adſignarent, ánve ſapienter faceret Sotas Anchialenſis; qui Dæmonium Priſcillæ ejicere volebat, nî Hypocritæ obſtitiſſent, ut habet Claudius Apollinaris, apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 19.

5 *Si credimus Hieronymo*] Ep. XLIII. ad Cteſiphontem, adversùs Pelagianos, Tom. IV. col. 477. Ed. Paris. *Montanus immun-*

III. Verum ut nulla ratio erat cur verus haberetur Propheta, quæ certè ex Veterum monumentis colligi queat: ſic nec video quidquam à Montano factum, aut dictum, quod humanis adfectibus tribui non poſſit. Sat notum eſt Ecſtaſes, motus corporis violentos, vaticinia ambigua, aut de rebus remotis, poſſe fingi, arte humanâ, ſine ulla Cacodæmonis opera. Poſſunt etiam homines atrâ bile perciti multa ſibi ipſi perſuadere inania, quibus etiam alii, qui nimis creduli ſunt, fallantur. Morbum hunc hominis fuiſſe mors ejus, de qua poſtea dicemus, ſuadere videri poſſit; quamvis à fraude omni Montanum & quicumque eum ſequuti ſunt abſolvere nolim. Fraus enim & inſania non ſunt ejusmodi animi morbi, qui ſimul conſiſtere nequeant.

ANN. CLVII.

IV. Adjunxit ſibi Montanus Priſcam, aut Priſcillam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, quæ etiam Prophetidas egerunt, & quarum auro, [5] ſi credimus *Hieronymo*, Eccleſias multas corrupit. Videtur autem ſedem primùm fixiſſe in Phrygia, & quidem [6] Pepuzæ ac Tymii ejus provinciæ oppidulis, quæ Jeroſolimæ nomine honeſtabat, ut credulos eò adliceret. Multa in eorum mores ab adverſariis dicta, quibus ſatis tutò fides haberi nequit; quia nimio, hac in re, adfectu aguntur, [7] nec ſatis inter ſe conſentiunt. Nec tamen quiſquam ejuſmodi fanaticos abſolverit, qui plerumque credulorum reverentiam, laudes ac munera ſibi quærunt. *Apollonius*, Scriptor Eccleſiaſticus, inſimularat *Montanum* avaritiæ; quippe qui pecuniarum exactores conſtituiſſet, nomine oblationum munera captaſſet, & [8] doctrinam ſuam prædicantibus ſalaria præberet, ut per ventris ingluviem dogmata convaleſcerent. Quin & conjugia diſſolvebat, cùm ejus Prophetides, ſimul ac ſpiritu impletæ eſſent, viros ſuos deſeruiſſent. Diſcipulis etiam ejus multa ſimilia objiciebantur, quæ apud *Euſebium* legi poterunt.

V. Quædam eorum feruntur vaticinia, quæ aut ſunt abſurda, aut ipſo eventu falſa eſſe deprehenſa ſunt. Montanus Deum induxerat dicentem: [9] *ecce homo eſt inſtar lyræ, ego verò tamquam plectrum volito* (hoc eſt, chordas ejus ferio) *homo dormit, ego verò vigilo. Ecce Dominus*

immundi Spiritûs prædicator multas Eccleſias, per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit; deinde hæreſi polluit.

6 *Pepuzæ ac Tymii*] Vide *Apollonium*, apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 18.

7 *Nec ſatis inter ſe conſentiunt*] Ut in accuſatione corruptarum Eccleſiarum, auro Prophetidum, deinde exactarum ex Eccleſiis pecuniarum, de quibus paullò pòſt.

8 *Doctrinam ſuam prædicantibus* &c.] Non ſatis prudens erat hæc objectio, cùm in Chriſtianis Eccleſiis nemo ſtipendiis ſuis militaret, & quicumque altari ſervirent ex eo viverent.

9 *Ecce homo eſt* &c.] Ejus Hæreſ. §. IV. *Ἰδοὺ ἄνθρωπος ὡσεὶ λύρα, κἀγὼ ἵπταμαι ὡσεὶ πλῆκτρον· ὁ ἄνθρωπος κοιμᾶται, κἀγὼ γρηγορῶ.* Sic vidimus anno MDCLXXXVI. pueros, è Delphinatu, Galliæ Provincia, veluti in ecſtaſin raptos, & arcto ſomno oppreſſos vaticinantes; quorum fraus poſtea deprehenſa eſt. Deinde & alii Pſeudoprophetæ adulti, è Cebennarum montibus, exorti ſunt, Montaniſtis non diſſimiles. Quare cenſuimus de Montaniſtis paullò pluribus agendum, ut ejuſmodi hiſtriones numquam defuiſſe intelligerentur.

ANN. CLVII. *nus eſt, qui corda hominum in ſtuporem vertit.* Quibus verbis defendere volebat vaticinia, veluti in Ecſtaſi, à ſe prolata, quamvis neſciret quid dixiſſet; quâ arte ineptiarum, quas temerè profuderat, rationem reddere neceſſe ei non erat. At *Epiphanius* multis oſtendere nititur veros Prophetas compotes ſui fuiſſe, cùm vaticinabantur, & quod dicerent probè intellexiſſe; quod tamen non uſque adeò certum eſt, quia veterum Prophetarum nulla pervenit ad nos Hiſtoria, unde rem ſemper ita ſe habuiſſe colligere liceat. Idem tamen adfirmarat *Miltiades*, Montano æqualis, in ejus confutatione; de qua Anonymus Scriptor, apud *Euſebium* H. E. L. V. c. 17.

VI. Quin & *Montanus* Deum ſic loquentem inducebat: [10] *Ego ſum Dominus Deus, omnipotens, qui in homine habito.* Item: *non Angelus, non Legatus, ſed ego Dominus Deus Pater veni.* Atqui veteres Prophetæ numquam Deum per ſe loquentem, quaſi præſens eſſet, eorúmque ore, quaſi bruto organo, ut ſic dicam, uteretur, induxerunt; ſed tertia perſona uſi ſunt: *ſic ait Dominus.* [11] Hic verò ſe quaſi merum inſtrumentum Dei venditabat, qui nihil de ſuo proferret, ſed tantùm vi divinæ per ipſum loquenti obſequeretur. Ideò hominem Diſcipuli etiam [12] *Paracletum* vocarunt, quòd Dei Spiritus, qui *Paracletus* à Chriſto dictus eſt, eo quaſi organo, uteretur. Maximilla paullò aliter vaticinabatur, & de ſe loquebatur, quaſi de viro: *Dominus me*, inquiebat, *miſit laboris hujus, profeſſionis & fœderis* [13] *Hæretiſtam, enarratorem, interpretem; coactum, volentem, nolentem, cognitionem Dei accipere*; ſi modò locus ab *Epiphanio* rectè prolatus eſt. Eadem fauſta omnia promittebat iis, qui ſectæ ſuæ favebant, & qui initio perpauci erant Phryges, ſed quo-

10 *Ego ſum Dominus*] Apud *Epiphanium* §. XI. Ἐγὼ Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ καταγινόμενος ἐν ἀνθρώπῳ. Tum: Οὔτε ἄγγελος, οὔτε πρέσβυς, ἀλλ' ἐγὼ Κύριος ὁ Θεὸς Πατὴρ ἦλθον.

11 *Hic verò* &c.] Sic ſe geſſerunt etiam Pſeudoprophetæ Cebennenſes, & ſic etiamnum hodie pergunt, ut ex eorum editis vaticiniis liquet.

12 *Paracletum*] Ita eum paſſim vocat *Tertullianus*, poſtquàm ſibi à Montaniſtis imponi paſſus erat, in libris de Monogamia, de Jejunio &c. Sic in priore c. 11. *Nec ulla magis ex cauſa Paracletum negare coguntur, quàm dum exiſtimant novæ diſciplinæ inſtitutorem & quidem duriſſimæ illis; ut jam de hoc primùm conſiſtendum ſit, in generali retractatu, an capiat Paracletum aliquid tale docuiſſe, quod aut novum deputari poſſit, adversùs Catholicam traditionem; aut oneroſum, adversùs levem ſarcinam Domini. De uroque autem Dominus pronunciavit. Dicens enim:* adhuc multa habeo, quæ loquar ad vos, ſed nondum poteſtis portare ea; cùm venerit Spiritus Sanctus, ille vos ducet in omnem veritatem; *ſatis utique prætendit ea acturum illum, quæ & nova exiſtimari poſſint, ut numquam retro edito, & aliquantò oneroſa, ut idcirco non edita.* At Paracletus ille datus fuit ſolis Apoſtolis, quibus promiſſus erat, non Montano. Sed hinc intelligere eſt cur Pſeudoprophetam Phrygem *Paracletum* vocarent ejus doctrinæ addicti.

13 *Hæretiſtam*] Ibid. §. XIII. Ἀπέστειλέ με Κύριος τούτου τοῦ πόνου, καὶ τῆς ἐπαγγελίας, καὶ τῆς συνθήκης αἱρετιστὴν, μηνυτὴν, ἑρμηνευτὴν, ἠναγκασμένον, θέλοντα καὶ μὴ θέλοντα, μαθεῖν τὴν γνῶσιν Θεοῦ. Vocem αἱρετιστὴν vertit *Dionyſ. Petavius*, *antiſtitem.* Poſſis & *fautorem*, ex uſu Linguæ Græcæ, vertere, quod meliùs Maximillæ convenit, quæ Montanum ſequuta eſt, non ipſa doctrinam ejus invenit.

14 *Et tamen qui* &c.] *Euſebii* H. E. Lib. V. c. 16. πλείω γὰρ ἢ τρισκαίδεκα ἔτη εἰς ταύ-

quorum poſtea numerus crevit. Prædixerat bella & tumultus in Imperio Romano, & tamen [14] qui confutavit Montaniſtas, quémque *Euſebius* nomine non adpellavit, quarto decimo, poſt mulieris mortem, anno, pacem ſtabilem & firmam, in Imperio, nempe, Romano, fuiſſe ait, etiam Chriſtianis. Hæc quoque, [15] ſi *Epiphanio* credimus, vaticinata erat, poſt ſe rerum omnium finem futurum. Scripſit autem ille [16] CCXX. annis, poſt hæc tempora. Rectè ergo ex ejuſmodi vaticiniis colligimus Maximillam, aut atrâ bile laboraſſe, aut decipere voluiſſe, niſi & utrumque jungere mavis. Certè narrabant Montanum & Maximillam laqueo gulam ſibi fregiſſe, quod fuit hominum atrâ bile & deſperatione percitorum. Nec tamen defuerunt, qui eos, longo pòſt tempore, ſectarentur, & qui rectiùs ſentientes [17] *Prophetarum interfectores vocarent, propterea quòd loquaces eorum Prophetas non admiſiſſent*; quo contemtu eos ad mortem adegiſſent. ANN. CLVII.

VII. UNIVERSAM, ut ait [18] idem Scriptor Anonymus, & quæ per orbem terrarum ſparſa erat, Eccleſiam ſpiritus, quo agebantur, maledictis adpetere eos docebat; eò quòd nec honorem, nec aditum ullum ad eam Pſeudopropheticus ſpiritus inveniret. Nam cùm alii Chriſtiani ſæpiùs & in multa Aſiæ loca conveniſſent, novam illam doctrinam, ad examen revocatam, profanam & impiam judicarunt; quâ damnatâ, ab Eccleſia expulſi homines & Communione prohibiti ſunt.

VIII. EXPROBRABANT Montaniſtæ rectiùs ſentientibus Chriſtianis, [19] inter eos non eſſe Prophetas; quod poterat ab iis facilè confutari, ſi dixiſſent Prophetas eſſe duplicis generis; eſſe enim ita dictos, quia futura prædicerent, [20] quales ſemper apud Chriſtianos futuros non pro-

ταύτην ἡμέραν ἐξ ȣ̃ τετελεύτηκεν ἡ γυνὴ, καὶ ȣ̎τε μερικὸς, οὐτὲ καθολικὸς κόσμῳ γέγονε πόλεμος, ἀλλὰ καὶ Χριςιανοῖς μᾶλλον εἰρήνη διάμονος, ἐξ ἐλέȣς Θεοῦ. Cùm ignotus prorſus ſit annus, quo Maximilla obiit, non poſſumus hæc ulli certo tempori aptare; idque eo difficilius eſt, quòd vix ullum tempus inveniatur, quo tam longa pace fruiti ſint Chriſtiani, præter tempus Principatûs Commodi, in quod tamen incidit bellum Britannicum. Videtur ergo Scriptor noſter voluiſſe nullum civile bellum in ipſo Romano Imperio fuiſſe, quale reverâ nullum contigit, Commodo Principe.

15 *Si Epiphanio credimus*] Mont. Hæreſ. §. II. Μετ' ἐμὲ προφῆτις οὐκέτι ἔςαι, ἀλλὰ συντέλεια: *poſt me nulla erit prophetiſſa, ſed conſummatio*; nempe, αἰῶνος ſeu Mundi.

16 CCXX.] Eſt quidem apud *Epiphanium* ἔτη διακόσια ἐννενήκοντα *anni* CCXC. Sed ex calculo ipſo Epiphanii legendum in poſtrema voce, ἔικοσι, ut obſervavit *Dionyſ. Petavius* ad eum locum.

17 *Prophetarum interfectores*] Apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 16. Προφητοφόντας ἡμᾶς ἀπεκάλȣν, ὅτι μὴ τοὺς ἀμετροφώνȣς αὐτῶν προφήτας ἐδεξάμεθα. Nulli enim ſunt à Chriſtianis occiſi, imò, ſi Anonymo Scriptori credimus, ne à Judæis quidem, ac Ethnicis.

18 *Idem Scriptor.*] Ibidem.

19 *Inter eos non eſſe Prophetas*] Non ſatis commodè hanc objectionem diluit *Miltiades*, qui eodem tempore ac Anonymus contra Montaniſtas ſcripſit, apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c 17. Vide & *Epiphanium* in eorum Hæreſi §. 1.

20 *Quales ſemper &c.*] *Miltiades* loco memorato δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, μέχρι τῆς τελείας παρȣσίας ὁ Ἀπόςολος ἀξιοῖ. Fruſtra quæras, apud Paulum, locum ullum, in quo Prophetas, ſeu futurorum vates in perpetuum in Eccleſia fore dicat; & ſine dubio perpauci fuerant, cùm ſex tantùm ab Apoſtolorum ævo memoret Miltiades, quibus addit

ANN. CLVII.

promiſerat Chriſtus; cùm poſt revelatum Evangelium, ejúsque & Apoſtolorum vaticinia, nullis ampliùs prædictionibus opus eſſet. Hanc unam in poſterum debere ab omnibus ad animum revocari, Chriſtum rediturum è cœlo; ut de hominibus, ex Evangelii jam revelati legibus, judicaret, earúmque obſervantes bearet & contemtores graviſſimis pœnis ulciſceretur. Hæc demum eſt longè maximi momenti atque unica Prophetia, quam Chriſtianorum animis, noctu & interdiu, obverſari par eſt; quippe quam ſolam vel maximè adtendere eorum intereſt, cùm ab ea pendeat ſalus æterna; nam quæ pertinent tantùm, ad res hujus vitæ, non multùm eos adficere poſſunt, qui ad futuram dumtaxat anhelant, atque ex ea toti pendent. Sed Chriſtiani, qui novis illis fanaticis Prophetiis meritò adverſabantur, addere poterant, eſſe alterum genus Prophetarum, qui numquam Eccleſiæ defuturi eſſent, & quibus abundabat; hoc eſt, publicorum Scripturæ Sacræ Interpretum, & qui ad pietatem, omniſque generis Virtutes Chriſtianos adhortarentur.

IX. At [21] Scriptor Anonymus, quem aliquoties ad teſtimonium citavimus, reſpondit non defuiſſe Chriſtianis, qui futura, poſt Apoſtolos, prædicerent; quos tamen paucos fuiſſe, quòd ſex tantùm numerat, quorum quatuor Apoſtolicis temporibus vixerant, intelligimus; negavitque eos in mentis exceſſum, ita ut neſcirent quid dicerent, raptos. „ Pſeudo-propheta, inquiebat, [22] in falſo mentis exceſſu, quem ſequun- „ tur licentia & audacia, exorſus à ſpontanea imperitia, in amentiam „ involuntariam deſinit. Hujuſmodi verò ſpiritu, nullum umquam, „ nec in Vetere, nec in Novo Teſtamento, Prophetam adflatum po- „ terunt oſtendere. Nec Agabum, nec Judam, nec Silam, nec Phi- „ lippi filias, nec Ammiam Philadelphenſem, nec Quadratum; nec „ quoſdam alios, ad eos minimè pertinentes, jactabunt. Tum paucis interjectis, ſic pergebat: „ Si quidem, ut prædicant, poſt Quadra- „ tum & Ammiam Philadelphenſem, mulieres illæ Montani in Pro- „ phetiæ gratiam ſucceſſerunt; quinam à Montano & mulieribus, apud „ eos, eam acceperint oſtendant. [23] Etenim prophetiæ donum, in „ tota Eccleſia, ad ultimum uſque (*Domini*) adventum, permanere „ debere auctor eſt Apoſtolus. Sed nullum prorſus poterunt oſtende- „ re, quamvis jam quartus decimus hic agatur annus, ab obitu Maximillæ. Facilè tamen poterant hiſce reponere, ſi prædixiſſet Maximilla nullas fore poſt ſe mulieres quæ vaticinarentur, quod prodidit [24] *Epiphanius*.

X. Sed [25] Scriptor eſt horum temporum qui ait, non tantùm Chriſtum

addit τινὰς ἄλλες, *quoſdam alios*, non *plures alios*, ut habet ἐμφατικωτέρως *Valeſius*. Nec pollicitus eſt etiam Chriſtus fore ſemper Religionis Chriſtianæ Interpretes divinitus adflatos; quibus ſucceſſerunt homines, qui induſtria ſuâ eam peritiam Scripturarum ſibi compararunt, & veram ejus ſententiam plebi aperuerunt. Nullos alios Prophetas habemus, aut habituri ſumus.

21 *Scriptor Anonymus*] *Euſebii* H. E. Lib. V. c. 17.

22 *In falſo mentis exceſſu*] Ἐν παρεκστάσει,

tum & Apoſtolos excitaſſe (mortuos) oratione, „ ſed & ſæpe inter ANN.
„ fratres, totâ ſimul unius loci Eccleſiâ, ob aliquam neceſſitatem, id CLVIII.
„ flagitante, cum jejuniis multis & orationibus, reverſam eſſe in corpus
„ animam defuncti & donatam hominum ſanctorum precibus. Deinde de ceteris donis, quæ à Deo acceperant Chriſtiani, ſubjicit „ ab aliis „ Dæmonas expelli certò & verè, ita ut ſæpe crederent ii ipſi, qui à „ malis Spiritibus mundati fuerant, & in Eccleſia ſupereſſent; alios præſcientiam futurorum & viſiones & orationes propheticas habere; ab „ aliis ægros per impoſitionem manuum curari, & priſtinæ ſanitati reſtitui; mortuos, quemadmodum antea dixerat, excitatos fuiſſe & cum „ ſuis per multos annos vixiſſe; nec denique poſſe dici numerum donorum, quibus, à Deo acceptis, Eccleſia per totum orbem, in nomine Jeſu-Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, quotidie in utilitatem „ Gentium (*miracula*) perficeret, nec fallens quemquam, nec pecunias exigens. Alibi etiam teſtatur „ auditos fratres in Eccleſia, qui „ prophetica dona haberent; qui, per Spiritum, omni Linguarum „ genere loquerentur; qui, juvandi causâ, arcana occulta hominum „ in apertum proferrent, & Dei myſteria interpretarentur. Quibus quidem nemo fidem prorſus negare ſuſtineat; ſed tamen quæcumque boni viri, ab aliis audita & facilè credita, iis temporibus quibus credulitas Virtus habebatur, narrabant, vera propterea eſſe conſequens non eſt. In honorem Dei, ſalutémque hominum, hyperbolica oratione uti nemo tunc temporis religioni ducebat.

Tertullo & Claudio Sacerdote COSS. Antonini Pii Imp. XII. Æræ Vulgaris Chriſti CLVIII.

I. Cum ad ſuperiorem annum, de Montani, Diſcipulorúmque ejus falſis vaticiniis egerimus, ad hunc eorum doctrinam paucis exponemus; & utemur quidem, hanc in rem, verbis [1] *Hieronymi*, qui ſat multis de ea loquutus eſt, conferemúſque quæ habet, cum iis quæ de Montaniſtis ab aliis dicta ſunt; unde intelligere licebit, nec laudantibus, nec vituperantibus temerè per omnia fidem habendam. Omnibus enim ferè, etiam bonis, qui numquam humanos adfectus prorſus exuunt, is mos eſt ut amicos quidem & ſecum ſentientes præter modum laudent, inimicos verò & diſſentientes nimiùm vituperent.

II. Primum, inquit *Hieronymus*, *in fidei regula diſcrepamus. Nos Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in ſua unumquemque perſona ponimus, licèt*

σει, quæ vox eſt eleganter ficta, ad ἴκτασιν falſam unâ voce exprimendam.

23 *Etenim* &c.] Vide not. 20.

24 *Epiphanius*] Vide not. 15.

25 *Scriptor horum temporum* &c.] *Irenæus* Lib. II. C. 31, & 32. cujus Græca verba leguntur apud *Euſebium* H. E. Lib. V. c. 7.

1 *Hieronymi*] Epiſt. XXXVII. ad Marcellam, Tom. IV. Pariſienſi col. 64. & ſeqq.

ANN. CLVIII. *licèt ſubſtantiâ copulemus: illi, Sabellii dogma ſectantes, Trinitatem in unius perſonæ anguſtias cogunt.* Negat hoc [2] *Epiphanius*, qui Hæreticis alioqui minimè parcit, diſertéque ait eos de Patre, Filio & Spiritu Sancto eadem cum Eccleſia Catholica ſenſiſſe; nec ullius erroris, hac in re, inſimulat *Auguſtinus*, in libello de Hæreſibus. Rem etiam diſertè negarat *Tertullianus*, in libro adversùs Soterem Romanum, & *Apollonium* Epheſium Antiſtitem, ut docet [3] auctor Prædeſtinati, qui eum librum legerat.

III. Nos *ſecundas nuptias*, ait Hieronymus, *non tam adpetimus, quàm concedimus, Paulo jubente, ut viduæ adoleſcentulæ nubant: illi in tantùm putant ſcelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur.* Non diffitetur hoc *Tertullianus*, ſed & apertè ac de induſtria tuetur, Libris de exhortatione Caſtitatis, & de Monogamia atque [4] alibi ſæpiùs.

IV. Nos *unam Quadrageſimam, ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus: illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores. Non quòd, & per totum annum, exceptâ Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quòd aliud ſit, neceſſitate; aliud, voluntate, munus offerre.* Non ita erat concepta, tempore *Tertulliani*, objectio rectiùs ſentientium in Montaniſtas. [5] *Arguunt nos*, inquiebat, *quòd jejunia propria cuſtodiamus; quod ſtationes plerumque in veſperam producamus; quod etiam Xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus, vel potemus.* Sed & poſtea de tempore jejuniorum, apud Montaniſtas, aliter loquitur quàm *Hieronymus*, cùm duo tantùm ſtata tempora jejuniorum Montaniſtis fuiſſe doceat. *Quantula*, inquit, *eſt apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis, ſcilicet, Sabbathis & Dominicis, offerimus Deo, abſtinentes ab iis, non quæ rejicimus, ſed* [6] *non differimus.* Oportet ergo res mutatas fuiſſe, tempore *Hieronymi*, & tres fuiſſe Montaniſtis ferias eſuriales, ut ſic loquar, cùm antea ſemel tantùm eſurirent. Cùm verò, [7] *Hieronymi* ævo, Qua-

2 *Epiphanius*] Phrygaſtrarum, hoc eſt, Montaniſtarum Hæreſ. quæ eſt XLVIII.

3 *Auctor Prædeſtinati*] Lib. I. Hæreſ. XXVI. col. 475. Tom. I. operum *Jac. Sirmondi*, ubi de *Tertulliano*: *qui cùm omnia bene & primò & incomparabiliter ſcripſerit, in hoc ſolùm ſe reprehenſibilem fecit, quòd Montanum defendit, agens contra Soterem ſupradictum urbis Papam, adſerens falſa eſſe de ſanguine infantis, Trinitatem in Unitate Deitatis, pœnitentiam lapſis, myſteriis eiſdem unum Paſcha nobiſcum.*

4 *Alibi ſæpiùs*] Loca adnotavit & congeſſit *Jac. Pamelius* in Paradoxis *Tertulliani*, num. XXV.

5 *Arguunt nos*] Libro de Jejuniis Cap. I.

6 *Non differimus*] Si hæc recta lectio ſit, perinde erit ac *non differimur*, hoc eſt, non implemur cibis, præter modum. Sed crediderim legendum *quæ differimus*; nempe, in veſperam, aut in aliud anni tempus. Inſimulabantur Montaniſtæ, quaſi quædam ciborum genera *rejicerent*, ſeu damnarent, ut naturâ ſuâ mala, quod confutat *Tertullianus*. Mera ergo fuit calumnia eorum, qui eos inſimulabant, quaſi abſtinentiam à quibuſdam cibis impoſuiſſent, quòd βδελυκτὰ crederent τὰ ὑπὸ τοῦ Κυρίȣ γεγενημένα, *deteſtanda quæ à Deo creata erant*; quod illis obliquè objicit *Epiphanius* §. VIII.

7 *Hieronymi ævo*] De toto hoc negotio adcu-

Quadrageſima eſſet quadraginta dierum; ſi adcuratè loquutus eſt, opor- ANN.
tuit tunc temporis Montaniſtas CXX. diebus ſingulis annis jejunare. CLVIII.
Sed quidquid ejus rei fuerit, ea ſat gravis ratio non fuiſſet, ſe invicem damnandi.

V. Apud *nos*, pergit Hieronymus, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos, de Pepuza Phygiæ, Patriarchas; ſecundos, quos adpellant Cœnonas; atque ita in tertium, id eſt, panè ultimum locum, Epiſcopi devolvuntur; quaſi exinde ambitioſior Religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos noviſſimum ſit*, Si hæc vera ſunt, fuit hæc de nomine contentio, non de re. Verùm alii hac de re nihil habent.

VI. Illi *ad omne panè delictum Eccleſiæ obſerant fores, nos quotidie legimus*: malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem — *Rigidi autem ſunt, non quò & ipſi majora non peccent; ſed hoc inter nos & illos intereſt, quòd illi erubeſcunt confiteri peccata, quaſi juſti: nos, dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.* Accuſatoriè loqui videtur *Hieronymus*, cùm *ad omne panè delictum* fores Eccleſiæ obſeratas à Montaniſtis ait; ſed certum eſt de Idololatris, Homicidis, Mœchis & Fornicatoribus, poſt baptiſmum, excluſos eos ab Eccleſia ſine ſpe veniæ à Montaniſtis fuiſſe; liquet hoc è libro *Tertulliani* de Pudicitia. Verùm hæc quoque antiquioris Eccleſiæ, ad tempora uſque *Tertulliani*, diſciplina fuit, [8] ut oſtenderunt qui de Pœnitentia ſcripſerunt.

VII. Prætermitto, inquit Hieronymus, *ſcelerata myſteria, quæ dicuntur de lactente puero & de* [9] *victuro Martyre confarrata. Malo, inquam, non credere; ſit falſum omne, quod ſanguinis eſt.* Negarat hoc *Tertullianus*, nec objicit *Epiphanius*, qui Hæreticis parcere non ſolebat. Objicit *Auguſtinus*, ſed ex auditione; *perhiberi* enim hoc tantùm ait.

VIII. Aperta *eſt convincenda calumnia dicentium, Deum primùm voluiſſe, in Vetere Teſtamento, per Moyſem & Prophetas ſalvare mundum; ſed quia non potuit explere, corpus ſumſiſſe de Virgine, & in Chriſto,* [10] *ſub ſpecie Filii, prædicantem mortem obiiſſe pro nobis. Et quia per duos gradus mun-*

adcuratè ſcripſit *Gulielm. Beveregius* in Canones Apoſtolicos, Lib. III.

8 *Ut oſtenderunt*] *Gab. Albaſpinæus*, in Obſervat. Lib. II. *Dionyſ. Petavius* ad Hæreſ. Novatianorum, *Jac. Sirmondus*, *Joan. Morinus*, in operibus de induſtria ſcriptis, & alii. Hac de cauſa, ut videtur, nec *Epiphanius*, nec *Auguſtinus*, nec *Prædeſtinati* Scriptor hæc Montaniſtis tribuerunt. Si *Hieronymus* verè objecit, mutati fuerant ejus tempore Montaniſtæ & in Novatiani rigorem conceſſerant.

9 *Victuro Martyre* &c.] Ut hoc intelligeretur, placuit verba *Auguſtini*, in hac Hæreſi, adponere: *Sacramenta*, inquit, *perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinæ, panèmque inde facientes; qui puer, ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre; ſin autem vixerit, pro magno Sacerdote.*

10 *Sub ſpecie Filii*] Sic loquitur, quia Montaniſtas Sabellianiſmi inſimulavit, è quo dogmate erat tantùm ſpecies Patris, Filii & Spiritûs Sancti, cùm eſſet una trium perſona; ſi modò à Veteribus rectè expoſitum eſt.

ANN. CLIX. *mundum ſalvare nequiverit, ad extremum, per Spiritum Sanctum in Montanum, Priſcam & Maximillam deſcendiſſe, & plenitudinem, quam Paulus non habuerit, dicens:* ex parte cognoſcimus &c. (1. Cor. XIII, 9.) *abſciſſum & ſemivirum habuiſſe Montanum.* De deſcenſu Spiritûs Sancti in Montanum, ex ejus diſcipulorum ſententia, conſtat; ut jam vidimus ex ipſo *Tertulliano*. Ideò rem *Montano* [11] exprobrarunt alii, qui ei, non minùs quàm *Hieronymus*, infenſi fuerunt. Sed de ſuperioribus tacent, quæ videntur eſſe conſectaria, quæ ex ejus doctrina duxit *Hieronymus*, in adverſarios ubique fermè acrior & vehementior æquo. Quæ hîc obſervanda duximus, ne temerè de veteribus Hæreticis omnia crederentur, quæ iis ſunt ab adverſariis objecta; quod tamen fieri, nimis quàm frequenter, ſolet.

Plautio Quinctillo, M. Statio Priſco COSS. *Antonini Pii Imp. XXII. Æræ Vulg. Chriſti* CLIX.

I. Meminit quidem *Epiphanius* Hæreſ. XLVIII. neſcio quorum Hæreticorum, quos Quinctillianos, Priſcillianos, Pepuzianos ac Artotyritas vocat, intérque Phryges fuiſſe ait. Reverâ iidem ac Montaniſtæ fuiſſe videntur, dicti à Priſcilla Priſcilliani, ut à Pepuza Pepuziani. Quinctillianos nuncupatos fuiſſe putat à Quinctilla neſcio qua, & Artotyritas, quòd ad celebranda myſteria pane & caſeo uterentur. Vult ab iis mulieres eſſe in Clerum cooptatas & Virgines fanaticas eſſe vaticinatas. Quæ ſeu vera ſint, ſeu ficta, parum noſtrâ ſcire intereſt; nihil enim ad Eccleſiaſticarum rerum ſeriem cognoſcendam faciunt.

II. Memoravit idem Lucianum quemdam, unde Lucianiſtæ, quæ eſt Hæreſis XLIII. Marcionis diſcipulum fuiſſe ait & eadem dogmata ac eum ſparſiſſe, quibus tamen addiderat damnationem nuptiarum & continentiæ profeſſionem; non amore ejus virtutis, ſed ut deſtrueret opera Creatoris; hoc eſt, humanum genus. Hæc ex auditione narrat *Epiphanius*, erant enim dudum, ut ait, exſtincti, difficultérque inquiri in eorum dogmata potuit. At ſi Latinè ſciviſſet, & *Arnobii* opus contra Gentes legiſſet, intellexiſſet Marcionitas, aut ſimiles iis Hæreticos, in Africa, initio quarti ſæculi fuiſſe.

T. Clodio

11 *Exprobrarunt*] *Auguſtinus* de Hæreſibus: *Adventum Spiritûs Sancti, à Domino promiſſum, in ſe potiùs quàm in Apoſtolis, fuiſſe adſerunt redditum.* Actor Prædeſtinati poſt repetita, quæ protuli, *Auguſtini* verba: *Secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideò dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum & in ejus Prophetiſſas, quas ſupra diximus, veniſſe delirant.* Sed & hæc, apud *Auguſtinum*, verbo tenus, ut ſuperiora, leguntur.

1 *Tito Clodio* &c.] Deſumta ſunt nomina paris hujus Conſulum, ex antiqua Inſcriptione Altaris, erecti in memoriam Taurobolii; quod Altare effoſſum eſt Lugduni in

ANN. CLX.

[1] *T. Clodio Vibio Baro (aut Varo) & Appio Annio Atilio Braduâ COSS. Antonini Pii Imp. XXIII. Æræ Vulgaris Chriſti* CLX.

I. Luciano, cujus antea meminimus, Apellem quemdam ſubjungit *Epiphanius*, Hæreſ. XLIV. quem Marcionis etiam auditorem fuiſſe ait, verùm ab ejus dogmatibus deſciviſſe. [2] Negabat ergo eſſe Principia tria, vel duo, ut Marcioni & Luciano viſum erat. Docebat unum eſſe tantùm bonum Deum, unum Principium, ac Potentiam unam, nominis expertem; qui quidem Deus unus, unúmque Principium nullam curam eorum, quæ in mundo fierent, gereret; ſed alterum feciſſet Deum, à quo rerum Univerſitas producta eſſet; [3] contigiſſe autem hunc non eſſe bonum, nec opera ejus rectè facta; ſed, pro prava ejus mente, eſſe creata.

II. Hæc de Deo, ut cetera ſimilia dogmata de quibus antea egimus, orta videntur ex celebri illa quæſtione: [4] *ſi quidem Deus eſt, unde mala? Bona verò unde, ſi non eſt?* quam ſolvere non fuit cujuſvis, & quæ etiam doctiores multò & acutiores torſit. De ea quæſtione agemus, ubi ad tempora Manetis deventum erit. Interim quicumque Chriſtianam Religionem norunt & amant, ſatis intelligunt, è revelatione Chriſti, Deum unum eſſe & bonum, à quo mali ac malefici nihil proficiſci potuit; & qui ea in re vacillant non de quæſtione Metaphyſica, ſed an ſit Deus dubitant, cùm bonitas ſit neceſſarium prorſus Dei adtributum, cúmque Deum bonum ignorare perinde ſit, ac Deum neſcire. Sed hæc ſunt alîus loci.

III. Apelles præterea adfirmabat [5] poſtremis temporibus veniſſe Chriſtum, ſummi ac boni Dei Filium, ejúſque Spiritum Sanctum, ut ſervarent eos qui ad ejus notitiam perveniſſent. Chriſtum porrò non ſpecie ſolâ conſpicuum factum, ſed veram carnem adſumſiſſe; non quidem è Maria Virgine, aut è ſemine virili, ſed è quatuor elementis. Deinde ſemet ipſum in corpore, ad ferendum ſupplicium, obtuliſſe & reverâ cruci ſuffixum fuiſſe, eámque ipſam carnem Diſcipulis oſtendiſſe; quo facto, humanâ illâ carne reſolutâ & unicuique Elemento, quod ſingulis proprium erat, reſtituto, in cœlum rediiſſe. Idem etiam [6] reſurrectionem corporis negabat. Quæ omnia Veterum Gnoſticorum Valentinique doctrinam redolebant.

IV.

in Gallia, in colle Furveriæ, anno MDCCIV. Unde liquet alterum Conſulem non vocatum *Verum*, ut viri docti volebant, ſed *Varum.*

2 *Negabat ergo* &c.] *Epiph.* §. I.

3 *Contigiſſe* &c.] *Epiphanius*: ἀπέβη δὲ καὶ οὐκ ἀγαθὸς, καὶ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα οὐκ ἀγαθῶς εἰργασμένα. Quaſi bonum quidem producere cupiiſſet Deus ille unus & bonus; ſed, contrà quàm putabat malum eſſe contigiſſet. Nec ſanè bonus eſſet Deus, qui Deum malum crearet.

4 *Si quidem Deus eſt* &c.] Propoſita eſt quæſtio, verbis *Boethii* de Conſol. Philoſophiæ Lib. I. Proſâ IV.

5 *Poſtremis temporibus*] *Epiph.* §. II.

6 *Reſurrectionem.*] Ib. §. IV. Hæc omnia ſunt Gnoſtica & Valentiniana dogmata

 ta,

ANN. CLXI, & CLXII.

IV. Memorat etiam *Epiphanius* neſcio quem [7] Severum, cui dogmata nonnulla Sethianorum tribuit. Quare ad eorum ſectam eſt referendus, nec dignus qui nos diutiùs moretur. Hîc verò deſinunt graviores primorum temporum Hæreſes, è quarum abſurditate colligere licet Apoſtolicam Religionem; quam, ad ſumma capita quod adtinet, Chriſtiani plerique omnes retinebant, & deinceps retinuerunt; ſolam dignam fuiſſe, quæ audiretur, quippe quæ ſola inconcuſſis divinæ revelationis fundamentis, ejuſque certiſſimis miraculis confirmatæ, nititur, rectæ Rationi per omnia conſentanea eſt, atque Humano Generi beando, naturâ ſuâ, aptiſſima, ut III. Sectione noſtrorum Prolegomenωn pluribus oſtendimus. Quare & omnes illæ hæreſes brevi conciderunt.

M. Ælio Aurelio Vero III. L. Ælio Commodo II. COSS. M. Aurelii Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti CLXI.

I. Hoc anno, a. d. VII. Martii, [1] è vivis exceſſit Antoninus Pius, cùm à morte Hadriani imperaſſet annis XXII. menſibus VII. diebus XXVI. Princeps Scriptoribus Ethnicis ſummopere laudatus, nec in Chriſtianos ſævus; certè nullas novas leges in eos tulit, præter Trajani & Hadriani reſcripta. Totius Imperii curam in ſe ſuſcepit M. Aurelius, quem, ut diximus, Collegam Imperii ab anno CXLVII. creaverat Antoninus. Is L. Ælium Aurelium Commodum, non modò Cæſarem, verùm etiam Auguſtum, novo exemplo illico, renunciavit; omnéſque titulos ſuos, excepto Pontificis Max. cum eo communicavit.

L. Junio Ruſtico, C. Vettio Aquilino COSS. M. Aurelii & L. Veri Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti CLXII.

I. Eleutherus, ex calculo quem ſequimur, hoc anno in Romanam ſedem Soteri ſucceſſit; [1] cujus rei rationes apud doctiſſimos Chronologos quærentur; non eſt enim noſtri inſtituti in diſquiſitiones Chronologicas exſpatiari.

II. Videtur, circa hæc tempora, contigiſſe quod alteri *Juſtini* Apologiæ occaſionem præbuit, & ita ipſe narrat. [2] Mulier quædam, cui erat vir libidinoſus, & quæ ipſa etiam eodem vitio laborarat, cùm Religionem Chriſtianam edocta eſſet, & caſtiùs vivere in poſterum ſtatuiſſet, perſuadere etiam ei conata eſt, ut caſtigatiorem vitam ageret; propo-

ta, ut ex eorum collatione liquebit.

7 *Severum*] Hæreſi LIV. Nomina ipſa *Jaldabaoth* & *Sabaoth*, quibus Diabolum nominari volebat, præter dogmatum ſimilitudinem, rem manifeſtò oſtendunt.

1 *E vivis* &c.] Vide *Ant. Pagium* ad hunc Annum.

1 *Cujus rei rationes*] Apud *Henr. Dodwelli* Diſſert.

propoſitis homini ſuppliciis alterius vitæ, quæ improbos, prout docet Religio Chriſtiana, manerent. Sed fruſtra omnia fuerunt, perrexit ille ab uxore obſequia extorquere, quæ naturæ ipſi contraria ſunt. Qua de cauſa, de repudio mulier cogitare cœpit; rémque perfeciſſet, niſi propinqui auctoritate ſuâ prohibuiſſent; ſpe etiam factâ, fore ut virum paullatim ad ſaniorem mentem reduceret. Cùm verò ille Alexandriam iviſſet, deteriórque illinc rediiſſet; verita ne viri ſcelerum particeps fieret, ſi diutiùs cum eo viveret, eum repudiavit. Quod ille ægrè ferens mulierem, quaſi Chriſtianam, ad Urbis Præfectum, detulit. Ea verò, ſupplice libello Imperatori oblato, petiit ut ſibi priùs rem familiarem conſtituere liceret; quo facto, accuſationi reſponſuram ſe eſſe ſpopondit. Cæſar tempus ei, ut cupiebat, conceſſit; cúmque viro nihil eſſet quod in uxorem diceret, ſe ſe convertit homo improbus in Ptolemæum quemdam; qui mulierem Chriſtianâ Religione imbuerat & malè jam, Religionis causâ, ab Urbico, Urbis Præfecto, habitus fuerat. Perſuaſit Centurioni cuidam amico ſuo, ut Ptolemæum comprehenſum in vincula conjiceret, atque hoc tantùm ab eo quæreret, an Chriſtianus eſſet. Rem illico faſſus eſt, atque à Centurione in carcerem conjectus, longo tempore, pietatis causâ, pœnas dedit. Poſtremò ad Urbicum ductus, hoc ſolum interrogatus eſt, num eſſet Chriſtianus; quod cùm eſſet confeſſus, eum duci juſſit Præfectus. Lucius verò quidam, qui & ipſe Chriſtianus erat, injuſtâ Præfecti ſententiâ auditâ, ab eo quæſivit, „ quid cauſæ eſſet, cur hominem neque adulterii, neque ſtupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, „ nec ullius denique ſceleris reum, Chriſtiani dumtaxat vocabulum „ confeſſum damnaſſet? Tum etiam ſubjecit „ ejuſmodi judicia non „ decere tempora Imperatoris Pii (nam ſic etiam M. Aurelius ab Antonino Pio adoptatus paſſim vocatur) nec Cæſaris, Philoſophi Filii „ (hoc eſt, L. Veri) nec Senatum Romanum. Ibi Urbicus, Lucium „ etiam Chriſtianum eſſe videri. Quod cùm intrepidè faſſus eſſet, unà „ cum Ptolemæo, juſſu Præfecti, ductus eſt. Ille verò magnam Urbico gratiam ſe debere dixit, per quem tam pravis dominis ereptus ad communem Parentem, eúmque in cœlo regnantem diſcederet. Fuit & tertius, qui eadem de de cauſa damnatus eſt. Quæ quatuor primis Capitibus continentur.

ANN. CLXII.

III. HÆC occaſionem *Juſtino* præbuerunt conſcribendæ alterius Apologiæ, quæ à Veteribus ſecunda, in Editionibus perperam prima dicitur. Ea autem lacera ad nos pervenit, ut ex lacuna, in Editionibus notata, liquet. Videntur etiam inſcriptio & initium deeſſe. *Euſebius* auctor eſt eam M. Aurelio & L. Vero oblatam, quod locus adlatus etiam

Differt. Singularem de primis R. E. Epiſcopis, Cap. XIV, 3. & ſeqq.

2 *Mulier quædam* &c.] Hæc omnia exſcripſit *Euſebius* Lib. IV. c. 17. quæ ait fuiſſe ἐν τῇ προτέρᾳ ἀπολογίᾳ, ſed mendum eſt pro ἐν τῇ δευτέρᾳ ut plures obſervarunt. Vide *Henr. Valeſium* ad locum.

ANN. CLXII. etiam oſtendit. Qui priorem Apologiam legerit, in hac eaſdem ſententias, eumdem ſtylum, eamdem diſpoſitionem, hoc eſt, propemodum nullam inveniet.

IV. Postquam narravit Hiſtoriam, quam retulimus, & pauca de creatione Mundi, operâ Dei, dixit, Deóque gratos eſſe Chriſtianos oſtendit, quòd virtutes ejus imitarentur & veritatem impavidè profiterentur; ad Angelos venit, quibus ait rerum, quæ ſub cœlo ſunt, curam à Deo permiſſam, ſed qui amore mulierum capti, cum iis concubuerint, & malos Dæmonas genuerint. Quæ poſtrema opinio ex perperam intellecto Geneſeos loco nata, ut jam diximus ad Ann. CI, 11. & à pleriſque Patribus probata, jam neminem fallere poteſt. Hos autem Dæmonas cauſam omnium malorum eſſe, nec vexationes tantùm Chriſtianis, ſed & optimis quibuſque viris, inter Philoſophos, ut Socrati, Heraclito, Muſonio aliiſque concitaſſe contendit. Hæc à Cap. VI. per totam fermè Apologiam inculcat, ſed varia ſubinde miſcet, prout ei in animum inciderant.

V. Iis non immorabimur, quorum magnam partem antea adtigimus ſed prætermittenda nobis non ſunt quæ de Creſcente neſcio quo Cynico habet: „ [3] Ego quidem exſpecto, *inquit*, ut ab aliquo eorum qui „ celebrantur, inſidiis adpetar & in nervum compingar, vel ab ipſo „ Creſcente ſtrepitûs ſectatore (*Φιλοψόφου, quod opponit, eleganti Paronomaſiâ, τῷ Φιλοσόφῳ*) & jactatore; neque enim dignus eſt qui Philoſophus dicatur, qui de nobis quæ neſcit, palam veluti teſtimonium contra nos dicens, adfirmat, quaſi Athei & impii eſſent Chriſtiani; quod facit ut erranti multitudini gratificetur & voluptatem „ creet. Si enim numquam incidit in doctrinam Chriſti (*in Evangelia, nempe*) atque in nos incurſat, prorſus eſt nequam & imperitis multò „ deterior; qui ſæpe ſibi cavent ne de rebus, quas ignorant, loquantur, néve falſa teſtimonia dicant. Sin verò in eam incidit, majeſtatémque ejus minimè intellexit; aut ſi intellexit quidem &, ne eum „ homines Chriſtianum eſſe ſuſpicentur, ita ſe gerit, longè ignavior „ pejórque eſt; quippe qui plebeiæ & rationi repugnanti opinioni, timorique obſiſtere non audet. Ejuſmodi erant plerique Cynici, qui quoſvis adlatrando, quamvis ipſi imperiti omnium eſſent, famam ſapientiæ & conſtantiæ ſectabantur. VI.

3 *Ego quidem exſpecto* &c.] Hæc emendatiùs leguntur, apud *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 16. quàm in *Juſtini* editionibus; ideóque *Euſebium* ſequuti ſumus. Vide ad eum *Valeſium.*

4 *Philoſophus* &c.] Imitatio *Platonis*, qui ad calcem Lib. V. de Republica, vult eos qui opiniones ſectantur Φιλοδόξους καλεῖσθαι μᾶλλον ἢ Φιλοσόφους.

5 *Præter ſuam culpam*] Hæc in editionibus præter mentem *Juſtini* proponuntur, numquam enim credere potuit Ethnicos, ad quos referuntur in Editionibus, præter ſuam culpam, à Deo damnari. Sic habent Græca: καὶ δύνωνται τῆς ψευδοδοξίας καὶ ἀγνοίας τῶν καλῶν ἀπαλλαγῆναι, οἳ παρὰ τὴν ἑαυτῶν αἰτίαν ὑπεύθυνοι ταῖς τιμωρίαις γίνονται. Poſtrema verba ad Chriſtianos ſunt referenda, adeóque τῶν καλῶν, quod antecedit, eſt maſculini generis, quod oſtendit pronomen οἳ, niſi tamen majus ſit hîc vulnus verbis *Juſtini* inflictum. Sequentia certè ſunt ita corrupta, ut, ſine meliore Codice, emendari tutò nequeant.

6 *Hæc*

VI. Habuerat *Juſtinus* cum homine diſceptationem, quâ, quæſtionibus ei propoſitis, imperitiæ eum arguerat; quod adeò ægrè tulit, ut propterea exitium *Juſtino* creandi occaſiones omnes captaverit: „ Neque „ ignorare vos velim, *inquit*, cùm quæſtiones hujus generis quaſdam „ illi propoſuiſſem, cognoviſſe me, hominem nihil verè ſcire. Ut au- „ tem liqueat à me vera dici, ſi ad vos adlata non ſunt ea colloquia, „ paratus ſum coram vobis rurſus de quæſtionibus iis colloqui; mune- „ ris enim regii mihi videtur (*de ejúſmodi rebus cognoſcere*) Sin notæ „ ſunt vobis quæſtiones meæ, ejúſque reſponſiones; perſpicuum vobis „ eſt nihil eum ſcire de rebus noſtris. Aut ſi ſcit, nec propter audien- „ tes audet proloqui, ut antea dixi, nequaquam [4] Philoſophus, ſed „ Philodoxus (*gloriæ captator*) deprehenditur; quippe qui amabile il- „ lud Socratis nihili facit: nullum eſſe Veritati præferendum virum. „ Hæc apud *Juſtinum* c. VIII. ANN. CLXII.

VII. Tandem orat *Juſtinus* Imperatores „ ut eo ſubſcripto, quod „ ipſis viſum eſſet, proponant (*publicè legendum*) hunc libellum; ut „ & ab aliis, *inquit*, noſtra cognoſcantur, poſſintque falsâ opinione li- „ berari & bonos viros noſſe, qui [5] præter ſuam culpam pœnis obnoxii „ fiunt, quò hæc hominibus innoteſcant. Nam in natura humana fa- „ cultas eſt, quâ honeſtum & turpe cognoſcat — adeò ut nullis aliis „ judicibus ſit opus. Ego verò etiam impiam & erroneam, in gente „ mea, deſpexi Simonianam doctrinam. Quod ſi vos [6] hæc edicto „ propoſueritis, nos curabimus, ut omnibus manifeſta fiant, ut ſi poſ- „ ſint (*homines*) mutentur; cujus unius rei causâ, [7] haſce orationes „ (*Apologeticas*) compoſuimus.

VIII. Verum tantùm abfuit, ut Apologia poſterior majoris fuerit ponderis, apud M. Aurelium & L. Verum, poſt Antonini mortem, quàm prior, dum ille etiamnum in vivis eſſet; ut [8] viri docti ad hunc annum Quartam Perſequutionem Chriſtianorum referant. *Meliton* ſanè in Apologia, quam iis obtulit, queritur ſub M. Aurelio & L. Vero factum, in Aſia, quod ſub Antonino Pio & M. Aurelio antea factum fuerat in Græcia & litteris Antonini repreſſum, ut diximus ad Annum CLIV, 1. Intelligere hæc licet è verbis Apologiæ *Melitonis*, quæ profert *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 26. „ Quod numquam antea factum fuerat,

6 *Hæc edicto* &c.] Videtur cupiiſſe *Juſtinus* ab Imperatoribus proponi Edictum, in quo Populus Romanus, ſi Chriſtianam doctrinam noſſe vellet, amandaretur ad Apologias, quas iis ipſe obtulerat, aut miſerat. Quod ſi feciſſent, pollicetur ſe earum omnibus, qui rem noſſe cuperent, copiam facturum, operámque daturum ut ne diutiùs Chriſtiana dogmata ignorent. Sed nimis ſuperſtitioſus erat M. Aurelius, quamvis Philoſophus, quàm ut quidquam ſimile ab eo impetrari poſſet, & L. Verus homo fuit nullius pretii.

7 *Haſce orationes*] Τούσδε τοὺς Λόγους, hoc eſt, ἀπολογητικοὺς δύο λόγους.

8 *Viri docti*] *Sethus Calviſius* & *Dionyſ. Petavius.* Malim tamen referre perſequutionem, majorem, nimirum, & apertiorem, (nam alioqui ſemper, è Trajani, Hadrianique Reſcriptis, vexari potuerunt & vexati ſunt, ut vidimus, Chriſtiani) ad Ann. LXVII.

ANN. CLXIII. „ fuerat, perſequutionem tunc paſſum piorum hominum genus, novis „ per Aſiam decretis exagitatum; impudentes enim delatores & alie- „ narum opum cupidi, ex edictis occaſionem nacti, palam interdiu „ noctúque graſſantur, atque homines innoxios ſpoliant. Quod, quamvis ad M. Aurelium ſeriùs ſcripſerit *Melito*, aliquot tamen annis antea inchoatum eſt. Videntur autem delatores, de quibus agit *Melito*, accuſaſſe Chriſtianos, apud Magiſtratus urbium Aſiæ, qui decretis ſuis Chriſtianos bonis ſpoliarent, parte eorum delatoribus adtributa; quod certè innuere videntur *Melitonis* verba. Antea verò ſupplicium Chriſtianorum non mulcta, aut jactura bonorum, ſed mors fuit, ut è Trajani & Hadriani Reſcriptis colligere eſt; erátque etiamnum Romæ, ut è *Juſtino* vidimus. Hinc etiam factum, ut *Meliton* id vexationis genus numquam antea in Aſia conſpectum dicat.

L. Papirio Æliano, Junio Paſtore COSS. M. Aurelii & L. Veri Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti CLXIII.

I. Quia verò in Veterum monumentis ea non occurrunt, quæ poſſint ad ſingulos annos referri; ubi nihil aliud erit quod dicatur, Scriptores quos *Euſebius*, imperante M. Aurelio vixiſſe prodidit H. E. Lib. IV. c. 11. commemorabimus, inter quos fuit *Hegeſippus*, de quo jam diximus ad Ann. CXLVII. Teſtatur ipſe apud *Euſebium* ejuſdem Libri c. 21. ſe ſub Eleuthero Commentarios ſuos aut ſcripſiſſe, aut edidiſſe, ubi ait „ Corinthiorum Eccleſiam in recta fide manſiſſe, uſque „ ad Primum ejuſdem loci Epiſcopum; quo cum familiariter ipſe lo- „ quutus fuerat, cùm Romam navigaret; nec paucos dies ſe verſatum „ cum Corinthiis, mutuúmque ex recta fide ſolatium cepiſſe. Romam „ verò cùm veniſſet, manſiſſe apud Anicetum, cujus tum Diaconus „ erat Eleutherus. Poſt obitum deinde Aniceti, ſucceſſiſſe Soterem, „ quem excepit Eleutherus. In ſingulis autem Epiſcoporum ſucceſſio- „ nibus, per ſingulas urbes, eadem manſiſſe, quæ per Legem & Pro- „ phetas & à Domino ipſo prædicata fuerant. Quæ de ſumma ipſa Chriſtianæ doctrinæ intelligenda, non de ſingulis opinionibus, etiam quæ ad ipſam fidem non pertinebant; multa enim, iis temporibus, vulgò dicebantur, quæ Apoſtolica non erant dogmata, ut ad primum hujus Sæculi Annum obſervabamus, exempliſque deinceps pluribus firmavimus.

M. Ne-

1 *In nervum*] Ἐν ξύλῳ ἐντιναγῆναι, quod non crucifixionem ſignificat, ſed ſupplicium, quo pedibus divaricatis in pertuſum lignum, nervo arctè vinctum, immiſſis, in carcere tenebantur. De eo vide *Henr. Valeſium* ad *Euſebium* Lib. VI, 16. V, 1. & *Ducangium* in Gloſſario Med. & Infimæ Latinitatis, ad vocem *Nervus*. Legitur quidem in vulgatis *Juſtini* Cod. ἐμπαγῆναι *infigi*, unde viri docti collegerunt *Juſtinum* ſibi crucem timuiſſe. Sed optimi Codices *Euſebii*, ut oſtendit *Valeſius*, habent ἐντιναγῆναι, *incuti*, vel conjici. Sic quoque legit Paſchalis Chronici Scriptor, ad

M. Nonio Macrino & Celſo COSS. *M. Aurelii & L. Veri Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXIV.

I. Hisce temporibus vixit, *Philippus*, Gortynenſis Eccleſiæ, in Inſula Creta, Epiſcopus. Eum auctor eſt *Euſebius* egregium opus contra Marcionem ſcripſiſſe, ut & *Muſanum* ejuſdem ævi Scriptorem. Sed uterque intercidit ut & plures alii, quorum nominatim meminit *Euſebius*, vel quorum opera ſine nominibus ad ejus manus venerant. Eum vide Lib. IV. c. 25.

L. Arrio Pudente, M. Gavio Orfito COSS. *M. Aurelii & L. Veri Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXV.

I. Vidimus ad Ann. CLXII, 5. prævidiſſe *Juſtinum*, fore ut Philoſophi & præſertim quidem Creſcens Cynicus, cum quo congreſſus fuerat, & cujus inſcitiam ac iniquitatem in Apologia II. notavit, Religionis Chriſtianæ odio, darent operam, [1] ut in nervum compingeretur. Nec ea exſpectatio virum ſanctum fefellit. Creſcens, ut teſtatur [2] *Tatianus* Syrus, Juſtini Diſcipulus, in Oratione ad Græcos, „ in „ magna urbe, (*hoc eſt*, *Romæ*) nidulatus, qui fœdo puerorum amo„ re omnes ſuperabat, & pecuniæ ſtudio ſummopere ardebat, [3] dum „ mortis contemtum præ ſe ferret, eam tamen uſque adeò metuebat, „ ut morte tamquam ingenti malo Juſtinum & Tatianum circumvenire „ conaretur; eò quòd ille Veritatem prædicans, Philoſophos helluones, „ & impoſtores eſſe oſtenderet. Juſtinus ergo, cum duabus Apologiis ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſſet, & conſtanter etiamnum profiteretur, captus eſt Romæ & morti damnatus, ut docet *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 16. quod ad hos Conſules refertur [4] à Chronico Paſchali, nec ulla ratio eſt cur ei fidem derogemus.

II. Eusebius H. E. L. IV. c. 19. enumerat ſcripta *Juſtini*, in qua enumeratione quædam ſunt quæ interciderunt, alia verò etiamnum habemus. Ergo præter utramque Apologiam, librum contra Græcos, quem inſcripſit Ἔλεγχον, librum de Monarchia Dei, dialogum cum Tryphone, qui etiamnum exſtant, commemorat 1. librum adversùs Gentiles, in quo cùm de aliis plurimis quæſtionibus, quæ tam à noſtris, quàm à Gentilium Philoſophis agitari ſolent, uberrimè diſputabat,

ad hunc Annum.

2 *Tatianus Syrus*] Oratione contra Græcos §. XXXII. è diviſione Oxonienſi, quem locum citat *Euſebius* H. E. Lib. IV, 16.

3 *Dum mortis contemtum* &c.] *Tatianus* habet θανάτου ὁ καταφρονῶν, quod, ita, ut vertimus, intelligi neceſſe eſt. *Euſebius* ſic expreſſit θανάτου ὁ καταφρονεῖν συμβουλεύων, quæ videtur eſſe interpretatio verborum *Tatiani*.

4 *A Chronico Paſchali*] Cui adſentitur *Ant. Pagius* ad Ann. CLXIII, 3.

ANN. CLXV. bat, tum de Dæmonum natura ſententiam ſuam exponebat: 2. librum, cui titulum fecerat *Pſaltes*: 3. aliorum excerptorum de Anima, in quo, propoſitis variis interrogationibus, quæ ad argumentum illud pertinent, Gentilium Philoſophorum adferebat ſententias; quibus etiam ſe contradicturum, ſuámque de his ſententiam, in alio opere, prolaturum pollicebatur: 4. librum adverſus Marcionem, quem ad teſtimonium citat *Irenæus*. Sed & librum *Juſtinus* ipſe commemorat à ſe contra omnes Hæreſes conſcriptum, [5] in Apologia I. Alii libri etiam ejus nomen hodie præferunt, & quidam etiam prætulerunt, qui non exſtant. De omnibus hiſce copiosè [6] viri eruditi egerunt, quos harum rerum curioſi non ſine fructu legent; non patitur enim inſtitutum noſtrum nos in talia exſpatiari.

III. Hoc unum addam, videri mihi etiam λόγον παραινετικὸν πρὸς Ἕλληνας, vel *Adhortationem ad Græcos*, prout vocatur in noſtris Codicibus, eſſe Ἔλεγχον, vel Confutationem, de qua *Euſebius*. Non minùs enim in eo libello confutat Græcos, quàm adhortatur. Vellem in eo ſuppoſita monumenta Ethnicis non objeciſſet, qui facilè poterant ſuppoſitionem olfacere, & argumenta proinde, quæ ex iis ducebantur, ridere. Ejuſmodi ſunt verſus [7] *Orpheo* ſuppoſiti, ut videtur, à Judæis; & [8] *Sibyllina* Oracula, è quibus tredecim verſus profert, & ubi dicit, nec falsò, Chriſti adventum clarè & perſpicuè prædictum. Sunt quidem viri doctiſſimi, qui velint Sibyllinos verſus à Patribus lectos & laudatos non eſſe eos, quos habemus. Sed quî dici hoc queat, cùm verſus, quos profert *Juſtinus*, in iis exſtent, cúmque [9] non minora indicia ſuppoſitionis hi ipſi verſus præ ſe ferant, quàm ceteri, non intelligo. *Lactantius* Lib. IV. Inſtitutionum plures habet verſus, qui manifeſtò ſunt ex Hiſtoria Evangelica petiti, ut vel ſola eorum lectio oſtendit. Quod etiam de Acroſtichide, cujus meminere *Conſtantinus* in Oratione ad ſanctorum Cœtum, & *Auguſtinus* Libro de Civitate Dei, XVIII. c. 23. adeò liquet, ut vix negari, ſine pertinacia, poſſit. Quis enim nunc ſuſtineat tueri verſus, quaſi multis annis ante Chriſtum fuſos, quorum initiales litteræ hæc verba efficiunt: Ἰησοῦς Χριςὸς, Θεοῦ υἱὸς, Σωτὴρ, Σταῦρος, *Jeſus-Chriſtus*, *Dei filius*, *Servator*, *Crux*? Hæc ſunt ſanè clariora, quàm quæ ſunt in omnibus Prophetis. Nollem etiam à *Juſtino Homeri* verſus,

5 *In Apologia I.*] Pag. 70. Ed. Paris. Cap. XXXV. Ed. Oxon.

6 *Viri Eruditi*] Vide *Gulielm. Erneſt. Tentzelium.* Exercitat. Selectarum V. & *Joan. Erneſt. Grabium* Spicilegii T. II. qui multis de *Juſtini* Operibus genuinis & ſuppoſititiis egerunt, aliorúmque etiam ſententias ſuppeditabunt.

7 *Orpheo*] Ed. Paris. p. 15. & ſeq. Oxon. Cap. XV. De Orpheo vide dicta à nobis, in Opere Gallico *Biblioth. Selectæ* Tom. XXVII. p. 433. & ſeq. ubi multa ei à pluribus ſuppoſita oſtendimus.

8 *Sibyllina* &c.] Ed. Par. p. 16, 17. Oxon. Cap. XV.

9 *Non minora indicia* &c.] Eos profert quaſi antiquæ Sibyllæ, cujus meminerant *Plato* & *Ariſtophanes*; vel, ut alii malunt, *Ariſtoteles*; at res ipſa & ſtylus oſtendunt eſſe recentiora & Chriſtiani hominis. Nec poterant admitti ejuſmodi verſus, quaſi divini, ab Ethnicis, qui quidem Idololatræ manerent, nam apertiſſimè Idololatriam damnabant. Quî fieri poſſet, ſi exſti-

ſuos, obtorto collo, ad ſignificandum Paradiſum tractos, aut Philoſophos, quaſi Judæorum doctrinam edocti eſſent ab Ægyptiis, in partes Chriſtianorum adductos. Verùm hæc omnia Veterum pietati facilè condonamus, & præſertim *Juſtino*, qui ſanguine ſuo Deo Opt. Max. litavit; quamvis in iis prudentiam deſideremus. Poſſent & alia in hunc libellum obſervari, quæ nec ingrata, nec inutilia fortaſſe eſſent, niſi nimiùm eſſet evagandum. Quare ea omittemus, cùm præſertim de Apologiis *Juſtini* & Dialogo cum Tryphone ſat multa jam dixerimus, è quibus ingenium & doctrina optimi viri ſatis cognoſci poſſunt. Quæ nos exprobrandi causâ minimè diximus, ſed ne probare, ut nonnulli faciunt, quæ minimè probanda ſunt videamur; nam non minùs probamus Socraticum illud, quàm fecit olim *Juſtinus* : [10] Οὐ πρὸ τῆς Ἀληθείας τιμητέος ἀνὴρ: *vir non pluris eſt faciendus, quàm Veritas.* Nec verè doctos ac probos rem ægrè laturos exiſtimo, quos eidem Philoſopho adſentiri ſcio dicenti, *nefas eſſe Veritati indignari*, τῷ ἀληθεῖ χαλεπαίνειν οὐ θέμις.

ANN. CLXV.

I. Cum autem hic primus ſit Martyr, & quidem Philoſophus, qui ſub M. Aurelio occiſus legatur, in monumentis fide dignis quæ ſuperſunt; Imperatoris, alioqui laudatiſſimi, ſed hac in re planè cæcutientis, judicium de conſtantia Chriſtianorum in morte obeunda, proferemus & paucis expendemus. Sic ergo loquitur Lib. XI. de iis quæ ad ſe ipſum pertinere putabat: „ [11] Qualis eſt anima, quæ parata eſt, ſi jam è corpore migrare, aut exſtingui, aut diſpergi, aut „ permanere oporteat? Paratam autem dico, ita ut à proprio judicio res „ proficiſcatur, [12] non ab obſtinatione (*aut* perturbatione) mera, „ pro more Chriſtianorum, ſed fiat conſideratè & graviter; ut & „ alii, ſine tragica oratione, perſuadere poſſis. Niſi conſtaret Stoïcorum doctrinam, cui M. Aurelius addictus erat, plenam fuiſſe repugnantiis, quod ſingulari opere oſtendit *Plutarchus*; mirum eſſet mortis contemtorem iis detrahere, qui eam deſpiciebant. Atqui non licuit, Philoſopho præſertim, in aliis damnare, quæ in ſe & ſuis probaret. Verùm, inquiet, Philoſophus mortem ſpernit *proprio judicio*, *conſideratè & graviter*, *ita ut & alii*, *ſine tragica oratione*, *perſuadere poſſit.* Audio, ſed annon Chriſtianus quivis mortem ferebat *ex proprio judicio*, qui

exſtitiſſent libri Sibyllarum jam à tot ſæculis noti, ut nemo unus inter Ethnicos, qui Sibyllæ aut Sibyllarum meminerunt, notaſſet iis libris contineri doctrinam impiam, ex ſententia certè Græcorum, de Deo & Religione?

10 Οὐ πρὸ τῆς &c.] Exſtat apud *Platonem* Lib. de Rep. X. non procul ab initio, ubi de Homero hoc dicit Philoſophus, & apud *Juſtinum* Apol. II, c. 8. Sequens verò dictum eſt ad calcem Lib. V. ejuſdem Operis de Republica.

11 *Qualis eſt* &c.] §. 3. Græca verba ſic habent: Οἵα ἐστιν ἡ ψυχὴ ἡ ἕτοιμος, ἐὰν ἤδη ἀπολυθῆναι δέῃ τοῦ σώματος, καὶ ἤτοι σβεσθῆναι, ἢ σκεδασθῆναι, ἢ συμμεῖναι; τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται· μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοὶ, ἀλλὰ λελογισμένως καὶ σεμνῶς, καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι ἀτραγῴδως.

12 *Non ab obſtinatione*] Vide *Thomæ Gatakeri* notas ad hunc locum.

ANN. CLXV. qui cinctus Ethnicis furentibus, aut ridentibus, & à morte revocantibus, ſi modò Diis ſacra faceret, moriebatur tamen; [13] quòd mentiri nollet, nec ore, nec factis; quia nefas putabat Veritatem ejurare, pluriſque Dei leges, quàm hominum, faciebat? Annon *conſideratè* ſatis, qui, deprehenſâ Ethnicæ Religionis falſitate, & veritate ejus, quàm Chriſtus & Apoſtoli docuerant, ſe ſe dudum pararat ad mortem, ſi quando vitari non poſſet, ſine abnegatione Veritatis? Verùm & hoc mirum eſt hominem Stoïcum, & cujus liber plenus eſt exaggerationibus verè *tragicis*, hoc eſt, tumidis & fictis, exprobrare Chriſtianis, quòd ἀτραγῴδως mori neſcirent? Atqui nihil illi exaggerabant, cùm vitam Deo repetenti, potiùs quàm ab eo deficerent, libenter reddendam profitebantur; cúmque hoc breve ævum, idque ærumnis plenum, cum æterna felicitate conferri poſſe, aut mortem temporariam æternæ morti, hoc eſt, ſuppliciis quæ improbos, impios & à veritate deficientes manere ſciebant, æquiparandum negabant. Si qui, quod interdum factum negare nolim, crudelitate ſuppliciorum, propinquitate mortis, ſpéque proximæ beatitatis, extra ſe rapti quædam proferebant, quæ ſupra vulgi Ethnici captum erant, an tribuenda hæc ſunt παρατάξει, *obſtinationi*, vel *perturbationi?* Imò eo aut vitio, aut adfectu vel maximè laborabant, qui innocentes excarnificatos occidebant; quòd facere nollent, quæ illicita & à Deo improbari pro certo ſtatuebant. Fac Epicureos fuiſſe rerum potitos, & furore quodam actos ad tribunalia ſua traxiſſe Stoïcos, omnibus ſuppliciis propoſitis & morte ipsâ intentatâ, niſi Zenoni, Cleanthi, Chryſippo, ceteriſque ſectæ conditoribus maledixiſſent, negaſſéntque ſe iis adſentiri, & facerent quæcumque principes ſectæ vetuerant, cùm ſcirent ſe mentiri & improbè facere; an ſe Stoïcæ familiæ defenſoribus & mortem propterea fortiter obeuntibus exprobraſſet M. Aurelius παράταξιν? Imò verò ſummopere eos laudaſſet, ut laudati ſunt apud Ethnicos omnes, qui maluerunt mori, quàm quidquam facere quod inhoneſtum, aut impium judicabant? Si voluiſſet Socrates, contra animi ſententiam, loqui, & mentiri, ac ſe ſe ad pedes judicum abjicere; vitæ ſuæ, ſine dubio, conſuluiſſet; ſed ejus abſolutionem æterna infamia eſſet conſequuta. Quod de ceteris omnibus qui, Virtutis causâ, mortui ſunt, dictum puta. Summopere laudata eſt conſtantia Socratis, ejúsque μεγαληγορία, ut cum *Xenophonte* loquar, quæ alterius vitæ ſpe nitebatur, & quòd, vel morte propoſitâ, Numini obſequi, potiùs quàm hominibus, ſibi oportere putaret, [14] etiam à M. Aurelio; qui ſecum ipſe pugnabat, cùm Chriſtianos vituperavit.

V. Sed

13 *Quod mentiri nollet*] Sic *Ptolemæus*, apud *Juſtinum* Apol. II. c. 3. φιλαληθὴς ἀλλ᾽ οὐκ ἀπατηλὸς οὐδὲ ψευδολόγος τὴν γνώμην ὢν, ὡμολόγησεν ἑαυτὸν εἶναι Χριστιανόν: *cùm eſſet verax, non fallax, neque animi mendacis, faſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum.*

14 *Etiam à M. Aurelio*] Lib. VII. §. 66. ubi vide etiam notas *Thomæ Gatakeri.* Adi & Apologiam Socratis Xenophonteam.

15 *Ut alibi diximus*] Ad Ann. CIV, 6.

16 *Neſciebant enim*] Multò rectiùs Socrates, qui totus à futuræ vitæ ſpe pendebat,

V. Sed longè abſurdiſſimum eſt, & apertæ veritati contrarium, quod M. Aurelius Chriſtianis exprobrabat, non ita mortuos eſſe, ut *alii perſuadere poſſent* ſic eſſe moriendum. An unquam ulla fuit ſecta Philoſophorum, quæ tot hominibus, non viris tantùm & adultis, ſed mulieribus etiam, pueris & puellis, perſuaſerit in acerbiſſimis ſuppliciis moriendum, potiùs quàm quidquam facerent, quod improbum eſſe judicarent? Nulla, & Stoïca quidem minimè omnium; cujus rei teſtem habemus hominem, cujus auctoritatem non elevaſſet M. Aurelius. *Epictetum*, nempe, intelligo, qui, [15] ut alibi diximus, apertè faſſus eſt ratione, ſeu præceptis Stoïcis, non potuiſſe fieri, quod *amentiâ & conſuetudine*, ſic enim homo Religionis Chriſtianæ imperitus loquitur, apud Galilæos fiebat. Mira res hæc ei viſa non eſſet, ſi reputaſſet Stoïcos non potuiſſe diſcipulis ſuis polliceri, in hac vita, conſtantem Numinis favorem; nec in altera præmia bonis, ac pœnas malis proponere. [16] Neſciebant enim an qui *corpore migraſſent* animi *exſtinguerentur, vel diſpergerentur, vel permanerent.* Quod cùm ita haberet, nemini poterant probare Virtutem Numini gratam, Vitium contra inviſum eſſe; cùm bonos & malos, nullo diſcrimine, negligeret; aut præmia, vel pœnas, ſi ita vocari queant res ſecundæ, aut adverſæ, temerè in utróſque conferret, nec quidquam præterea faceret, quo quid de Virtute & Vitio ſentiret, oſtenderet. Quod ſi Numen talia non curaret, quid opus erat homines, vel ipſius vitæ jacturâ, Virtutem colere, & Vitio adverſari? Nemo, niſi inſanus, hanc vitam, quæ Stoïcis, quidquid mentirentur, æquè pretioſa erat ac aliis hominibus, ſine dolore ſummo, amittere poterat; cùm præſertim unicum hæc eſſet bonum, quod à natura haberet, & quo amiſſo reliquum ei nihil eſſet. Exclamationi ergo, aut interrogationi M. Aurelii, *qualis eſt anima, quæ parata eſt, ſi jam è corpore migrare, aut exſtingui, aut diſpergi, aut permenere oporteat?* reſpondebimus: miſera & infelix, quæ neſcit quid à ſummo Numine exſpectare Virtus poſſit, aut Vitium timere; quod fermè perinde eſt ac ignorare an ſit Deus. In ejuſmodi ignorantia adquieſcere, imò & eam laudare, dum Virtutem amaret, Vitium odio haberet, hominis fuit ſecum reverâ diſſentientis. ANN. CLXV.

VI. Sed miſſo M. Aurelio, veniemus ad inſignem impoſtorem, qui gloriæ causâ ad mortem properare ſe finxit, quam poſtea invitus tulit; ſi modò fidem *Luciano*, homini Epicureo & maledico, habere poſſumus. Digna eſt hiſtoria, quæ hîc pluribus memoretur, [17] quippe quæ in hunc Annum inciderit; nec fortè ſuſpicax nimis erit, qui

Lucia-

bat, adeóque mori malebat, quàm quidquam inhoneſtum & improbum facere. Vide *Silvas Philologicas* noſtras, Lib. I. Cap. III, 5. Idem ſenſit & *Plato*, ut è Lib. X. de Republica liquet, ubi multis probat Virtutis confirmationem ab exſpectatione futuræ vitæ pendere.

17 *Quippe quæ in hunc annum*] Vide *Ant. Pagium* ad Ann. CLXIII, 3.

ANN. CLXV. *Lucianum* ſuſpicabitur voluiſſe Chriſtianorum Martyria obliquè irridere; dum malum virum, primùm verbis mortem deſpicientem, deinde trepidantem, ubi ad rem ipſam deveniendum fuit, in ſcenam inducit. *Peregrinum* neſcio quem memorat Cynicum, quem flagitioſiſſimæ vitæ, imò & Parricidii inſimulat, ſe ſe Chriſtianis adjunxiſſe; quod ita narrat in libello, quem, de ejus nomine, *Peregrinum* inſcripſit: „ [18] Mirabilem „ Sapientiam, *inquit*, Chriſtianorum, in Palæſtina cum eorum Sacer„ dotibus & Scribis verſatus, edidicit. Hinc liquet *Luciano* ne nomina quidem Rectorum Eccleſiæ nota fuiſſe; nemo enim, tunc temporis, apud eos, *Sacerdos* vocabatur; minùs etiam *Scriba*, qui titulus Chriſtianis ſemper fuit ignotus. Eos Ethnicorum more, cum Judæis miſcuiſſe videtur; apud quos erant *Sacerdotes*, quamvis, everſo Templo, munere Sacerdotali non fungerentur, & *Scribæ*, hoc eſt, Legis doctores. Pergit verò hiſce verbis: „ Ac brevi illos, præ ſe pueros „ eſſe oſtendit, cùm Propheta, & Sodalitii princeps, Synagogeus & „ omnia ſolus ille eſſet. Nulli tunc in Eccleſiæ Chriſtiana *Prophetæ* ſalutabantur; quamvis, temporibus Apoſtolicis, donis inuſitatis futura prædicendi, aut prædicandi Evangelium prædιti ſic vocarentur. *Thiaſarchen* neminem è ſuis dixerunt umquam Chriſtiani. *Synagogea* videtur eum habuiſſe, quem *Archiſynagogum* adpellabant Judæi. Itaque hæc etiam à Judæis ſumſit. „ Librorum, *ait Lucianus*, alios [19] interpreta„ batur & declarabat; multos verò & ipſe conſcripſit, atque illum, „ quaſi Deum habebant, Legiſlatoréque eo utebantur & [20] Præfecti „ titulum in eum conferebant. Sed Chriſtiani [21] non temerè, tum temporis, quo Ethnicorum calumniis ſummopere adpetebantur, quemquam in Eccleſiam admittebant; nedum ut Neophytum, eumdémque ignotum ad munus Eccleſiaſticum adhiberent. Neminem hominem umquam, *quaſi Deum* & *Legiſlatorem* ſuum, habuerunt, præter unum Jeſum-Chriſtum; nec poterunt *Peregrini* Neophyti libros magni facere. Itaque hæc omnia meræ calumniæ ſunt hominis maledici & Chriſtianorum inſtituta ignorantis.

VII. Si Chriſtianus umquam fuit, ne fortè quidem ultra Catechumeni, hoc eſt, hominis inſtituendi, ſortem progreſſus eſt. His verò dictis, veluti abruptâ oratione, quæ nec cum ſuperioribus, nec cum ſequen-

18 *Mirabilem*] Τὴν θαυμαςὴν σοφίαν τῶν Χριςιανῶν ἐξέμαθε, περὶ τὴν Παλαιςίνην, τοῖς ἱερεῦσι καὶ γραμματεῦσιν αὐτῶν ξυγγενόμενος, καί τι γὰρ; ἐν βραχεῖ παῖδας αὐτοὺς ἀπέφηνε, προφήτης καὶ θιασάρχης, καὶ ξυναγωγεὺς, καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὢν, καὶ τὰ ἑξῆς.

19 *Interpretabatur* &c.] Nempe, Sacros. De ejus libris, nulla apud Chriſtianos Scriptores mentio, nec ulli fortaſſe fuerunt. Ut ſuperſtitioſi mendaciis non parcebant, ut pravas Religiones ſtabilirent; ſic nec Epicureis grave fuit mentiri, ut quam ſuperſtitionem putabant everterent. Cujus rei exemplum habemus in *Celſo* Epicureo, quem *Origenes* confutavit & qui amicus *Luciani* fuiſſe creditur.

20 *Præfecti titulum in eum conferebant*] Προςάτην ἐπέγραφον, quod dignitatem Epiſcopalem, ut προεςὼς, ſignificat, quam in hominem ignotum non conferebant Chriſtiani.

21 *Non temerè*] Cautiones, quas adhibebant, multis tradit *Origenes* contra Celſum Lib.

ſequentibus connexa eſt, „ itaque, *inquit*, magnum illum hominem, „ qui in Palæſtina cruci adfixus eſt, & nova hæc myſteria in vitam „ intromiſit, etiamnum colunt. Quibus dictis, ad *Peregrinum* redit; unde [22] viri docti, non abſimili vero conjecturâ, plura & contumelioſa in Chriſtum dicta, à Librariis Chriſtianis expuncta eſſe, collegerunt. Quamobrem etiam, in multis exemplaribus MSS. *Luciani* Operum, hic libellus deſideratur. Ego verò etiam, pro vocula [23] *μέγαν*, *magnum*, quâ cohoneſtatur Chriſtus, facilè crediderim, convicium fuiſſe hominis Epicurei, quod inchoatur eadem litterâ M. & quod Chriſtianorum calamus exſcribere non ſuſtinuit; neque enim *magnum hominem* vocare potuit conviciator, quem impoſtoris loco habebat.

VIII. Attamen homo Religioni Chriſtianæ infenſiſſimus egregium ei invitus teſtimonium perhibet: „ Tum verò, *inquit*, quoque „ comprehenſus propterea (*ob Religionem Chriſtianam*) Proteus in car„ cerem eſt conjectus. Quod etiam non exiguam auctoritatem ei, in „ vitam ſequentem, conciliavit, ad præſtigias & ad auræ popularis cap„ tationem, quas amabat. Poſtquàm igitur in vincula eſt conjectus, „ Chriſtiani rem ſibi calamitoſam ducentes, omnem lapidem move„ runt, dum eum eripere conantur. Tantùm abeſt ut vituperari poſſent Chriſtiani, quòd unius ex ſuis vincula omnibus calamitoſa haberent, ut propterea mutua eorum caritas, qualis in aliis ſectis non inveniebatur, ſummis laudibus digna eſſet. Sed falſum eſt Chriſtianos conatos *ἐξαρπάσαι* Religionis ſuæ Confeſſorem, ſi raptus violentus intelligatur, qui ſolus vituperari queat; nam innocentem gratiâ, precibus & rationibus periculo eripere ſemper, apud omnes, in laude poſitum eſt. „ Deinde, *inquit*, cùm hoc fieri non poſſet, omnia certè ei alia offi„ cia non perfunctoriè, ſed ſedulò præſtabant. Ac mane quidem con„ tinuò videre erat ad carcerem exſpectantes anus, viduas quaſdam & „ pueros orbos. Quin & ii qui apud eos [24] in muneribus erant (*ut* „ *Presbyteri ac Diaconi*) cum illo intus, corruptis cuſtodibus, dormie„ bant. Exin variæ cœnæ inferebantur, eorúmque ſermones ſacri „ dicebantur. Si non conſtaret Chriſtianos homines ſingularis ſobrietatis, ac frugalitatis fuiſſe; ipſa res doceret opipara convivia homini capitis reo adpoſita non fuiſſe, cùm à conviviis abhorreant, qui vitæ timent, &

Lib. III. p. 142. Ed. Cantabr. Chriſtianis etiam teſtimonium exhibuit Alexander Severus, qui cùm ſoleret Procuratorum ſuorum, vel Rationalium, antequàm eos in Provincias mitteret, nomina proponere & hortari populum; ut, ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; dicebat *grave eſſe, cùm id Judæi & Chriſtiani facerent, in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus* &c. Quod habet in ejus vita Lampridius, Cap. XLV.

22 *Viri docti*] *Tan. Faber* Cap. II. Notarum & Animadverſionum in hunc Librum.

23 *Μέγαν*] *Τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσιν ἄνθρωπον, τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον.* Notum eſt convicium, & frequens, cujus prima littera eſt M. cujuſmodi elogio digniſſimus fuit *Lucianus*.

24 *Qui in muneribus erant*] *Οἱ δὲ ἐν τέλει αὐτῶν*, hoc eſt, qui muneribus publicis fungebantur, Presbyteri, Diaconi.

ANN. CLXV. & periculoſum eſſet ne res Præſidi Romano renunciaretur. Sed potuit fieri & [25] factum eſt ſine dubio ſæpiùs, ut Presbyteri & Diaconi admiſſi, emtâ à Commentarienſibus ingrediendi facultate, pios ſermones cum Chriſtianis vinctis habuerint; quibus eos confirmarent, atque ad ferendam conſtanter mortem adhortarentur. Qua in re, nihil eſt quod carpi queat, ſi vera eſt Religio Chriſtiana; quod à Chriſtianis demonſtratum eſt, nec à *Luciano*, aut ab ullo alio confutari poterat.

IX. Et optimus ille Peregrinus, *inquit*, ſic „ enim adhuc adpella-„ batur, (*nam poſtea Proteum ſe vocari voluit*) novus Socrates ab illis „ nominabatur. Quin etiam ex Aſiæ urbibus venerunt quidam à Chriſ-„ tianis miſſi, qui virum [26] è communibus pecuniis juvarent, defen-„ derent & ſolarentur. Ingentem autem celeritatem oſtendunt, ſi quid „ tale vulgò innotuerit; brevi enim omnia profundunt. Proinde ad „ Peregrinum, ex occaſione vinculorum, multæ pecuniæ pervenie-„ bant, nec exiguum reditum hunc fecerunt. Non dubium eſt quin Confeſſoribus largè omnia neceſſaria ſuppeditarentur; at non ita ut diteſcerent; homines, qui in carcere erant, & à Judicis ſententia prorſus pendebant; cùm enim nudi ad ſupplicium ducerentur, non tantùm non poterant ſibi pecunias ullas tutò ſervare, ſed ne ſuis quidem largiri. Interim quæcumque eſſet Chriſtianorum, erga vinctos, liberalitas, æquis eam hominibus, etiam Ethnicis, probari & laudari neceſſe fuit; cùm ejuſmodi beneficentia digni meritò viderentur, qui Veritatis causâ (certè ita de Chriſtiana doctrina ſentiebant) vincula conſtanter patiebantur & capitis rei fiebant; quæ omnia, ſolâ abnegatione Chriſtianiſmi, poterant vitari. Quòd ſi quis aliquando abuſus eſſet liberalitate bonorum, & carcere emiſſus in deliciis vitam ageret; rariſſimum ſine dubio hoc fuit, & cum magna, apud ceteros Chriſtianos, infamia conjunctum.

X. Ete-

25 *Factum eſt ſæpiùs* &c.] Quam in rem monita habemus Cypriani in Ep. V. ex ordine Ed. Oxonienſis, quam ſcripſit anno CCXLIX. ad Presbyteros & Diaconos: *Quantum autem ad ſumtus ſuggerendos ſive illis, qui glorioſâ voce Deum confeſſi in carcere ſunt conſtituti; ſive iis, qui pauperes & indigentes laborant & tamen in Domino perſeverant; puto nihil deſit, cùm ſumma omnis, quæ redacta eſt, illic ſit apud Clericos diſtributa, propter ejuſmodi caſus; ut haberent plures, unde ad neceſſitates & preſſuras ſingulorum operari poſſint. Puto quoque, ad procurandam quietem, ſollertia & ſollicitudo veſtra non deſinat; nam etſi fratres, pro dilectione ſua, cupidi ſunt ad conveniendum & viſitandum Confeſſores bonos, quos illuſtravit jam glorioſis initiis divina dignatio; tamen cautè hoc & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam, puto eſſe faciendum; ne ex hoc ipſo invidia concitetur & introeundi actus denegetur —— Conſulite ergo & providete, ut cum temperamento agi hoc ſatius poſſit; ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli, cum ſingulis Diaconis, per vices alternent; quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.* Quem locum integrum adtuli, ut & de præclaro veterum Chriſtianorum inſtituto planè conſtaret; & ab Ethnicis non eſſe ſævitum promiſcuè in quoſvis Chriſtianos, quod aliquando diximus, liqueret.

26 *E communibus pecuniis*] Ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, nempe, γαζοφυλακίου, aut, collatarum ſtipum theſauro. Exemplum Eccleſiæ Romanæ protulimus ad Ann. CLVI, 1.

27 *Permultis Gentibus*] Græcis & Romanis, qui ab antiquiſſimis temporibus pœnas & præmia poſt hanc vitam crediderant;

„ X. Etenim perſuaſerunt ſibi, *inquit Lucianus*, miſeri, ſe omnino immortales fore, & in omne ævum victuros. Idcirco mortem contemnunt & multi ultrò ſe tradunt. Debuit addere credidiſſe Chriſtianos ſe beatos futuros, in altera vita, ſi hanc ex præceptis Chriſti exegiſſent; nam non ſolâ ſpe immortalitatis commovebantur, ſed felicitatis & quidem ex certa lege pendentis. Potuit homo Epicureus ſpem immortalitatis exprobrare [27] permultis Gentibus, & præſtantiſſimis Philoſophis, *Socrati*, *Platoni* eorúmque diſcipulis; cum quibus nullâ ratione conferri poterat *Epicurus*. Si qui è Chriſtianis ſævientibus Judicibus Ethnicis ſe ſe ultrò tradebant; [28] factum id, præter ſententiam Chriſtianorum, qui mortem non timendam, ſed nequaquam quærendam præcipiebant. „ Deinde, *inquit*, [29] Legiſlator primus iis perſuaſit, aliorum alios omnes eſſe fratres, cùm, poſtquàm deſciverunt à nobis, [30] & Deos quidem Græcos abnegarunt, crucifixum verò illum Doctorem ſuum adorarunt, vitam ſecundùm leges ejus inſtituunt. Imò Chriſtus docuit omnes homines, quicumque ſint, proximos ſibi invicem eſſe, ſed ſingulari amicitiâ conjunctos inter ſe Chriſtianos eſſe oportere; quod eſt perinde ac ſi quis dicat omnibus quidem hominibus amicos nos eſſe debere, ſed præſertim bonis. Qua in re, nihil eſt, quod præſtantiſſimis quibuſque Philoſophis probari facilè non poſſit, nihil quod Humano Generi beando, ſi totum ita ſentiret, aptum non ſit. At hæc non poterant placere Epicureis, qui ſe ex concurſu fortuito Atomorum ortos, eodémque agi putabant. Sed ridiculus eſt Epicureus, qui Græcorum Deos loquebatur, quos non magis credebat eſſe, quàm Chriſtiani. ANN. CLXV.

„ Proinde, *ait*, omnia ex æquo deſpiciunt, & communia eſſe dicunt; [31] citra adcuratam cautionem talia accipientes. Adludit ad Præfectos Eccleſiæ, qui collatam ſtipem, [32] nullâ ratione redditâ, acciperant; quam opinionem in vetuſtiſſimis Poëtis videmus. Idem ſenſere & Galli veteres, quamvis ſuam ſibi Theologiam, à Græcanica diverſam, haberent. Eos ideò prope irriſit *Lucanus* Lib. I, 477.

——— *longæ* (*canitis ſi cognita*) *vitæ*
Mors media eſt; certè populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo! quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

Hinc tantum animum oſtendit Socrates. Quod nec Gallis, nec Socrati exprobrari potuit, ab Epicureis; niſi priùs oſtendiſſent animos, unà cum corporibus, interire; quod numquam fecerunt, nec facient. Vide *Platonis* Phædonem, Gorgiam, Phædrum & Lib. X. de Legibus.

28 *Factum id* &c.] Vide ad Ann. CXVI, 9.

29 *Legiſlator primus*] *Tan. Faber* vult Paulum Apoſtolum ſignificari, ſed intelligendus Chriſtus, qui non diſtinguitur à crucifixo, de quo in ſequentibus, quamvis perſpicuitatis causâ *Lucianus* eum aliâ περιφράσει deſcribat. Secundus ab eo fingitur ipſe Peregrinus.

30 *Deos Græcorum* &c.] Quaſi eos non abnegarent ipſi Epicurei, qui in intermundiis ſuis Deos alîus planè generis deſcribebant, & ne iis quidem fidem habebant! Sed quia, dicis causâ, Sacra faciebant, pœnarum omnium immunes erant.

31 *Citra adcuratam cautionem*] Ἄνευ τινὸς ἀκριβοῦς πίστεως, ubi πίστις pro cautione ſumitur.

32 *Nullâ ratione redditâ* &c.] Vide Conſtitu-

ANN. CLXV.

cipiebant, & erogabant; unde intelligere eſt nullas aut raras, ea in adminiſtratione, deprehenſas, hiſce temporibus, fraudes. Alioquin operam dediſſent Chriſtiani, ne, per fraudem, pecuniæ uſibus piis conſecratæ interverterentur. Fruſtra ergo eſt *Lucianus*, cùm contemtum pecuniarum, quas, ut eſſent paratum ſublevandis pauperibus auxilium, veluti communes habebant, damnat. „ At ſi quis, *ait*, ad eos veniat im-„ poſtor & doloſus homo, occaſione uti paratus, brevi admodum diteſcit, „ dum ſimplicibus hominibus illudit. Verùm tota eſt culpa penès hominem verſutum, qui ſolus vituperatu dignus eſt, cùm fide ſibi habitâ abutitur; dum aliorum liberalitati nihil exprobrari poteſt, niſi quòd non ſatis cauta eſt, quæ culpa perquàm exigua eſt, & laudi propior, quàm inſectationi.

„ XI. Ceterum, *ut habet Lucianus*, Peregrinus ab eo, qui tum „ Syriæ præerat, & Philoſophiæ ſtudioſus erat, dimiſſus eſt. Intelli-„ gens enim Præſes hominis amentiam, libenter mortem excepturi, „ ut gloriam propterea poſt ſe relinqueret, eum, ne ſupplicio quidem dig-„ num ratus, abire juſſit. Rectè verò atque ordine Præſes ille, quiſquis fuerit, Chriſtianiſmum ſcelus non eſſe intelligens, Peregrinum, ea ſola de cauſa, accuſatum, incolumem abire paſſus eſt. Tum flagitia Peregrini narrans, quamvis hominem ſceleratum fuiſſe velit, tamen divitem, apud Chriſtianos, factum imprudens negat, nec ſecum conſentit. Cùm enim patriâ exceſſiſſe eum, publicatis agris ſuis, ne parricidii accuſatus pœnas daret, dicat; addit „ ſatis ei fuiſſe viatici in Chriſtianis, qui eum „ inſtar ſatellitum ſequebantur, in omnium rerum copia verſantem, & „ ſic aliquamdiu vixiſſe; deinde verò, cùm & aliquid in eos peccaſſet, „ conſpectum enim edentem quidpiam ex iis, quæ illicita haberent, „ non ampliùs ad eum accedentibus, in egeſtatem incidiſſe, & voluiſſe „ ſua repetere à Pariorum civitate, ſed fruſtra. Hinc poſtea in vitam Cynicam relapſum, gloriæ comparandæ causâ, conſilium, ad imitationem Herculis & Brachmanum, de ſe vivo comburendo cepiſſe; quod cùm patefeciſſet, revocatúmque ſerò cuperet, à Cynicis coactum exſequi. Quæ pluribus narrat, apud ipſum *Lucianum*, quia ad rem noſtram nihil faciunt, legenda. Interim liquet, è verbis adlatis, Chriſtianos homini quidem, dum viſus eſt eſſe Chriſtianus, neceſſaria ſuppeditaſſe; ſed non ita ut diteſceret, eorúmque auxilio non ampliùs indigeret. Si verum eſt quod ait de cibis illicitis, quos comederit Peregrinus, oportet eum ſanguine, aut ſuffocatis, aut Idolothytis veſci auſum eſſe,

titutiones Apoſtolicas Lib. II. c. 35. Οὐ μέν τοι λογιςεύσεις σȣ τὸν Ἐπίσκοπον, καὶ τὰ ἑξῆς: *rationem non repetes à tuo Epiſcopo* &c.

33 *Philoſtratus*] Potuiſſemus hîc interponere ipſum *Lucianum*, qui iterum in Demonacte Peregrini meminit, his verbis: Περεγρίνȣ τοῦ Πρωτέως ἐπιτιμῶντος αὐτῷ, ὅτι ἐγέλα τὰ πολλὰ, καὶ τοῖς ἀνθρώποις προσέπαιζε, καὶ λέγοντος, Δημῶναξ, οὐ κυνᾷς; ἀπεκρίνατο, Περεγρῖνε, οὐκ ἀνθρωπίζεις; *Cùm Peregrinus, qui Proteus*, (non *Protei filius*, ut abſurdè Interpres) *eum objurgaret, quòd plerumque rideret & hominibus illuderet, dicens*: Demonax, annon Cynicum agis? *reſpon-*

eſſe; hæc enim ſola illicita, apud Chriſtianos, erant. Ceterùm quod volens, nolens in pyram accenſam inſilire coactus dicitur; id videtur ferire etiam Chriſtianos, qui Religionis causâ moriebantur. Sed fruſtra eſt Epicureus, cùm nec Chriſtiani gloriam ſibi, apud homines, inde futuram ſpectarent, quandoquidem à maxima ſpectatorum parte inſani propterea habebantur; cúmque facilè poſſent mortem vitare, ſi modò Chriſtianam Religionem ejerarent, quod apud Ethnicos dedecori non erat. ANN. CLXV.

XI. PEREGRINI meminerunt Scriptores Ethnici aliquot & Chriſtiani, & nonnulli etiam Ethnici non ſine laude. Supereſt inſcriptio Cap. 3. Libri VIII. Noctium Atticarum *A. Gellii*, in quo narraverat, *quem in modum & quàm ſeverè increpuiſſet*, ipſo audiente, *Peregrinus Philoſophus adoleſcentem Romanum, ex equeſtri familia ſtantem ſegnem, apud ſe, & aſſiduè oſcitantem.* Idem Lib. XII. c. II. docet, ex ore Peregrini, *virum ſapientem non peccaturum eſſe, etiamſi peccaſſe eum Dii atque homines ignoraturi forent, non enim pœnæ, aut infamiæ metu non eſſe peccandum; ſed juſti, honeſtique ſtudio & officio*; quod antequàm dicat, ita præfatur *Gellius: Philoſophum nomine Peregrinum, cui poſtea cognomentum Proteus factum eſt, virum gravem atque conſtantem vidimus, cùm Athenis eſſemus, diverſantem in quodam tugurio, extra urbem; cúmque ad eum frequenter ventitaremus, multa hercle dicere eum utiliter & honeſtè audivimus.* [33] *Philoſtratus* verò de Vitis Sophiſtarum Lib. II. Vitæ Herodis §. 13. „ Erat, *inquit*, Proteus ex numero eorum qui ſic audacter philoſophantur, ut ſe ipſe Olympiæ in ignem conjecerit. Inſectabatur autem Herodem conviciis, ſemibarbarâ eum linguâ laceſſens. Converſus verò Herodes: *eſto*, inquit, *maledictis me inceſſis, cur verò, vel ita facis?* cúmque inſtaret porrò conviciis Proteus: *conſenuimus*, inquit, *tu quidem mihi obtrectando, ego verò audiendo. Ammianus Marcellinus* Lib. XXIX. c. 1. ubi de Simonide quodam Philoſopho, qui Majeſtatis reus à Valente ad ignem damnatus eſt: *vitam*, inquit, *ut dominam vitans rabidam, ridens ſubitas momentorum ruïnas, immobilis conflagravit, Peregrinum illum imitatus, Protea cognomine, Philoſophum clarum; qui cùm mundo digredi ſtatuiſſet, Olympiæ quinquennali certamine, ſub Græciæ conſpectu totius, adſcenſo rogo quem ipſe conſtruxit, flammis abſumtus eſt.*

XII. PEREGRINI etiam meminit æqualis ejus *Athenagoras*, in legatione pro Chriſtianis C. XXIII. ubi prodidit Parium, quæ Protei patria, habuiſſe ſtatuas [34] Alexandri & Protei. „ Quod verò, *inquit*, adtinet

reſpondit: Peregrine, nonne hominem agis? quaſi ſimulaſſet Proteus ſe eſſe hominem, cùm non eſſet.

34 *Alexandri*] Intellexit *Athenagoras* Priami filium, ſed fortè intelligendus Alexander Abonoteichita, horum temporum impoſtor, de quo *Lucianus*; cùm dicatur in foro urbis fuiſſe ejus ſepulcrum, nam Alexandri Paridis ſepulcrum ad ea tempora fuiſſe credi vix potuit. Attamen nomen Urbis huic ſententiæ favet & Cenotaphium fortè, honoris causâ, Priami filio illic erectum.

ANN. CLXVI. „ adtinet ad ſtatuas Alexandri & Protei (non ignoratis autem hunc, „ qui ſe circa Olympiam in ignem ipſe conjecit) etiam Protei ſtatua „ reſponſa dare perhibetur. Quod futurum præviderat *Lucianus*, ut liquet ex iis quæ hac de re ſub finem *Peregrini* ſui habet. Similiter *Tertullianus*, in Libro ad Martyras c. IV. memoratâ Mutii Scævolæ conſtantiâ, qui dexteram ſuam in ara cremavit; *minùs*, inquit, *fecerunt Philoſophi, Heraclitus qui ſe bubulo ſtercore oblitum exuſſit; item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis diſſiluit; & Peregrinus, qui non olim rogo ſe immiſit, cùm fœminæ quoque contemſerint ignes.* Denique *Euſebius* in Chronico, ad Olympiadem CCXXXVI. ait *Peregrinum Philoſophum rogo, quem ex lignis compoſuerat, incenſo ſemet ipſum ſuper injeciſſe.* Sed eum aliquando pro Chriſtiano ſe geſſiſſe, nemo Chriſtianorum, qui ſuperſit, dixit. Imò quaſi Cynicum traducit *Tatianus*, Or. ad Græc. c. XLI.

Servilio Pudente, L. Fuſidio Pollione COSS. *M. Aurelii & L. Veri Imp. VI. Æræ Vulg. Chriſti* CLXVI.

I. Hoc anno, ut oſtenderunt [1] eruditi Chronologi, *Athenagoras* Athenienſis M. Aurelio & L. Vero obtulit Apologiam, quam *Legationem pro Chriſtianis* inſcripſit; quo tempore, [2] acriter vexabantur Chriſtiani, ut ipſe teſtatur, C. XXIX. ubi tam ſæpe accuſatos fuiſſe ait, „ ut „ Præſides Gentium, ab Imperatoribus miſſi, judiciis non ſufficerent. Hac de cauſa *Athenagoras* & alii, ut ſuo tempore dicemus, Apologias pro Chriſtianis Imperatoribus inſcripſerunt; non quaſi Chriſtianorum cauſa à *Juſtino* & aliis non fuiſſet ſat commodè & ſat copiosè perorata; ſed quia negligi videbantur ſuperiores Apologiæ, neceſſéque erat eadem à multis repeti, & ubique ſpargi, ut faciliùs Imperatores & Magiſtratus Romani, in Provinciis, rem cognoſcere poſſent.

II. Pauca quædam de Legatione *Athenagoræ* dicemus, quibus & hiſtoria eorum temporum, & dogmata Chriſtianorum illuſtrabuntur; præterquàm quòd facilior fiat librorum, pro iis ſcriptorum, lectio. 1. Exorditur *Athenagoras* à varietate Nominum & Religionum, quibus Dii colebantur in Imperio Romano; ita ut [3] abſurdæ licèt eſſent Religiones, nemo tamen impediretur ne patrios ritus ſequeretur; quod multis exemplis populorum Heroës colentium, ac tandem Ægyptiorum, qui Bruta adorabant, demonſtrat. Quæ tamen libertas negabatur

1 *Eruditi Chronologi*] *Ant. Pagius* ad Ann. CLXV, 9. CLXXVII, 8.

2 *Acriter vexabantur*] *Athenagoras* in Leg. c. I. Οὐδὲ γὰρ εἰς χρήματα ἡ παρὰ τῶν διωκόντων ζημία, οὐδὲ εἰς ἐπιτιμίαν ἡ αἰσχύνη, ἢ εἰς ἄλλο τὶ τῶν μειζόνων βλάβη, τούτων γὰρ καταφρονοῦμεν —— ἀλλ' εἰς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχὰς, ὅταν ἀπείπωμεν τοῖς χρήμασιν, ἐπιβουλεύουσιν ἡμῖν, κατασκεδάζοντες ὄχλον ἐγκλημάτων: *non enim mulcta à perſequutoribus pecunias ſpectat, neque ignominia caſtigationem, vel aliquam majorem rem jactura; hæc enim contemnimus —— ſed corporibus & animabus, poſtquàm opibus renunciavimus, inſidiantur, ſpargentes in nos magnum numerum criminationum.* Per Reſcripta Trajani & Hadriani licebat Præſidibus in corpora ſævire, & ad capitis ſupplicium

tur Chriſtianis, ita ut vel ſolum eorum nomen eſſet inviſum. Rogat Imperatores ut ſibi æquo jure frui liceret, quo aliis omnibus, & ſi quæ flagitia aut ſcelera admiſiſſent Chriſtiani, graves eorum pœnas ferrent, poſtquàm ſontes eſſe conſtitiſſet. Hæc III. primis Capitibus. Qua in re, mirum eſt Chriſtianos Judæorum exemplum, quod multò magis ad rem faciebat, non protuliſſe; cùm enim Judæi, ex Edictis Magiſtratuum Romanorum & Cæſarum ipſorum, ferrentur, ut ſuis locis oſtendimus; nulla erat ratio, alicujus ponderis, cur non ferrentur etiam Chriſtiani; niſi quòd ſibi magis metuerent homines ſuperſtitioſi à Chriſtiana doctrina, præſtantiore & aptiore ad ſubeundos animos hominum acutiorum; quod re verâ fiebat, ut intelligere erat ex multitudine Chriſtianorum, quæ tanta fuit, ut templa ac Sacra Deorum, nonnullis in locis, deſererentur, útque paucæ victimæ venirent, ſicut docet Epiſtola *Plinii* ad Trajanum, qua de re, ad Ann. CXI, 13. diximus. ANN. CLXVI.

III. 1. Postea *Athenagoras* capita accuſationum in Chriſtianos profert, quæ eo tempore tria erant, Atheïſmus, cœnæ Thyeſteæ, OEdipodei ſeu inceſti concubitus, quæ per totum hoc opus ordine confutat. Sed ante omnia ita has calumnias abominatur, ſceleráque à Chriſtianis ita amolitur; ut ſi vera ſint, nulli hominum generi parci, de improbè factis ultionem ſumi, Chriſtianóſque cum uxoribus & liberis radicitus exſtirpari optet; & tam acriter invehitur in talia admittentes, ut deteriores feris pronunciet, Cap. IV.

IV. 2. Atheismi verò calumniam, quæ periculoſiſſima erat, quia faciliùs quàm cetera fidem inveniebat, per maximam libelli partem propulſat; nec Chriſtianos defendiſſe contentus in Ethnicorum fines irrumpit, Theologiæque eorum, ſive apud Poëtas, ſive apud Philoſophos quæratur, cultúſque Deorum abſurditatem facilè demonſtrat; quæ à Cap. V. ad XXVII. tractantur; inde verò, ad finem uſque, de promiſcuo concubitu, & carnis humanæ eſu agit, ſed paucis. Atque hæc eſt totius Operis ſumma, quorum ſingulas partes minimè adtingemus, ſed pauca quædam capita ad examen revocabimus.

V. 3. Atheos dici non poſſe Chriſtianos oſtendit, quòd palam profiterentur ſe uni Deo credere, & preces, cultúmque offerre, quamvis ea non eſſet vulgi ſententia; uti nec Poëtæ Græci & Philoſophi atheïſmi jure accuſari poterant, quòd ſimilia nonnulla iis, quæ à Chriſtianis docebantur, dixiſſent; eorúmque hanc in rem loca profert, ex quibus

plicium damnare Chriſtianiſmi convictos; ſed priùs homines avari eorum bona diripiebant, ut familias planè peſſum darent.

3 *Abſurdæ licèt*] Memoratis abſurdis Ægyptiorum Diis, ſic habet C. I. *Athenagoras*: *Et hiſce omnibus* (hæc) *permittitis & vos & Leges; quòd nullum prorſus credere Deum, id quidem impium & nefarium exiſtimetis; neceſſe verò eſſe ut quiſque iis Diis utatur, quibus velit, quò Numinis metu ab injuſtè factis abſtineat.* Τούτοις πᾶσιν ἐπιτρέπετε καὶ ὑμεῖς, καὶ οἱ νόμοι· τὸ μὲν ὅν μηδ' ὅλως Θεὸν ἡγεῖσθαι ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιον νομίσαντες· τὸ δὲ οἷς ἕκαςος βούληται χρῆσθαι ὡς θεοῖς, ἀναγκαῖον· ἵνα τῷ πρὸς τὸ Θεῖον δέει ἀπέχωνται τοῦ ἀδικεῖν.

ANN. CLXVI.

quibus unum Deum ſummum iis creditum liquebat. Probat hoc etiam rationibus Philoſophicis, quæ ſi hodiernis Philoſophis per omnia non probentur, poterant eo tempore majoris eſſe ponderis, deinde auctoritate Prophetarum Veteris Teſtamenti. Ea Capp. VI, VII, & VIII. continentur.

VI. 4. Sed digna ſunt, quæ nos paullò diutiùs detineant, quæ habet de Natura Divina, déque Patre, Filio & Spiritu Sancto. Ait ergo Cap. IX. „ unum eſſe Deum, ingenitum, æternum, inconſpicuum, „ patiendi expertem, qui neque comprehendi, neque capi loco poſſit, „ ſed mente ſolâ intelligatur, lumine, pulcritudine, ſpiritu & potentiâ „ inexplicabili circumfuſum; à quo per ejus Rationem (aut *Verbum*) „ omnia ſint ornata & contineantur; quæ à Philoſophiæ & Theologiæ peritis intelligi poſſunt: II. „ Chriſtianos concipere etiam „ Filium Dei, nec eſſe cur quiſquam ridiculum putaret Deo eſſe Fi„ lium, non enim ab iis rem intelligi, ut à Poëtis. Filius, *inquit*, „ Dei eſt Ratio (aut *Verbum*) Patris, [4] in Idea & [5] in efficientia, „ ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐν ἐνεργείᾳ. Hæc demum obſcura ſunt, neque è verbis Scripturæ petita. Subjicit illico: „ ab ipſo enim & per ipſum omnia „ facta ſunt; cùm Pater & Filius unum ſint, [6] ſitque Filius in Patre „ & Pater in Filio, [7] unitate & potentiâ Spiritûs. Mens & Ratio Pa„ tris eſt Filius Dei. Obſcura hæc eſſe cùm probè intelligeret *Athenagoras*, conatur planiùs in ſequentibus interpretari, aitque „ primam „ (*Filium Dei*) progeniem eſſe Patri, non ut factam (ab initio enim „ Deus Mens cùm eſſet, habuit ipſe in ſe Rationem, quippe qui æter„ nùm rationalis eſt) ſed ad hoc ut [8] Idea & efficientia eſſet omnium „ materialium, cùm natura qualitatibus deſtituta & terra ſubjecta eſſent, inſtar

4 *In Idea & in efficientia*] Ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ. Mira & incommoda loquendi ratio, quæ non ſtylum Apoſtolicum, ſed Platonicum potiùs redolet. Platonici & qui eos ſequebantur Judæi docebant, antequàm Deus mundum conderet, fuiſſe in ejus Ratione ideas omnium rerum, quas creavit; Rationem autem illam faciebant alterum Deum, quem vocabant *Filium* & *Primogenitum* Dei; ut vel ex ſolo *Philone* liquet, & præſertim quidem ex Libro περὶ κοσμοποιΐας. Sic p. 5. Δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἡ ἀρχέτυπος σφραγὶς, ὃν φαμὲν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν εἴη τὸ ἀρχέτυπον παράδειγμα, ἰδέα τῶν ἰδεῶν, ὁ Θεοῦ Λόγος. *Liquet verò archetypum ſigillum, quod diximus eſſe mundum intelligibilem, eſſe Dei Rationem ipſam, archetypum exemplar & ideam idearum.* Sed & plura è *Philone* congeſſimus, in Interpretatione initii Evangelii Joannis, quam ei Evangelio, in altera Adnotationum *Henr. Hammondi* Editione, præfiximus; unde liquebit hîc Λόγον non eſſe ipſum Dei intellectum, ut Platoniſmi imperitus credere queat, ſed alterum Deum, eúmque inferiorem. Jam ſi quis quærat quî poſſit notio clara hujus *Philonis* ſententiæ mente concipi; meum non eſt docere, quod ne ipſum quidem intellexiſſe puto. Sed ſatis liquet cur *Athenagoras* dixerit Filium Deo fuiſſe ἐν ἰδέᾳ, quamvis incommodo genere loquendi uſus. Verùm ſe ſatis intellectum iri à M. Aurelio, aliiſque Platonicæ Philoſophiæ peritis, putabat.

5 *Efficientia*] Quod Deus per Λόγον crederetur ἐνεργεῖν. Vide not. ad Joan. I, 3.

6 *Sitque Filius in Patre* &c.] *Per circuminſeſſionem*, κατ᾽ ἐμπεριχώρησιν, ut poſtea loquuti ſunt Theologi, propter arctiſſimam Divinarum Perſonarum conjunctionem, ſed quæ conſiſtit cum διαιρέσει Patris & Filii, quorum eſſentiæ debent eſſe diſtinctæ, ut una in altera eſſe dici queat. Vide *Lactantium* Inſtit. Divin. Lib. IV. c. 29.

7 *Uni-*

„ [9] inſtar vehiculi, atque in iis craſſiora eſſent levioribus permiſta. Quæ poſtrema obſcuriora ſunt. Omnia tamen huc redire videntur: I. in Deo, ante Filii προέλευσιν, ſeu *progreſſum*, ut ὕπαρξιν, ſive ὑπόςασιν haberet; fuiſſe, in Deo Patre, naturam ipſam, ſeu ſubſtantiam Rationis, quæ poſtea ἐνυπόςατος facta eſt, nam ab omni æternitate Deum fuiſſe intelligentem & rationalem: II. ante rerum creationem, Deum emiſiſſe Rationem ἐνυπόςατον (nam antea ὕπαρξις ejus, cùm nondum à Patre diſtincta eſſet, eadem erat ac ὕπαρξις Patris) & προηλθῆναι eam Rationem, ſeu Mentem, vel fuiſſe ὑφιςάμενον à Patre diſtinctum, at nequaquam factum, ut creaturas, ſed ex ipſa Patris ſubſtantia æterna emiſſum: III. attamen ita duo illa ὑφίςαμενα conjuncta inter ſe fuiſſe, ut Pater eſſet in Filio, Filiúſque in Patre, per unitatem & potentiam Spiritûs; quod poſtea Theologi *circuminſeſſionem*, ſeu ἐμπεριχώρησιν ſubinde vocarunt: IV. fuiſſe eam Rationem Dei Ideam, hoc eſt, complexam eſſe ideas omnes rerum, quæ à Deo intelliguntur, quales eæ ſunt; quod loquendi genus [10] à Platonicis eſt deſumtum; ut ex *Philone* liquet, qui ita etiam loquitur: V. fuiſſe eam rationalem [11] *efficientiam*, ſeu cauſam efficientem omnium rerum, quas Deus fieri voluit: VI. antea nihil fuiſſe, niſi naturam omnibus qualitatibus deſtitutam, & terram, in quibus [12] omnia permiſta eſſent, & levia gravibus, contraríaque omnia contrariis confuſa, quæ poſtea ſunt diſtincta & ſeparata à Ratione; quæ ſingulas rerum *ideas*, ſeu ſpecies ex iis formavit, & deinde conſervavit. Si ſtudioſè legantur verba *Athenagoræ*, ſex hæc rerum capita in iis contineri facilè animadvertent paullò acutiores. Hîc autem non quæro veráne ſint hæc omnia, ánve poſſint ſingula è Scriptura deduci; quod non puto. Satius ſine dubio fuiſſet cum Scriptura loqui,

7 *Unitate & potentiâ Spiritûs*] Ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος. An de Perſona Spiritûs Sancti hæc intelligenda ſint, an verò de ſpirituali eſſentia Patris & Filii mihi non ſatis liquet; ſed poſterius magis placet, propter alium locum *Athenagoræ*, qui poſtea adfertur.

8 *Idea & efficientia*] Ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποιȣ φύσεως καὶ γῆς ὀχείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεςέρων πρὸς τὰ κȣφότερα, ἐπ' αὐτοῖς ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών. Hîc Ratio *Idea & Efficientia* dicitur materialium, quòd *ideam*, ſeu notionem omnium corporum conceperit, antequàm fierent; deinde cauſa efficiens, ſeu δραςήριον aut, ſi mavis, ἐνεργητικὸν αἴτιον fuerit omnium. Sic etiam doctiſſimi viri *Petavius* & *Bullus* locum interpretati ſunt.

9 *Inſtar vehiculi*] Ὀχείας δίκην, quod ita intellexerat Interpretes, quaſi legeretur ὀχεῖȣ, quia Materia expers qualitatis & Terra, ex quibus omnia hîc conflata dicuntur, ſunt, ut Philoſophi loquuntur, *ſubjectum* quibus inhærent qualitates ſingulis materialium rerum ſpeciebus inditæ. Ὀχεία quidem alibi ſemper ſumitur pro συνȣσίᾳ, ſed res ipſa oſtendit eſſe eodem ſenſu vocem intelligendam, ac neutrum ὀχεῖον; niſi quis malit hîc ſcribere ὀχείȣ, quæ ſit vera lectio, altera verò Librariorum lapſus.

10 *A Platonicis*] Vide Adnotat. 4, & 8.

11 *Efficientiam*] Vide Adnot. 8.

12 *Omnia permiſta* &c.] Eſt deſcriptio τοῦ χάȣς, ubi

——— corpore in uno,
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

ut habet *Ovidius*, Metamorph. Libri I. initio.

ANN. CLXVI.

qui, neque explicare quæ inexplicabilia ſunt, ſine ulteriore Revelatione. Nec quemquam puto à me exigere poſſe, ut claras notiones omnium proferam, quas claras menti *Athenagoræ* ipſius minimè obverſatas fuiſſe crediderim. Si clarè omnia elucidare poſſem, meam ipſius ſententiam, non *Athenagoræ*, quæ obſcura fuit, proferrem.

VI. Est vir doctiſſimus, [13] qui contendit „ ſi *Athenagoras* progreſſum ſeu προέλευσιν Filii, ac Verbi productionem eſſe crediderit, „ ſic ut, illâ ipsâ proceſſione, diſtincta primùm ὑπόςασις exſtiterit, „ cùm antea in Patris eſſentia contineretur (quæ videtur illius opinio „ fuiſſe) neque coæternum Patri fuiſſe verbum ac Λόγον exiſtimaſſe, & „ à Sabelliano dogmate non multùm illius abhorrere orationem. Reverâ videtur *Athenagoras* credidiſſe, priùs fuiſſe ſubſtantiam Filii, in Deo Patre; quàm, per generationem, propriam ὕπαρξιν haberet. Sed non eſt peculiaris hæc ei ſententia, [14] cùm Nicænis Patribus probata fuerit; nec Sabelliana fuit, cùm Sabellius non tantùm ante προέλευσιν memoratam, ſed & poſtea ſemper Filio peculiarem ὕπαρξιν fuiſſe negaverit, ita ut perſonam eum eſſe diſtinctam à Patre noluerit. Ergo *Athenagoras* nec Arianis favit, qui ſubſtantiam Filii è nihilo creatam, non è ſubſtantia Patris progreſſam, ſed alterius generis eſſe contendebant; nec Sabellio, qui negabat Filio eſſe peculiarem ὕπαρξιν; [15] ac proinde meritò inter eos poſſit, qui τὸ ὁμοούσιον, & diſtinctam ὑπόςασιν Filii eſſe crediderunt, haberi.

VII. Est & alius [16] eruditiſſimus Vir, in rebus Eccleſiaſticis, qui rectè omnino obſervat nihil ab *Athenagora* dictum, quod non probè cum ſententia Synodi Nicænæ conſentiat, de Filio Patri conſubſtantiali & peculiari Hypoſtaſi prædito; ſed minùs adcuratè, ut quidem videtur, adfirmavit ab *Athenagora* agnitam generationem Filii, non tantùm paullò antequàm Mundus crearetur, quam προέλευσιν vult vir doctiſſimus [17] metaphoricam fuiſſe generationem; ſed & ab æterno, quia Deus ab æterno fuit rationalis. Si legantur verba *Athenagoræ*, nihil in iis ſimile invenietur; neque ex aliis, qui ita poſtea, ut quidem putat

is

13 *Qui contendit* &c.] *Dionyſ. Petavius* de Trinitate Lib. I. c. III, 4.

14 *Cùm Nicænis Patribus*] Sic loquebatur Alexander Alexandrinus, ut liquet ex Epiſtola *Arii* ad *Euſebium* Nicomedienſem, apud *Theodoretum* H. E. Lib. I. c. 5. ἀεὶ ὁ Θεὸς, ἀεὶ ὁ Υἱὸς (ad eſſentiam Filii quod adtinet, quæ in Patre ſemper fuit, etiam ante τρόπον ὑπάρξεως, quem ante creationem mundi conſequuta eſt, ut volebant) ἅμα Πατὴρ, ἅμα Υἱός (ſenſu memorato) συνυπάρχει ἀγεννήτως ὁ Υἱὸς τῷ Θεῷ (nempe, ante προέλευσιν) ἀειγεννής ἐςι (quia ejus eſſentia ſemper fuit) ἀγεννητογενής ἐςιν, ὔτε ἀτόμῳ τινὶ προάγει ὁ Θεὸς τοῦ Υἱȣ̃, quia, nimirum, ſubſtantia Filii non eſt creata, ſed, ut loquitur, *ſine generatione* apud Deum fuit, antequàm generaretur, ſeu acciperet peculiarem ὕπαρξιν. Ariani verò ſolebant dicere: οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς, πρὶν γεννηθῆναι, quòd cenſerent Filii Divinam Naturam (nam de humana nemo dubitabat eam non fuiſſe, antequàm generaretur) creatam fuiſſe ἐκ μὴ ὄντων, vel è nihilo. Contrà verò alii contendebant Filii Naturam Divinam ante fuiſſe, quàm generaretur, quòd in Deo Patre eſſet potentiâ. Qua de re vide dicta à nobis Tom. III. *Artis Criticæ* Ep. Critica II. p. 42. ubi inſignis hanc in rem *Euſebii* locus profertur. Adde

&c.

is cum quo nobis res eſt, ſenſerunt, ſat tutò ea interpretari queas; præterquàm quòd ſententiam ſuam ita alii illi exprimunt, ut non ſatis conſtet an hoc tantùm voluerint, ab æterno fuiſſe ſubſtantiam Filii in Patre; an verò etiam ab æterno (æternitate propriè intellectâ) ei ſubſtantiæ propriam, & diſtinctam à Patris ὑπάρξει, ὕπαρξιν fuiſſe. At ſi ita ſenſiſſet *Athenagoras*, non potuiſſet, inquiunt, negare Filium γενόμενον, nam γίνεται *fit* quod priùs non habebat propriam ὕπαρξιν & eſſe incipit. Sed eſſe dici poteſt quidpiam duplici ſenſu; id, nempe, cujus ſubſtantia eſt, quamvis nondum ei forma adſit, ſi ratio habeatur ſolius ſubſtantiæ; & id cujus non tantùm ſubſtantia, ſed forma etiam eſt. Igitur poteſt quidpiam γενέσθαι *fieri*, aut quando creatur ejus ſubſtantia è nihilo, aut quando forma ei additur. Poſterius magis propriè dicitur *formari*, aut *fingi*, aut *generari*; prius *fieri*, au *creari*. Poſteriore ſenſu negat *Athenagoras* Filium eſſe γενόμενον, quia ejus ſubſtantia erat apud Patrem; at eum γεγεννῆσθαι *generatum* ait, per illam προέλευσιν, quâ ſubſtantia, quæ jam erat, cœpit, ut putabat, novâ ratione, ſeu, peculiari ὑπάρξει donata, eſſe. Hæc eſt ejus ſententia, quâ rejicit eorum opinionem, qui poſtea docuerunt Filium *è nihilo creatum*, ad ſubſtantiam quod adtinet, ἐκ τῶν μὴ ὄντων κτισθῆναι, ut creaturas quarum creata eſt ſubſtantia. Si bene penſitentur *Athenagoræ* verba, hanc ejus ſententiam eſſe liquebit; ſi modo hîc nihil, ab aliena manu, additum ſit. ANN. CLXVI.

VIII. In memoratis locis, mentionem non facit, claram certè & minimè dubiam, Spiritûs Sancti; ſed aliis perſpicuè ejus meminit, & primùm quidem Cap. X. ubi ſic loquitur: „ Ipſum Spiritum Sanctum, „ agentem in illis, qui propheticè loquuntur, dicimus eſſe emanationem Dei: ab eo quippe emanat, & ad eum reflectitur, ut radius Solis (*ad Solem.*) Quis igitur non miretur audiens nos, qui dicimus „ eſſe Deum Patrem, & Filium Deum & Spiritum Sanctum & qui oſtendimus eorum potentiam in unitate, & diſtinctionem in ordine, vocari „ Atheos? Similis exſtat locus Cap. XI. qui nonnemini videatur fortè (quod tamen, ſine veterum Codd. adſenſu, non adſevero) ab aliena manu

& quæ habet *Lactantius* Lib. II. c. 9. in antiquioribus Editionibus. Hæc autem hîc ideò tantùm adtingimus, ut mens *Athenagoræ* intelligatur, conſtétque eam eamdem fuiſſe, quam probavit Synodus Nicæna; ad cujus tempora pleniùs rem dilucidabimus.

15 *Ac proinde meritò* &c.] Hîc adſumimus, quaſi certum, nihil additum fuiſſe *Athenagoræ* Legationi, poſt controverſias Arianıs; quod in multis locis Veterum factum eſt à Librariis, aut Theologis, qui Veritıtem fraudibus, peſſimo exemplo, defenſu n ibant.

16 *Eruditiſſimus vir*] V. R. *Georgius Bullus*, Epiſcopus S. Davidis, in Anglia, Defenſionis Fidei Nicænæ Sect. III. c. 5.

17 *Metaphoricam fuiſſe* &c.] ſi probè expendantur, loca quæ adfert vir doctiſſimus è Veteribus, vereor ne tralaticia videatur potiùs generatio illa, quæ προέλευσιν anteceſſit. Certè qui dixerunt Divinam Naturam Filii exſtitiſſe antè ἀγεννήτως in Patre, quàm προελθῇ, ita ſenſerunt. Sed hæc non ſunt hujus loci. Quantò tutius fuiſſet loqui, cum Scriptura, de re ardua, quam nemo explicare tentavit, qui in difficultates inextricabiles ſe non conjecerit!

ANN. CLXVI.

manu inſertus, quippe qui ſeriem orationis hîc prorſus abrumpit; niſi ſit major Codicum noſtrorum depravatio, & nonnulla deſint. Capite quidem XV. confert Dei imperium cum Imperio M. Aurelii & L. Veri, & „ poſſitis, *inquit*, à vobis ipſis regnum cœleſte adſequi; ut „ enim vobis Patri & Filio omnia in poteſtatem data ſunt, qui ex alto „ accepiſtis (*regis enim anima in manu Dei*, ait Propheticus ſermo) ſic „ uni Deo, & Rationi quæ apud eum eſt, & Filius ejus inſeparabilis „ intelligitur, ſubjecta ſunt omnia. Quæ tamen comparatio nimis urgenda non eſt; alioquin ex ea ſequeretur, ſi propriè loquamur, tres dici oportere Deos, [18] quibus ſit unum totius rerum Univerſitatis regnum; ut duo erant Imperatores, qui uni Romano imperio præerant. Præſtitiſſet ejuſmodi comparatione abſtinere, qua abuti potuerunt homines doctrinæ de Patre, Filio & Spiritu S. non ſatis periti. Attamen & C. XXII. non multò cautiùs loquitur: „ Deum dicimus, *inquit*, & Filium „ Rationem ejus, & Spiritum Sanctum, qui in unum potentiâ conjungan„ tur, Patrem, Filium, Spiritum; quia Mens, Ratio, Sapientia Filius Pa„ tris eſt, & Spiritus emanatio, inſtar lucis ab igne. Quæ conjunctionem quidem arctiſſimam potentiæ, ſed numericam eſſentiæ diſtinctionem propriè ſignificant; nec aliter Ethnici rem intelligere poterant. Quid tamen ſenſerit *Athenagoras* definire non auſim, & Philoſophus noſter fortè, ut alii multi, plura dixit, quàm intellexit.

IX. 5. Postea agit *Athenagoras* de Angelorum, qui variis Univerſitatis partibus præeſſent, creatione, quorum quidem alii in officio permanſerunt, alii defecerunt: „ [19] Quemadmodum in hominibus, *in„ quit*, qui ſui ſunt arbitrii, ad Virtutem & Vitium quod adtinet (ne„ que enim vel honore bonos, vel pœnâ malos adficeretis, niſi in eo„ rum poteſtate eſſet & Vitium & Virtus) alii quidem probi ſunt circa „ ea quæ eis commiſiſtis, alii infidi deprehenduntur. Idem poſtea contigiſſe Angelis docet, & eorum qui deliquerunt principem vocat *materiæ & ſpecierum, quæ in ea ſunt, principem*. Illos quidem ait „ [20] in cu„ piditatem virginum lapſos, & carni impares deprehenſos, hunc verò „ negligentem & improbum factum, in adminiſtratione eorum, quæ „ ei credita fuerant. Hos auctores omnium malorum, quæ apud homines fiunt, eſſe contendit, & præſertim nomina ſibi Deorum ſumſiſſe & innumera prava hominibus perſuaſiſſe, ut Idololatriam, eáque quæ ei ſunt connexa, quod locis Ethnicorum Scriptorum oſtendit.

X. 6. Profert Cap. XXVI. *Athenagoras* ſex verſus è Lib. III.

Sibyl-

18 *Quibus ſit unum* &c.] Vide & *Lactantium* Lib. IV. c. 29. ab hiſce verbis: *Cùm quis habet filium quem unicè diligit, qui tamen ſit in domo & manu patris; licèt ei nomen Domini poteſtatémque concedat, civili tamen jure & domus una & unus dominus nominatur. Sic hic mundus una Dei domus eſt, & Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus eſt; quia & unus eſt tamquam duo, & duo tamquam unus.*

19 *Quemadmodum* &c.] P. 99. Ed. Oxon. ὡς δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων αὐθαίρετον καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν ἐχόντων (ἐπεὶ οὐκ ἂν οὔτ᾽

ἐτιμᾶτε

Sibyllinorum Oraculorum, 46. nempe, & quinque ſequentes; quaſi Sibyllæ Erythrææ, cujus & *Plato* meminit; ubi dicuntur [21] decimâ, poſt Diluvium, ætate *regnaſſe Saturnus, Titan, & Japetus, quos homines Terræ & Cœli præſtantiſſimos filios vocarunt, Terræ & Cœli nomen iis imponentes, quia præſtabant inter homines.* Quæ ſunt commenta Græcorum Poëtica; quæ nullo in pretio apud vatem à Deo adflatam eſſe potuerunt; adeóque ſat clara ſuppoſitionis Oraculorum indicia. Qua de re, diximus ad Ann. CXXXI. ANN. CLXVI.

XI. 7. Denique à Cap. XXVII. ad finem, confutat calumnias Thyeſtearum epularum, & promiſcui concubitûs, & Cap. XXX. negat ullum „ ita depuduiſſe, ut dicat ſe (*talia apud Chriſtianos*) vidiſſe, aitque eſſe Chriſtianis etiam ſervos, aliis quidem plures, aliis verò pauciores, quos fugere non potuiſſent; ſed eorum nullum talia contra „ Chriſtianos mentitum. Quod tamen ita capiendum non eſt, quaſi hoc numquam contigerit, facile enim fuit Ethnicis præmiis corrumpere Chriſtianorum ſervos, ut ejuſmodi calumniis heros ſuos adpeterent; aut etiam tormentis adigere, ut dicerent, quod alioqui negaturi erant; quod & aliquando contigiſſe memoriæ proditum eſt, ut apud *Euſebium* H. E. L. V. c. 1. qua de re ad annum ſequentem dicemus.

XII. Libellus de Reſurrectione totus eſt Philoſophicus & ſtylo duriore conſcriptus, quamvis ne ipſius quidem *Legationis* ſat terſa ſit dictio. Ejus duæ ſunt partes, priórque incredulos refutat, atque oſtendit nullam eſſe ſat firmam rationem cur Deus aut non poſſit, aut nolit mortuorum cadavera in vitam revocare, ſimúlque Ethnicorum objectionibus reſpondet. Poſterior pars, in gratiam credentium, ut eorum fides confirmetur, probat oportere eſſe Reſurrectionem. 1. quòd homo ſit creatus, ut Sapientiæ Divinæ perpetuus ſit ſpectator; quod non fieret, ſi animi cum corporibus interirent: 2. hominibus, ut conſequantur vitæ rationalis finem, æternam felicitatem deberi: 3. nec minùs hoc poſtulare Dei Providentiam & Juſtitiam, quæ ſine præmiis & ſuppliciis alterius vitæ vix intelligi poſſent: 4. ſummum bonum, in hac vita, non poſſe comparari, ac proinde aliam eſſe, in qua eo frui liceat; unde conſequens eſt ut ſit reſurrectio. Quamvis autem ſingulæ fortè ratiocinationes æquè firmæ non ſint; attamen, ad ſummam rei quod adtinet, finem ſibi propoſitum adtigiſſe *Athenagoram* nemo ratiocinandi peritus negarit.

XIII. Recte quidem probat Cap. XVII. Vitia & Virtutes, bene item

ἐτιμᾶτε τοὺς ἀγαθοὺς, οὔτ᾽ ἐκολάζετε τοὺς πονηροὺς, εἰ μὴ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἦν καὶ ἡ κακία, καὶ ἡ ἀρετὴ) καὶ οἱ μὲν σπουδαῖοι, καὶ τὰ ἑξῆς. Similia docuit *Juſtinus* Martyr, ut diximus ad Ann. CXXXIX, 14.

20 *In cupiditatem* &c.] Vide dicta ad Ann. CI, 11.

21 *Decimâ* &c.] Paullò aliter verſus hi leguntur in Sibyllinis:

Καὶ τότε δὴ δεκάτη γενεὴ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐξ οὗπερ κατακλυσμὸς ἐπὶ προτέρους γένετ᾽ ἄνδρας.
Καὶ βασίλευσε, καὶ τὰ ἑξῆς.

ANN. item & ſecus facta neque ſolius animi, neque ſolius corporis eſſe, ſed
CLXVII. totius hominis, unde ſequitur utriuſque præmia & pœnas eſſe debere; ſed perperam contendit peccata omnia à corpore oriri, quaſi animi à corpore ſejuncti non poſſent peccare; nec Virtutes, ac Vitia in animum ſine corpore cadere. Quod ſi verum eſſet, oporteret Angelos etiam corpore & animo conſtare, ſi peccarunt, quod cum Scriptura & ceteris omnibus Chriſtianis adfirmat *Athenagoras*; aut ſi negentur corporibus eſſe præditi, qualia ſunt noſtra, quod omnes nunc meritò inficiantur, deliquiſſe eos etiam negandum eſſet. Verùm, iis temporibus, Philoſophi neque naturæ rerum cognitione, neque arte ratiocinandi ita pollebant, ut paſſim in utraque non ceſpitarent. Quare vitium Sæculi non eſt *Athenagoræ*, quaſi peculiare, adſignandum.

L. Aurelio Vero Aug. III. & Quadrato COSS. M. Aurelii & L. Veri Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXVII.

I. Ad hunc M. Aurelii annum, refert *Euſebius* quartam perſequutionem, & Lugdunenſia Martyria, in Chronico; verùm in Hiſtoria, quam poſtea ſcripſit, in decennium eam differt. [1] Sed viri docti, quorum ſententiam ſequimur, putant *Euſebium* rectiùs in Chronico ſenſiſſe; cujus rei rationes apud ipſos quærentur. Hìc ergo Lugdunenſem vexationem narrabimus, ex Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ; quæ Epiſtola elegantiſſimum eſt ac religioſiſſimum eorum temporum monumentum. Eam maxima ex parte ſervavit *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 2. & ſeqq.

II. Coepta eſt perſequutio ab expulſione Chriſtianorum, non ſolùm ex ædibus, è balneis & è foro, verùm etiam è quovis loco. Quam iniquitatem prorſus intolerandam, [2] conſtantiores quidam Chriſtiani graviter oppugnare auſi, clamores plebis inſanientis, plagas, raptationes, ſpoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, omnia denique quæ vulgus ſuperſtitione incenſum, in eos quos odit, comminiſcitur, tulerunt. Perducti deinde in forum, à Tribuno Militum & Lugdunenſibus Magiſtratibus, coram populo, interrogati de Religione, ſéque Chriſtianos confeſſi, ad Præſidis uſque adventum in carcerem ſunt conjecti; ad quem poſtea præſentem deducti omni genere ſævitiæ ab eo vexati

1 *Sed viri docti*] *Henr. Dodwellus* Diſſert. Cyprianicâ XI. & Diſſert. de primæva Succeſſione Rom. Epiſcoporum Cap. XIV, 3. Vide & ad hunc Ann. *Ant. Pagium*, qui tamen ab eo & *Guil. Lloydio* hac in re diſſentit, & perſequutionem hanc ad Ann. CLXXVII. refert.

2 *Conſtantiores quidam*] Auctores Epiſtolæ rhetoricè vocant hoſce στύλους ἑδραίους, *firmas columnas*, qui cominus congredi cum Ethnicis auſi ſunt; hoc eſt, ut videtur palam defendere veritatem Religionis Chriſtianæ, & oppugnare Ethnicorum ſuperſtitionem. Optandum eſſet ut boni viri, à quibus conſcriptæ ſunt hæ litteræ, omiſſis omnibus rhetoricis pigmentis, rem ſimpliciùs & ſimul adcuratiùs narraſſent; non omiſſo tempore, ſeu anno Principum, qui

vexati ſunt. Quod cùm animadvertiſſet adoleſcens Chriſtianus, cui Vettio Epagatho nomen erat, cúmque inhumanitatem hominis ferre non poſſet; petiit ut ſibi quoque liceret cauſam Chriſtianorum agere, quippe apud quos nihil impium, aut minùs religioſum fieret. Ibi verò qui circa tribunal erant exclamare (erat enim Epagathus probè notus) & Præſes æquiſſimum alioqui poſtulatum in ſequiorem partem accipere, atque ab eo tantùm quærere an eſſet Chriſtianus; cui quæſtioni ubi incunctanter reſpondit ſe verò eſſe, in vincula conjectus eſt cum ceteris fidei Chriſtianæ Confeſſoribus; quos Martyras, pro more ejus ævi, licèt nondum conſummato Martyrio, vocat Eccleſia Lugdunenſis. Eo tamen tempore, decem ex iis lapſi maximum dolorem Lugdunenſi & Viennenſi Eccleſiis crearunt; alacritatémque eorum, [3] qui aderant quotidie Martyribus, nec dum comprehenſi erant, minuerunt. ANN. CLXVII.

III. Comprehendebantur quotidie alii, ex utraque Eccleſia, adeò ut optimi quique, & quorum operâ [4] conſtitutæ erant illic Eccleſiæ, in vinculis eſſent. Capti ſimul ſunt & nonnulli Chriſtianorum ſervi Ethnici, qui militibus incitantibus & tormenta minantibus, ut ſe ſe periculo eriperent, heros Thyeſtearum cœnarum & inceſtorum OEdipi concubituum inſimularunt. Quibus criminationibus in vulgus ſparſis, omnes continuò in eos efferati ſunt; adeò ut qui antea, propter familiaritatem, moderati erga Chriſtianos fuerant, tunc ſummopere iis indignarentur & frenderent; atque ab eo tempore in Martyras omni genere tormentorum ſævitum eſt, ut faterentur à ſe commiſſa, à quibus maximè omnium mortalium abhorrebant. Sed præcipuus populi, Præſidis & militum furor incubuit in Sanctum, Diaconum Viennenſem; in Maturum, neophytum quidem, ſed hominem conſtantem; in Attalum patriâ Pergamenum, Eccleſiæ Chriſtianæ columen; & in Blandinam ancillam, quæ in tenui corpore maximam conſtantiam præſtitit. Huic poſtremæ cùm omnes timerent, ne ſuccumberet, & præſertim quidem ejus Hera, quæ & ipſa in numero Martyrum erat; tanto animi robore veritatem profeſſa eſt, ut tortores, qui vicibus à prima luce ad veſperam variis tormentis eam excarnificarant, fatigaret, & in admirationem ſui converteret; cùm, exhauſtâ eorum ſævitiâ, nullam vocem, præter hanc, miſiſſet: *Chriſtiana ſum, nec quidquam mali apud nos geritur.*

IV. Sanctus verò Diaconus, cùm & ipſe, ſupra humanum modum,

qui tum regnabant, nec nominibus Præſidis & Magiſtratuum, à quibus vexati ſunt Chriſtiani. A nobis certè multò meliùs meriti eſſent, quàm Rhetoricis omnibus ornamentis.

3 *Qui aderant quotidie Martyribus*] Vide ad an. LXV, 8.

4 *Conſtitutæ illic erant Eccleſiæ*] Δι' ὧν συνειστήκει τὰ ἐνθάδε. Unde intelligere eſt non ita pridem prædicatum in Gallia tranſalpina (ut more Romano loquar) Evangelium, quod comprobatur celebri loco *Sulpicii Severi* H. S. Lib. II. c. 32. *ſub Aurelio deinde, Antonini filio, perſequutio quinta* (aliis quarta) *agitata; ac tum primùm intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei Religione ſuſceptâ.* Vide dicta ad Ann. LXVII, 2.

ANN. CLXVII. dum, cuncta, quæ excogitari potuere, tormenta, conſtanter ſuſtinuiſſet, ſperantibus jam tortoribus fore tandem ut ſceleris cujuſpiam confeſſionem ei extorquerent, cùm multis de rebus interrogaretur, nihil reſpondit ad quæſita, nec nomen ſuum, aut gentis, vel urbis, è qua ortus eſſet indicavit, hoc unum Romanâ Linguâ proloquutus, *ſe Chriſtianum eſſe, hoc ſibi nomen, patriam, genus, & quidquid ad ſe pertineret.* Quamobrem Præſes, furore percitus, laminas æneas candentes mollioribus ejus membris infigi juſſit; ſed fruſtra. Totum corpus ejus vulneribus & vibicibus erat refertum, totum contractum & contortum, vix ut hominis ſpeciem retineret; nec tamen adduci tot malis potuit, ut quidquam Religione Chriſtiana indignum proferret. Ergo eo tempore relictus; ſed recrudeſcente ſævitiâ, aliquot pòſt diebus, iterum torquere Martyrem cœperunt, fore rati, ſi turgentibus adhuc & inflammatis vulneribus tormenta admoverent, ut conſtantiam ejus vincerent; aut ut, tormentis immortuus, alios terreret. Verùm præter hominum exſpectationem, corpus ejus ſubitò erectum conſtitit in altera excarnificatione & priſtinam ſpeciem, uſúmque membrorum recuperavit.

VII. Sed & Biblias quædam, quæ ex eorum fuerat numero, qui Chriſtum abnegarant, cùm eſſet ad populum producta, ut de Chriſtianis impia proloqueretur, cúmque ideò torqueretur, in ipſis cruciatibus reſipuit, &, *quomodo*, inquit, *ejuſmodi homines infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem brutorum animantium deguſtare fas eſt?* Dein ſe Chriſtianam profeſſa in numerum Martyrum relata eſt.

VIII. Tormentis, ad expugnandam Martyrum conſtantiam, fruſtra adhibitis, eos conjecerunt in obſcuriſſimum & teterrimum carceris locum; ubi eorum pedes in compedes ligneas, quæ *nervus* vocari ſolent, immitti, & quinque foraminum interſtitio diſtendi juſſerunt, ac malè homines per omnia haberi. Hîc permulti, qui malis ejuſmodi ferendis non erant adſuefacti, ſuffocati ſunt; alii verò, qui crudeliſſimè torti fuerant, ut ne vivere quidem diutiùs poſſe viderentur, quamvis omni curationis genere refocillati, illam quoque moleſtiam illæſi pertulerunt, ita ut ceteros confirmarent & ſolarentur.

IX. Pothinus verò, Lugdunenſium Eccleſiæ Epiſcopus, nonagenario major & viribus corporis defectus, verùm animo etiamnum firmus, captus & delatus ad Præſidis Tribunal interroganti *quiſnam eſſet Chriſtianorum Deus?* his verbis reſpondit: *Si dignus fueris, cognoſces.* Poſt hæc, ſine modo, raptatus varias plagas accepit; cùm qui propiùs adſtabant calcibus & pugnis venerandum ſenem contumelioſè adpeterent; alii verò, qui longiùs remoti erant, quidquid ad manum erat in eum conjicerent. Unde vix ſpirans in carcerem conjectus, biduo pòſt, animam efflavit.

X. Aliquid verò prorſus ſingulare tum contigiſſe narrant Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ; omnes, nimirum, qui, à prima ſtatim

comprehenſione, fidem negarant, in carcerem compactos, eadem, quæ ceteri Martyres, pertuliſſe, neque quidquam iis abnegationem fidei profuiſſe; verùm eos qui ſe id, quod re verâ erant, hoc eſt, Chriſtianos profeſſi fuerant, nullo alio crimine objecto, in vincula miſſos: abnegatores verò fidei, perinde ac homicidas & ſceleratos detentos, duplo graviora incommoda, quàm ceteros, ferentes; & conſtantes quidem Chriſtianos vultu hilari, ac tranquillitatem conſcientiæ prodenti, fuiſſe: timidos verò, abjecto vultu, & triſtes inceſſiſſe. Unde factum, ut qui poſtea capiebantur, nullo modo ſe Chriſtianos profiteri dubitarent. ANN. CLXVII.

XI. Martyria verò in varias mortis ſpecies diviſa ſunt. Maturus & Sanctus, cum Blandina & Attalo ducti ad beſtias in Amphitheatrum; ubi [5] munera præbita, ea ſola de cauſa. Maturus ergo & Sanctus primùm illic flagris cæſi, deinde morſus beſtiarum experti, & quæcumque populus furens vociferationibus ſuis expetebat. Poſtremò cathedræ ferreæ candenti impoſiti, in ea uſtulati ſunt; cúmque nulla impia verba iis exprimi potuiſſent, tandem jugulati. Blandina verò ad ſtipitem ſuſpenſa beſtiis objecta eſt, ubi, contentiſſimis precibus ſuis, ceteris animum addebat; at cùm nulla fera corpus ejus adtigiſſet, in carcerem remiſſa alteri certamini reſervata eſt. Attalus quoque à multitudine vehementer ad ſupplicium expetitus, quippe qui celebris erat, & in Chriſtianorum diſciplina diligenter exercitatus, teſtimonium veritati ſemper exhibuerat. Ergo per Amphitheatrum circumductus, antecedente tabellâ, in qua Latino ſermone inſcriptum erat: HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS, nullius alius criminis addito elogio. Sed poſtquàm Præſes comperit civem eſſe Romanum, reduci in cuſtodiam, cum ceteris, juſſit. Inde litteris ad Cæſarem datis, de omnibus qui incluſi etiamnum erant, ſententiam ejus exſpectavit.

XII. Neque hæc temporis mora inutilis Chriſtianis fuit; nam Martyres conſtantiâ ſuâ lapſos ad officium revocarunt, qui ſunt iterum in Eccleſiam admiſſi. At illi denuo ad Præſidis tribunal ſe contulerunt, ut rurſus ab eo interrogarentur. Reſcriptum interim erat à Cæſare, ut confitentes quidem ſe Chriſtianos, gladio cæderentur; qui verò negarent, incolumes dimitterentur. Ineunte ergo ſollemni, apud Lugdunenſes, mercatu, qui maximâ hominum frequentiâ celebrabatur; Martyres ad tribunal adduci juſſit Præſes, tamquam in theatrali pompa homines populo exhibiturus. Ibi denuo interrogatos, cives quidem Romanos, ſe Chriſtianos confeſſos, capite amputato occidit, reliquos ad beſtias damnavit. Qui fidem Chriſti antea abnegarant ſeorſìm interrogati ſunt, quaſi mox itereratâ abnegatione dimittendi; ſed Chriſtianos quoque ſe faſſi ad Martyrum numerum acceſſerunt. Fuerunt tamen, qui in abnegatione perſtiterunt, & qui eo ipſo ſunt ab Eccleſia excluſi, dum alii in eam reciperentur. XIII.

5 *Munera præbita*] Ἐπίτηδες τῆς τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας διὰ τοὺς ἡμετέρους διδομένης. Notum eſt talia *munera* dicta.

ANN. CLXVII.

XIII. De his autem cùm quæſtio haberetur, Alexander quidam, domo Phryx, profeſſione Medicus, qui jam à multis annis vixerat in Galliis & egregiam operam Chriſtianæ Religioni navaverat ([6] Apoſtolicæ quippe gratiæ minimè expers) tribunali adſtans, eos ad fidei confeſſionem nutibus hortabatur. At turba moleſtè ferens eos, qui antea fidem negarant, eam de integro audacter confiteri, in Alexandrum, quaſi facinoris auctorem, conclamare cœpit. Inſtans verò illico Præſes interrogavit hominem quiſnam eſſet, profeſſúmque ſe Chriſtianum, è veſtigio ad beſtias damnavit. Poſtridie unà cum Attalo adductus, poſt omnia ſupplicia, in Amphitheatro fortiter exantlata, gladio unà percuſſi ſunt. Alexander quidem nec ingemuit umquam, nec vocem ullam emiſit, ſed mente in ſe collectâ cum Deo colloquutus eſt. Attalus verò, cùm in cathedra collocatus undique torreretur, ita ut ambuſtum corpus nidorem graviſſimum exhalaret, Latino Sermone populum adloquutus: *en*, inquit, *hoc demum eſt hominibus veſci, quod agitis; nos verò neque hominibus veſcimur, neque ullum aliud malum facimus.* Roganti etiam quodnam nomen Deo eſſet, [7] *inſtar hominis, Deum habere nomen* negavit.

XIV. Ultimo tandem ſpectaculorum die, Blandina rurſus Amphitheatro, unà cum Pontico puero circiter quindecim annos nato, illata eſt; qui & ſingulis diebus aliorum certamina viderant. Juſſi verò jurare per Deos Gentilium, ſe facturos conſtanter negarunt, ideóque omni ſuppliciorum genere vexati ſunt, ut ceteri Martyres. Aderat & ſoror Pontici, quæ eum ſatis apertè, ſpectante populo, ad conſtantiam hortabatur & puer quidem brevi Deo Creatori pium animum reddidit. Poſtrema Blandina, poſt flagra, poſt ferarum vellicationes, poſt [8] ſartaginem, reticulo incluſa tauro objecta eſt; à quo diu in altum jactata, nihil penitus ſentiens eorum quæ fiebant, tandem mactata eſt. Ipſi etiam Gentiles faſſi ſunt nullam, apud ſe, fœminam fuiſſe, quæ tot & tanta pertulerit.

XV. Attamen ii, quos pudere debuerat tantæ immanitatis in innocentes fruſtra exercitæ, aut miſericordia tandem ſubire, etiam in illorum reliquias ſævierunt. Quidquid aut à beſtiis, aut ab igne reliquum fuerat, partim laniata, partim ambuſta membra, aut capita, cum ipſis corporibus truncis, inſepulta, per multos dies, additis militum excubiis,

6 *Apoſtolicæ quippe gratiæ*] Iis inſtructus donis, quorum uſu Apoſtoli inſtar, in prædicando Evangelio, ſe gereret.

7 *Inſtar hominis* &c.] Sic Veteres omnes Hebraïcæ Linguæ imperiti, qui videbant in V. T. verſione Græca Creatorem Mundi ſemper Θεὸν aut Κύριον, aut adpellativo ejuſmodi nomine vocari. Loca eorum congeſſit vir doctiſſimus *P. Faber* Dodecameni, ſive de *Dei nomine & adtributis* Cap. I. Ac ſanè nihil verius eſt, quàm nomina propria indita eſſe, diſtinctionis causâ, ubi ſunt plura ejuſdem ſpeciei individua diſtinguenda; ideóque Deum, qui eſt unicus, nullo nomine naturâ ſuâ indigere, ut ab alia ejuſdem ſpeciei natura diſtinguatur. Quo ſenſu, Attalo Martyri & aliis Patribus nemo non adſentiatur. Sed quia vox *Deus*, aut Θεὸς, aut אלוה *eloah*, & quævis alia ſimilis, Ethnicorum conſuetudine,

biis, ſervarunt; ita ut nec per noctis tenebras eæ reliquiæ eripi, nec prece, aut pretio ullo impetrari ab efferatis hominibus potuerint. Denique, quovis genere contumeliæ adfectas, cùm per ſex dies ſub dio fuiſſent, tandem crematas & in cineres redactas, in Rhodanum conjecerunt, ne quidquam ex iis ſupereſſet; & quod ſtulti ſperarent ſe, iis artibus, ne umquam Martyres reſurgerent, quod futurum aiebant Chriſtiani, impedituros. Hic finis ſuppliciorum, in Lugdunenſi Provincia, fuit; quæ mirum eſt, M. Aurelii temporibus, de innocentibus potuiſſe ſumi, ea tantùm de cauſa, quòd Ethnicorum ſacra ſuſcipere nollent, dum licebat Epicureis ea palam ridere; ut vel è *Luciano*, qui tum vivebat, intelligere eſt. Imò & ipſi Stoïci, quorum ſectam ſequebatur M. Aurelius, de Diis Poëticis, hoc eſt, de iis qui publicè ab omnibus colebantur, meliùs non ſentiebant. Hæc ergo erit macula, quâ boni aliàs viri vita inuſta, infamem eum, crudelis ſuperſtitionis causâ, omnibus ſæculis faciet, & Philoſophiæ Stoïcæ contemtum meritò creabit. ANN. CLXVII.

XVI. Addit præterea *Euſebius* Martyras, dum viverent, noluiſſe eo nomine vocari; quippe quod ad Chriſtum, & ad ſanctos viros, ejus causâ mortuos, ſolos, pertineret. Reverâ Chriſtus vocatur *Martyr*, aut *teſtis fidelis* Apoc. I, 5. quòd teſtatus ſit ſe à Deo accepiſſe mandata & poteſtatem edendorum miraculorum; primùm verbis, deinde morte & reſurrectione, quas antea prædixerat, & quibus teſtimonium ſuum veluti conſummavit. Pariter Apoſtoli, aliique qui Chriſtum audiverant, miraculáque ejus viderant, harum rerum *teſtes*, ſeu Martyres eſſe poterant, apud omnes, ex mandato Chriſti Luc. XXIV, 48. Act. I, 8. teſtimonióque huic ſuo non tantùm miraculis, ſed & morte ſuâ pondus addiderunt. Hæc omnia ſi jungantur, ſunt teſtimonia, ex quibus conſtat de factorum veritate, quibus Chriſtianorum fides nititur. At qui poſtea mortui ſunt, potiùs quàm quidquam Religioni Chriſtianæ contrarium facerent, quamvis nec Jeſum, nec Apoſtolos vidiſſent; non poſſunt veritatis Evangelii teſtes, ſi propriè loquamur, dici. Mors eorum argumentum quidem eſt non fucatæ & firmæ fidei, ſed non veritatis; nam etiam mendacio bonâ fide creditur, & mors propterea obitur. Sed uſus obtinuit, ut veritatis & pietatis causâ morientes Martyres, ſeu *teſtes* dicantur.

XVII. Addebant etiam Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ ab

dine, facta erat adpellativa, pluribúſque individuis, etiam diverſorum generum, ex ſermonis omnium Linguarum uſu, conveniebat; ideò Deus Moſi ſciſcitanti, à quo ſe miſſum dicturus eſſet, reſpondit à יהוה *jahwoh* (ſic enim vox pronuncianda) quæ vox Creatorem quidem ſignificat ex origine ſua, qui reverà unus eſt, idémque cum Deo, ſed inſtar nominis proprii habita eſt, apud Hebræos & vicinos populos, ut diſtingueretur Deus Hebræorum à Diis aliarum gentium. Vide notata à nobis ad Exod. III, 15. VI, 3. Dignus tamen eſt etiam lectu liber eruditiſſimi Juriſconſulti à nobis laudatus.

8 *Sartaginem*] Τὸ τήγανον. Idem eſt ac ferrea cathedra, cui, prunis ſubjectis, impoſiti Martyres torrebantur. Hujuſmodi ſupplicio periit *Laurentius*, de quo vide *Prudentium*, περὶ Στεφανῶν.

ANN. CLXVII. [9] ab hiſce Martyribus „ omnes defenſos, accuſatum neminem; cunctos „ item ſolutos, vinctum nullum. Quibus verbis oſtendunt ab iis veniam lapſis datam, æquitate ſanè & moderatione laudabili; ſi modò lapſi pœnitentiam agerent, è qua liqueret verè eos mutatos. Quæ omnia contra Novatianos obſervat *Euſebius*. Docuerant etiam eædem Eccleſiæ, in iiſdem litteris, quot Martyres periiſſent & quo mortis genere, quot item Confeſſores ſuperfuiſſent; ex quibus intelligere eſt Ethnicorum conſilium fuiſſe, non omnes occidere Chriſtianos, ſed potiſſimorum ſupplicio alios terrere. *Euſebius* integras litteras non recitat, quia eas inſeruerat Operi, quod periit, & quod [10] *Martyrum Collectionem* vocat; quæ utinam, loco tot commenticiorum Martyriorum, exſtaret! Sed non videtur ſimilem Martyriorum, quæ alibi contigerant, deſcriptionem ullam vidiſſe, cùm in Proœmio Libri V. ſic ratiocinetur: „ cùm in non„ nullis terrarum partibus violentior, adversùs Chriſtianos perſequutio „ commota eſſet oppidatim, ex incurſione plebis, conjecturâ colligi „ poſſe, myriadas Martyrum per Orbem Terrarum enituiſſe. Si monumenta ei fuiſſent, quorum auctoritate uti potuiſſet, nihil opus erat conjectura. Credibile eſt, pro ſuperſtitione & iniquitate Præſidum, aut contrà pro eorum humanitate & æquitate, (neque enim omnes pari ſævitiâ laborabant) plures, aut pauciores occiſos eſſe Chriſtianos.

XVIII. Observat quoque [11] idem Scriptor, „ cùm Montanus, „ Alcibiadéſque & Theodotus, ejus diſcipuli, tum primùm in Phry„ gia, apud multos Prophetæ haberentur ([12] multa quippe divinæ gra„ tiæ, in pluribus Eccleſiis, miracula tum facta fidem multis feciſſe „ eos etiam prophetaſſe) cúmque, illorum hominum causâ, diſſenſio „ orta eſſet; qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium ſuum, „ religioſum & cum recta fide conſentiens, litteris ſuis ſubjunxiſſe, pro„ latis & interfectorum, apud ſe, Martyrum variis epiſtolis; quas, dum „ in vinculis adhuc eſſent, partim ad fratres in Aſia & Phrygia degen„ tes, partim ad Eleutherum, Romanæ Urbis Epiſcopum, ſcripſe„ rant, pro pace Eccleſiarum, quaſi legatione fungentes. Hinc intelligimus tunc temporis Lugdunenſibus, celebris quippe Galliæ Tranſalpinæ emporii incolis, cum Aſianis & Phrygibus magna fuiſſe commercia; alioqui nihil erat, cur ad eos, potiùs quàm ad alios Chriſtianos, litteras darent.

XIX.

9 *Ab hiſce Martyribus* &c.] *Euſebii* H. E. L. V. c. 2. cujus verba Græca hæc ſunt: πᾶσι μὲν ἀπελογοῦντο, κατηγόρουν δὲ οὐδενός· ἔλυον μὲν ἅπαντας, ἐδέσμευον δὲ οὐδένα. Notum eſt *ligare*, apud Judæos, ſignificare, ubi de re ſermo eſt, vetare, illicitum pronunciare; &, contrà *ſolvere*, permittere, licitum dicere; unde & ad Chriſtianos manavit. Deinde & ad perſonas tranſlata, ac *ligare* quidem fuit reum & criminis pœnis obnoxium pronunciare; *ſolvere* verò, inſontem dicere, aut remittere pœnas. Quæ loquutiones frequentiſſimæ ſunt, ubi de pœnis Eccleſiaſticis inflictis, vel remiſſis agitur. Vide inter alios *Joan. Morinum* de Pœnitentia Lib. I. c. 6 & 7.

10 *Martyrum* &c.] Μαρτύρων συναγωγήν. *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 4.

11 *Idem Scriptor.*] Ibid. Cap. 3.

12 *Multa quippe* &c.] Πλεῖσαι καὶ ἄλλαι

παρα-

XIX. Iidem Martyres per *Irenæum*, Lugdunenſis Eccleſiæ Presbyterum, litteras ad Eleutherum miſerunt, quibus hominem vehementer ei commendant. Sed non additur cauſa ejus itineris, ſive omiſſa eſſet & ſoli *Irenæi* fidei commiſſa; ſive partem tantùm Epiſtolæ proferat *Euſebius*, quod veriſimilius videtur. De argumento Epiſtolæ varia [13] conjiciunt viri docti, non abſurda quidem, ſed alioqui prorſus incerta. ANN. CLXVIII.

L. Vettio Paullo, T. Junio Montano COSS. M. Aurelii & L. Veri Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXVIII.

I. Ad hæc tempora, aut circiter, [1] refertur *Theophilus* Antiochenus, ſextus ab Apoſtolis in Eccleſia Antiochena Epiſcopus; quem *Euſebius* ait ſcripſiſſe tres ad Autolycum libros, qui ſoli etiamnum ſuperſunt, unum contra Hermogenem, alterum contra Marcionem, & alios; quorum inſcriptiones omittit. Eadem Opera commemorat *Hieronymus*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, aítque ſe legiſſe, ſub nomine ejus, in Evangelium & in Proverbia Salomonis commentarios, qui ei cum ſuperiorum voluminum elegantiâ & phraſi non videbantur congruere.

II. Cum unum Opus ad Autolycum ſuperſit, de eo ſolo hîc agemus. Summatim Ethnicos oppugnat, & Chriſtianiſmum defendit, ac breviter exponit; tum ad calcem oſtendit antiquiores eſſe Hebræos aliis populis, hiſtoriámque certam & ab initio contextam habere. In omnibus hiſce, non ſunt diviſa & aptè diſpoſita argumenta de quibus agit; quod incommodum in omnium fermè Veterum Scriptis occurrit. Itaque nos carptim & ſaltuatim quædam ejus loca adtingemus. Librum I. inchoat à Deo, quem inconſpicuum eſſe ſuâ naturâ, atque ex operibus intelligendum probè demonſtrat: quomodo etiam Mens Humana, per ſe quoque inconſpicua, cognoſcitur. Ab eo omnia creata, ornata & conſervata oſtendit.

III. 1. Cum ex hiſce ſatis clarè liqueat Chriſtianorum fidem non eſſe cæcum adſenſum, ſed argumentis perſpicuis niti, neſcio quomodo poſtea fidem ab Autolyco exigit [2] hiſce verbis: „ Quid verò etiam incre-

παραδοξοποιΐαι &c. Quæ tamen nequaquam Chriſti & Apoſtolorum numerum æquabant. Vide ad Ann. CI, 22. & CLVII, 8, & 9. Si veteres aliquando ἐμφατικωτέρως, καὶ ὑπερβολικῶς loquantur, hac de re; non ſunt eorum verba, ex tota nativæ poteſtatis amplitudine, intelligenda. Vide *Irenæum* Lib. II. c. XXXI, 2. Ed. *Maſſuet.*

13 *Conjiciunt* &c.] Vide *Ren. Maſſueti* Diſſ. II. de *Irenæi* vita §. 7. & ſeqq.

1 *Refertur*] Vide *Euſebii* Chronicon ad Ann. D. CLXIX. & H. E. Lib. IV. c. 20. & 24.

2 *Hiſce verbis*] Pag. 23. Ed. Oxon. in 12. An. 1684. qua utor. Similia dixit *Origenes* contra Celſum Lib. I. p. 9, 10, 11. Ed. Cant. *Theodoretus* de Cur. Græcor. Adfectibus Orat. I. *Auguſtinus* de Utilitate Credendi.

ANN. CLXVIII.

„ credulus es? annon noſti fidem omnibus rebus præire? Quis enim poteſt metere agricola, niſi priùs ſementem terræ crediderit? Quis mare trajicere poteſt, niſi priùs crediderit ſe navi & gubernatori? Quis febricitans ſanitatem queat recuperare, niſi ſemet ipſe medico permiſerit? Quam artem, aut quam diſciplinam poteſt quis diſcere, niſi priùs tradiderit ſe, & crediderit Magiſtro? Hæc oratio, quamvis & alii Patres ſic ratiocinati ſint, etiam in erroris Magiſtrorum ore eſſe poteſt; qui ſibi, ſine examine, credi poſtulare poſſunt. Sed quamvis ita loquerentur Chriſtiani, non minùs demonſtrabant falſam eſſe Ethnicorum Religionem, ita ut etiam ſimpliciores rem facilè capere poſſent; ſoláque Chriſtianæ doctrinæ expoſitione, animos veri & honeſti cupidos, Chriſtianiſmi amore incendebant. Hîc, ut alibi paſſim, longè præſtantiora erant dogmata, quàm ratiocinationes; prioribúsque, potiùs quàm poſterioribus, accepta referenda verè credentium fides.

IV. 2. PROBAT *Theophilus*, [3] in ſequentibus, reſurrectionem fieri poſſe, exemplis petitis ex opinione Ethnicorum, qui putabant Herculem & Æſculapium, aliquo modo, reſurrexiſſe; è plantis, ex quibus corruptis, naſcuntur ejuſdem generis plantæ; è Luna lucis diminutionem reparante; denique è carnibus, quæ morbo amiſſæ, iterum convaleſcentibus renaſcuntur. Quæ omnia exempla diſſimilia ſunt. Multò ſatius fuiſſet è creatione ſola argumentari, patet enim eum qui creare potuit, & materiam & formam, faciliùs è materia jam creata poſſe, additâ tantùm formâ, nova corpora formare. Qui potuit plantarum materiam è nihilo educere, eámque ita fingere, ut ex ea plantæ fierent, addito ſemine quo earum propagarentur genera; idem poſſet ſi vellet, & plantis & ſeminibus planè corruptis, ita ut, ſolito naturæ ordine, naſci nullæ poſſent, earum materiam in plantas refingere. Quod de animalibus etiam dictum velim. Imò verò in conſervatione ſeminum, quibus plantæ ob tenuitatem inconſpicuæ continentur, quæ poſtea auctæ ſe conſpiciendas præbent, non minor potentia, ac ſapientia elucent, quàm ſi denuo refingerentur omnia.

V. LIBRO ſecundo 1. doctrinam Philoſophicam & Poëticam de Diis, quæ apud Ethnicos tradebatur, prorſus evertit. Profert hanc in rem [4] verſus tres Sibyllæ confutantis Ethnicorum opinionem de generatione Deorum, quæ ſi ita habuiſſet, ut dicebant, innumerabiles Dii jam eſſent geniti & gignerentur. Sed Libro II. ejuſdem vatis adducuntur

3 *In ſequentibus*] Pag. 34. & *ſeqq.*

4 *Verſus tres*] Pag. 49. Vide Lib. II. p. 158. & p. 178.

5 *Ait quidem* &c.] Lib. II. p. 79.

6 *De Patre & Filio*] Pag. 81. Ἔχων οὖν Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ Λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν, μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας, ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων· τοῦτον τὸν Λόγον ἔσχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν· οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι᾽ αὐτοῦ δεδημιουργημένων, καὶ τὰ ἑξῆς.

7 *Chriſti Divinæ Naturæ*] Perſpicuum eſt Auctorem Pſalmi ex ſui ipſius perſona loqui & hoc velle, ex animo ſuo ſcaturiiſſe præclarum quiddam, quod hoc Pſalmo proponit; non verò Deum Patrem, ut dicat à ſe genitum Verbum; quod non tantùm

tur nonaginta quinque verſus, quibus oppugnatur eadem Gentilium opinio. Verùm ſatis liquet ab homine fuſos, qui Scripturam Sacram Græcè legerat, ſive is Judæus fuerit, ſive Chriſtianus; quod malim, quandoquidem cetera Sibyllina Chriſtiani ſunt. Si tales fuiſſent verſus, aliquot ante Chriſtum ſæculis, iique à muliere, ex ipſorum Ethnicorum ſententia, fatidica facti, aut ei adflati; vix potuiſſet ſtare Idololatria Ethnica, aut fuiſſet, præter Judæos, ſecta aliqua exorta Sibylliſtarum, quæ de Deo idem ſenſiſſet & docuiſſet. [5] Ait quidem *Theophilus*, *non unum*, *aut duos*, *ſed plures*, *ſuis temporibus*, *fuiſſe Prophetas*, *apud Hebræos*, *ut apud Græcos Sibyllam.* Sed qui factum ut tot diſcipulos nacti fuerint Hebræi Prophetæ, apud ſuos; *Sibylla* verò nullos? Certè nemo fuit Ethnicorum, qui ante Chriſtum vixerunt, qui, apud Græcos, ex Sibyllæ auctoritate, Idololatriam oppugnarit, aut, vel obiter, unum Deum ab ea creditum, dixerit; cùm Philoſophi magnâ licentiâ de Diis loquuti ſint, & vulgi opiniones riſerint.

ANN. CLXVIII.

VI. 2. EODEM Libro, *Theophilus* doctrinam Chriſtianam, [6] de Patre & Filio (nam de Spiritu Sancto nihil hîc habet) tradit his verbis: „ Deus habens Verbum (Λόγον) internum, in ſuis viſceribus, id „ genuit, cum ſua Sapientia, ante univerſa eructatum. Hoc Ver„ bum habuit ſub ſe operans, in omnibus quæ ab eo facta ſunt, & per „ id omnia fecit. Hoc dicitur Imperium (ἀρχὴ, *quod alioqui Princi*„ *pium verti debet & ſolet*) quòd imperet (ἄρχει) & dominetur omni„ bus, quæ ab eo facta ſunt. Hoc cùm ſit Spiritus Dei & Impe„ rium & Sapientia & Potentia Altiſſimi, deſcendit in Prophetas, & „ per eos de creatione Mundi & reliquis omnibus loquutum eſt &c. I. Λόγος, cùm ſit vox ambigua, quæ nunc *Sermonem*, nunc *Rationem* ſignificat; ad alterutram poteſtatem, prout iis videtur, adludunt Patres. Verbum autem hîc vertimus, quamvis *Verbum internum* ſit reverâ ipſa Ratio, quia adludit *Theophilus* ad Pſalm. XLV, 1. ubi Pſalmi auctor habet: *Eructavit cor meum verbum bonum*, ἐξερεύξατο ἡ καρδία μȣ λόγον ἀγαθὸν, ubi de verbo agi ſequentia manifeſtò oſtendunt. Quem locum ex quo Veteres quidam, inter quos ordinem ducit *Theophilus*, [7] Chriſti Divinæ Naturæ perperam aptarunt, multi alii, ſine examine, in eam partem torſerunt. Nam hoc in Veteribus obſervare licet, priores à poſterioribus frequenter exſcribi; etiam in iis, quæ venia indigent. II. De re ardua loquentibus, & cujus clara nulla notio eorum animis

tantùm recentiores quique alicujus pretii Interpretes, ſed veteres etiam plures ſenſerunt. Vide *Euſebium*, *Baſilium*, *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, ad hunc Pſalmum, *Corderianam Catenam* & *Hieronymum* in Epiſt. ad Damaſum, col. 155. Part. I. T. IV. Ed. Bened. Sed in Dei perſona hæc dici alios putaſſe obſervat *Euſebius*, quod habet etiam *Origenes*, qui tàmen eam ſententiam rejicit, Tom. I. in Joannem; cujus fautores fuere, poſt *Athenagoram*, *Tertullianus* in Praxean c. VII & XI. Cyprianus Teſtimoniorum Lib. II. n. 3. *Alexander*, Alexandrinus Epiſcopus, apud *Socratem* H. E. Lib. I. c. 6. *Athanaſius* de Decretis Nicænis Tom. I. p. 227. de Sententia Dionyſii p. 244. Epiſt. Encyclica ad Epiſcopos p. 399. & alibi ſæpiùs.

ANN. CLXVIII. animis obverſabatur, multò rectius & ſatius fuiſſet mentem exprimere, verbis Novi Teſtamenti, profiterique ſibi rationem, quâ res eſſet, ignotam, nec eo ſeciùs rem eſſe certam, quod à Deo fallere neſcio revelata eſſet. III. Verba aut à Chriſtianis poſtea inventa, aut è Philoſophia Ethnica deſumta parum apta erant rei exprimendæ. Exempli causâ, obſcura ſunt hæc: *gignere*, *cum ſua ſapientia*. An *ſapientia* eſt idem, vel diverſum quidpiam? Idem videtur putaſſe *Theophilus*, ut è ſequentibus verbis patet; quo ſenſu eum incommodè loquutum nemo dubitet, præſertim apud Ethnicos; quibus res aliunde nota non erat, quique eam perperam interpretari poterant. IV. Λόγος ὑπεργὸς Ethnicis auribus nihil ſignificare potuit, præter ſubſtantiam, non diverſi quidem generis, ſed certè numero diſtinctam, quæ alteri ſubſtantiæ ſe obſequentem præberet, cùm unica numero Natura ſibi ipſa ὑπουργὸς non ſit; quod tamen nemo nunc Chriſtianus admiſerit, nec ſanè eſt Scripturæ conſentaneum. V. Nuſquam ſimpliciter Ratio, aut Sapientia Dei ἀρχὴ in Scriptura dicitur, ſed tantùm (ſi modò de Sapientia genita ibi ſit ſermo) ἀρχὴ ὁδοῦ Κυρίȣ *initium viæ Domini* Proverb. VIII, 22. Alioquin [8] ἀρχὴ, philoſophicâ notione pro ſubſtantia, quæ initium fecit omnibus rebus, ſeu ὑποϛάσει ἀρχικῇ, eſt vox Scripturæ ignota, & ab Apoſtolica Theologia aliena, eique repugnans. Nec in Scriptura, nec in Ethnicorum ſermone, ἀρχὴ de Divinitate occurrit, eo ſenſu quo ſumitur à *Theophilo*, ὅτι ἄρχει, καὶ κυριεύει, *quòd imperet & dominetur.* Ἀρχὴ apud Ethnicos, cùm *imperii* ſubjecta eſt ei poteſtas, eſt Magiſtratus, ut & apud Chriſtianos; quibus etiam interdum Angelum ſonat, ob poteſtatem in Angelos à Deo collatam.

VII. 3. Post deſcriptam Creationis Hiſtoriam, [9] ubi de die ſeptimo verba facit *Theophilus*, ait „ pleroſque ignorare id, quod ab He„ bræis *Sabbathum* vocatur, Græcè verti *Hebdomadem*. Atqui omnes norunt Sabbathum eſſe *quietem*, nec niſi impropriè *Sabbatha* Hebdomadem dictam. Vide *Hug. Grotium* ad Matth. XXVIII, 1. Neque, ubi de die, ante quem Deus omnia perfecerat, ſermo eſt, Gen. II, 1. occurrit vox *Sabbath*. Mirum eſt hominem Antiochenum, vel è Syriaca Lingua, ſi eam intelligebat, non collegiſſe quid eſſet *Sabbathum* apud Hebræos, vel Syriacè doctum non conſuluiſſe. Sed cùm tam multa in Vetus Teſtamentum ſcripſerint Veteres, déque vocibus & loquendi generibus Hebraïcis dixerint; attamen nullam Hebraïcæ Linguæ operam, cùm facillimè in Syria poſſet addiſci, dederunt.

VIII. 4. Narrat deinde *Theophilus* peccatum primorum Parentum, cúmque dixiſſet Deum in Paradiſo ambulaſſe „ [10] objicies igitur „ mihi, *inquit*, tu dicis Deum loco comprehendi non oportere; quo„ modo ergo eum ais ambulare in Paradiſo? Audi quid dicam. Deus univer-

8 Ἀρχὴ] Hinc ἀρχὴν *cauſam* interpretantur, poſt Philoſophos, Grammatici. Vide *Suidam* in voce.

9 *Ubi de die ſeptimo*] Pag. 94.

10 Ob-

„ univerſarum rerum pater neque contineri poteſt, neque in loco invenitur; „ non eſt enim locus, in quo quieſcat. Sed Verbum ejus, per quod „ omnia fecit, quod eſt Potentia & Sapientia ejus, induens perſonam „ Patris & Domini univerſorum, venit in Paradiſum perſonam Dei gerens & colloquebatur cum Adamo. Videmus quidem, hac in re, adſenſum eſſe *Theophilum Juſtino*, quod liquebit ex iis quæ dicta ſunt ad Ann. CXL., 11, 12. Verùm hæc aptiſſima erant ad perſuadendum Ethnicis Divinam Filii Naturam, diverſam eſſe à Natura Divina Patris, eáque inferiorem; quod tamen contrarium eſt ſequentibus: „ Etenim ipſa Scriptura docet nos Adamum dixiſſe, *ſe audiviſſe vocem*. „ Vox autem quid aliud eſt, quàm Verbum Dei, quod eſt Filius ejus? „ (*Quod intelligendum*) non ut Poëtæ & Mythographi filios Deorum „ ex concubitu natos perhibent, ſed, ut veritas enarrat, Verbum internum, quod ſemper eſt in corde Dei. Antequàm enim quidquam „ eſſet, habuit conſiliarium, cùm eſſet ejus Mens & Prudentia. Hæc verba oſtendunt *Theophilum* non credidiſſe Filium naturâ Patre inferiorem, quandoquidem erat Mens Dei, & Sapientia, quæ ante conditum Mundum ei aderat; ſed hæc non conſentiunt cum ſuperioribus, nam Sapientia Dei nullis locorum finibus claudi poteſt. Meliùs ſentiebat Epiſcopus Antiochenus, quàm loquebatur. Quantò ergo rectius erat de re ejuſmodi Apoſtolicis verbis loqui, quàm repugnantia dicere, Ethniciſque ridendum tam ſublime dogma, per imprudentiam, exponere? Sequitur: „ quando verò voluit Deus facere ea, de quibus de- „ liberaverat, hoc Verbum genuit prolatum, primogenitum univerſæ „ creaturæ; minimè tamen exhauſtus ipſe ſuo Verbo (*interno*) ſed „ poſtquàm genuiſſet Verbum (*prolatum*) cum Verbo ſuo interno „ ſemper colloquens. Hæc probat initio Evangelii Joannis, quo tamen omnia hæc contineri nemo Ethnicus videre potuit; nihil enim illic de *prolato* & *interno Verbo*, nec de generatione *Verbi prolati*. Hæc ſunt inventa, ut ſimilitudine quadam *prolati ſermonis*, qui veluti ab *interno*, hoc eſt, à ratiocinatione manat, generatio Filii, ante Mundum conditum declararetur. Satius multò erat tacere, quàm incommodâ ſimilitudine rem, quæ intelligi nequit, obſcuratum ire. Attamen his dictis, quaſi hinc liqueret quomodo Filius loco contineatur, audirique & conſpici poſſit, addit: „ Deus igitur cùm ſit Verbum, „ & ex Deo natus; quando vult Pater univerſarum rerum, mittit eum in „ quemvis locum, iſque præſens auditur & cernitur ab eo miſſus, & „ invenitur in loco. ANN. CLXVIII.

IX. 5. CASTIGAT *Theophilus* Philoſophos, qui Terram volebant eſſe [11] *Sphæroïdem, & quaſi Cubo conferre.* Voluit dicere, à quibuſdam Terram ad Sphæricam figuram accedere, ab aliis ad Cubicam doceri. Potuit

10 *Dices igitur mihi* &c.] Pag. 129. Ἐρεῖς ἄν μοι σὺ φὴς τὸν Θεὸν ἐν τόπῳ μὴ δεῖν χωρεῖσθαι, καὶ τὰ ἑξῆς.

11 *Sphæroïdem* &c.] Βούλονται τὸν κόσμον σφαι-

ANN. CLXVIII. Potuit ſcire eſſe Sphæricæ figuræ adfinem, ſi demonſtrationes adtendiſſet. Sed ratiocinationes adcuratæ, tunc temporis, apud ſolos Geometras, inveniebantur.

X. In Libro tertio, *Theophilus* rectè probat Hebræorum ſapientiam & Scriptores Græcis eſſe antiquiores, ad ſummam rei quod adtinet; nam multa peccata, in ſingulis numeris, docent Chronologi adcuratiores. Rectè item longè præſtantiora dogmata Chriſtiana Ethnicis demonſtrat, ac proinde etiam meliores eſſe mores. Citat *Orphei* [12] διαθήκας, ſeu *Teſtamentum*, è quo etiam protulit verſus *Theodoretus* Orat. II. de curandis Græcorum Adfect. qui verſus tam ſunt fide digni, ut jam alibi diximus, quàm Sibyllini. Pluribus rei non immorabimur, neque enim illuſtrare *Theophilum* adgreſſi ſumus.

XI. Cum verò *Hermogenem* confutaſſe dicatur *Theophilus*, paucis quiſnam fuerit & quid errarit dicendum; quæ nos docet *Tertullianus*, in Libro quo *Hermogenem* etiam confutavit. Liquet ex initio fuiſſe Pictorem, qui cùm Philoſophiæ nonnullam operam dediſſet, delapſus eſt in ſententiam Stoïcorum, qui materiam æternam & increatam eſſe volebant.

XII. Verba ipſa *Tertulliani* recitabimus: [13] „ A Chriſtianis converſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & Porticum, inde „ ſumſit [14] à Stoïcis materiam cum Domino ponere, quæ ipſa ſemper „ fuerit, neque nata, neque facta, neque initium habens omnino, nec „ finem; ex qua Dominus omnia poſtea fecerit. Hanc primam um„ bram, planè ſine lumine, peſſimus pictor illis argumentationibus co„ loravit; præſtruens aut Dominum de ſemet ipſo feciſſe cuncta, aut „ de nihilo, aut de aliquo; ut cùm oſtenderit, neque ex ſemet ipſo „ feciſſe, neque ex nihilo, quod ſupereſt inde confirmet, ex aliquo „ eum feciſſe, atque ita illud Materiam fuiſſe.

„ XIII. Negat illum ex ſemet ipſo facere potuiſſe, quia par„ tes ipſius fuiſſent, quæcumque ex ſemet ipſo feciſſet Dominus; „ porrò in partes non devenire, ut indiviſibilem & indemutabilem „ & eumdem ſemper, quâ Dominus. Ceterùm ſi de ſemet ipſo „ feciſſet aliquid, ipſius fuiſſet aliquid. Omne autem, & quod „ fieret, & quod faceret imperfectum habendum; quia ex parte fieret

σφαιροειδῆ λέγειν καὶ ὥσπερ κύβῳ συγκρίνειν. Pag. 166. At terram eſſe rotundam, aut ad rotundam figuram accedere probabant, aut probare poterant demonſtrationibus. Conſtabat enim Stellas Boreales deprimi euntibus ad Auſtrum, & Auſtrales adtolli, & viciſſim; quod fieri non potuit, niſi convexitate Terræ. Conſtabat etiam Solem populis orientalibus citiùs oriri, quàm occidentalibus; quod non contigiſſet, ſi terra plana fuiſſet. Hoc tamen poſtremum probat *Theophilus*, eò quod terra diviſa eſſet in *Orientem*, *Occidentem & Meridiem*.

12 Διαθήκας.] Pag. 197.

13 *A Chriſtianis*] Cap. II. in Hermogenem. Cùm autem dicit *Tertullianus* Hermogenem ad Philoſophos converſum, non vult eum à Chriſtiana Religione prorſus defeciſſe; ſed tantùm à Philoſophis mutua ſumſiſſe, quæ cum dogmatibus Chriſtianorum conſiſtere non poſſent. Ideóque cum eo agit, quaſi cum homine, qui S. Scripturam admitteret.

14 *A Stoïcis materiam* &c.] Vide *Juſtum*

ANN. CLXVIII.

„ fieret & ex parte faceret: aut ſi totus totum feciſſet, oportuiſſet illum ſimul & totum eſſe, & non totum; quia oporteret „ & totum eſſe, ut faceret ſemet ipſum; & totum non eſſe, ut „ fieret de ſemet ipſo. Porrò difficillimum. Si enim eſſet, non fieret, eſſet enim; ſi verò non eſſet, non faceret, quia nihil eſſet; „ eum autem, qui ſemper ſit, non fieri, ſed eſſe illum in ævum ævorum. Igitur de ſemet ipſo feciſſe illum, qui non ejus fuerit conditionis, ut de ſemet ipſo facere potuiſſet. Proinde ex nihilo non potuiſſe eum facere ſic contendit; bonum & optimum definiens Dominum, qui bona atque optima tam velit facere, quàm ſit; imò „ nihil non bonum atque optimum & velle eum & facere. Igitur ab „ eo omnia bona & optima oportuiſſe fieri, ſecundùm conditionem „ ipſius. Inveniri autem & mala ab eo facta, utique non ex arbitrio, „ nec ex voluntate; quia ſi ex arbitrio & ex voluntate, nihil incongruum & indignum ſibi faceret. Quod ergo non arbitrio ſuo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicujus rei factum, [15] ex materia eſſe „ ſine dubio.

XIV. HÆ ſunt potiſſimæ *Hermogenis* rationes, & argutiæ, quarum quidem *Tertullianus* meminerit; qui rectè oſtendit ab eo æquatam Deo Materiam, quam æternam æquè ac Deum facit; & Deo Omnipotentiam adimi, qui materia indigeat ad aliquid faciendum, nec eam mutare queat. Addit & alias rationes non omnino malas, ſi in meliore luce collocarentur; hoc eſt, clariore dictione exprimerentur, & commodiore ordine diſponerentur. Rationes Hermogenis ante omnia confutari oportuit, ita ut ſubruerentur earum fundamenta, in ſe ſpectata; tum quot abſurda, quod unum facit *Tertullianus*, ex iis naſcantur oſtendi; ac tandem meliora de Creatione Materiæ tradi & probari. Quod non difficile eſſet homini Philoſophiæ melioris & rectæ Theologiæ perito; ſed extra Hiſtoriæ limites excurrendum eſſet. Hoc unum dicemus graviter erraſſe Hermogenem, qui cùm audiviſſet [16] omnia in Deo potentiâ fuiſſe, antequàm reverâ eſſent, atque ex Deo prodiiſſe, putavit ita rem intelligendam, quaſi è ſubſtantia Dei eſſent formata, quod abſurdum. Hoc unum voluerunt Chriſtiani I. Deum tantâ præſtantiâ eſſe, ut quidquid perfectionis eſt in Creaturis, ſublimiore modo & ſine defecti-

tum Lipſium Phyſiologiæ Stoïcæ Lib. II. Diſſert. 2. Confutarunt Stoïcos multi Scriptores Chriſtiani, præter *Tertullianum*, ut *Dionyſius*, Libris contra Sabellium; *Origenes*, commentariis in Geneſin; *Maximus*, in Libro de Materia; quorum verba profert *Euſebius* de Præp. Evang. Lib. VII. c. 19. & ſeqq. *Methodius*, de Libero Arbitrio & origine mali; *Lactantius*, Inſtit. Divin. Lib. II. c. 6, & 7. aliique.

15 *Ex materia eſſe*] Quia è corpore humano ortum habent vitia, cùm corpus occaſionem præbeat animo peccandi; quod verum eſt, nec tamen aliud peccat præter animum, qui corpori obſiſtere poſſet, nec facit. Ad Angelos verò, qui defecerunt, quod adtinet, eos corpori ulli defectionem ſuam debere nemo, ut puto, oſtendere queat.

16 *Omnia in Deo potentiâ*] Vide *Tatianum*, Oratione ad Græcos c. VII. & *Dionyſ. Petavium* de Deo, Deique proprietatibus Lib. III. c. 2. Dogm. Theol. T. I.

ANN. CLXIX. defectibus ullis complectatur; quod niſi eſſet, non potuiſſet eſſe Auctor omnium, quandoquidem nulla cauſa effectui dare poteſt, quod ipſa non habeat: II. Deum ergo, cùm omnium rerum perfectiones poſſideret, eſſétque Omnipotens, potuiſſe efficere, pro voluntate ſuâ, ut res quæ non erant exſiſterent, ad exemplar perfectionum, quæ erant in ſe; quamvis rationem, quâ Deus creat, hoc eſt, facit ut id, quod non erat, incipiat eſſe, non adſequamur, qui ne ſcimus quidem quî Mens noſtra in Corpus noſtrum agat: III. Creatam ergo à Deo Materiam, eique formas varias, quas videmus, inditas; quibus rebus nihil ineſt, aut ineſſe poteſt vitii moralis, quod nonniſi in Naturas intelligentes cadit: IV. Creatas quoque Mentes immateriales, eáſque liberas, hoc eſt, quæ poſſent lumina à Deo ſibi conceſſa ſequi, aut contra iis obniti; ut eſſet Virtuti, hoc eſt, liberæ obedientiæ, quæ ſola eſt laude digna, locus: V. Deinde factum, ut multæ Mentes luminibus illis non parentes, à Deo defecerint, atque inde ortum malum, quod morale dicitur, non à materia. Quæ pluribus hîc diducere non poſſumus.

Q. Soſio Priſco, P. Cælio Apollinari COSS. M. Aurelii & L. Veri Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti CLXIX.

I. Hoc anno, [1] ut oſtenderunt doctiſſimi Chronologi, martyrium paſſus eſt *Polycarpus*, Epiſcopus Smyrnenſis, cujus Acta integra nobis ſuperſunt ſeorſim, & maxima eorum pars apud *Euſebium* Hiſt. Eccl. L. IV. c. 15. Alii item egregii viri veritatem Evangelii, ſanguine ſuo, ſubſcripſerunt; quorum omnium teſtis eſt Eccleſia Smyrnenſis, in ſapiente juxta & elegante Epiſtola Cyclica, ad Eccleſiam Philomelienſem & ceteras omnes miſſa, è qua rem paucis exponemus. Antequàm Polycarpi Martyrium narret, ait de ceteris Martyribus, partim ad intimas uſque venas & arterias flagris laniatos; adeò ut corporis membra penitiùs recondita & viſcera ipſa (horrendum viſu!) conſpectui paterent; partim concharum, [2] quæ buccina dicuntur, teſtis & præacutis quibuſdam ſpiculis humi ſubſtratis ſuperpoſitos & omni ſuppliciorum ac tormentorum genere excruciatos; beſtiis denique, ut ab iis dilaniarentur objectos. Præcipuè verò enituiſſe fortiſſimum juvenem, cui Germanico

1 *Ut oſtenderunt*] *Jac. Uſſerius* ad calcem Martyrii Polycarpi, quod primus integrum edidit, & *Ant. Pagius*, qui eum ſequitur, & confutat aliter ſentientes ad Ann. Chr. CLXVII, 4.

2 *Quæ buccina dicuntur*] Vide *Henr. Valeſium* ad *Euſebii* locum. Videntur carnifices Martyras flagris laceratos, ita ut vix molliorem tactum ferre poſſent, volutaſſe in aſperis conchis, quibus vulnerabantur.

3 *Ultrò ipſum adtraxiſſe* &c.] Quod ſe facturum dixit *Ignatius*, in Epiſt. ad Romanos, ut diximus ad Ann. CXVI, 23. ſi eum beſtiæ invadere cunctarentur. Quæ orta ſunt à cupiditate migrandi è vita, poſtquàm omnia paſſi eſſent, quæ à conſtantibus viris ferri poterant; nec ita tamen capienda, quaſi Martyres, qui talia non fecerunt, minùs fortiter mortui ſint.

4 *Totius Chriſtianorum generis*] Τὴν καθό-λου

manico nomen fuit; nam cùm Proconſul eum moneret ut, memor ſuæ juventutis, ſui ipſe miſereretur, [3] ultro ipſum adtraxiſſe ad ſe beſtiam, & propemodùm adegiſſe ac ſtimulaſſe, quò citiùs injuſtis & impiis hominum moribus eriperetur. Poſt hujus interitum, ut ait Eccleſia Smyrnenſis, [4] totius Chriſtianorum generis virtute obſtupefacta, & incenſa ſimul multitudo, cœpit exclamare: *tolle Atheos*; cúmque clamoribus omnia perſtreperent, adductus eſt in Amphitheatrum Quinctus quidam, natione Phryx, qui nuper è patria venerat, & temeritate quadam ductus ſe ſponte ſuâ Proconſulis tribunali obtulerat, Chriſtianúmque profeſſus erat. Is verò, conſpectis tormentis, fracto animo expavit & à Chriſto defecit. Quamobrem prudenter Smyrnenſes: *Propterea ergo fratres*, inquiunt, *non laudamus eos, qui ſe ipſi offerunt, quia* [5] *ſic non docet Evangelium.* Nec quemquam ita fidere fortitudini ſuæ par eſt, ut, Deo minimè vocante, periculum ſponte ſuâ adeat. ANN. CLXIX.

II. POLYCARPUS quidem primùm urbe egredi non ſtatuerat, ſed, obſecrantibus ac hortantibus amicis, in villulam Smyrnæ vicinam conceſſit; ubi interdiu noctúque Deum pro Eccleſiis Chriſtianis, ut ſemper ſolitus erat, orabat. Triduo verò, antequàm comprehenderetur, noctu inter orandum in ſomnum ſolutus videre ſibi viſus eſt cervical, in quod caput reclinarat, totum repentè flammâ conſumi. Quo viſo excitatus iis, qui aderant, dixit fore ut pro Chriſto flammis abſumeretur. Interim, cùm [6] inveſtigaretur, in alteram villam, à Chriſtianis coactus, migravit, quò mox venerunt qui eum quærebant. Ibi verò cùm pueros duos comprehendiſſent, alter verberibus coactus homines ad locum, in quo diverſabatur *Polycarpus*, duxit, ubi in cœnaculo quieſcebat. Monitus, cùm in aliam domum facilè profugere poſſet, noluit, & ſe ſe divinæ voluntati totum permiſit. Ubi adeſſe eos, à quibus quærebatur, comperit, è conclavi in quo erat deſcendit, comitérque compellatis epulas adponi juſſit, horam ſibi ad Deum orandum ab iis concedi petens, quam illi conceſſerunt. Tum verò ſurgens orare cœpit, tantâ gravitate, tantóque fervore, pro omnibus terrarum orbis Chriſtianis; ut mirarentur quicumque aderant, ipſique Ethnici dolerent tam venerandum, támque pium ſenem ad ſupplicium de eo ſumendum quæri. Aſino deinde poſtridie impoſitum in urbem duxérunt, Magni Sabbathi die, ut loquebantur, hoc eſt, die Sabbathi, qui Paſchalem cele-

λȣ τοῦ γένȣς Χριςιανῶν ἀρετήν. Unde liquet *γένος Χριςιανῶν* rectè dici de Chriſtianis, contra quàm vir doctiſſimus putabat. Vide ad Ann. CXL, 10.

6 *Sic non docet Evangelium*] Jubet enim potiùs fugere ad aliam urbem, Matth. X, 23. ita tamen ut, ſi fugere non liceat, mors conſtanter feratur.

6 *Inveſtigaretur*] Sævitia aucta erat, à temporibus Trajani & Hadriani, qui *conquiri* Chriſtianos noluerant. Vide ad Ann. CXI, 14. & CXXVI, 1. Sed ita interpretabantur Reſcripta Trajani & Hadriani, ut conquirere liceret, ſi modò eſſent delatores ad eos palam accuſandos parati. Re verâ ita erant concepta, ut ſic intelligi poſſent; & fortaſſe quidem datâ operâ, ut ne deeſſent, qui Chriſtianis exitium crearent.

ANN. CLXIX.

celebritatem proximè antecedebat, [7] incidebâtque, eo anno, in Martii diem XXVI, ſeu in VII. Calendas Apriles, quo die paſſum eſſe *Polycarpum* docet Auctor Chronici Alexandrini, qui tamen in anno Martyrii erravit, quod perperam ad Ann. CLXIII. refert.

III. SMYRNAM eunti Polycarpo fortè occurrerunt Herodes [8] Irenarcha, & Pater ejus Nicetes; qui ſenem in currum, quo vehebantur, ſublatum ad defectionem tentare cœperunt; eò quòd, ut dicebant, mali nihil admitteret, qui, cùm dixiſſet, *Domine Cæſar*, thus in aram conjiceret, & incolumis evaderet; nam Cæſari thus offerre perinde à Chriſtianis ac Chriſtianiſmo nuncium remittere habebatur. Verùm Ethnici non curabant quid ſentiret qui hæc faceret, ſi modò ritus ſuos imitaretur, quocumque animo ita ſe gereret. Cùm verò *Polycarpus* facturum ſe conſtanter negaret, convicia in hominem jecerunt, tantóque ſenem impetu è curru deturbarunt, ut tibiam ſibi læderet. Inde pedes ad ſtadium ductus, vocem audivit quâ *fortis eſſe & viriliter ſe gerere* jubebatur; quæ, cùm à quo profecta eſſet animadvertiſſet nemo, è cœlo miſſa eſſe credita eſt. Cùm verò eum milites Proconſulis tribunali ſiſterent, magni exorti ſunt multitudinis, quæ captum audiverat, clamores; interrogatúſque à Proconſule an *Polycarpus* eſſet, ſe eſſe illico profeſſus eſt. Ibi Præſes hominem ſenem ut rationem haberet ſuæ ætatis monuit; quod perinde erat ac Chriſtum abnegare, ut vitæ ſuæ conſuleret. Tum juſſit jurare per Genium Cæſaris, reſipiſcere & clamare: *Tolle Atheos*. Ille verò, non ſine gemitu, ſublatis in cœlum oculis: *Tolle*, inquit, *Atheos*, cujus ſceleris reos eſſe ipſos Chriſtianorum vexatores, non Chriſtianos, ſat liquidum per ſe erat, ſed & hac voce *Polycarpi* conſtare omnibus poterat. At non paſſus Proconſul ſibi, eâ re, ſatisfieri; voluit *Polycarpum* præterea jurare per Genium Cæſaris, & Chriſto maledicere; quo facto, protinus dimiſſum iri promiſit. At Polycarpus: *ſex*, inquit, *& octoginta hiſce annis ei ſervio, nec ullâ me adfecit injuriâ; quî poſſem Regi meo, & ſalutis meæ auctori maledicere?* Cùm verò rurſus urgeret Præſes, ut juraret, *ſi quidem*, inquit, *ambitioſè contendis, ut jurem per Cæſaris Genium, quemadmodum loqueris, dum ſimulas te ignorare quis ſim, liberè loquentem audi:* CHRISTIANUS SUM. *Chriſtianiſmi*

7 *Incidebâtque*] Vide laudatos antea *Uſſerium* & *Pagium*.

8 *Irenarcha*] Irenarchæ bonum quidem in finem inſtituti, ut paci Provinciarum conſulerent; ſed quia, *adſimulatâ Provinciarum tutelâ, quietis ac pacis, per ſingula territoria, haud ſinebant ſtari concordiam, à Decurionibus, judicio Præſidum Provinciarum idonei nominati*, ut verbis utar Honorii & Theodoſii Augg. in Cod. *Theodoſiano* Lib. XII. titulo *de Irenarchis*, ab hiſce Imperatoribus ſublati ſunt. Videntur reſtituti à Juſtiniano. Vide ejus Cod. Lib. X. tit. 75. de Irenarchis. Adi ad Cod. Theodoſ. *Jac. Gothofredum*, & ad hunc locum *Uſſerium*, ac *Valeſium* ad *Euſebium*.

9 *Qui nobis non noceat*] Τιμὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς, honorem, qui pietati & ſaluti æternæ non obſit; nam verè *lædunt*, quæ hiſce adverſantur.

10 *Beſtias ſe habere*] Nolebat audire quid pro Chriſtianiſmo dici poſſet; eo enim tempore, ſolum Chriſtiani nomen, licèt ignotum eſſet quid ſentirent Chriſtiani, puniri ſolebat, ut vidimus ad Ann. CXI, 6.

11 *Certum enim eſt nobis*] Ἀμετάθετος γὰρ ἡμῖν

niſmi autem ſi cupis à me rationem reddi, da mihi diem & me audi. At Proconſul juſſit eum populo perſuadere ut, ſibi id ſpatii concedi pateretur; ſed Polycarpus: *tibi verò*, inquit, *rationem reddere me non piget; edocti enim ſumus Magiſtratibus & Poteſtatibus à Deo conſtitutis, exhibere honorem debitum*, [9] *qui nobis non noceat. Illos verò indignos cenſeo, apud quos me defendam.* Proconſul verò, [10] beſtias ſe habere repoſuit, quibus eum eſſet objecturus, niſi pœnitentiâ duceretur. *Accerſe eas*, inquit Polycarpus [11] *certum enim eſt nobis non ita reſipiſcere, ut à melioribus ad deteriora prolabamur; at pulcrum eſt à malis moribus ad bonos transgredi.* Ad hæc Proconſul, ſi beſtias ſperneret, curaturum ſe ut igne domaretur, niſi ſententiam mutaret; cui Polycarpus, *ignem*, inquit, *minaris, qui per horam ardet, & ſtatim exſtinguitur; ignoras enim ignem futuri judicii & æterni ſupplicii impios manentem. Sed quid ceſſas? profer quidquid volueris.* ANN. CLXIX.

IV. Hæc & alia plura cùm diceret, fiduciâ ſimul & gaudio replebatur, & in vultu ejus gratia quædam emicabat. Contrà Proconſul conſtántiâ ejus obſtupefactus ter miſit præconem in mediam arenam, qui pronunciaret *Polycarpum ſe Chriſtianum eſſe profeſſum.* Quod cùm proloquutus eſſet præco, univerſa multitudo Gentilium, ac, [12] quod mirere, Judæorum, qui Smyrnæ habitabant, indomito furore, ac magnâ voce clamabat: *hic eſt Aſiæ magiſter, pater Chriſtianorum, Deorum noſtrorum everſor, qui multos docet neque ſacra facienda, neque adorandum eſſe (Numen.)* Hæc dicentes inclamabant, rogabántque Philippum [13] Aſiarcham, ut leonem in Polycarpum emitteret. Ille verò negavit id ſibi licere, quippe qui [14] venationes jam edidiſſet. Ibi autem uno conſenſu omnes exclamare, comburendum ergo vivum *Polycarpum*; quâ voce factum eſt ut ſomnium ejus impleretur. Neque enim citiùs hæc dicta, quàm facta ſunt; multitudine ex officinis, aut balneis ligna & tormenta confeſtim comportante; & Judæis quidem maximè alacriter, ut ſolebant, hanc in rem operam ſuam conferentibus.

V. Exstructo rogo, Polycarpus omni veſte depoſitâ ac ſoluto cingulo, calceos etiam ſibi detrahere tentabat, quod antea, ob ſenectutem, non ſolebat; cùm non deeſſent qui libenter, reverentiæ causâ, hoc ei officium præſtarent. Cùm ergo milites feciſſent, circumjecta ſunt

ἡμῖν ἡ ἀπὸ τῶν κρειττόνων ἐπὶ τὰ χείρω μετάνοια. Pro ἡ μετάνοια oporteret potiùs, ex proprietate ſermonis, dictum ὁ νοῦς: *non poteſt enim nobis à melioribus ad deteriora mens transferri.* Sed τοῦ ἀκύρου eadem eſt ſententia.

12 *Quod mirere, Judæorum*] Non quòd Numen habere ſe commune cum Ethnicis profiterentur, ſed quòd etiam ſuam Religionem à Polycarpo oppugnari putarent; quia Chriſtianam longè ei præferebat, & Judæos ad Chriſtianam fidem adliciebat, nec fortè ſine ſucceſſu. Ea de causâ, haud minùs in optimum & religioſiſſimum virum furebant, quàm Gentiles.

13 *Aſiarcham*] Sacerdotes Communis Aſiæ, qui & interdum ſpectacula edebant. Vide *Valeſium* ad locum.

14 *Venationes*] Κυνηγέσια, quamvis non canes tantùm, ſed & homines feris opponerentur, imò & nudi atque ad beſtias damnati iis objicerentur. Vide *Juſt. Lipſium* de Amphitheatro.

ANN. CLXIX. ſunt ei inſtrumenta, [15] quæ ferali rogo adparata fuerant, cúmque mox eum [16] clavis adfixuri eſſent, *ſic me*, inquit, *ſinite; qui enim mihi dat ignem ferre, idem etiam dabit, ſine clavorum adhibita à vobis firmitate, immotum in rogo conſiſtere.* Proinde, omiſſis clavis, eum tantùm catenis adſtrinxerunt. Ille igitur, poſt tergum manibus revinctis, has preces [17] clarâ voce ad Deum fudit: *O pater dilecti & benedicti filii tui Jeſu-Chriſti, per quem tui notitiam accepimus; O Deus Angelorum, Poteſtatum, univerſæque creaturæ, &* [18] *totius generis juſtorum, qui vivunt coram te; Tibi gratias ago, quòd me hoc die, atque hac horâ dignatus ſis, ut adſcribar numero Martyrum, in* (exhauriendo) *Chriſti tui poculo; ut reſurgam in vitam æternam animi & corporis, in Spiritûs Sancti incorruptione. Inter quos quæſò hodie in conſpectum tuum admittar, inſtar hoſtiæ pinguis & gratæ: quemadmodum tu fallere neſcius & verax Deus præparaſti (me,)* [19] *priùs patefeciſti & impleviſti. Quare de omnibus te laudo, tibi gratias ago, te prædico,* [20] *per æternum Sacerdotem ſummum, Jeſum-Chriſtum carum tuum filium; per quem tibi ſit,* [21] *cum ipſo, in Spiritu Sancto, gloria, & nunc & in futura ſæcula.* AMEN.

VI. CUM verò Amen pronunciaſſet, & preces abſolviſſet, [22] ii quibus ignis commiſſa erat cura, rogum accenderunt. Ingenti flammâ exardeſcente, ignis fornicis ſpeciem præbens, tamquam velum navis vento plenum, circa Martyris corpus [23] ſtetit. Retulerunt & qui aderant pro

15 *Quæ ferali rogo* &c.] *Henr. Valeſius* intelligit tunicam pice ac bitumine illitam, de qua *Juvenalis*, ejúsque Scholiaſtes loquuntur Sat. I, 155. item palum, ſeu ſtipitem ad quem adligabantur comburendi, denique clavos ac funes, ut videre eſt in Actis Pionii Martyris, ſub finem.

16 *Clavis adfixuri eſſent.*] Non videntur hæc ita intelligenda, quaſi Polycarpi manus clavis transfixuri eſſent, & palo adfixuri; non fuiſſet enim hæc exigua pars ſupplicii. Liquet autem, ex ſequentibus factum hoc, ne corpus in rogo agitarent qui cremabantur, rémque facilè Polycarpo remiſſam; quod non feciſſent carnifices, ſi pars fuiſſet pœnæ. Crediderim ergo catenas, quibus revinctæ erant ad tergum manus, palo clavis adfixas fuiſſe, ne moverentur, aut ſimile quiddam factum.

17 *Clarâ voce*] Hoc res ipſa docet, non potuiſſent enim preces ab iis qui aderant Chriſtianis audiri & aliis referri, ſi ſubmiſſâ voce eas fudiſſet Polycarpus. Quod miror *Valeſium* ad animum non revocaſſe, qui tacitè pronunciatam orationem ab eo fuiſſe ait, & ſolam voculam *Amen* auditam. Sic *Pionius* Martyr, ut ex ejus Actis colligere eſt; ſed preces ejus non recitantur.

18 *Totius generis juſtorum*] Πάντος τοῦ γένους τῶν δικαίων, Chriſtianorum. Vide ad §. 1. & verba *Melitonis* adlata ad Ann. CLIV, 1.

19 *Priùs patefeciſti*] Προφανερώσας καὶ πληρώσας, patefecerat enim ei Deus fore ut, Chriſti causâ, combureretur, ut antea diximus, quod nunc impletum videbat.

20 *Per æternum Sacerdotem*] Sic legit *Euſebius*, qui habet: διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως, quæ egregium ſenſum fundunt; nam propter Sacerdotium Chriſti, quod pro nobis obiit, gratæ atque acceptæ ſunt Deo preces, laudes & gratiarum actiones noſtræ. Sed in Martyrio ab *Uſſerio* edito eſt σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ &c. Attamen Interpres Latinus, qui παραφραστικῶς & magnâ licentiâ Martyrium vertit, & auxit, habet hîc: *per æternum Pontificem omnipotentem Jeſum* &c. Rufinus: *per æternum Deum & Pontificem Jeſum-Chriſtum.* Unde ἀρχιερέα ab iis lectum liquet, quamvis quod viſum eſt addiderint. In veteribus libris multa in gratiam Arianorum, aut contra eos, non ignoſcendâ audaciâ, detracta, vel addita ſunt.

21 *Cum ipſo, in Spiritu S.*] Δι' οὗ σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ, In Martyrio: μεθ' οὗ σοι καὶ πνεύματι ἁγίῳ, *Rufinus*: *cum quo tibi, cum Spiritu Sancto* &c. Quæ omnia quam-

pro nidore, qui è carne combuſta ſolet exhalari, aromatico quodam odore nares adſtantium repletas. Interea cùm corpus non abſumeretur, miſſus eſt [24] confector, ut in Actis vocatur, qui, altè gladio adacto, tantam elicuit ſanguinis copiam, ut ignis exſtingueretur. Quamobrem, ſine mora, Judæi Nicetam monuerunt, ut Proconſulem adiret, poſcerétque ne cadaver illius ſepulturæ traderetur; [25] *ne*, inquiebant, *miſſo crucifixo*, *hunc colere incipiant Chriſtiani*; quæ abſurda erat ratio, cùm quia potuiſſent, ſi fas eſſe crediddiſſent hominem colere, immortalem ejus animum, abſumto licèt corpore, adorare; tum potiſſimùm, ut habet Eccleſia Smyrnenſis, quia non poterant Chriſtum relinquere, qui pro ſalute omnium, quotquot ex humano genere ſalvi futuri ſunt, mortem pertulit, nec alium quemquam colere. *Hunc enim*, inquit, *ut pote Filium Dei*, *adoramus*; *Martyras verò*, *tamquam diſcipulos*, *imitatores Chriſti*, *ob eximiam benevolentiam in Regem & Magiſtrum ſuum*, [26] *merito amore proſequimur*, *quorum utinam nos quoque conſortes & condiſcipuli fiamus!* Interim Judæi Chriſtianos, cadaver alioquin è rogo ablaturos, obſervabant; quod animadvertens Centurio, in medio collocatum, [27] ut Romanorum mos erat, concremavit. *Atque ita nos demum*, inquiunt Smyrnenſes, *oſſa illius gemmis pretioſiſſimis cariora & quovis auro puriora colligentes*, [28] *ubi decebat*, *condidimus*. *Quem etiam in locum*, *quoad ejus fieri poterit*, *convenientibus concedet Deus* [29] *natalem martyrii diem*, ANN. CLXIX.

quamvis idem ſonent, prima tamen lectio ſtylo Apoſtolico magis conſentanea eſt.

22 *Ii quibus ignis*] Οἱ τοῦ πυρὸς ἄνθρωποι, quæ τῶν δημίων, videtur eſſe circumloquutio.

23 *Stetit*] Addunt Smyrnenſes: *quod quidem in medio poſitum non ut caro aſſa videbatur*, *ſed veluti panis coctus*, *vel ſicut aurum & argentum in fornace candens.* Sed ea, ut alia, omittimus, quæ nihil ad hiſtoriam faciunt.

24 *Confector.*] Hæc ipſa vox adhibetur, de qua vide *Henr. Valeſium*, & *Car. Ducangii Gloſſarium.* Sic dicebatur propriè qui *conficiebat*, ſeu occidebat feras.

25 *Ne*, *inquiebant*, *miſſo crucifixo*] Quid hoc intererat Judæorum, vel Ethnicorum? Sed improbi homines, cùm nullam malignitati rationis ſpeciem prætexere poſſent; non falſam tantùm, ſed & abſurdam commenti ſunt. Quare non videntur à Proconſule auditi, qui combuſti reliquias, hoc eſt, oſſa & cineres, more Romano, à Chriſtianis colligi paſſus eſt.

26 *Merito amore* &c.] Ἀγαπῶμεν ἀξίως, ſapienter ſanè, ſed parum convenienter quarti à Chriſto nato Sæculi, & ſequentium moribus; ex quibus invocati ſunt à vulgo & culti Martyres, propè ſicuti quidam minorum gentium Dii. Quod tamen viri ſapientes reprehenderunt, ut *Auguſtinus* de Vera Religione c. LV. num. 108. Ed. Benedictin.

27 *Ut Romanorum mos erat* &c.] *Euſebius*, ὡς ἔθος αὐτοῖς, nempe, Romanis & Græcis etiam, qui omnes cremabant cadavera, deinde oſſa & cineres legebant, quæ monumentis inferrent. Quod cùm conceſſerit Proconſul Chriſtianis, nullâ eos injuriâ affecit, quamvis Chriſtiani humare cadavera ſolerent. Voluiſſent fortè improbi Judæi oſſa & cineres, in fluvium projici: quemadmodum factum eſt Lugdunenſium Martyrum reliquiis, ut diximus ad Annum CLXVII, 15. At tres voces, quas ex *Euſebio* protulimus, non exſtant in Martyrio. Quis addiderit, aut detraxerit nemo dicere queat.

28 *Ubi decebat*] Ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν, *ubi conſequens erat.* Non addunt nomen loci, ne ſi fortè hæ litteræ ad improborum manus pervenirent, reliquiæ Sancti Viri refoderentur.

29 *Natalem Martyrii*] Diem quo Martyrium paſſus erat. Res eſt nota. Vide *Jac. Uſſerium*, ad hunc locum & *Joan. Caſp. Suicerum* in Theſauro, ad vocem γενέθλια. Ii, apud quos quieſcebant reliquiæ Mar-

ANN. CLXIX. *diem, cum hilaritate & gaudio celebrare; cùm in memoriam eorum, qui certamine jam perfuncti fuerint; tum in poſterorum inſtitutionem & confirmationem.* Hæc illi de Polycarpo, qui cum aliis duodecim Philadelphenſibus Chriſtianis, ut aiunt, martyrium pertulerat; qui tamen ſolus ob ſingularem vitæ ſanctitatem, atque eximiam in extrema ſenectute conſtantiam, ab omnibus celebrabatur, & ab Ethnicis ipſis frequenter commemorabatur.

VII. Ad calcem Epiſtolæ additum eſt, Martyrium paſſum eſſe Polycarpum, [30] Xanthici menſis ineuntis die ſecundo, VII. Calendas Apriles, magno Sabbatho, horâ octavâ; captum verò ab Herode, ſub Pontifice Philippo Tralliano, Proconſule [31] Quadrato; quas temporum notas in hunc annum quadrare oſtenderunt viri doctiſſimi.

VIII. Hoc anno [32] miſit Melito, Sardenſis Epiſcopus, Apologiam pro Chriſtianis, ad M. Aurelium; cujus Apologiæ fragmenta nonnulla poſteris ſervavit *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 26. quorum partem aliquam [33] antea protulimus. Queritur Edictum quoddam inhumanum contra Chriſtianos, ejus nomine, in Aſia promulgatum fuiſſe; cupitque, ſi ejus re verâ non eſſet, ne Imperator, publico latrocinio, diutiùs vexari Chriſtianos patiatur. Id edictum ait eſſe *novum & quod ne contra barbaros quidem hoſtes ſanciri decuerat*; unde conjicere eſt re verâ M. Aurelii non fuiſſe. Videntur, his quoque temporibus, ut jam antea ad Ann. CXVI. diximus, Ethnici ſuperſtitioſiores, ſi qua calamitas contingeret, eam tribuiſſe iræ Deorum, Romano Imperio indignantium, quòd in eo Chriſtiani ferrentur. Certè *Melito*, apud *Euſebium*, veluti ad eam calumniam confutandam, ait „ Religionem Chriſtianam „ bono publico adoleviſſe, unà cum Imperio, quod feliciter cœptum „ fuerat, illud certiſſimo argumento eſſe; quòd jam inde à Principatu „ Auguſti nihil adverſi, ſed contrà cuncta ſplendida & glorioſa, ex „ omnium votis, contigerant. Solos, ex omnibus, Neronem & Do- „ mitianum, ab invidis quibuſdam hominibus perſuaſos, Religionem „ Chriſtianam calumniatos; à quibus, pravâ conſuetudine circa ejus- „ modi homines, manaverat calumnia. Verùm illorum calumniam correc-

Martyrum, ad ea loca die Martyrii conveniebant; alii remotiores, qui natales illos celebrabant, in Eccleſias concurrebant. Hæc eſt ejus rei antiquiſſima mentio, quæ quidem in monumentis fide dignis occurrat. Hinc nati poſtea poſtea Sanctorum dies feſti, qui unà cum veræ pietatis decremento, in immenſum crevere. Sic ab exiguis & innoxiis initiis ſæpe orta, lapſu temporis, ingentia mala.

30 *Xanthici* &c.] Vide *Uſſerium* & *Pagium* antea laudatos.

31 *Quadrato*] Nomen ei fingitur fuiſſe *Stratio*, aut *Statio*, aut *Tatio*, prout viſum eſt Librariis, aut Criticis. Iis adſentimur qui putant eum ſignari *Quadratum*, qui Anno CLXVII. Conſul cum *L. Aurelio Vero* fuit. Vide *Uſſerium*.

32 *Miſit Melito*] Vide *Ant. Pagium*, ad Ann. CLXX, 3.

33 *Antea protulimus*] Ad Ann. CL.

34 *Patribus*] Hadriano, qui habebatur avus M. Aurelii, quòd adoptaſſet Antoninum Pium, qui & ipſe Marcum adoptarat.

35 *Iis non immorabimur*] Dignum tantùm eſt notatu librum, qui in Editionibus περὶ πίστεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, inſcriptum legi-

„ correctam à piis M. Aurelii [34] patribus, qui ſæpe Reſcriptis eos objurga- ANN.
„ verant, qui adversùs Chriſtianos quidpiam novare auſi fuerant. Poſtea memorat Reſcriptum Hadriani ad Fundanium Aſiæ Proconſulem & litteras Antonini Pii eo tempore, quo jam M. Aurelius Imperii conſors erat, ſcriptas ad Græciæ civitates, de quibus Reſcriptis, ſuis locis, egimus. CLXIX.

IX. Plura alia Scripta *Melitonis* memorat, eodem loco, *Euſebius*, quem, more ſuo, exſcripſit *Hieronymus*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Sed omnia cùm interciderint, [35] iis non immorabimur. Addemus tantùm in Excerptis quibusdam Veteris Teſtamenti, à *Melitone* collectis, fuiſſe indicem eorum librorum, quo ii dumtaxat recenſentur qui à Judæis in Librorum Sacrorum canonem admiſſi ſunt; quod diligenter ab *Euſebio* adnotatum, qui paſſim Libros Sacros ab Antiquioribus Chriſtianis ad teſtimonium citatos obſervat; ut liqueat ſemper à pleriſque omnibus admiſſos fuiſſe eos, quibus etiamnum utimur. Nec omittendum ab *Origene Melitonem* eſſe meritò caſtigatum, quòd Deum corporeum eſſe putaret; [36] quem errorem fruſtra ab eo abſtergere nonnulli conati ſunt.

X. Melitonis aliorúmque pro Religione Chriſtiana Apologeticis libris permotus, [37] ut aiunt, M. Aurelius litteras tandem ad Commune Aſiæ dedit, quibus vetabat ne quiſquam ampliùs Chriſtianos, Religionis ſuæ causâ, calumniaretur. Reſcriptum ipſum utinam Latinè exſtaret! Græcè enim, ut videtur, tantùm verſum ab *Euſebio* habemus, Linguæ Latinæ non admodum perito; nec de re judicare per nos poſſumus, cùm ſint quædam quæ vix à ſuperſtitioſo Imperatore profecta videri queant, aliter fortè Latinâ Linguâ expreſſa. Sic autem habet:
„ Imp. Cæsar M. Avrelivs Antoninvs Armeniacus,
„ Pont. Max. Tr. Pot. XV. ([38] *imò* XXIII.) Coſ. III. (*ab anno CLXI.*
„ *numerabant enim poſtremum Conſulatum, donec novum inirent*) commvni Asiæ S. Equidem ſcio [39] Diis ipſis curæ eſſe, ne ejuſmo-
„ di homines (*impii, ut Chriſtiani dicebantur*) lateant. Multò enim
„ magis illis convenit punire eos, qui adorare ipſos recuſant, quàm
„ vobis. Adversùs quos homines dum tumultuamini, [40] ſententiam ac propo-

legi in MSS. Cod. & apud *Nicephorum*, *περὶ κτίσεως*, ut obſervat *Henr. Valeſius* ad hunc locum *Euſebii*, *de creatione & generatione Chriſti*; quamvis *Hieronymus* priorem vocem diſſimularit, & *Rufinus* vulgarem lectionem ſequutus ſit; ne Arianis favere videretur *Melito*. Sed ab antiquiſſimis Patribus *κτίσιν* pro *generatione* poni oſtendit vir doctiſſimus, modò ad teſtimonium citatus. Certum tamen de re judicium nullum ferri queat, niſi è tenebris eruatur *Melitonis* liber, ſi modò funditus, vel tituli ſolius causâ, non perierit.

36 *Quem errorem* &c.] Vide *Dionyſ. Petavium* Dogm. Theolog. T. I. de Deo Lib. II. C. I, 4. ubi *Tertullianum* & alios ita etiam ſenſiſſe oſtendit.

37 *Ut aiunt.*] Vide *Euſebium* H. E. L. IV. c. 12. & Chronicon Paſchale ad hunc Annum.

38 *Imò XXIII.*] Vide *Ant. Pagium* ad Ann. CLI, 4. & ad CLXIX, 3.

39 *Diis ipſis curæ eſſe*] Sic Tiberius apud *Tacitum* Annal. I, 73. *Juſjurandum perinde æſtimandum, quàm ſi Jovem fefelliſſet; Deorum injurias Diis curæ.*

40 *Sententiam ac propoſitum.*] Vocem *γνώμην* ſic cum *Valeſio* vertimus; ſignificatur

ANN. CLXIX.

„ propoſitum eorum magis confirmatis, eos quaſi Atheos accuſantes.
„ [41] Iis etiam optabilius fuerit, ut in jus vocati pro Deo ſuo mortem
„ oppetere videantur, quàm ſi vivant. Ita victores evadunt, [42] ani-
„ mas ſuas potiùs projicientes, quàm ut ea, quæ putatis ab iis fieri
„ debere, perſuadeantur. Ceterùm de Terræ motibus, qui vel facti
„ ſunt, vel etiamnum fiunt, [43] non videtur præter rem vos commone-
„ re, qui & animos abjicitis, quando contingunt, & veſtra cum illo-
„ rum inſtitutis [44] comparatis. Atqui illi majorem in Deo fiduciam
„ collocant; vos verò per omne id tempus, quo præ imperitia labi
„ videmini, Deos, [45] aliáque & cultum erga Immortalem illum negli-
„ gitis; ac Chriſtianos, qui eum colunt, expellitis & ad mortem uſque
„ inſectamini. Super talibus hominibus, jam multi Provinciarum
„ Rectores Divo Patri noſtro ſcripſerant. Quibus & ille reſcripſit id-
„ genus homines [46] nullâ moleſtiâ adficiendos eſſe, niſi contra Impe-
„ rium Romanum aliquid eos moliri pateret. Sed & multi ad me de
„ hujuſcemodi hominibus retulerunt; quibus ego, Patris mei ſenten-
„ tiam ſequutus, reſpondi. Quòd ſi quis adhuc pergit cuiquam illo-
„ rum negotium faceſſere, eo quòd Chriſtianus ſit, delatus quidem
„ crimine abſolvatur, quamquam ejuſmodi eſſe deprehendetur, delator
„ verò ipſe pœnas luat: [47] PROPOSITVM EST EPHESI, IN COM-
MVNI ASIÆ CONVENTV. Addit *Euſebius* Lib. IV. c. 13. Melito-
nem, Eccleſiæ Sardenſis Epiſcopum, qui iiſdem temporibus floruit,
hæc ita geſta eſſe apertè teſtari in Apologetico. Quæ verba referenda
ad perſequutionem ipſam, quæ ejus Apologiam atque hoc Reſcriptum
anteceſſit; non ad Reſcriptum, quod Apologiam ejus ſequutum eſt.

XI. EJUS aliud exſtat Apographum, [48] à nonnemine priori *Juſtini* Apologiæ olim ſubjunctum, ſed brevius & mendoſius, certè in nonnullis; ſive ex alio Latino Autographo, ut ſic loquar, verſum, ſive ex alio Græco transſcriptum. Potiſſima, & quæ ad rem ipſam faciunt diſcrimina ſubjiciam, animadverſionéſque nonnullas addam. I. Exemplar *Juſtino* ſubjunctum, ubi de pœnis à Diis de impiis repetendis, addit: *ſi poſſint*, nimirum, Dii; quod numquam ſcripſit M. Aurelius. II. Omit-

tur enim & *ſententia* Chriſtianorum de Religione & firmum *propoſitum* quidvis patiendi, potiùs quàm ei nuncium remitterent. Confirmabantur autem in iis Chriſtiani, quòd ſibi conſcii eſſent ſe minimè Atheos eſſe, ut criminabantur Ethnici, atque innocentes, quod non exiguum eſt ſolatium, morerentur.

41 *Iis etiam optabilius*] Quia *Melito* dixerat in Apologia: ἡμεῖς ἡδέως φέρομεν τὸ τοιούτȣ θανάτȣ τὸ γέρας: *nos libenter ejuſmodi mortis præmium ferimus*, apud *Euſebium* Lib. IV. c. 26.

42 *Animas ſuas*] Hoc eſt, vitas, ut omnibus notum.

43 *Non videtur præter rem*] Οὐκ ἄτοπον. Negatio omiſſa eſt in Paſchali Chronico, minùs commodè.

44 *Comparatis*] Παραβάλλοντας τὰ ἡμέτερα vel ὑμέτερα, πρὸς τὰ ἐκείνων. Animum abjiciebant, dum Chriſtiani Deo confidebant; unde Ethnicis pudor naſci debuit, ſi quo pudore tenebantur.

45 *Aliáque*] Καὶ τῶν ἄλλων. Meliùs καὶ τῶν ἱερῶν, ut poſtea dicemus. Fortè pro hoc ſcriptum erat mendo librarii τῶν ἑτέρων, quod poſtea mutatum in τῶν ἄλλων, quod idem ſignificabat.

46 *Nul-*

II. Omittit *quàm vobis*, quod mox ſequitur, atque prorſus neceſſarium eſt; ut & quod *confirmare* dicuntur Ethnici Chriſtianos in ſua ſententia, additque, *quædam alia objici* Chriſtianis *crimina, quæ probari non poterant.* III. Loco horum verborum *pro Deo ſuo*, habet *propter ea quorum accuſantur*, minùs rectè, nam accuſationes falſæ erant. IV. Pro hiſce, *non videtur præter rem vos commonere*, habet: *non æquum eſt vos mentionem facere*, quod non abſurdum eſt. V. Videntur autem Ethnici Terræ motus adſcripſiſſe iræ Deorum, cultoribus ſuis, quòd Chriſtianos ferrent, iraſcentium; adeóque abjectè de bonitate & juſtitia Numinis ſenſiſſe. VI. Pro his: *per omne illud tempus, quo, præ imperitia, labi videmini, Deos aliáque, & cultum erga Immortalem negligitis & Chriſtianos, qui eum colunt, expellitis*, habet: *& vos quidem*, [49] *excepto illo tempore* (Terræ motûs) *Deos & Templa negligitis, cultum circa Deum ignoratis; unde fit ut illum colentibus invideatis.* Quæ quidem Euſebianis meliora videntur, ſed M. Aurelii perſonæ non ſatis conveniunt, qui inſtar Chriſtiani utrobique loquitur. Qui talia dixiſſet, non propemodùm Chriſtianus, ſed toto animo fuiſſet; qualis numquam fuit M. Aurelius. Quis credat ab eo Deum à Chriſtianis cultum, aut *Deum* ſimpliciter, aut *Immortalem illum*, quaſi ceteri mortales eſſent habendi, vocatum fuiſſe? VII. Denique pro hiſce: *quòd ſi quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium faceſſere, eò quod talis* (Chriſtianus) *ſit, delatus quidem &c.* habet meliùs, ut videtur, exemplar *Juſtino* adnexum: [50] *ſi quis habens litem cum quopiam ejuſmodi hominum, accuſèt eum ut talem, delatus quidem* &c. ſi modò verba levi emendatione adjuventur. Sed hæc non fuit Antonini de Chriſtianis ſententia, verùm ne quis quidquam contra eos innovaret, ut è verbis *Melitonis* ab *Euſebio* adlatis, liquet. Quare de neutro exemplari Reſcripti M. Aurelii, mihi liquere, donec emendatius inveniatur, fatebor. Quòd ſi qua fraus pia, ut loquuntur, aut potiùs impia hîc lateret, digni eſſent qui eam ſcientes, & prudentes admiſiſſent, qui æternâ, apud omnes Veri intemerati amantes, infamiâ inurerentur. Per ejuſmodi enim homines factum eſt ut nonniſi timidè etiam veris, dum ægrè poſſunt à fictis ſecerni, adſentiamur, dubiáque multa

46 *Nullâ moleſtiâ adficiendos*] Μηδὲν ἐνοχλεῖν. Reſcripſerat tantùm Antoninus, nihil eſſe in Chriſtianos novandum; nempe, præter Reſcripta Hadriani & Antonini; non verò minimè vexandos Chriſtianos, qui ſunt poſtea peſſimè habiti, ut vel è Lugdunenſi vexatione liquet, quamvis nullius ſeditionis accuſarentur. Vide ad Ann. CLV. 1.

47 *Propoſitum eſt Epheſi*] Sic Edictis promulgatis ſolebat ſubſcribi. Vide *Valeſium* ad locum.

48 *A nonnemine*] Non à *Juſtino*, qui dudùm obierat, cùm hoc Reſcriptum emiſſum ſtatuitur.

49 *Excepto illo tempore* &c.] Παρ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον, quo, nempe, metu perculſi, Deos colebant. Frequens hæc eſt vis præpoſitionis παρὰ, ſenſúsque aptior videtur quàm Euſebianus.

50 *Si quis habens litem*] Εἰ δέ τις ἔχει (lege, ἔχων) πρός τινα τῶν τοιούτων πρᾶγμα, καταφέρειν (lege καταφέρει) ὡς τοιοῦτον. Sic poſtulant verborum ſeries & conſtructio. Notum eſt πράγματα paſſim pro *litibus* ſumi.

ANN. CLXX, & CLXXI.

multa fiant, quæ ut explorata admiſſa eſſent, ſi ſine figmentis ad nos perveniſſent, déque bona Veterum fide ſemper conſtaret.

XII. Hoc anno mortuus eſt L. Verus, Decembri exeunte, [51] ut viri docti oſtenderunt.

M. Cornelio Cethego, C. Erucio Claro COSS. M. Aurelii Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti CLXX.

I. Hisce temporibus, vivebat Miltiades, qui contra Montaniſtas ſcripſerat, oſtenderéque adgreſſus erat, Prophetas, ſine Ecſtaſi, vaticinatos. Idem etiam pro Chriſtiana Philoſophia, quam profitebatur, Apologiam ad Imperatores ſcripſit. Quæ habet *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 17.

II. Floruit ſimul Claudius Apollinaris, Hierapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Plura ſcripſerat, ſed negat *Euſebius* ad ſuas manus aliud perveniſſe, præter Orationem ad M. Aurelium, adversùs Gentiles Libros V. de Veritate II. contra Judæos, item II. alios contra Montani Hæreſin, cùm primùm orta eſſet. Omnia ejus Opera jam perierunt. Vide *Euſebium* H. E. Lib. IV. c. 27. & Lib. V. c. 19.

L. Septimio Severo II. L. Alfidio Herenniano COSS. M. Aurelii Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti. CLXXI.

I. Ad hæc tempora refertur *Dionyſius*, Corinthiorum Epiſcopus, qui non tantùm Eccleſiam ſuam curavit, ſed & ad plures alias litteras dedit; quibus ad Religionis Chriſtianæ fortiter tuendam veritatem, vitandos errores, fugiendáque vitia eas hortatus eſt. Plures exſtabant, tempore *Euſebii*, ut teſtatur H. E. Lib. IV. c. 23. & jam antea Epiſtolarum ejus ad Athenienſes & ad Romanos meminimus. Nunc nihil earum ſupereſt, præter paucula fragmenta, quæ ex iis habet Scriptor à nobis memoratus, è quibus unum aut alterum delibabimus.

II. Scrip-

51 *Ut viri docti* &c.] *Ant. Pagius* ad hunc Annum, num. V.

1. *Cœlibatûs*] Habet *Euſebius* ἁγνείας, quæ vox *caſtitatem* propriè ſignificat, ſed hìc omnino caſtum cœlibatum, aut quem *continentiam* poſtea Latini Chriſtiani dixerunt, aut abſtinentiam ab uſu conjugii, ſonat; idque abuſu quodam vocis, qui jam irrepere cœperat. Alioqui non ineptus tantùm, ſed libidinoſus fuiſſet *Dionyſius*, ſi vetuiſſet Pinytum βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ τῆς ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταστοχάζεσθαι ἀσθενείας, *grave onus caſtitatis imponere fratribus quaſi neceſſarium*, monuiſſetque *rationem habendam plerorumque infirmitatis*; nam nuſquam in Evangelio *caſtitas* remittitur, atque in quovis genere vitæ colenda eſt, & obſervatur à conjugatis, non minùs quàm à cœlibibus, aut ab uſu conjugii abſtinentibus, cùm immundum in eo nihil ſit. Sed fortè *Euſebius*, more Monachorum ſui ævi, qui jam in Ægypto vicina invaleſcebant, loquutus eſt, non ipſa *Dionyſii* verba protulit.

2 *Cùm de Cretenſibus ageretur* &c.] De eorum libidinoſis moribus multa habet *Strabo* Lib. X. Mutati quidem, ſine dubio, ſunt Chriſtiani facti; ſed tamen cœlum & temperatio corporis, quam nimis verum eſt

II. Scripſerat ergo ad Pinytum, Gnoſſiorum Epiſcopum, „ ne „ grave onus [1] cœlibatûs, (vel *abſtinentiæ*) Chriſtianis, quaſi neceſſa- „ rium, imponeret, ſed plerorumque infirmitatem potiùs reputaret. Quod prudens erat monitum, præſertim [2] cùm de Cretenſibus ageretur, qui Chriſtiani licèt cœli benignioris & corporis temperationis vim non ſentire non poterant. Videtur tamen hoc ægrè tuliſſe *Pinytus*, qui laudavit quidem *Dionyſium*, „ ſed viciſſim tamen eum hortatus eſt, ut ſoli- „ diorem cibum tandem impertire, & perfectioribus litteris plebem ſi- „ bi commiſſam alere vellet; ne fortè lacteis ſermonibus occupati ho- „ mines, in infantili quadam diſciplina ſenſim conſeneſcerent. Atqui ſolidior nullus cibus adponi potuit Chriſtianis, quàm ſi docerentur, ne continentiam ſupra captum ſuum poſitam, nec à Deo impoſitam ſectantes, in peccatum delaberentur; quod monitum humanæ naturæ ſtatu, experientiáque quotidianâ nititur. Sed dum perfectiorem virtutem conſequuti videri volunt homines, ne mediocrem quidem adipiſcuntur, aliiſque meritò ludibrio ſunt, & ſæpe etiam eos offendunt. ANN. CLXXII.

III. Dignum quoque obſervatu quod queritur *Dionyſius*, Epiſtolas ſuas à falſariis, ipſo vivo, corruptas: „ Litteras, *inquit*, rogatus à fra- „ tribus ſcripſi; ſed illas Apoſtoli quidam Diaboli zizaniis compleverunt; „ dum quædam addunt, alia adjiciunt. Quos manet illud: [3] *væ vobis*. Non „ mirum ergo, ſi [4] Domini Scripta quidam adulterare adgreſſi ſunt, quan- „ doquidem ea, quæ talia non ſunt, adulterant. Unde colligere licet, cùm tam antiqua ſit hæc fraus, non facilè, ex uno, aut altero loco, ratiocinandum eſſe, ut Veterum ſententias è Scriptis ſuperſtitibus eruamus.

Maximo & Orfito COSS. *M. Aurelii Imp. XII.* *Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXII.

I. Ad hæc tempora refertur *Tatianus* Syrus, *Juſtini* Martyris diſcipulus, ſed qui poſt Magiſtri mortem, novæ Hæreſeos conditor fuit. Supereſt nobis unus ejus Liber, quem *orationem ad Græcos* inſcripſit, ubi Ethni-

eſt ſequi ut plurimum mores animi, eadem erant, proclivioréſque homines ad quædam flagitia reddebant. Ideóque & hodie pleraſque videmus Gentes iiſdem vitiis laborare, partim certè, quibus olim, ante admiſſum Chriſtianiſmum, infames fuerant.

3 *Væ vobis*] Adludere videtur ad locum Eſaiæ C. V, 20. *Væ dicentibus malum eſſe bonum, & bonum eſſe malum; qui tenebras in lucem convertunt, & lucem in tenebras; qui amarum in dulce, & dulce in amarum mutant.* Reverà enim hoc faciunt qui pro rectis prava alienis libris inſerunt, aut recta detrahunt. Vel, ſi mavis, reſpicit ad Apoc. XXVI, 18, 19. quamvis illic vocula *væ* non occurrat, quia eâ voce ſignificari poſſunt minæ, in eos qui quidpiam libris addunt, vel detrahunt.

4 *Domini Scripta* &c.] Scripturam Sacram Novi Teſtamenti, quam Marcion & alii varii corruperant, ut ſuis locis vidimus. Cùm autem talia in N. T. moliri mali homines auſi ſint, cujus innumera exemplaria per orbem terrarum jam ſparſa erant, cùm olim, tum nuper exſcripta, è quibus fraus facilè intelligi poterat; quantò faciliùs rem effectam dabant, in Libris, quorum omnia recentia erant exemplaria, & pauciora multò?

ANN. CLXXII.

Ethnicam Theologiam & Philoſophiam confutat, Chriſtianam partim exponit, oſtenditque Hebræorum Libros & Doctores pleroſque longè antiquiſſimos eſſe, & Moſem quidem diu ante Homerum, Græcorum vetuſtiſſimum, vixiſſe. Rerum eſt mira in eo confuſio, & idioticus prorſus ſtylus, idémque obſcurus; quamvis hominem ſat eruditum fuiſſe adpareat. Pauca ejus Libri loca expendemus, tum ad ejus hæreſin veniemus.

II. 1. Exponit *Tatianus* c. VII. Ed. Oxon. doctrinam Chriſtianorum de Patre & Filio, his verbis: „ Clariùs exponam (*dogmata*) „ noſtra. Deus erat [1] in Principio, [2] Principium autem Rationis Po- „ tentiam eſſe accepimus. Cùm enim Dominus rerum univerſarum ſit ipſe „ [3] Univerſi ſubſtantia, quatenus quidem creatura nondum erat facta, „ ſolus erat; quatenus verò eſt omnis potentia, cùm ſit conſpicuorum „ & inconſpicuorum ipſe ſubſtantia, erant [4] cum eo omnia. Cum eo „ enim, per rationalem potentiam, & ipſa Ratio, quæ erat in ipſo, „ fuit. [5] Voluntate verò ſimplicitatis ejus, proſiliit Ratio; Ratio au- „ tem cùm non fruſtra proceſſiſſet, opus primogenitum fit Spiritûs, *aut* Patris; nam alia exemplaria habent πνεύματος, alia πατρὸς, quod rectius. Quibus in verbis, hæc obſervamus: I. Primò Deum dici fuiſſe

1 *In Principio*] Ἐν ἀρχῇ, quod non debet hîc de ὑποστάσει ἀρχικῇ intelligi, ſed de initio rerum; quamvis aliter è Platonicis poſtea loquuti ſint Veteres, & aliter etiam loquatur in proximè ſequentibus verbis Tatianus, qui ludit hîc in ambiguo; neque enim Scriptura voce *Principium* ſignificat ὑπόστασιν ἀρχικὴν, cùm Deum in principio fuiſſe docet. Si terſior eſſet ſcriptor *Tatianus*, legendum cenſerem: Θεὸς ἦν ἀρχὴ, ἐν ἀρχῇ δὲ Λόγου δύναμιν &c. *Deus erat Principium, in Principo autem Rationis Potentiam fuiſſe accepimus.* Nam & philoſophicè loqueretur & ad Joannis initium reſpiceret. Sed barbari Scriptores non ſunt ad rectiùs ſcribentium normam refingendi.

2 *Principium autem* &c.] Hoc eſt, ante omnia fuit, & quidem initium fecit omnium rerum exſiſtentiæ Natura aut Potentia Rationalis; ut docet Joannes, initio Evangelii.

3 *Univerſi ſubſtantia*] Τοῦ παντὸς ἡ ὑπόστασις, quia nihil eſt in effectu, quod quidem *ſubſtantia* dici poſſit, quod priùs non fuerit in cauſa propriè dicta; hoc eſt, ut loquuntur Metaphyſici, *efficiente* & *totali*; ſaltem potentiâ, ſi non actu. Itaque dum creatura non erat actu, Deus erat ſolus, quamvis potentiâ omnia in eo eſſent.

4 *Cùm eo enim* &c.] Σὺν αὐτῷ γὰρ, διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς καὶ ὁ Λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. Verba αὐτὸς καὶ ὁ Λόγος vertimus quaſi ſcriptum eſſet καὶ αὐτὸς ὁ Λόγος (nam conjunctio poteſt utroque modo collocari) quia nullus eſt ſenſus horum verborum: Θεὸς αὐτὸς, καὶ ὁ Λόγος σὺν αὐτῷ ὑπέστησε, διὰ λογικῆς δυνάμεως: *Deus ipſe & Ratio cum eo fuit, per rationalem potentiam.* Nam Deus eſt, & eſſe dicitur, per ſuam æternitatem, quâ per ſe & neceſſariò exſiſtit, non per ſapientiam ſuam. Quòd ſi putaveris hoc velle *Tatianum: Deum ſecum ipſum fuiſſe*, oporteret ſcribi σὺν αὐτῷ *cum ſe ipſo*; nec quiſquam dixerit Deum fuiſſe *ſecum cùm ipſum, tum Rationem, per facultatem rationalem.* Dicendum enim fuiſſet, Θεὸς ὑπέστησεν αὐτὸς σὺν αὐτῷ, ὡς καὶ ὁ Λόγος διὰ λογικῆς δυνάμεως σὺν αὐτῷ ὑπέστη: *Deus ipſe fuit ſecum, ut & Ratio, per rationalem facultatem, erat cum eo.* Videtur autem diſtinguenda λογικὴ δύναμις, quæ eſt *facultas ratiocinandi* quæ Deo ineſt, ab eo quod vocatur à *Tatiano* Λόγου δύναμις *Rationis Potentia*, quæ proſilierat è Deo, cùm hîc, tum Cap. X & XI. quamvis ſint qui eas confundant.

5 *Voluntate verò*] Vide *Juſtini*, hac de re doctrinam ad Ann. CXL, 13. *Athenagoræ* ad CLXV, 6. & *Theophili* ad CLXVII, 6. Adi & *Dionyſ. Petavium* hæc interpretantem Dog. Theol. Tom. II. de Trini-

fuiſſe in *Principio*, & *Principium fuiſſe potentiam*, vel *facultatem Rationis*, hoc eſt, Deum fuiſſe initio & quidem rationalem; omnia enim prodiiſſe è rationali potentia, aut facultate: II. cùm in Deo omnia ſint potentiâ, hoc eſt, cùm potentiâ complectatur quidquid eſt *ſubſtantiæ* in creaturis, antequàm ſint; fuiſſe creaturas cum eo, in potentia; ſed quia nondum actu erant, Deum poſſe dici fuiſſe ſolum: III. nec tamen ita ſolum, ut non eſſet cum eo Ratio, quia divina natura complectitur facultatem rationalem, unde ſequitur Rationem cum eo fuiſſe: IV. quandoquidem voluit Deus ſimpliciſſimus etiam Rationem habere ſuam peculiarem ὕπαρξιν, proſiliiſſe Rationem, ſeu ſuâ peculiari ὑπάρξει exſtitiſſe, aut alterum fuiſſe ὑφιςάμενον. Unde ſequitur Rationem peculiariter exſiſtentem, non fuiſſe creaturam, ſed divinæ naturæ emanationem; cujus ſubſtantia in Deo Patre fuerat, antequàm proſiliiſſet. Quod ex ſequentibus manifeſtius fiet. ANN. CLXXII.

„ III. Nata eſt, *inquit*, [6] per participationem, non [7] reſectionem; „ quod enim reſecatur à primo ſeparatur, quod verò eſt [8] particeps „ factum, adſumtâ [9] œconomiæ electione, non relinquit id, à quo de- „ ſumtum eſt (*ullius rei*) egenum. Quemadmodum enim ab una face „ aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur, propter

Trinitate Lib. VI. c. 8. *Voluntas ſimplicitatis*, videtur eſſe voluntas ſimplicis naturæ, niſi fortè reſpiciatur ad naturam divinam eo modo intellectam, quo intelligeretur, ab eo qui eam veluti ante προπήδησιν Λόγε conſideraret, cùm eſſet tantùm una ὕπαρξις Patris. Quod ex mea ipſius ſententia non dico, ſed Arianorum, aut qui ad eorum ſententiam aliquo modo acceſſiſſent; à qua quantum abfuerit *Tatianus*, per omnia, mihi non conſtat.

6 *Per participationem*] Κατὰ μερισμὸν, quod ἀπὸ τοῦ μερίζομαι, *particeps fio*, ac proinde *participationem* vertendum, ut rectè vidit *Petavius* Tom. II. Dog. Theol. de Trinit. Lib. I. c. III, 5. Si legatur interpretatio *Geſneri*, qui vertit *diviſionem*, rei abſurditas intelligetur. Sed mirum eſt *Petavium*, qui *participationem* bene vertit, voluiſſe à *Tatiano* creditam Rationis creationem; nam ſi participat Ratio, propria ὑπάρξει donata, facultatem rationalem Patris, ſine reſectione, ut fax accenſa participat lucem facis, quâ accenditur; tum verò Rationis natura par eſt naturæ facultatis rationalis quæ eſt in Patre, è qua proſiluit, ſine ulla ejus minutione. Itaque meritò propterea *Petavium* reprehendit *Bullus* Def. Fidei Nicænæ Sect. III. c. 6.

7 *Reſectionem*] Οὐ κατὰ ἀποκοπήν. Liquet hoc velle *Tatianum*, non ita rem intelligendam, quaſi Ratio à Deo veluti reſecta eſſet; ſed Deum integram ſervaſſe ſuam ſibi rationalem facultatem, è qua, eo volente, proſiliit Λόγε δύναμις, ſive Λόγος, non imminutâ rationali facultate Dei: quemadmodum fax accenſa non minuit flammam alterius facis, è qua accenditur. Qua ſimilitudine uſus etiam erat *Juſtinus*, cujus verba protulimus ad Ann. CXL, 13.

8 *Particeps*] Μερισθὲν, quaſi dicas *participatum*, non diviſum; hoc eſt, particeps factum, non reſectum. Nam μερίζεσθαι, non eſt *dividi*, ſed participem fieri. Si quæras an perſpicuè intelligeret *Tatianus* quod dicebat, reſpondebo me vix credere; ipſe quidem non intelligo, niſi quòd vim vocabulorum, in ſe ſpectatorum, & veluti abſtractorum à præſenti negotio adſequi mihi videor. At rei, quæ agitur, aptare neſcio, certè ita ut notiones claras animo concipiam.

9 *OEconomiæ electione*] Οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν. Verbo tenus verti, quia non ſatis adſequor quid hæc ſibi velint; niſi fortè hæc ſit *Tatiani* mens, Rationem creandi & gubernandi Mundi partes in ſe ſuſcepiſſe, aut voluiſſe humanam naturam accipere, quod paſſim à Patribus Græcis οἰκονομία vocatur, ut alibi monuimus.

ANN. CLXXII.

„ ter plures faces accenſas: ſic etiam Ratio, egreſſa è Patris potentia „ (*rationali*) non effecit tamen ut genitor eſſet ſine Ratione. Hac ipsâ ſimilitudine etiam uſum Juſtinum vidimus ad Ann. CXL, 13. Sed ex ejuſmodi explicationibus doctrinæ Chriſtianæ, Ethnici vix aliud colligere poterant, niſi Deos à *Tatiano* duos credi; quorum unum adpellabat *Deum*, eximiâ quadam ratione: alterum verò ab eo genitum, quem *Rationem* vocitabat, à qua, ut in ſequentibus docet, creata eſſet rerum univerſitas. Præſtitiſſet ergo Apoſtolico ſermone uti, nec explicare quod ratiocinatione clarius fieri non poteſt; nec ea proferre, quæ nemo adſequebatur. Hac de re aliquoties jam monuimus, quæ nimis, prout nunc res ſunt Chriſtianæ, inculcari non poteſt. Inferiùs Cap. X. à *Tatiano* dicitur [10] „ Ratio cœleſtis, natus Spiritus à Pa- „ tre, & Ratio ex rationali potentia hominem creaſſe. Fuiſſet hîc opportunus locus dicendi de Spiritu Sancto, verùm plura non habet *Tatianus* de S. Trinitate.

IV. 2. Docet ſub finem Cap. XIII. [11] materiam à Deo creatam; „ non enim, *inquit*, principii expers eſt materia, quemadmodum „ Deus; neque, eò quòd ſit ſine principio, & ipſa Deo parem poten- „ tiam habet; etenim genita eſt, nec ab alio, niſi ab uno omnium „ creatore producta; hoc eſt, ut antea dixit, à Ratione initio genita, „ quæ viciſſim generavit hunc ad nos pertinentem mundum, cùm ſibi „ ipſa materiam creaſſet. Quæ videntur dicta non tantùm contra Philoſophos ſic ſentientes, ſed & fortè contra *Hermogenem*, hiſce temporibus, hæc docentem. Vide ad Ann. CLXVIII, 12. & ſeqq.

V. 3. Postquam Cap. X. Angelos & Homines à Ratione creatos docuit, addit „ utramque creaturæ ſpeciem liberam factam eſſe, „ boni naturam non habentem, niſi tantùm à Deo, quæ ab homini- „ bus libertate arbitrii perficitur; ut malus quidem jure plectatur, per „ ſe factus improbus: juſtus verò, propter rectè facta, meritò laude- „ tur, quòd libero arbitrio Dei voluntatem non ſit transgreſſus. Atque ea „ quidem, quæ ad Angelos & homines pertinent, ſic ſe habent. Poſtea in fatalem neceſſitatem invehitur, quam à malis Angelis manaſſe ait. Sic antiquiſſimi quique Chriſtiani de Libero Arbitrio loqui ſolebant, ut ad Ann. CXXXIX, 14. è *Juſtino Martyre*, obſervavimus.

VI. 4.

10 *Ratio* &c.] Λόγος ὁ ἐπουράνιος, πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ Λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως.

11 *Materiam*] Vide & Cap. XVIII. in fine.

12 *Ab eo Spiritu*] Vide §. VII.

13 *Materiales*] Nimirum, ad *Animam* quod adtinet; hoc eſt, partes ejus inferiores, ſeu, ut loquuntur Philoſophi, ἐπιθυμητικὴν & θυμητικὴν, quas ἀλογίστους aiebant & in Brutis ipſis eſſe. Probè hoc obſervandum, ne *Tatianus* totum hominem corporeum eſſe voluiſſe videatur; cùm λογιστικὴν partem, ſeu *Spiritum* immortalem eſſe ſtatuerit. Nec tamen minùs certum eſt *concupiſcere* & *iraſci* non eſſe naturæ merè corporeæ, certè in corporeis proprietatibus nihil hujuſcemodi videmus. Sed prava erat eorum temporum Philoſophia, & abſurdum fuit unam eamdémque rem *ſpiritum* & *materiam* vocari, ubi *ſpiritus* res incorporea vocatur. Lege proximè antecedentia.

14 *Quæ cognitionem*] Nam Bruta ipſa

cognoſ.

VI. 4. Docet Cap. XI. homines peccaſſe ab Angelo primogenito ſeductos, ſubditque: „ tunc Rationis Potentia, & eum qui primus „ inſaniverat, & homines eum ſequutos commercio ſuo privavit, &, qui „ ad imaginem Dei factus erat, recedente [12] ab eo Spiritu, mortalis fit; „ Angelus verò ille primogenitus Dæmon evadit &c. At Cap. XVIII. pleniùs quid de anima humana ſentiret aperuit: „ non ſumus nati, *inquit*, ut moreremur; morimur autem, propter nos ipſos. Perdidit „ nos liberum arbitrium; ſervi facti ſumus, qui eramus liberi; propter peccatum, venditi ſumus. Malum nihil à Deo factum eſt, nos „ malum fecimus; idque admiſſum poſſumus iterum vitare. Duo ſpirituum diſcrimina eſſe ſcimus, quorum unum *Anima* vocatur: alterum „ verò Animâ quidem majus, Dei verò imago & ſimilitudo. Utrumque apud primos homines erat, ut partim eſſent [13] materiales, partim materiâ ſuperiores. Rurſus Cap XXI. non immortalis, *inquit*, „ ô viri Græci, eſt *Anima*, per ſe, ſed mortalis; eadem tamen poteſt „ non mori. Moritur enim & diſſolvitur cum corpore, quæ non novit veritatem; reſurgit verò poſtea, in conſummatione mundi, mortem in immortalitate accipiens. Contrà non moritur, quamvis ad „ tempus diſſolvatur, [14] quæ cognitionem Dei ſibi comparavit. Poſtea docet *Animam* à *Spiritu*, qui ei conjunctus fuerat deſeri; aliáque habet, quibus non immorabimur.

ANN. CLXXII.

VII. Videtur *Tatianus* I. duo principia vitalia in hominibus agnoviſſe, alterum *Animam*, quæ, ut ait, Cap. XXIV. non eſt ſimplex, ſed ex multis partibus conſtat: alterum ſublimius, quod vocat [15] *Spiritum*, quódque ab *Anima* peccato contaminata ſejungitur & ſeorſim vivit: II. crediſſe *Animam* eſſe naturâ ſuâ mortalem, ſed non morituram fuiſſe, niſi peccaſſet; *Spiritum* verò immortalem: III. per mortem, eam diſſolvi, & peccato ſervientem reviviſcere, ut pœnas det, quæ mors vocantur; à peccato verò purgatam diſſolvi etiam, ſed reſurgere, ut præmio fruatur. Deſumta hæc ſunt partim è Philoſophis, & quidem Platonicis, qui crediderunt Animæ partes eſſe tres, ſuperiorem unam quæ vi ratiocinandi prædita ſit; inferiores duas, quarum una concupiſcat, altera verò iraſcatur, & quæ Brutis cum Homine ſint communes. De his pluribus egit [16] *Plato* Libro de Republica IV. & alibi.

cognoſcere docet Cap. XXIV. & eſſe νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεικτικὰ, quod in libro de Animalibus, qui intercidit, ſe oſtendiſſe ait.

15 *Spiritum* &c.] Συζυγίαν δὲ κεκτημένη τὴν τοῦ θείου πνεύματος οὐκ ἐστὶν ἀβοήθητος· ἀνέρχεται δὲ πρὸς ἅπερ αὐτὴν ὁδηγεῖ χωρία τὸ πνεῦμα· τούτου μὲν γάρ ἐστιν ἄνω τὸ οἰκητήριον, τῆς δε κάτωθεν ἡ γένεσις: *conjunctionem verò nacta divini Spiritûs, non eſt auxilio deſtituta; adſcendit autem ad ea, ad quæ ducit eam Spiritus, loca. Hujus enim eſt ſedes ſublimior, illius ex inferiore generatio.* Vide & Cap. XXXIV.

16 *Plato* &c.] Pag. 439. Ed. Stephanianæ: Τὸ μὲν ᾧ λογίζεται λογιστικὸν προσαγορεύοντες τῆς ψυχῆς· τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷ, καὶ πεινῇ, καὶ διψῇ, καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται ἀλόγιστόν τε καὶ ἐπιθυμητικὸν, πληρώσεων τινῶν καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον: *Eam quidem partem, quâ anima ratiocinatur, vocantes rationalem; eam verò, quâ amat, & eſurit & ſitit & aliis cupiditatibus percellitur, ratione carentem & concupiſcibilem, repletionum*

 qua-

ANN. CLXXII. alibi. Credidiſſe ergo videtur *Tatianus* duas poſteriores, quas propriè *Animam* vocat, diſſolvi & mori, iterúmque compingi & reviviſcere; ſuperiorem verò quæ *Spiritus* ab eo dicitur, immortalem eſſe. Quæ an probè ipſe intellexerit, ita ut rem ex principiis deducere poſſet & ordine exponere, non ſatis ſcio: vix tamen puto, cùm plenus ſit obſcuritate & rerum per ſe diſtinctarum confuſione, ita ut viam & rationem demonſtrandi ignoraſſe videatur. Sed tamen & [17] alii Patres ſimilia dixerunt.

VIII. Noster Cap. XXVI. obiter monet, & quidem verè, „ Dæmonas, qui hominibus imperant, non eſſe hominum animas. „ Quomodo enim, *inquit*, illæ poſt mortem ſeparatæ vim agendi ha- „ berent? Quæ notandum eſſe contra *Juſtinum* Martyrem dicta, qui crediderat malorum hominum animas Dæmonas malos fieri. Vide ad Ann. CXXXIX, 9.

IX. Ut autem ſcias *Tatianum Platoni* debere, quæ ejus doctrinæ conſentanea ſunt, verba etiam ſingularia & loquendi genera imitatur, ut Cap. XXXIV. ubi dicit „ alam animæ eſſe Spiritum perfectum, quam „ cùm amiſerit propter peccatum, volavit inſtar pulli & humum pe- „ tiit. Sic *Plato*, in Phædro, [18] ait „ animam, dum perfecta eſt & ala- „ ta, ſublimem ferri, & totum mundum pervadere; cùm verò alæ ei „ defluxerint, ferri eam, donec firmum quiddam adprehenderit, ubi „ habitaculum nacta corpus terreſtre ſuſcipit. Alia ſunt ſimilia, in eodem Dialogo.

X. Dignum eſt notatu quod habet *Tatianus* Cap. XLVI. ubi ait, cùm Myſteriis initiatus fuiſſet, abſurditatémque eorum, quæ de Diis dicebantur, & impietatem horum cultûs intellexiſſet; „ cúmque rem „ apud ſe reputaret, & quæreret quâ ratione Veritatem invenire poſ- „ ſet, réſque ſerias animo verſaret; contigiſſe ut incideret in libros „ quoſdam Barbaricos, antiquiores, quàm dogmata Græcorum, & „ diviniores, ſi cum eorum errore conferantur. Quare factum eſſe, „ ut his fidem haberet, propter ſtylum faſtûs expertem, loquentes ſine „ verborum adparatu, creationem Univerſi captu facilem, futurorum „ prædictionem, præceptorum præſtantiam, & quòd omnia ab uno Monarcha

quarumdam & voluptatum amicam. Tum paullò poſt: Ταῦτα μὲν τοίνυν δύο ἡμῖν ὡρίσθω εἴδη ἐν ψυχῇ ἐνόντα· τὸ δὲ τοῦ θύμου, καὶ ᾧ θυμούμεθα πότερον τρίτον; ἢ τούτων ποτέρῳ ἂν εἴη ὁμοφυές; Ἴσως, ἔφη, τῷ ἑτέρῳ, τῷ ἐπιθυμητικῷ. *Hæc igitur duo nobis definita ſint genera rerum, quæ animæ inſunt. Quod verò eſt ira & quo iraſcimur, utrum tertium? Utri harum poſſit eſſe naturâ adfine? Fortaſſe*, inquit, *alteri, quod eſt concupiſcibile.* Vide & *Nemeſii* Epiſcopi Emeſeni de Nat. Hominis Cap. I. ab initio, & quæ adnotavit ad hæc Editor Oxonienſis.

17 *Alii Patres* &c.] Vide eorum loca permulta, in *Henr. Dodwelli* Libro de Diſtinctione Animi & Spiritûs, & voluminibus quæ edidit, ut eum tueretur. Mirum eſt hominem eruditum deliria Veterum Philoſophica voluiſſe eſſe capita fidei Chriſtianæ, conſectariiſque nequaquam neceſſariis, conjecturiſque incertiſſimis, ſomniorum quoddam ſyſtema confeciſſe, idque orbi Chriſtiano, quaſi Theologiam Apoſtolicam, obtrudere voluiſſe.

18 *Ait*

„ Monarcha regi docerent. Quæ erant ſanè graves rationes, cur, Ethniciſmo relicto, nomen Religioni Chriſtianæ daret. ANN. CLXXIII.

XI. Atque in hoc quidem libro, nihil eſt quod cum doctrinæ Chriſtianæ ſumma conſiſtere non poſſit, ſi modò rectè mentem ejus interpretemur; quamvis omnia probari nequeant, ut vidimus. Verùm non multò pòſt in opiniones incidit, quibus factum eſt ut à ceteris Chriſtianis ſeceſſionem faceret. „ A Saturnino & Marcione profecti, „ [19] *inquit Irenæus*, nuptias non eſſe contrahendas docuerunt; impro„ bantes antiquam Dei creationem & facilè accuſantes eum, qui maſ„ culum & fœminam, ad generationem hominum, fecit. Induxe„ runt etiam abſtinentiam, ab eſu eorum, quæ animata adpellant; er„ ga Deum, qui univerſa creavit, ingratos ſe præbentes. Negant „ etiam primi hominis ſalutem. Atque hoc nuper, apud eos, inven„ tum eſt, *Tatiano* quodam hanc blaſphemiam (*in Religionem*) intro„ mittente; qui *Juſtini* auditor, quamdiu quidem cum eo verſatus eſt, „ nihil ejuſmodi aperuit. Sed poſt ejus martyrium, ſeceſſione factâ ab „ Eccleſia, doctoris ſuperbiâ elatus ac tumidus, quaſi præſtantior ce„ teris, novam Scholæ formam inſtituit; Æonas quoſdam inconſpi„ cuos, quemadmodum Valentiniani, commentus. Tum matrimo„ nium corruptionem eſſe & ſtuprum, cum Saturnino & Marcione, „ adfirmavit. Sed Adami ſaluti, [20] ex ſuo ipſius ingenio, contradixit.

XII. Plura de homine non dicemus, uti nec de Scriptis, quæ dudum interciderunt, & quorum præcipuum fuit Harmonia quædam Evangelica; quæ ideò διὰ τεσσάρων dicebatur, quòd quatuor Evangeliſtarum verbis conſtaret. [21] Copiosè de hiſce egerunt viri docti, qui datâ operâ de *Tatiano* egerunt. Nos hîc non ſingulorum vitas, ſed totius Eccleſiæ Chriſtianæ Hiſtoriam ſcribere adgreſſi ſumus.

M. Aurelio Severo II. T. Claudio Pompeiano COSS. M. Aurelii Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXIII.

I. Hisce temporibus, de anno enim nihil conſtat, floruit *Muſanus*, cujus, tempore *Euſebii*, exſtabat liber, qui ad [1] Encratitarum hære-

18 *Ait animam* &c.] Τέλεια μὲν οὖν οὖσα (ψυχὴ) καὶ ἐπτερωμένη μετεωροπολεῖ τε καὶ ἅπαντα τὸν κόσμον διήκει· ἡ δὲ πτερορρυήσασα φέρεται, ἕως ἂν στερεοῦ τινος ἀντιλάβηται· οὗ κατοικισθεῖσα, σῶμα γήϊνον λαβοῦσα, καὶ τὰ ἑξῆς. Pag. 246. Edit. Stephanianæ. Vide & ſequentia.

19 *Inquit Irenæus*] Lib. I. c. XXXVIII. è Maſſueti diſtinctione, XXX. è vulgari. *Euſebii* H. E. Lib. IV. c. 29.

02 *Ex ſuo ipſius ingenio*] Παρ' ἑαυτοῦ τὴν ἀντιλογίαν ποιησάμενος. Sic lego, cum *Irenæi* Latino Interprete, qui habet, *ex ſe contradictionem faciens. Euſebius* minùs commodè, ut videtur, αἰτιολογίαν habet.

21 *Copiosè de hiſce*] Vide Diſſertationes in *Tatianum* Editioni Oxonienſi anni 1700. ſubjectas.

1 *Encratitarum*] Ἐγκρατιτῶν, nempe, ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας, à *Continentia*, quam ſectam *nuper oriri cœptam* ait *Euſebius*.

ANN. CLXXIII. hæreſin, de qua diximus defecerant, ut docet *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 28. Floruere etiam *Philippus*, Gortynenſis Eccleſiæ, in inſula Creta, Epiſcopus, & *Modeſtus*, eodem ævo; & uterque quidem, ſingulari volumine, Marcionem confutarat, ut docet idem Scriptor Lib. IV. c. 25.

II. POTHINO Epiſcopo Lugdunenſi, in Perſequutione Anni CLXVII. ut diximus, mortuo ſucceſſerat *Irenæus*, fortè ab *Eleuthero* Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo conſecratus. [2] Pauci enim, aut nulli tunc temporis, in Gallia Tranſalpina, erant Epiſcopi; certè aliorum, in monumentis fide dignis, nulla mentio occurrit. Fuere quidem propiores Lugduno, in Gallia Ciſalpina, ut videtur, Epiſcopi; ſed *Irenæus*, ab Eccleſia Lugdunenſi, Romam videtur miſſus, cùm aliorum negotiorum causâ, tum etiam, ut ejus Latinus Interpres loquitur, *propter potiorem principalitatem*, hoc eſt, ut puto, [3] majorem antiquitatem. Ab Epiſcopo Romano commodiſſimè ordinari potuit, ſeu anno ipſo Perſequutionis, ſeu proximè ſequente, indéque in Galliam Tranſalpinam remitti.

III. [4] CUM autem Epiſcopus eſſet, Opus contra Hæreſes ſcribere adgreſſus eſt, quo verò anno non ſatis liquet. Exiſtimant non abſurdè [5] viri docti ſcriptum hoc partim ſub Eleutheri, partim ſub Victoris Epiſcopatu. Libros priores tres vivo Eleuthero edidit, nam Lib. III. ubi ordine Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos numerat, ait *tunc duodecimo loco ab Apoſtolis Epiſcopatum obtinuiſſe Eleutherum*; unde intelligere eſt, ante Victoris, qui Eleuthero Anno CLXXVII. ſucceſſit, Epiſcopatum ſcriptum hunc fuiſſe librum. Cui ſententiæ hoc unum objici queat, *Irenæum* ejus Libri Cap. XXI, 1. *Theodotionis*, Veteris Teſtamenti Interpretis, meminiſſe; quem tamen, tempore demum Commodi, Verſionem ſuam edidiſſe teſtatur *Epiphanius*; quod quidem Anno Chriſti CLXXXIV. ſi Chronico Paſchali credimus, factum. Sed *Epiphanium* toto cœlo illic, in Romanorum Impp. ordine, errare liquet; nec erat cur Chronici Paſchalis Scriptor ejus auctoritate niteretur; nec magni ponderis ipſius, qui tam ſæpe erravit, teſtimonium haberi poteſt. [6] Facilè ergo fieri queat ut circa, aut etiam paullò ante hæc tempora, *Theodotion* ſuam Tranſlationem ediderit.

IV.

2 *Pauci enim, aut nulli* &c.] Vide quæ rectè, & candidè hac de re habet *Ren. Maſſuetus*, Diſſert. præviâ II. Art. I, 13. *&* *ſeqq.*

3 *Majorem antiquitatem*] Crediderim *Irenæum* dixiſſe μείζονα, aut κρείττονα ἀρχαιότητα, nam *principalem* vertit aliquoties Interpres ἀρχαῖον, unde ſequitur ut ἀρχαιότητα verterit *principalitatem*; quia ex Etymologia ſignificata interpretatur paſſim. Sed ea de re poſtea.

4 *Cùm autem Epiſcopus* &c.] Vide Diſſert. II. *Maſſueti* Act. I, 12.

5 *Viri docti*] Vide *Maſſuetum* Diſſert. II. Art. I, 47.

6 *Facilè fieri poteſt.* &c.] Si adtentè legatur *Epiphanii* locus Lib. de Pond. & Menſ. p. 172. Ed. Petavianæ, de tempore quo ſcripſit *Theodotion*; qui locus portentoſis alioquin erratis in ſerie Imperatorum ſcatet; ex eo tamen colligere licebit, adhibitâ *Dionyſ. Petavii* animadverſione, 1. crediddiſſe perperam *Epiphanium*, *Symmachum* fuiſſe antiquiorem *Theodotione*, quia in Hexaplis *Symmachus* proximè Aquilam ſequebatur, *Theodotione* in ultimum locum rejecto; unde factum ut eorum tempora permutarit: 2. voluiſſe eum *Symmachum*, quaſi antiquiorem, ad tempora M. Aurelii referre, cujus ſucceſſor fuerit Commodus;

IV. Nunc miſſum faciemus *Irenæum*, donec ad tempora Victoris venerimus; ubi de toto Opere, tum demum perfecto, agemus. Hîc paucis de *Theodotione*. „ Theodotio quidam, *inquit Epiphanius*, Ergo „ genere Ponticus, è diſciplina Marcionis Hæreſiarchæ Sinopenſis, „ ſuæ Hæreſi & ipſe indignatus, cùm ad Judæos inclinaſſet, & cir- „ cumciſus fuiſſet, Hebræorum Linguam & eorum litteras edoctus, „ ipſe etiam propriâ induſtriâ (*Vetus Teſtamentum*) edidit. [7] At *Irenæus* quidem Epheſium vocat. [8] *Hieronymus* prodidit Ebionitam fuiſſe; ſive ab Ebionitis ad Judæos defecerit, ſive quòd Ebionitæ, ut pote circumciſi, Judæi habebantur, ad Judæos defeciſſe dictus ſit. Attamen *Hieronymus*, qui Ebionitam fuiſſe dixit, in Præfatione Commentarii in Danielem, ait *poſt adventum Chriſti incredulum fuiſſe*; *licèt eum quidam*, inquit, *dicant Ebionitam*, *qui altero genere Judæus eſt*; hoc eſt, cærimoniarum obſervatione. ANN. CLXXIII.

V. Theodotion minùs quàm *Aquila* & *Symmachus*, ut ex collatione liquet, à LXX. Intt. receſſerat, eorúmque verba paſſim retinuerat; adeò ut ſi quid eis deeſſet, id ex ejus verſione ſuppleretur; quod contigit præſertim in libris Joſuæ, Judicum, Jobi, Jeremiæ & Ezekielis. Quæ ſupplementa ut ſecernerentur, ab initio, ad finem, & in margine aſteriſci erant ab *Origene* additi. Libro verò Danielis, quia, neſcio quo caſu, frequentes erant ſenſuum Metatheſes, licèt ei rei mederi conatus fuiſſet *Origenes*; tandem ei Verſioni, planè eliminatæ, ſubſtituta eſt *Theodotionis* integra Tranſlatio; unde factum ut, intercidente LXX. Interpretum ejus libri Verſione, ſola tandem *Theodotionis* legeretur. Alioqui ſæpe etiam *Aquilam* erat ſequutus, ſæpe peculiari ratione verterat; & minorem quidem ei Linguæ Hebraïcæ cognitionem fuiſſe ex eo intelligere licet, quòd voces multas Hebraïcas, quæ quid ſibi vellent neſciret, retinuiſſet; [9] ut docebunt qui de induſtria haſce Verſiones expenderunt & totam rem pertractarunt.

Gallo

dus; quem vocat *ſecundum Commodum*, quia norat fuiſſe M. Aurelii Collegam L. Aurelium Commodum: 3. Deinde *Theodotionem* ab eo rejectum fuiſſe ad tempora Commodi. De ceteris ejus erroribus nihil dicam, ſed ad tempora *Symmachi* & *Theodotionis* quod adtinet, ea reſtituentur, ſi *Theodotion* ſub M. Aurelio vixiſſe ſtatuatur, *Symmachus* ſub Commodo. Conſtat autem *Theodotionem* antiquiorem fuiſſe *Symmacho*, ex citatione *Irenæi*, qui eum memorat, cum *Aquila*, omiſſo *Symmacho*; quod non feciſſet, ſi *Symmachus* antiquior fuiſſet, nam is æquè ac *Theodotion* Eſaiæ C. VII. νεᾶνιδα verterat quod LXX. Intt. παρθένον interpretati fuerant. Confirmatur hoc ex *Hieronymo* ad Eſ. LVIII, 6. ubi *Symmachum* in *Theodotionis ſcita conceſſiſſe* ait. Vide & *Bern. Montefalconium* in Prælim. ad Hexapla Cap. VI & VII.

7 *Irenæus*] Loco antea laudato.

8 *Hieronymus*] In Præfat. in Jobum & in Hezram.

9 *Ut docebunt* &c.] Vide, inter ceteros, *Bernard. Montefalconium*, in Præliminaribus ad Hexapla *Origenis*, Cap. VII.

ANN. CLXXIV.

Gallo & Flacco COSS. *M. Aurelii Imp. XIV. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXIV.

I. Hoc anno, contigit mirum quidpiam M. Aurelio, bellum cum Quadis gerenti; quod variè Ethnici & Chriſtiani, dum utrique rem ad Religionis ſuæ honorem trahere conantur, interpretati ſunt. Primùm Ethnicos audiemus, deinde narrationem Chriſtianorum ſubjiciemus, ac tandem quid de utraque ſentiamus, Hiſtorico candore, à quo Religio Chriſtiana, non minùs ac Leges Hiſtoricæ, diſcedere nos vetat, exponemus. Quâ præfatione, minùs alioqui neceſſaria Hiſtoriam, non fabulas ſcribere adgreſſis, utendum tamen nobis hîc fuit; ut hominum perperam religioſorum, aut minùs candidorum, calumniis obviam iremus.

II. Sic ergo rem narrat *Dion*, apud *Xiphilinum* in M. Aurelio. „ Poſt hæc (*ſubactos, nempe, Marcomannos & Jazygas*,) acie vicit „ eos, qui Quadi vocantur. Bellum Marco magnum conflatum fue- „ rat, at victoria, præter exſpectationem, feliciter relata eſt, aut po- „ tiùs à Numine donata; periclitantes enim in prælio Romanos, præ- „ ter omnem ſpem, ſervavit. Cùm enim Quadi eos, locis opportu- „ nis, cinxiſſent, conferti quidem Romani alacriter repugnabant; at „ barbari, ſperantes à ſe eos facilè calore & ſiti ſublatum iri, prælium „ ſuſtinebant. Occupatis enim omnibus circumquaque locis, homi- „ nes intercluſerant, ut ne ullo ex loco aquam petere poſſent; nam „ multitudine Romanos longè ſuperabant. Cùm verò Romani omni- „ no malè haberent, labore, vulneribus, ſole & ſiti vexati; nec prop- „ terea pugnare, nec retrocedere poſſent, ſed in acie, ac locis quæ „ occupaverant, ſtantes arderent; nubibus multis ſubitò coactis, ingens „ pluvia, non ſine Deo, ex iis erupit. Fama tenet [1] Arnuphim quem- „ dam, Magum Ægyptium, qui in comitatu Marci erat, evocaſſe cùm „ alios Dæmonas, tum Mercurium Aëreum, quibuſdam artibus ma- „ gicis, & earum ope imbrem elicuiſſe. Quibus narratis, *hæc quidem*, inquit Xiphilinus, *de hiſce dicit Dion.*

III. Postea verò *Dionem* addere aït „ pluviâ decidente, omnes „ ſuſpexiſſe, eámque ore excepiſſe. Deinde, *inquit*, alii quidem ſcu- „ tis, alii verò galeis ſubjectis, ipſi quidem hiantes ſorbuerunt, & equis po- „ tum dederunt. Cúmque barbari in eos impetum feciſſent, bibebant „ ſimul Romani & pugnabant; & quidam vulnerati ſanguinem in caſ- „ ſides fluentem, ſimul cum aqua hauriebant; ac gravia quidem ab hoſ- „ tibus ſe ſe inferentibus paſſi eſſent, dum plerique bibendo eſſent occupati,

1 *Arnuphim*] Alii *Julianum* Theürgum dicunt, de quo vide *Suïdam.*

2 *Claudianus*] Vide ad ejus verba *Gaſp. Barthium.*

3 *Chaldæa*] Videtur reſpicere ad fabulam, quâ Chaldæus Julianus, de quo *Suidas*, pluviam magicis artibus elicuiſſe ferebatur: ut in ultimo verſu, ad ea quæ narrat

„ cupati, niſi vehemens grando, compluráque fulmina in hoſtes inci- ANN.
„ diſſent. Itaque videre licebat, in eodem loco, aquam unà cum ig- CLXXIV.
„ ne, è cœlo delatam; & alii quidem humefiebant & bibebant: alii
„ verò comburebantur & interibant. Neque ignis Romanos adtinge-
„ bat, aut ſicubi iis miſceretur, è veſtigio exſtinguebatur: nec Barba-
„ ros juvabat pluvia, ſed, inſtar olei, magis eos inflammabat, ita ut
„ aquam requirerent pluviâ perfuſi. Atque alii quidem ſe vulnerabant,
„ ut vel ſanguine ſuo ignem reſtinguerent: alii verò ad Romanos con-
„ fugiebant, quaſi ſolos ſalubrem aquam habentes. Eorum ergo miſera-
„ tus etiam Marcus, & à militibus ſeptimùm Imperator ſalutatus eſt.
„ Quamquam verò non ſolebat, priuſquàm eſſet à Senatu decretum, ſi-
„ mile quidquam admittere; tamen & hoc accepit, quaſi à Deo dare-
„ tur, & ad Senatum ſcripſit. Fauſtina quoque Mater Exercituum
„ adpellata eſt. Quæ tumidiùs quidem ſcripta ſunt, ſed tamen credi voluit Marcus. Quare ſunt etiam in Columna Antonina, quæ etiamnum Romæ eſt, ſculpta; quam *Joſephus Caſtalio*, eruditâ diſſertatione illuſtravit, ubi & pluribus hac de re egit. Quin etiam nummus argenteus in Regis Galliarum Gaza exſtat, ubi circa Imperatoris Caput legitur: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVIII. & in averſa parte cernitur Mercurius ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ caduceum gerens, his verbis circumſcriptis: RELIG. AVG. IMP. VII. COS. III. quæ cum Hiſtoria egregiè conſentiunt, nec parum ad ejus confirmationem faciunt.

IV. EODEM reſpexit *Capitolinus*, in ejuſdem Imp. vita, c. XXIV. *fulmen de cœlo precibus ſuis*, inquit, *contra hoſtis machinamentum extorſit, ſuis pluviâ impetratâ, cùm ſibi laborarent.* Sic etiam [2] *Claudianus*, Panegyrico Carmine de VI. Honorii Conſulatu, verſ. 342. & ſeqq.

Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit; hunc dorſo trepidum fumante ferebat
Ambuſtus ſonipes; hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galeâ, liquefactáque fulgure cuſpis
Canduit & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tunc contenta Polo, mortalis neſcia teli,
Pugna fuit; [3] *Chaldæa mago ſeu carmina ritu*
Armavere Deos; ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Poſtremum hoc confirmat *Themiſtius*, Orator Ethnicus, in [4] Oratione XV. de Regia Virtute, ad Theodoſium Imp. „ Cum Antonini, *inquit*,

narrat *Themiſtius*, cujus in ſequentibus verba proferuntur.

4 *Oratione*] Habitâ anno CCCLXXXI. in Palatio, Eucherio & Syagrio Coſſ. quod ex p. 190. Ed. Harduinianæ intelligere eſt.

ANN. CLXXIV.

„ *quit*, Romanorum Imp. cui ab eadem illa pietate cognomen fuit, ſiti „ premeretur exercitus, manus ille ad cœlum ſuſtulit, [5] *& hac*, inquit, *ego manu te placare volui, tibique vitæ largitori ſupplicare, quâ* „ *nulli eam eripui.* Quo modo Deum prece ad pudorem adegit, ita ut „ è ſerenitate aëris venerint nubes, aquam militibus ferentes. Vidi ego „ in imagine picturam facti, Imperatorem orantem in Phalange, mili„ tes verò galeis imbrem excipientes, & liquore divinitus conceſſo ſe „ ſe implentes. Videtur ad Antoninianam Columnam reſpicere.

V. Eusebius H. E. Lib. V. c. 5. poſtquàm ſignificavit ſe narraſſe quæ ſub Antonino geſta erant, hæc contigiſſe ait *fratri* ejus *M. Aurelio*, miróque errore unum *M. Aurelium Antoninum* in duos homines diſcerpſit, & de *L. Vero* (quamvis in nomine errarit) rem, quæ ad M. Aurelium pertinet, narrat; cùm tamen [6] in Chronico homines probè diſtinxerit, rémque ei, cui tribuenda erat, adſcripſerit. Qui ſic deliquit vix adtentè hanc hiſtoriam expendiſſe meritò videri poſſit. „ Fama tenet, *inquit*, [7] M. Aurelium Cæſarem, cùm contra Germanos „ & Sarmatas acie inſtructâ ſtaret, premeretúrque ejus exercitus ſiti, „ ad conſilii inopiam redactum fuiſſe. Tum verò milites in Legione „ quæ vocabatur [8] Melitina, & quæ ob fidem ab eo tempore etiamnum „ manet, in acie adversùs hoſtes inſtructa, poſitis in terram genibus, prout „ mos noſter in precibus habet, ad ſupplicandum Deo converſos eſſe. Cu„ juſmodi ſpectaculum cùm inſolitum hoſtibus videretur, [9] aiunt aliud „ quiddam mirabilius ſubitò contigiſſe; fulmine enim hoſtes quidem „ in fugam & perniciem actos, imbre verò eorum exercitum, qui „ Numen invocarant, & qui totus ſiti periturus alioquin erat, fuiſſe „ recreatum. Hæc autem hiſtoria narratur etiam à Scriptoribus, procul „ à Chriſtianorum ratione remotis, quibus curæ fuit rem ad memoratos milites pertinentem ſcribere; tum quoque à noſtris hominibus „ traditur. Sed Gentilium Scriptoribus, utpotè à fide alienis, hoc „ quidem miraculum commemoratur; non tamen noſtrorum etiam pre„ cibus factum in confeſſo eſt. A noſtris verò, [10] veritatis quippe aman„ tibus, ſimpliciter atque ingenuè res tradita eſt. Ex his eſt Apol„ linaris, qui Legionem ipſam, cujus precibus miraculum perpetratum eſt.

5 *Et hac, inquit, ego manu*] Ταύτῃ ἔφη τῇ χειρὶ προὐτρεψάμην σε, καὶ ἱκέτευσα τὸν ζωῆς δοτῆρα, ᾗ ζωὴν οὐκ ἀφειλόμην.

6 *In Chronico*] Hinc liquet non ſemper ex Hiſtoria emendandam Chronologiam Euſebianam, quaſi in Hiſtoria adcuratior fuiſſet, quàm in Chronico. Vide ad Ann. LXVII, 1. ubi Chronicon, potiùs quàm Hiſtoriam, ſequuti ſumus.

7 *M. Aurelium* &c.] In Chronico ad An. Chr. CLXXIV. *Imperator Antoninus, multis adversùm ſe naſcentibus bellis, ſæpe ipſe intererat, ſæpe duces nobiliſſimos deſtinabat; in quibus ſemel Pertinaci & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo, pluvia divinitus miſſa eſt* &c. Atqui ipſe M. Aurelius aderat, ut in Hiſtoria, cum ceteris omnibus Hiſtoricis, narrat.

8 *Melitina* &c.] *Xiphilinus* nomen hoc patriæ militum, non legionis eſſe ait, nec Melitinæ Legionis ulla uſquam mentio, ut obſervavit *Joſ. Scaliger* ad *Euſebii* Chronicon.

9 *Aiunt*]

„ eſt, exinde congruum rei vocabulum ab Imperatore accepiſſe, & „ *Fulmineam* Romanorum linguâ cognominatam fuiſſe. Teſtis etiam „ horum idoneus eſſe poſſit Tertullianus, qui Romano Senatui Apologiam pro fide dicavit, cujus & antea meminimus, atque hiſtoriam ma„ jore & evidentiore demonſtratione confirmat. Tum prolatis ejus verbis: „ [11] ſed de his, *inquit*, quiſque pro arbitratu ſuo ſtatuat.

VI. VERBA *Tertulliani* ex ipſo Scriptore proferemus, Apol. c. VI. ubi Nerone & Domitiano, Chriſtianorum perſequutoribus, memoratis; *ceterùm*, inquit, *de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum, humanúmque ſapientibus, edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos è contrario edimus protectorem; ſi litteræ M. Aurelii, graviſſimi Imperatoris, requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum* [12] *fortè militum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur.*

VII. XIPHILINUM tandem audiamus, qui, recitatis *Dionis* verbis, quæ primo loco protulimus, „ videtur, *inquit*, mentiri ſive prudens, „ ſive imprudens; ſed prudentem potiùs crediderim, & quidni? qui „ non ignorabat eſſe legionem militum, *Fulmineam* proprio nomine vo„ catam (ejus enim, in ceterarum recenſione, mentionem facit) nulla „ alia de cauſa (neque enim alia dicitur) præter id quod in hoc bello „ contigit, ſic dictam; quæ cauſa tunc & Romanis ſalutis & Barba„ ris exitii fuit. Non enim Arnuphis magus erat, nam Marcus ma„ gorum conſortio, aut præſtigiis delectatus non memoratur. Eſt au„ tem ejuſmodi, quod dico. Legio erat Marco (*Tagma* enim *Legio„ nem* vocant Romani) militum è Melitina; hi autem Chriſtum om„ nes colunt. In illo verò prælio, Præfectum Prætorianorum adiiſſe „ Marcum, conſilii in eo caſu indigentem, timentémque toti exercitui, „ eique dixiſſe, ferri vulgò nihil eſſe quod ii, qui Chriſtiani diceban„ tur, precibus non poſſent, eſſéque apud ſe totam Legionem, ex eo „ hominum genere; quâ re auditâ, Marcum ab iis petiiſſe ut Deo ſuo „ ſupplicarent. Cùm verò oraſſent, continuò exaudiſſe Deum, & „ hoſtes quidem percuſſiſſe fulmine, Romanos verò imbre recreaſſe. „ Quibus rebus vehementer perculſum Marcum, & Chriſtianis [13] edic„ to honorem tribuiſſe, & Legionem Fulminantem adpellaſſe. Dicitur

9 *Aiunt*] Hic eſt λόγος ἔχει, ut initio narrationis.

10 *Veritatis quippe amantibus*] Ejuſmodi certè eos eſſe decuit, & fuerunt, ſine dubio, multi; ſed, apud Ethnicos, valere non potuit honorifica *Euſebii* de Chriſtianis Scriptoribus opinio. Nec, quamvis falſa fuerit Ethnicorum Religio, ideò ſequitur eorum omnes Scriptores mendaces fuiſſe. Utrique fermè ex æquo errare & decipi potuerunt, nimiâ præſertim credulitate, aut nonnullâ etiam negligentiâ.

11 *Sed de his*] Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπη τίς ἐθέλη τιθέσθω.

12 *Fortè*] Ait quidem *Deſ. Heraldus*, ad hunc locum, ſe obſervaſſe hanc particulam *fortè* ſæpiſſimè παρέλκειν, apud hunc Scriptorem, *Cyprianum* & alios Afros. Sed alieno valde loco abundaret, ſi ſuperflua hîc eſſet.

13 *Edicto*] Κατὰ δόγμα τιμῆσαι. Edicti nemo meminit, niſi fortè commenticia Epiſt. intelligatur.

ANN. CLXXIV.

„ tur & de hiſce rebus [14] Epiſtola quædam Marci exſtare. Græci quidem norunt Legionem Fulminantem dici & teſtantur; at rationem „ adpellationis non dicunt.

VIII. Si quis *Dionis* narrationem §. II. adlatam paullò adtentiùs expendat; comperiet I. nullam ab eo mentionem factam, non tantùm precum à Chriſtianis fuſarum, ſed ne ſupplicationis quidem illius memorabilis M. Aurelii, quam è *Themiſtio* recitavimus; quamvis ceteroquin in ſequentibus poëticè fermè fulmina & imbrem deſcribat; ac proinde exornandæ hiſtoriæ rem longè aptiſſimam ab eo prætermiſſam, ſi modò eam ſciverit: II. eum loqui de pluvia, quaſi minimè exſpectata, quæ à *M. Antonino* exſpectari tamen debuit, ſi magicis, ſive Arnuphis, ſive Juliani, ſacris fidem habuit; ac ſanè *Dionem* rem quaſi rumoribus, quibus nihil incertius, acceptam referre: IV. obſervaſſe [15] *Xiphilinum*, Marcum ſacris & præſtigiis magicis non dici addictum fuiſſe; certè ipſum in eorum, quæ ad ſe pertinere putabat, Lib. I, 6. profeſſum eſſe „ [16] ſe à Diogneto didiciſſe iis fidem non habere, quæ à præſtigiatoribus, magiſque de carminibus, dæmonibus averruncandis, aliiſque „ impoſturis dicebantur. Quem locum etiam protulit *Joſ. Scaliger*, ad *Euſebii* Chronicon, eóque confutavit *Lampridium* narrantem, in Elagabali vita c. IX. *dictum eſſe à quibuſdam, per Chaldæos & Magos, Antoninum Marcum id egiſſe, ut Marcomani Populo Romano ſemper devoti eſſent, atque amici, idque factis carminibus.* Quæ frivola per ſe ſunt, & à Marci moribus aliena.

IX. Ad deſcriptionem pluviæ & fulminum quod adtinet, nihil eſt quod dicamus, niſi I. tumidiorem videri, quod à quovis qui eam legerit facilè animadvertetur: II. rem tamen contigiſſe, hoc eſt, Romanum exercitum, cùm ſitiret, nec aliunde aquam à Barbaris cinctus petere poſſet, ſubitâ pluviâ recreatum fuiſſe; quod non tantùm Hiſtoriâ, ſed & nummis, monumentiſque publicis conſtat: III. de noxiis fulminibus in hoſtes ſolos delapſis, dum pluvia tantùm aut innoxia fulmina in Romanos deciderent, rem dubiam videri, nec facilè pro explorata habendam; cùm res ipſa parum credibilis ſit, & poëticâ fermè licentiâ à *Dione* exornetur: IV. M. Aurelium rem ad Senatum ſcripſiſſe, & ad Deos retuliſſe. Utinam verò ipſas Imperatoris litteras, ſi fortè eas viderat, adjeciſſet!

X. Videmus *Capitolinum* meminiſſe precum, quibus M. Aurelius de cœlo pluviam extorſit. Quod dignum erat prolixiore deſcriptione; ſed hoc eſt vitium Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum Latinorum, ut digniſſima quidem memoratu prætermittant, aut obiter tangant; prolixi verò

14 *Epiſtola*] De qua poſtea. Eam ab Edicto diſtinguit *Xiphilinus.*

15 *Xiphilinum*] Edit. Stephani Græcolatinæ ann. 1592.

16 *Se à Diogneto* &c.] Profitetur ſe didiciſſe παρὰ Διογνήτου τὸ ἀκενόσπουδον, καὶ τὸ ἀπιστητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις.

17 *In Notitia*] Sectione XXVII. Editionis

verò ſint, in rebus nihili. *Claudianus* jure ſuo rem poëticè deſcripſit, ſed *Dionis* τερατολογίαν vix æquavit. Meminit magicorum rituum, ſed de re dubitat. *Themiſtius* verò preces Marci profert, quas oratorio forte more finxit, ex eo quod diceretur M. Aurelius, ut habet *Capitolinus* c. XXVII. ſub ejus vitæ finem, priuſquàm ad bellum Marcomanicum rediret, in Capitolio juraviſſe *nullum Senatorem*, ſe ſciente, occiſum, & dixiſſe etiam *rebelles ſe ſervaturum fuiſſe*, *ſi ſciſſet*. Nolim tamen negare Marcum ad Deorum opem confugiſſe, cùm præſertim in tantis anguſtiis verſaretur. ANN. CLXXIV.

XI. Ad *Euſebii* narrationem ſi oculos convertamus, I. ante omnia hominem parum memorem Chronici ſui videmus fuiſſe, à quo, ſine ratione, imò præter omnem rationem recedit, ad M. Aurelium quod adtinet, ut jam animadvertimus: II. ex famæ rumoribus loqui, cùm in re ejuſmodi Ethnicos adverſaturos ſciret, nec Scriptorem ullum Ethnicum facti teſtem laudare; ſed tantùm duos Chriſtianos, quibus fidem habere non magis poterant Ethnici, quàm *Euſebius* Ethnicis: III. Potiùs dicendum fuiſſe *Quados*, cùm *Dione*, quàm *Sarmatas* & *Germanos*, præſtat enim ſemper propriis nominibus populos ab aliis diſtinguere: IV. Legionem *Melitinam* vocatam nullibi memorari, ut animadvertit *Joſ. Scaliger* ad Chronicon *Euſebianum*, nec poſſe à *Melita* formari *Melitinum*, nec à *Melitene*, urbe, aut tractu Cappadociæ; verùm à priore voce *Melitæum*, ut à poſteriore *Melitinæum*: V. [17] In Notitia Imperii, ut obſervavit *Henr. Valeſius*, ſub diſpoſitione Ducis Armeniæ, recenſeri *præfecturam Legionis XII. Fulmineæ Melitinæ*; id eſt apud oppidum *Melitinam* conſtitutæ; atque inde colligi *Melitinam* nomen Legionis non fuiſſe, ſed oppidi, in quo Legio XII. Fulminea conſiſtebat: VI. Legiones [18] à locis, in quibus præſidium agebant, ut idem obſervavit, denominare moris non fuiſſe, ſed à Regionibus in quibus erant conſcriptæ; ideóque, quod de Legione *Melitina* tradit *Euſebius*, parum probabile videri: VII. *Rufinum*, ex ejuſdem ſententia, hoc Legionis nomen conſultò prætermiſiſſe; quippe qui noſſet Melitinam nomen eſſe oppidi Minoris Armeniæ, in quo Legio XII. Fulminea adhuc, ſuâ ætate, prætenderet: VIII. Rectè etiam, eodem judice, *Rufinum* κεραυνοβόλον *fulmineam* vertiſſe non *Fulminatricem*, ut *Onuphrius*, *Scaliger* & alii eam adpellant, quos refellit, ut ait, Notitia Imperii, in loco quem ex ea adduxit; attamen in Marmorea columna areæ Capitolii, quam profert [19] *Pancirolus* ad Notitiam, legi XII. FVLMINATRIX, quod ſi plenè ita ſcriptum eſt, falletur *Valeſius*: IX. Viro doctiſſimo meritò parum probabile viſum, [20] totam Legionem

tionis Labbæanæ, anni 1651. Locus dignus erat qui adnotaretur, quod à *Valeſio* prætermiſſum fuerat.

18 *A locis*] Vide nomina Legionum, apud *Guidum Pancirolum*, in Cap. XXXVI. Commentarii ad Notitiam Imperii.

19 *Pancirolus*] Ibidem.

20 *Totam Legionem*] Ab *Euſebio* diſertè non dicitur, ſed à *Xiphilino*, ad cujus teſtimonium rem expendemus.

ANN. CLXXIV. gionem militum Romanorum, eo tempore, Chriſtianam fuiſſe, quod tamen adfirmare videtur *Euſebius*: X. In eo etiam illum peccaſſe, quòd [21] *Apollinaris* locum non protulit, nec Librum ipſum, in quo hæc *Apollinaris* ſcripſerat, indicavit: XI. Sed & verba, quibus totam hanc narrationem claudit, ſatis indicare, ut *Valeſius* meritò putat, ipſum de veritate rei dubitaſſe; ſic enim habere, ἀλλὰ ταῦτα μὲν, ὅπη τις ἐθέλῃ, τιθέσθω, *ſed de his quiſque, pro arbitratu ſuo, ſtatuat.*

XII. Postea etiam citatur, ab *Euſebio*, *Tertullianus*, quaſi *teſtis idoneus*, μάρτυς ἀξιόχρεως. Verùm non videtur *Tertullianus* inſpexiſſe *litteras M. Aurelii*, quibus nititur, nam dubitat utrum hæc in iis inveniantur: *Si litteræ*, inquit, *M. Aurelii, graviſſimi Imp. requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum* forte *militum precationibus, impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.* Si Chriſtianorum manibus vulgò tritæ fuiſſent, adſeverantiùs de iis loquutus eſſet, & verba ipſa graviſſimi teſtis protuliſſet. Sed & dignum obſervatu *Tertullianum*, in eo loco, oratoriè, pro more ſuo, loquutum, & quæcumque cauſam juvare videri poſſent collegiſſe, nequaquam ſeverè penſitata; fortè quia, qualiacumque eſſent, apud nonnullos Romanos Magiſtratus, quibus explorata non erant, valere nonnihil poterant. Quæ deinde habet de Edicto M. Aurelii, in gratiam Chriſtianorum, poſtea expendemus; hîc ſequentia verba proferemus, ex quibus id quod diximus veriſſimum eſſe liquebit. *Quales ſunt ergo*, inquit, *leges iſtæ, quas adversùs nos ſoli exſequuntur impii, injuſti, turpes, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte fruſtratus eſt, vetando inquiri; quas nullus Hadrianus, quamquam curioſitatum omnium explorator; nullus Veſpaſianus, quamquam Judæorum debellator; nullus Pius, nullus Verus impreſſit?* Sint ſuperiora vera, at *Verum*, hoc eſt M. Aurelium, Pii ſucceſſorem, legibus illis graviſſimè abuſum eſſe, in Chriſtianos, oſtendunt perſequutio Lugdunenſis & Aſiatica, de quibus ad Annos CLXVII & CLXIX. egimus.

XIII. Tandem ad *Xiphilini* locùm devenimus, ubi *Dionem* prudentem mentitum ait, quòd non ignoraret fuiſſe Legionem *Fulmineam*, cui nulla alia de cauſa id cognominis tributum, niſi quòd fulmina in Quados impetraſſet. Quam in rem obſervandum I. cum *Scaligero* & *Valeſio*, Legionem *Fulminatricem*, ab hoc miraculo cognominatam non fuiſſe, quippe

21 *Apollinaris*] Debuiſſet dicere *Euſebius* an Epiſcopum Hierapolitanum, de quo diximus ad Ann. CLXX, 2. intelligeret, an alium; ánve *Apollinaris* ille, quicumque ſit, rem quaſi à ſe viſam, aut à fide dignis auditam narraret. Rumores enim, ab incertis auctoribus orti, nihili ſunt faciendi. De fide etiam *Apollinaris* fuit aliquid dicendum, nam aut credulitas, aut etiam vanitas teſtium, Chriſtianorum licèt, fidem elevat.

22 *Quibus militiam ſequi* &c.] Multis hoc probat *Tertullianus*, in Libro de Corona, Cap. XI. & XII. de Idololatria Cap. XIX. Diſtinguit tamen Cap. XI. Libri de Corona, inter eos qui jam Chriſtiani nomen militiæ dant, quod omnino improbat; & eos qui, milites cùm eſſent, Religionem Chriſtianam amplexi ſunt, quibus militiâ omnino non interdicit. *Planè ſi quos militiâ præventos fides poſterior invenit, alia conditio eſt, ut illorum, quos Joannes admit-*

quippe quæ diu, ante tempora M. Antonini, ita vocata fuerit; doceréque hoc manifeſtò *Dionem* Lib. LV. ubi Legiones omnes enumerat, ab Auguſto conſtitutas; & veterem inſcriptionem Tergeſtinam à *Scaligero* productam, id ipſum confirmare, quæ, ſub Trajano inſculpta, memorat LEG. XII. FULM. quæ alia eſſe non poteſt. II. Quòd ſi quis dixerit *Fulminatricem* quidem Legionem fuiſſe, ante tempora M. Antonini, ſed eum ob acceptum à *Melitina* Legione beneficium, ei quoque *Fulminatricis* cognomen indidiſſe; facilè reſponderi, cum *Valeſio*, eam *Fulminatricem II.* pro more Romano, dici debuiſſe: III. *Dionem*, ut idem habet, nullam ejus mentionem facere; quamvis Legiones omnes, à ſuperioribus Principibus conſcriptas, adcuratè recenſeat; ad quod accedit, quòd nec Notitia Imperii *Fulmineam II.* ullam memorat: IV. Præterea Dionem *Fulminatricem* illam in Cappadocia ſedes habuiſſe docere, quod Melitinæ Legioni, ut ait rectè *Valeſius*, optimè convenit: V. Nihil ad rem facere, quòd non poſſimus rationem aliam adpellationis reddere, præter eam quam Chriſtiani tradunt; neminem enim poſſe omnium Legionum cognominum rationem reddere, propter Hiſtoriarum ſilentium: VI. Quod ait *Xiphilinus*, ſine auctore, (neminem certè profert) fuiſſe Marco *Legionem militum è Melitina*, *ubi*, inquit, *omnes ſunt Chriſtiani*, vix credi poteſt; poterant enim tempore *Xiphilini* Melitini eſſe omnes Chriſtiani, quamvis M. Aurelii ævo non fuiſſent: VII. Credibile non eſſe, iis temporibus, tot Chriſtianos militaſſe, [22] quibus militiam ſequi multis nefas habebatur, & re ipſâ, Ethnicis ducibus, ſine magno periculo, fieri non poterat: VIII. Vix etiam credi poſſe à M. Aurelio Chriſtianos, quos oderat, & ſpernebat, ut vidimus è vexationibus, quas ſub eo paſſi ſunt, & judicio quod de eorum conſtantia ferebat, oratos fuiſſe, ut pro ſe Deo ſuo ſupplicarent: IX. Chriſtianos etiam potuiſſe quidem à Deo petere, ut Romanis aquam cœleſtem, qua indigebant, demitteret, ne ſiti perirent, útque ab imminentibus hoſtibus liberarentur; ſed ut fulminibus profligarentur Quadi petere non potuiſſe, qui meliores fortè erant Romanis, aliena invadentibus & Barbaros, ut eos vocabant, pecudum loco habentibus: X. Nec ſi hæc petiiſſent, Deum eorum preces exauditurum fuiſſe, qui non vult animos hominum perire, ſed ſervari; cùm præſertim probè ſciret

ANN. CLXXIV.

admittebat ad lavacrum; *ut Centurionum fideliſſimum* (non *fideliſſimorum*, ut habent Editiones) *quem Chriſtus probat, & quem Petrus catechizat.* Quos tamen vult aut militiæ nuncium remittere, aut ſibi diligentiſſimè cavere: *dum tamen ſuſceptâ fide atque ſignatâ, aut deſerendum ſtatim ſit, ut à multis actum; aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversùs Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur.* *Origenes* etiam omnem militiam improbavit contra Celſum Lib. III. p. 115. Lib. VII. p. 349. & Lib. VIII. p. 427. Ed. Cantabrigienſis. Sic & *Lactantius* Lib. VI. c. 20. *Non enim cùm occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet; ſed ea quoque ne fiant monet, quæ, apud homines, pro licitis habentur. Ita neque militare juſto licebit, cujus militia eſt in ipſa juſtitia.*

ANN. CLXXIV. ſciret Romanos propterea ad fidem Chriſtianam adductum non iri: XI. Si Edictum M. Aurelius propoſuiſſet, quo agnoviſſet precibus Chriſtianorum ſervatum exercitum Romanum, & profligatos Barbaros; ejus Edicti apographa multa fieri curaturos fuiſſe, & ad omnes Imperii Romani Chriſtianos miſſuros; ut vexationibus, quas ſubinde patiebantur, obviam irent, útque tantæ rei, támque aptæ ad Romanos ad Chriſtianam fidem adducendos ſervaretur memoria; quod factum tamen non eſt, cùm Edicti nemo meminerit, præter *Xiphilinum*. De Epiſtola etiam, cujus ex *Euſebio* mentionem facit, poſtea dicemus.

XIV. Quæ cùm ita ſint, ſubit mirari [23] virum doctiſſimum, qui graviſſimas rationes nobis ſuppeditavit de veritate expoſitæ Hiſtoriæ dubitandi, ita inchoare quod de ea dicturus eſt, ad *Euſebii* verba antea adlata: *De ipſo quidem miraculo pluviæ à militibus Chriſtianis impetratæ, &* Apollinari *&* Tertulliano *teſtantibus facilè credimus*; cùm debuiſſet potiùs, ex ſuis ipſius ratiocinationibus, dicere ſe non facilè iis credere. Sed fortaſſe non auſus eſt quod ſentiebat, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, tam apertè ac in profana feciſſet, profiteri; ne ab iis qui cæcam credulitatem pro fide venditant, nec temerè quidquam admittentes infamant, ut ſolet in rebus Eccleſiaſticis fieri, carperetur. Qui [24] *Baronii* Annales ad examen revocavit, verbis *Valeſii* repetitis & probatis, teſtatur tamen *ſe non dubitare quin multa falſa veris admiſta ſint*. Quod veriſſimum eſſe ſuperiora, niſi fallor, ſatis oſtendunt; ſed vera à falſis ſecernere, originémque erroris demonſtrare facile non eſt.

XV. Crediderim, ſi ſuſpicionem non abſurdam proferre licet, cùm Chriſtiani legiſſent in Hiſtoricis, qui vitam Marci ſcripſerant, exercitui ſiti laboranti pluviam ejus precibus eſſe impetratam; exiſtimaréntque [25] nonnullos in copiis Romanis fuiſſe milites Chriſtianos, nec abſurdè; judicaſſe eos, in tanto diſcrimine, pro more ſuo, ad divinum auxilium confugiſſe, eorúmque, non Marci, precibus pluviam à Deo impetratam. Cùm verò ſubita, poſt magnum æſtum, pluvia cum fulminibus frequenter ſit conjuncta, quod & ipſi Ethnici de hac memoriæ prodiderant; ſciréntque Chriſtiani Legionem fuiſſe, quæ *Fulminea* vocabatur, ſed ignorarent id cognominis ei olim impoſitum, longè ante M. Aurelii tempora; putaviſſe natum id eſſe ex hoc eventu, eámque Legionem totam Chriſtianam fuiſſe; quo admiſſo, non dubitarunt *Melitinam* eam vocare, quòd notum eſſet *Legionem XII. Fulmineam Melitinæ*

23 *Virum doctiſſimum*] *Henr. Valeſium* ad *Euſebium*. Sed hîc quoque notatu dignum eſt ab iis, qui Lugdunenſem Perſequutionem ad An. CLXXVII. referunt, totam hanc Hiſtoriam pro fabula haberi oportetere, niſi ſecum ipſi diffideant. Neque enim tam citò, poſt Epiſtolam ad Senatum, paſſus eſſet M. Aurelius, tam crudeliter vexari Chriſtianos.

24 *Baronii Annales* &c.] *Ant. Pagius* ad hunc Annum.

25 *Nonnullos* &c.] Quamvis enim Chriſtiani multi, ut vidimus, militiæ nomen dare Chriſtiano nefas eſſe putarent; non cogebant eos qui cùm jam erant milites Chriſtiani facti eſſent, militiæ deſertores fieri, quod

na prætendere, ut nos Notitia Imperii docet. Poſtea Hiſtoriam non improbabilem excogitatam, paullatim exornatam & circumſtantiis adauctam fuiſſe; quod à *Xiphilino* factum videmus, qui plures habet, quàm *Euſebius*, nec unde habeat docet. Sic novimus innumeras Sanctorum Virorum hiſtorias, non ab Ethnicis certè, ſed ab otioſis quibusdam Chriſtianis, qui perperam putabant ſe Religioni mendaciis ſuis profuturos, confictas fuiſſe, & tantâ quidem copiâ, ut multa ingentia volumina impleverint; támque intolerandâ licentiâ, ut ne veriſimilitudinis quidem ratio habita ſit. ANN. CLXXIV.

XVI. Similes Artifices, cùm legiſſent apud *Dionem*, aut *Xiphilinum*, M. Aurelium ad Senatum rem perſcripſiſſe, nec litterarum illarum exemplar invenirent, ſuo marte [26] Epiſtolam confinxerunt, quam ad calcem Apologiæ I. *Juſtini* habemus. Sed eam ita infamavit *Joſ. Scaliger*, aliique deinde viri docti, ut nemo nunc ea uti ſuſtineat; poſt tempora quippe Juſtiniani ab homine rerum Romanarum imperitiſſimo, & ne Græcæ quidem Linguæ ſatis ſciente, conſcripta, & ita ut cum ſuperiore narratione in nonnullis diſſentiat. Attamen M. Aurelium ait [27] *Tertullianus*, poſtquàm meminit litterarum ab eo, de diſcuſſa Germanica ſiti, ſcriptarum, *ſicut non palam ab hujuſmodi hominibus*; hoc eſt, à Chriſtianis; *pœnam dimoviſſe*, *ita alio modo palam diſperſiſſe*, *adjectâ etiam accuſatoribus damnatione & quidem tetriore*. Hanc damnationem mortem interpretatur *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 5. Sed oportuiſſet tetrius mortis genus intelligi, Religionem enim ſuam Chriſtiani capite luebant; nec tamen hoc ſatis cum veritate conſentiret, cùm non tantùm occiderentur, ſed priùs omni pœnarum genere torquerentur, & diriſſimâ morte è medio tollerentur, ut ad Annos CLXVII, & CLXIX. vidimus. Quare, hac quoque in re, hominibus veri non ſatis amantibus crediſſe *Tertullianum* exiſtimarim. Qui M. Aurelii Epiſtolam confinxit, accuſatores Chriſtianorum ideò flammatos & quidem vivos mentitus eſt. Verùm hac de re iterum, ad Ann. CLXXXIV. agemus.

XVII. Non diſſimulabimus tamen [28] à viris doctis eſſe productum exemplar Latinum hujus Epiſtolæ, quaſi è Bibliotheca Vaticana, quod paullò meliùs conceptum videtur; ſed tamen, ſi propiùs inſpiciatur, ſatis liquebit è Græca Epiſtola ſuppoſita tranſlatum fuiſſe.

Piſone

quod per Imperatores non ſemper licuiſſet.

26 *Epiſtolam confinxerunt*] Vide *Joſ. Scaligerum* in Chronicon *Euſebii*, ad hunc Annum, *Claud. Salmaſium* in Julii Capitolini *M. Aurelium*, & *Dan. Huëtium* eorum ſententiam probantem, in Demonſtr. Evangelica Propoſ. IV, 19.

27 *Tertullianus*] Apol. C. V. & ad Scapulam. C. IV.

28 *A Viris Doctis* &c.] Vide *Joſephum Caſtalionem*, in Diſſert. de Columna Cochlide Antoniniana.

Cccc c

ANN. CLXXV, & CLXXVI.

Piſone & Juliano COSS. *M. Aurelii Imp. XV. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXV.

I. Hisce temporibus, vixit *Bardeſanes* Syrus, Edeſſæ natus, ut ait *Epiphanius* Hæreſ. XXXVI. Vir fuit diſertiſſimus, Syriacâ Linguâ, & Dialecticæ peritiſſimus. Adversùs Marcionitas & quoſdam alios variorum dogmatum auctores, patrio ſermone ſcripſit, multáque alia opera edidit. Quæ quidem ejus diſcipuli (habuit autem multos, quippe qui Religionem Chriſtianam fortiter defenderet) è Syriaco ſermone in Græcum tranſtulerunt. In his erat dialogus de Fato Aſtronomico, ad Antoninum, ſanè luculentiſſimus; cujus egregium fragmentum profert *Euſebius* Præpar. Evangelicæ Lib. VI. c. 10. Multa alia, ex occaſione perſequutionis, quâ tunc vexabantur Chriſtiani, ſcripſiſſe eum aiunt. Is primùm Valentiniani Scholam ſequebatur; poſtea verò damnatâ ejus doctrinâ, & pleriſque dogmatibus, quaſi fabuloſis confutatis, ipſe quidem ad rectiorem ſententiam tranſiſſe ſibi viſus eſt; veteris tamen erroris ſordes non penitus exterſit. Hæc *Euſebius* H. E. Lib. IV. c. 30. & alia nonnulla *Epiphanius* Hæreſi XXXVI. quæ non exſcribimus, cùm ejus ſolius fidei multùm tribuere nequeamus.

T. Vitraſio Pollione. II. M. Flavio Apro II. M. Aurelii Imp. XVI. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXVI.

I. Hoc anno Commodus, qui [1] antecedente Tribuniciæ Poteſtatis particeps factus fuerat, Auguſtus cum Patre ſalutatus eſt.

II. Julius Cassianus, Valentini Diſcipulus, ad hæc tempora refertur. [2] *Clemens* Alexandrinus, ait eum cœpiſſe docere δόκησιν, hoc eſt, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed tantùm *viſum eſſe*; quæ tamen Veterum etiam Gnoſticorum & Valentinianorum ſententia fuit. Scripſerat ille librum *de Continentia*, vel *Eunuchia*, ex quo [3] verba quædam profert *Clemens*. Ediderat & Exegeticorum Opus, in quo oſtenderat, inſtar *Tatiani*, Hebræorum Philoſophiam omni Sapientiâ antiquiorem fuiſſe, [4] ut idem docet.

T. Aure-

1 *Antecedente* &c.] Vide ad utrumque annum *Ant. Pagium*.

2 *Clemens Alexandrinus*] Strom.. Lib. III. p. 265. Τοιούτοις ἐπιχειρεῖ καὶ ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων Ἰούλιος Κασσιανός, tum profert ejus verba è libro περὶ ἐγκρατείας, ἢ περὶ εὐνουχίας, ubi conjugium oppugnarât. Fortè dicitur δόκησιν ἐξάρχειν, non quòd primus docuiſſe crederetur Chriſtum ſpecie tantùm paſſum, ſed quòd primus Encratitarum ita ſenſerit. Vide de Gnoſticis ad Ann. LXXIX, 4. LXXI, 1. de Carpocrate CXX, 1. de *Valentino* CXXI, 13.

3 *Verba quædam* &c.] Strom. Lib. III. p. 465. & 466.

4 *Ut idem docet.*] Strom. Lib. I. p. 320. ubi adgreſſurus oſtendere Hebræorum Philoſophiæ antiquitatem, εἴρηται μὲν οὖν, inquit, περὶ τούτων ἀκριβῶς Τατιανῷ ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας· εἴρηται δὲ καὶ Κασσιανῷ, ἐν τῷ

ANN. CLXXVII & CLXXVIII.

L. Aurelio Commodo Aug. & Quinctillo COSS. M. Aurelii Imp. XVII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXVII.

I. Ad hunc annum referunt [1] nonnulli iter M. Aurelii, per Orientem, in quo, cùm per Palæſtinam tranſiret, Ægyptum petens, fœtentium Judæorum & tumultuantium tædio percitus, dolenter dicitur exclamaſſe: *O Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inertiores inveni!* Quod habet *Ammianus Marcellinus* Lib. XXII. c. 5.

II. Iidem putant ad Chriſtianos reſpexiſſe [2] *Ulpianum* Lib. VI de Officio Proconſulis, ſub Tit. *de Mathematicis & Vaticinatoribus*, ubi hæc occurrunt: *Denique & Divus Marcus eum, qui motu Caſſiano vaticinatus erat & multa quaſi inſtinctu Deorum dixerat, in inſulam Syrum relegavit. Et ſanè non debent impunè ferre ejuſmodi homines, qui ſub obtentu & monitu Deorum, quædam vel renunciant, vel jactant, vel ſcientes eos fingunt.* Verùm Chriſtiani de ſorte Principum nihil vaticinabantur, nec poterant cum Mathematicis & Ariolis confundi; nec quia eo libro Edicta Cæſarum contra Chriſtianos habebat [3] *Ulpianus*, ideò omnia eò pertinuiſſe neceſſe eſt. Profertur etiam Lex 30. D. *de pœnis*, ubi *Modeſtinus*: *Si quis aliquid fecerit*, inquit, *quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis terrerentur, Divus Marcus hujuſmodi homines in inſulam relegari reſcripſit.* Verùm hæc non fuit Religioni Chriſtianæ pœna impoſita, cùm Chriſtianos occidi ſolitos, ex Trajani Reſcripto, perſequutionúmque hiſtoria conſtet.

III. Victor, in ſede Romana Eleuthero, hoc anno ſucceſſit, [4] ex ſententia doctiſſimorum Chronologorum, atque ad Annum hujus Sæculi XCV. vitam produxit.

Juliano Rufo, Gavio Orfito COSS. M. Aurelii Imp. XVIII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXVIII.

I. Circa hæc tempora, vulgò vixiſſe cenſetur *Hermias* Philoſophus, cujus opuſculum ſolet *Tatiano* ſubjici. Inſcriptionem ei præfixit, *διασυρμὸς τῶν ἔξω Φιλοσόφων, irriſio Ethnicorum Philoſophorum.* Eos verò ridet & quidem facetè, quòd inter ſe diſſentirent de natura Animi, de

τῷ πρώτῳ τῶν ἐξηγητικῶν.

1 *Nonnulli*] *Cæſ. Baronius* ad hunc annum. Iter tamen citiùs fortè factum. *Sethus Calviſius* refert ad Ann. CLXXV.

2 *Ulpianum*] In Moſaïcarum & Roman. Legum Collatione, à *P. Pithœo* edita Tit. XV.

3 *Ulpianus*] Notum hoc è *Lactantio* Inſt. Divin. Lib. V. c. 11. *Domitius*, inquit, *de Officio Proconſulis, Libro VII. Reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis adfici oporteat eos, qui ſe cultores Dei confiterentur.* Utinam verò ea omnia Reſcripta nobis Latinè ſervaſſent Chriſtiani!

4 *Ex ſententia* &c.] Vide *Henr. Dodwellum*, de Rom. Epiſcoporum Primæva Succeſſione Cap. XV, 1.

ANN. CLXXIX. de Principiis à quibus omnia orta ſunt, déque Mundo. At ipſe è *rectæ* Rationis penu meliora non promit, è quo ſolo cum Philoſophis diſceptare licuit. Multò meliora & doctiora de Animo, contra Philoſophos, habet *Nemeſius*, Emeſenus, ut creditur, Epiſcopus; quo fortaſſe hic noſter non antiquior, imò fortè junior fuit. Certè nihil eſt, in *Hermiæ* Opuſculo, quod primævam antiquitatem redoleat.

L. Aurelio Commodo II. T. Annio Aurelio Vero II. COSS. M. Aurelii Imp. XIX. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXIX.

I. His & ſequentibus temporibus, floruit Alexandriæ *Pantænus*, & Chriſtianæ Scholæ præfuit. Jam enim, ex antiquo more, ſacrarum litterarum Schola in ea civitate fuerat inſtituta; quæ etiam, *Euſebii* Cæſarienſis ætate, perſeverabat, & ab hominibus cùm eloquentiâ, tum divinarum litterarum ſtudio florentibus obtinebatur. *Pantænus* primùm Philoſophiæ Stoïcæ innutritus fuerat; ſed poſtea tantum animi ardorem erga verbum Dei oſtendiſſe perhibetur, ut Orientis Gentibus, ad ipſam uſque Indiam progreſſus, Evangelii præco fuerit. Erant enim etiam tum complures Evangeliſtæ, qui, divinâ quadam æmulatione ſuccenſi, Apoſtolorum exemplo, ſtudium ſuum ad incrementum & ædificationem Eccleſiæ alacriter conferebant. Is ergo Pantænus, relictâ aliquantiſper Scholæ Alexandrinæ curâ, ad Indos uſque perveniſſe dicitur, ibique Evangelium Matthæi, jam dudum ante adventum ejus eò perlatum, apud quoſdam Chriſti notitiâ imbutos, reperiſſe. Iis, nempe, Bartholomæum, unum ex Apoſtolis, prædicaſſe, & Evangelium Matthæi, Hebraïcis conſcriptum litteris, reliquiſſe; quod ad *Pantæni* tempus adſervatum. Is verò, poſt multa præclarè geſta, Alexandriam redux, [1] iterum Alexandrinæ præfuit Scholæ; ubi partim vivâ voce, partim Scriptis, divinorum dogmatum theſauros expoſuit. Hæc de *Pantæno* habet *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 10. Idem etiam ex *Origenis* Epiſtola Lib. VI. c. 19. eum Græcanicæ eruditionis magno adparatu inſtructum fuiſſe oſtendit. *Hieronymus* verò, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi *Euſebii* Paraphraſtam agit, circumſtantias quaſdam addit, de ſuóne, an ex aliis priſcis monumentis, quæ

1 *Iterum* &c.] Videtur hoc è narratione *Euſebii* colligi poſſe; cùm iter Indicum interponat iis, quæ habet de *Pantæno* Alexandrinæ Scholæ præfecto. Sic cenſuerunt *Gulielm. Caveus* & *Henr. Dodwellus.*

2 *A Marco*] Eſt tantùm, apud *Euſebium*, ἐξ ἀρχαίου ἔθους, *ex antiquo more.*

3 *Rogatum*] Neque legatorum, neque Demetrii Epiſcopi meminit *Euſebius.* Contrà Lib. V. c. 9. ait Julianum à primo Commodi anno in Alexandrinam ſedem ſucceſſiſſe, cujus ſucceſſor fuit decennio poſt Demetrius. Vide & ejus Chronicon. Sed conſentaneum eſt quod habet *Hieronymus*, cum eo quod in ſequentibus dicit de tempore, quo docuit *Pantænus.*

4 *Doctiſſimi Viri*] *H. Valeſius* ad locum *Euſebii.*

5 *Matthæi*] Poſtquàm fingendi licentia invaluit, poſtremus ferè Scriptor prioribus copioſior fuit. Simile commentum de invento cadavere Barnabæ, in Inſula Cypro,

quæ interciderint non conſtat. 1. Scholam Alexandrinam [2] *à Marco Evangeliſta ſemper fuiſſe:* 2. iviſſe Pantænum in Indiam [3] *rogatum ab illius Gentis legatis, & à Demetrio Epiſcopo miſſum:* 3. Evangelium Matthæi Hebraïcum, à Pantæno *revertente, Alexandriam delatum:* 4. Ejus *multos in Sanctam Scripturam exſtitiſſe commentarios; ſed magis vivâ voce Eccleſiis profuiſſe:* 5. *docuiſſe ſub Severo Principe & Antonino, cognomento Caracalla.* ANN. CLXXIX.

II. Sunt tamen [4] doctiſſimi viri, qui obſervent ab *Euſebio* non dici à *Pantæno* Evangelium Matthæi Hebraïcè ſcriptum Alexandriam delatum eſſe, ſed tantùm exemplar illud Bartholomæi, ad Pantæni uſque adventum in Indiam, ſervatum, & ſic *Nicephorum* Lib. IV. c. 32. verba *Euſebii* rectè intellexiſſe; qui tamen perperam addit, pro more ſuo, Evangelium illud [5] Matthæi à Bartholomæo, apud Indos, dictatum fuiſſe. Iidem, poſtquàm dixerunt *Hieronymum*, in Catalogo, teſtari Evangelium Matthæi, Hebraïco ſermone ſcriptum, in Cæſarienſi Bibliotheca ſervatum adhuc fuiſſe, ſuâ ætate; non diſſimulant ſe vereri ne id potiùs fuerit Evangelium, ſecundùm Hebræos, quo utebantur Nazaræi; hoc enim Hebræorum Evangelium à quibuſdam Matthæi authenticum eſſe exiſtimatum, licèt falsò, ut ſcribit idem *Hieronymus*, in Commentario in Matthæum. Nos verò *Hieronymi* verba expendimus in Diſſert. III. Evangelicæ Harmoniæ noſtræ ſubjecta, & parum adcurata eſſe oſtendimus; nec videmus cur [6] famæ, falſa veris plerumque miſcenti, & eundo creſcenti, de Bartholomæi exemplari Hebraïco credere neceſſe habeamus.

III. In Hypotypoſeon, ſive Inſtitutionum libro, *Pantæni*, quaſi præceptoris ſui meminerat *Clemens* Alexandrinus, ut habet *Euſebius* Lib. V. c. 11. Quinimo eum deſignat [7] Lib. I. Stromateon, ſi ei credimus, ubi memoratis magiſtris quos audiverat, ait „ ſe cùm in ultimum, quem nomine non adpellat, incidiſſet (qui eruditione primus „ erat) quieviſſe in Ægypto, latentem perſcrutatum; &, Sicula, „ inquit, reverâ apis erat, propheticique & apoſtolici prati floribus „ decerptis, ſinceram quamdam cognitionem auditorum animis ingenerabat. Unde viri docti collegerunt Siculum fuiſſe Pantænum, cùm tamen aut hunc ſignari, [8] aut patriam ejus ſpectari non liqueat. Quare rem

pro, ſuper cujus pectore erat Evangelium Matthæi, ipſius Barnabæ manu deſcriptum, vide apud *Theodorum* Lectorem H. E. Lib. II. initio.

6 *Famæ*] *Euſebius* enim famæ hæc omnia accepta refert, cui an ipſe crediderit neſcio. Vix tamen putarim.

7 *Lib. I. Stromateon*] Pag. 274. ὑςάτῳ δὲ περιτυχών· δυνάμει δὲ ὗτος πρῶτος ἦν· ἀνεπαυσάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα· Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα· προφητικοῦ τε καὶ ἀποςολικοῦ τοῦ λειμῶνος τὰ ἄνθη δρεπόμενος ἀκήρατόν τι γνώσεως χρῆμα ταῖς τῶν ἀκροωμένων ἐνεγέννησε ψυχαῖς. Neſcio quid ejus habemus, in *Theodoti* Epitomis p. 808. ad calcem *Clementis*.

8 *Aut patriam*] Nam *Sicula apis*, παροιμιωδῶς dici potuit, quòd flores Scripturæ delibaret, ut Hyblææ apes mel in pratis è floribus colligunt, & dicere poſſet:

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta;

 ut

ANN. CLXXX. rem in medio relinquimus. Prolatum eſt à [9] viro doctiſſimo *Philippi* Sidetæ fragmentum, aut potiùs ex ejus opere excerptum, in quo *Clementis* diſcipulus dicitur *Pantænus*. Sed *Clementi* ipſi major fides habenda, nec unius *Philippi* causâ, violentis conjecturis omnia torquere ſat tutum videtur.

L. Fulvio Bruttio II. Sex. Quinctilio Condiano COSS. Commodi Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXX.

I. Hoc anno [1] M. Aurelius obiit a. d. XVI. Calendas Apriles, cùm vixiſſet annos LVIII. menſes X. dies XXII. ut teſtatur *Dion* I. Vir, ſi Chriſtianorum vexationes excipias, humaniſſimus & æquiſſimus, ceteriſque imperatoriis virtutibus ita cumulatus, nullum ut alium Imperatorem æquare ei poſſis, teterrimum ſucceſſorem reliquit Commodum; quem ante quinquennium Collegam Imperii habuerat, & ſub quo tamen Chriſtiani multò minùs vexati fuere. Cujus rei cauſam non ejus indoli, ſed Marciæ, ejus pellici, acceptam referunt. Hanc enim, [2] ſi *Xiphilino* credimus, Hiſtoria tradiderat ſtudioſiſſimam fuiſſe Chriſtianorum, & beneficia multa in eos contuliſſe, quippe quæ apud Commodum omnia poterat. Quod pro vero non adfirmarim; ſed conſtat rem Chriſtianam in tranquilliore ſtatu fuiſſe, pace totius Orbis Terrarum Eccleſias complexâ, ut prodidit *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 21.

II. Videtur, [3] circa hæc tempora, *Irenæus* quartum & mox quintum Librum edidiſſe, quibus Gnoſticos & Valentinianos confutare pergit, & ſic tandem finem operi, quod Latinè tantùm, exceptis nonnullis hinc inde petitis Græcis fragmentis, ad nos pervenit, impoſuiſſe. Eos libros amici, cujus nomen non edidit, hortatu, ſcribere adgreſſus eſt, ut è Procemio Lib. I. & aliorum intelligimus. In primo Libro, veterum Gnoſticorum, & Valentinianorum, à quibus interpolata erat eorum doctrina, ut ſuis locis vidimus, exponit & breviter confutat decreta. At ſecundo libro Ratione & petitis è dogmatibus ipſis argumentis, ac tertio Scripturæ Sacræ & præſertim Apoſtolorum locis, conſenſúque Chriſtianorum penitus evertit. Quarto, Chriſti ipſius Verbis & Veteris Teſtamenti pugnat. Quinto denique, totius Veteris & Novi Teſtamenti auctoritate eam in rem utitur. Nec ſanè difficulter eos non tantùm

ut loquitur *Lucretius* Lib. III, 11, 12.

9 *Viro doctiſſimo*] *Henr. Dodwello*, ad Irenaïcarum Diſſert. calcem; quem tamen Hiſt. Litterariæ Tom. 2. confutavit *Gulielm. Caveus.*

1 *M. Aurelius*] Vide ad hunc annum *Ant. Pagium.*

2 *Si Xiphilino* &c.] In vita Commodi, p. 284. Ed. Græco-Lat. *Henr. Stephani.* Cùm autem *Xiphilinus* hæc de ſuo, ut videtur, habeat non à *Dione* acceperit; rectiùs feciſſet, ſi addidiſſet ubi hæc legiſſet, cùm ſatis habuerit dicere: ἱϛορεῖται δὲ αὐτὴ πολλά τε ὑπὲρ τῶν Χριϛιανῶν σπȣδάσαι, καὶ πολλὰ αὐτοὺς εὐεργετηκέναι, ἅτε καὶ παρὰ τῷ Κομμόδῳ πᾶν δυναμένη. Mirum eſt paullò antea à *Xiphilino* dici & Marciam Commodi, ut ait, pellicem, deinde uxorem Electi, & hunc à Commodo per vim occiſos; cùm ex ipſa ejus Epitome conſtet ab iis Commodum

tantùm longè maximæ Chriſtianorum parti, quorum primævi doctores & Eccleſiæ omnibus Hæreticis erant antiquiores, ſed & toti Scripturæ adverſari oſtendit. Si quid, in nonnullis ratiocinationibus, minùs firmum ſit; nihilo ſecius, ad ſummam rei quod adtinet, rectè probat inania omnia Valentinianorum commenta, nec ullum alium Deum fingendum, præter unum rerum omnium creatorem, eumdémque Patrem Jeſu-Chriſti, qui & ipſe unus ſit, nec in duos divellendus, natúſque è Virgine Maria, verè paſſus ſit ac in cœlum adſcenderit, indéque ad vivos & mortuos è mortuis excitatos, ex Evangelica lege juris dicendi causâ, rediturus, & abſolutos quidem æterna vita donaturus, damnatos verò in ſempiterna ſupplicia miſſurus. Quæ potiſſima ſunt capita Religionis Chriſtianæ, ab omnibus qui Scripturam Novi Teſtamenti, quaſi unicum divinæ revelationis certum monumentum, habent, ſemper admiſſa & admittenda. Veritatem enim etſi laboraſſe nimis ſæpe conſtat, at numquam exſtinctam, aut exſtinctum iri non minùs certum eſt.

III. Recte *Euſebius* H. E. Lib V. c. 8. pro more ſuo, animadvertit *Irenæum* diſertè meminiſſe quatuor Evangeliorum, quæ habemus, Apocalypſeos & 1. Joannis; unde intelligere eſt ex ſolo uſu & teſtimonio Chriſtianorum, eóque perpetuo, liquere Apoſtolicos Libros eorum verè eſſe, quorum nomina præferunt; ac proinde auctoritatem, apud nos, eam quæ debebatur Apoſtolis ipſis obtinere per ſe, non è decreto neſcio cujus Epheſini cœtûs, de quo nihil Veteres, habere oportere. Verùm & è citationibus ejus ceteros omnes Novi Teſtamenti Libros, quos habemus, exceptâ unâ breviſſimâ Joannis Epiſtolâ, quæ tertia numeratur, admiſſos & pro Apoſtolicis habitos, ex Indicibus locorum Scripturæ, qui nuperis Editionibus ſubjecti ſunt, patet. Ad Vetus Teſtamentum quod adtinet, idem quoque dixeris, cùm plerique omnes ejus libri ad teſtimonium citentur, eorúmque Græca Verſio ab *Irenæo* admitteretur. Addendi etiam libri, qui Græcè tantùm exſtant: ut Sapientia Salomonis, Baruchus & additamenta Danielis.

IV. Liber quoque *Paſtoris*, ut animadvertit *Euſebius*, ei non tantùm notus, ſed etiam probatus eſt, his verbis: [4] *Rectè ergo habet Scriptura, quæ dicit:* ANTE OMNIA CREDE UNUM ESSE DEUM, QUI OMNIA CREAVIT ET ABSOLVIT, *& quæ ſequuntur.* Paullò pòſt addit, Apoſtolici cujuſdam [5] Presbyteri, cujus nomen reticuit, dicta

dum à medio ſublatum, nec quiſquam fuiſſe Commodo geminam pellicem Marciam, aut geminum cubicularium Electum dixerit. Oſcitantia ergo hæc fuerit *Joannis Xiphilini*, cui propterea non ſatis eſt tutum fidem habere, de Marcia Chriſtianis favente.

3 *Circa hæc tempora* &c.] Vide *Joan. Pearſonium* de annis primorum Rom. Epiſc. Differt. II. C. XIV, 2. & *Ren. Maſſuetum* Diſſert. II. prævia in *Irenæum* Art. 2. n. 47. & ſeqq. qui quamvis de annis Romanorum Epiſcoporum diſſentiat, tamen partim ſub Eleuthero, partim ſub Victore Irenæum ſcripſiſſe verè, ut videtur, docet.

4 *Rectè ergo* &c.] Lib. IV. c. 20. è diviſione *Maſſueti*, aut 37. apud alios.

5 *Presbyteri*] Locorum ad eum pertinentium catalogum vide in Editione *Irenæi*

ANN. CLXXX. dicta ab eo commemorari, & ejuſdem expoſitiones Sacrarum Scripturarum adduci; præterea *Juſtini* Martyris & *Ignatii* eum meminiſſe, teſtimoniis ex eorum Scriptis uſum. Verùm Scripturæ hæc æquata ab eo propterea nemo dixerit.

V. NEC prætermiſit *Euſebius*, [6] creditam *Irenæo* hiſtoriam LXX. Interpretum, ſingulari à Deo adflatu, Vetus Teſtamentum iiſdem verbis, licèt ſeorſim ſcripſiſſent, interpretatorum; quæ vulgaris fuit, ut ad hujus Sæcul Ann. I. diximus, eorum temporum ſententia. *Neque verò mirandum eſt*, inquit, *id à Deo præſtitum fuiſſe*; *qui in captivitate populi*, *ſub Nabuchodonoſoro*, *& poſt ſeptuaginta demum annos*, *reducibus in patriam Judæis*, *Eſdram Sacerdotem*, *de Tribu Levi*, *adflatu ſuo excitarit*, *ut omnes veterum Prophetarum Libros denuo componeret*, *legémque populo per Moſem latam reſtitueret.* At [7] poſteriora prioribus veriora non ſunt, ut hodie omnibus notum; nec ullo fide digno teſtimonio, aut veriſimili argumento firmari poſſunt.

VI. IRENÆUS quâ modeſtiâ fuit, in Proœmio, monet amicum, cujus hortatu ſcripſerat, ne requirat à ſe, apud Gallos agente, & plurimam operam in Lingua barbara, Latina, ut videtur, ponente, artem oratoriam, quam non didicerat; aut facultatem ſcribendi, in qua exercitatus non erat; aut dictionis ornatum, aut vim perſuadendi, quam ignorabat; ſed quæ ſimpliciter & verè ac vulgari ſermone ſcripta boni conſuleret. Quæ non ex ficta modeſtia dicta, ut laudes quas negligere videbatur, captaret, res ipſa oſtendit. Nam quamvis ex Latina verſione barbara, de Græca dictione certum judicium ferri nequeat; ſat multa Græca fragmenta ſuperſunt, è quibus Linguæ & eloquentiæ Græcæ periti diſertum non fuiſſe *Irenæum* facilè intelligunt. Verùm Deo, nec conditoribus, nec propagatoribus per ſequentes ætates Evangelii, eo ſæculo, qui veteres Scriptores Græcos eloquentiâ æquarent, uti viſum eſt; ne facultati eorum dicendi, aut doctrina ipſa, aut mirabiles ejus ſucceſſus tribui umquam poſſent.

VII. NUNC pauca quædam de locis, dogmatibúsque *Irenæi*, de quibus aut certant viri eruditi, aut ſtudioſiùs egerunt, addemus; unde cùm de *Irenæo* ipſo, tum de ejus doctrina certius judicium ferri poterit. 1. Satis quidem conſtat, Libros omnes Scripturæ Veteris Teſtamenti Hebraïcos, quos Græcè legerat, & Libros Græcos Novi ab eo pro Canonicis agnitos, ut jam diximus. Sed nonnulli viri docti, ex eo quòd [8] laudavit *Sapientiam*, *Baruchum*, & additamenta Danielis, ubi *Suſannæ* & *Belis* hiſtoriæ, colligunt ab Eccleſiis Chriſtianis æquatos fuiſſe libris ipſis,

Irenæi Grabiana in Indice Scriptorum ab eo laudatorum, ad nomen *Anonymi Presbyteri.* Ibidem & *Juſtini* & *Ignatii* teſtimonia ubi ſint indicatum.

6 *Creditam Irenæo*] Lib. III. c. 21. aut 22.

7 *Poſteriora* &c.] Hac in re pariter errarunt Veteres multi, nimis facilè opiniones temerè ab antiquioribus ſparſas adripientes; quæ maxima eorum culpa fuit, quâ factum ut multi ſint errores propagati, & quidem in plura ſæcula. Vide de hac

ſis, qui Hebraïcè exſtant. Sed re verâ, ut [9] alii animadverterunt, ex mera prolatione teſtimonii, ſi aliud nihil accedat, non ſequitur Librum quaſi genuinum haberi; multa enim Apocrypha, ut vocantur, ad teſtimonium citantur. Adduxit *Irenæus*, ut vidimus, magna cum laude, teſtimonium *Hermæ*; cujus tamen opus numquam omnes, aut plerique Chriſtiani Apoſtolicis Scriptis æquarunt, & Romana Eccleſia, non minùs ac aliæ, aſpernatur. Verùm addunt, qui eos libros, quos diximus, Canonicos eſſe volunt, ſolâ quidem teſtimoniorum, ex ejuſmodi Libris, prolatione unius Scriptoris Eccleſiaſtici rem non confici; ſed ſi omnium poſtea accedat conſenſus, extra omnem dubitationis aleam collocari. At conſtat multos eſſe Scriptores Eccleſiaſticos, qui diſertè ſolos libros Hebraïcos Canonicos habendos eſſe dixerint; qua de re egerunt, qui de Apocryphis deditâ operâ ſcripſerunt. ANN. CLXXX.

VIII. Ceterum non eſſe nimiùm fidendum conſenſui Patrum oſtendit eorum ſumma in errore, de LXX. Interpretibus à Deo adflatis, concordia, de qua diximus ad Ann. CI, 10. & quam omnes hodie Chriſtiani parvi faciunt. Poſſimus etiam addere, non minore conſtantiâ, ſingularium Scripturæ locorum pravas interpretationes eſſe traditas & confirmatas, quas tamen hodie nemo ſequitur; cujus exemplum ad eumdem annum §. 11. protulimus, & [10] alia multa colligi poſſent; eáque petita à primis Sæculis, quæ minùs erraſſe, quia Apoſtolorum ætati propiora fuerunt, vulgò putantur.

IX. 2. Cum proferantur *Irenæi* loca, ubi Scripturæ perſpicuitatem extollit, [11] aiunt qui ejus obſcuritatem, etiam in capitibus fidei, tuentur, ſic capienda *Irenæi* verba, ut referantur tantùm ad rem de qua agit, non ad totam Scripturam. Quod non difficulter concedi queat, nec dubium eſſe poſſit, quin ſint multa Scripturæ obſcuriſſima loca. At nullum *Irenæi* animadverti, aut adferri vidi locum, in quo diceret Scripturam, in rebus creditu aut factu ad ſalutem neceſſariis, obſcuram eſſe; vel eſſe aliquod fidei Chriſtianæ caput neceſſarium, quod facilè ex ea deduci non poſſit. Certè nulla pars eſt Symboli illiùs ævi, quod ex *Irenæo* protulimus ad Ann. CXLII. quæ non poſſit evidentiſſimè è Scriptura probari. Eo tempore, nullæ erant, inter Chriſtianos, de perſpicuitate Scripturæ controverſiæ; nec cujuſquam intererat obſcuram eſſe dicere. Nuſquam etiam docet *Irenæus* eſſe dogmata ſaluti neceſſaria, quæ à ſola traditione peti debeant, quòd aut prorſus omiſſa ſint in Apoſtolicis Scriptis, aut nimis obſcurè prodita.

X. 3. Queritur [12] *Irenæus* Gnoſticos & Valentinianos, ceteroſque

hac fabula *Brianum Waltonum* in Polyglottorum Proleg. c. IV.

8 *Laudavit* &c.] Vide *Ren. Maſſuetum* in *Irenæum* Differt. præviam III. Art. 1.

9 *Alii*] *Joan. Erneſt. Grabius* ad *Irenæi* Lib. V. c. 35.

10 *Alia multa*] Vide Vol. III. Artis Criticæ Ep. IV. p. 118. Editionis IV.

11 *Aiunt qui ejus obſcuritatem* &c.] Vide *Maſſuetum*, ibidem Art. II.

12 *Irenæus.*] Lib. III. c. 2.

ANN. CLXXX. róſque ejuſmodi homines, *cùm ex Scripturis arguerentur*, *in accuſationem converſos ipſarum Scripturarum*, *quaſi non rectè habeant*, *neque ſint ex auctoritate & quia variè ſint dicta & quia non poſſit ex his inveniri veritas*, *ab his qui neſciant Traditionem*; *non enim per litteras traditam illam*, *ſed per vivam vocem.* Ex quibus verbis intelligere eſt ab Hæreticis omnium primis incuſatam Scripturam, quaſi ſat planè & perſpicuè omnia neceſſaria non doceret; non à rectè ſentientibus Chriſtianis, qui facilè neceſſaria omnia fidei capita in ea inveniebant, cùm nullum ſit quod ex ea colligere non conentur. Quicumque Scripturam, quaſi minimè ea ſuppeditet, inſimulant, ſe ei non fidere, dogmatáque ab ea aliena in Theologiam Chriſtianam intromiſſa velle apertè oſtendunt. Satis omnes videbant olim, quemadmodum hodie, quàm periculoſum eſſet Traditioni fidere, ſeorſim à Scriptura; cùm ope Traditionis ore propagatæ, quivis ſenſus Libris Sacris adfingi poſſet, & quidlibet addi. Quàm incerta eſſet Traditio ejuſmodi oſtendit controverſia iis temporibus orta, de die, quo Chriſtianum Paſcha celebrari oporteat; ut & adflatus qui, ut diximus, magno conſenſu, etiam [13] quaſi Apoſtolis creditus, LXX. Interpretibus tribuebatur, licèt falsò. Sed & alia falſarum Traditionum exempla proferentur.

XI. Cum *autem*, inquit paullò pòſt Irenæus, *ad eam iterum traditionem*, *quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur provocamus eos*; *adverſantur Traditioni*, *dicentes ſe non ſolùm Presbyteris*, *ſed etiam Apoſtolis ſapientiores ſinceram inveniſſe veritatem* &c. *Evenit itaque neque Scripturis jam*, *neque Traditioni conſentire eos.* Re verâ ſi Traditione ſtandum fuiſſet, apud ſe eam quærendam rectè ſentientes Chriſtiani, qui multò maxima pars erant, & Apoſtolis omnia accepta referebant, jure ſuo contendere poterant; potiùs quàm apud homines, qui ſcripta ipſa Apoſtolorum rejiciebant, ſéque iis doctiores eſſe jactabant. Ait quidem *Irenæus*, [14] in ſequentibus, *ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis*, *oportuiſſe ordinem ſequi Traditionis*, *quem tradiderant iis*, *quibus committebant Eccleſias.* Probat hoc, exemplo gentium barbararum, quæ cùm Scripturam non legerent, nihilo ſeciùs erant Chriſtianæ. Potuit ſanè hoc fieri, apud populos præſertim qui litteras neſciebant; ſed tamen nemo negarit Traditionem ore acceptam & propagatam faciliùs multò poſſe fingi, aut adulterari; ac re verâ ejuſmodi Traditiones, ſive prorſus conſictæ, ſive è malè intellecta doctrina quadam vera natæ, etiam apud rectiùs ſentientes Chriſtianos jactabantur, ut jam oſtendimus. Ideóque etiam Deus ei rei prævertendum quàm primùm voluit, dum Libros Novi Teſtamenti ſcribi & in omnes Linguas verti curavit.

XII. Qui nullam habebant Scripturam, nec ſi habuiſſent, legere aut

13 *Quaſi Apoſtolis creditus*] Vide *Irenæum* Lib. III. c. XXI, 3.

14 *In ſequentibus*] Cap. IV. *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem* &c. *nonne oportebat* &c.

15 *Succeſſionem Epiſcoporum* &c.] Lib. III.

aut intelligere potuiſſent, rectè, donec legere Libros Sacros poſſent, Chriſtianæ Religioni adſentiebantur; propter ea, quæ à præconibus Evangelii, præſertim divinis miraculis fidem verbis ſuis facientibus, nunciabantur. Sed qui Apoſtolica Scripta habent, malè ſibi & Religioni conſulerent; ſi iis Traditiones incertas, aut etiam contrarias anteponerent, vel æquarent. Ejuſmodi fuit Traditio de regno Chriſti in terris, quam *Irenæus* exponit Lib. V. c. 33. & ſeqq. *Meminiſſe* ait *Presbyteros, qui Joannem diſcipulum Domini viderant, audiſſe ſe ab eo quemadmodum, de temporibus illis* (regni per mille annos futuri) *docebat Dominus & dicebat:* Venient dies, in quibus vineæ naſcentur, decem millia palmitum habentes, *& ſequentia*, quæ non exſcribo. Paullò pòſt: *Hæc autem & Papias*, inquit, *Joannis quidem auditor, contubernalis verò Polycarpi, vir qui olim vixit, ſcripto teſtatur, in quarto librorum, ſunt enim quinque ab iis conſcripti.* Eant nunc, qui, narrationibus ejuſmodi fidentes, ore tradita dogmata jactant, præſertim ſi ab antiquioribus temporibus arceſſantur. Hæc certè, unius ætatis miniſterio propagata, jam corrupta fuerant. *Irenæus* quidem [15] ſucceſſionem Epiſcoporum, per quos ſervata Traditio, memorat, quos jure ſanè potuit opponere iis, à quibus dogmata ſua Hæretici ſe accepiſſe jactabant; ſed tamen, per longum præſertim tempus, fraudis, aut erroris certè, immunes fore præſtare non potuit. Res Presbyterorum quos citat & Papiæ, Hierapolitarum Epiſcopi, exemplo liquida eſt. Plura hac de re non addam; niſi hoc unum, Epiſcoporum conſenſum, apud rectè alioqui ſentientes, non magis Scripturæ Sacræ & rectæ Rationi opponi poſſe; quàm Hæreticorum derivata, ut aiebant, à Chriſto & Apoſtolis placita. Ideóque *Euſebius* [16] non dubitavit Papiæ narrationes, quæ pleriſque, poſt eum, Eccleſiaſticis Scriptoribus, hominis antiquitate ſententiam ſuam tuentibus, errandi occaſionem præbuerant, inter quos potiſſimus fuit *Irenæus*, pro fabuloſis traducere.

ANN. CLXXX.

XIII. 4. Sunt [17] qui velint ex *Irenæo* conſtare non aliter ſenſiſſe Veteres de Eccleſia, quàm nunc vulgò ſentiunt Pontificii, Romanæque Eccleſiæ, è Veterum ſententia, *primatum*, ut loquuntur, debitum fuiſſe; ita ut auctoritate eâ polleret, quæ nulli alii inerat Eccleſiæ. At veteribus Hæreticis, qui Scripturæ & Apoſtolorum auctoritatem nihili faciebant, jure opponi poterat conſenſus Eccleſiarum Chriſtianarum, ab Apoſtolis olim conditarum. Verùm non eadem eſt ratio eorum, qui à ducentis propè annis ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt; cùm Scripturæ & Apoſtolorum auctoritatem fidei ſuæ unicum fundamentum eſſe ſtatuant; nec ſeceſſionem fecerint, niſi quia fundamentum illud, quod immotum eſſe oportuit, labefactatum ab iis, quibus valedixerunt, puta-

III. c. 3. ubi copioſè ea de re agit.

16 *Non dubitavit*] H. E. Lib. III. c. ult.

17 *Qui velint*] *Ren. Maſſuetus* Diſſ. III. in *Irenæum* præviæ Art. 4.

ANN. CLXXX. putabant. Itaque arma, quibus utitur *Irenæus* contra Veteres Hæreticos, in eos, qui hodie diſſentiunt ab Eccleſia Romana, moveri non poſſunt.

XIV. Audiamus verò *Irenæum*, de Romana Eccleſia loquentem, prout ejus verba ab Interprete barbaro (nam deſunt hîc prorſus Græca) converſa ſunt: „ [18] Quoniam valde longum eſt, in hoc tali volu„ mine, omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones, maximæ & an„ tiquiſſimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis, „ Petro & Paulo, Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam „ habet ab Apoſtolis, traditionem & adnunciatam hominibus fidem, „ per ſucceſſiones Epiſcoporum, pervenientem uſque ad nos indican„ tes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi pla„ centiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, „ præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, prop„ ter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccle„ ſiam; hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles; in qua ſemper ab his, „ qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. In hoc verò loco, plura interpretatione indigent; itaque meminerimus, oportet I. Romanam Eccleſiam fuiſſe *maximam*, *antiquiſſimam* & notiſſimam Eccleſiarum tantùm Occidentalium; omnes enim Aſiæ Eccleſiæ, quæ ante Annum LXI. quo Romam primùm venit Paulus, conditæ fuerant, & præſertim quidem Jeroſolimitana & Antiochena, Romanâ antiquiores erant, nec initio minore credentium numero abundabant; ac proinde ſi ratio tantùm antiquitatis habenda fuit, eas Eccleſias Romanæ fuiſſe præponendas; ſed dixi *Irenæum* de Occidentalibus Eccleſiis loqui videri: II. confundi in Occidente meritò potuiſſe homines, qui, repudiatis Apoſtolorum Scriptis, novam doctrinam veluti ore à neſcio quibus diſcipulis Chriſti aut Apoſtolorum acceptam; cùm iis opponeretur Eccleſiæ Romanæ Traditio, quæ minimùm tam erat fide digna, quàm obſcuri neſcio cujus hominis accepta ab iis, ut ajebant, doctrina: III. Alioqui ſucceſſionis, inter ipſos rectè ſentientes Chriſtianos, rationem tantam habitam non eſſe, quaſi ſola eſſet veritatis argumentum; quod videre licuit in controverſia de Paſchate, in qua ſucceſſionis Romanæ Traditio neque ab Aſiaticis Eccleſiis, neque ab

18 *Quoniam valde longum eſt*] Lib. III. c. 3.

19 *Per ſibi placentiam*] Sic barbarè vertit Interpres vocem Græcam adlatam, ex Etymologia, ut ſolet; nam *αὐθάδης* eſt *αὐτὸς ἑαυτῷ ἅδων*, *ſibi ipſe placens*, uno verbo *αὐτάρεσκος*. Vide *Heſychium*, *Suidam* & Etymologicum Magnum.

20 *Potiorem antiquitatem*] Alii aliter ſentiunt, de quibus vide *Joan. Erneſtum Grabium* ad hunc locum.

21 *Conſulendam fuiſſe*] Quidam volunt dici Romam iviſſe Chriſtianos, negotiorum causâ, quia ſedes erat Imperii, inter quos *Grabius*. Sed eam ſententiam bene confutavit *Franc. Feuardentius*, iviſſe enim dicuntur *ad Eccleſiam*, non ad Cæſarem; agitúrque hîc de Eccleſiæ Romanæ dignitate & auctoritate, quâ fiebat ut non inviti ei adſentirentur Chriſtiani, in rebus dubiis; quamvis non ſolerent ab ea jura veluti petere, eique cæco adſenſu parce-

ab ipſo *Irenæo* audita eſt: IV. Pro vocibus *per ſibi placentia*, ut habet Codex, quem ſequuta eſt Pariſienſis Editio, alios habere [19] *per ſibi placentiam*, hoc eſt, διὰ τὴν αὐθάδειαν, quod fortè melius eſt: V. *Potiorem principalitatem* videri, ut diximus in Notis ad Ann. CLXXIII, 2. eſſe pro Græcis, κρείσσονα ἀρχαιότητα, [20] *potiorem antiquitatem*, idque confirmari elogio Eccleſiæ Romanæ, quæ *antiquiſſima* ab *Irenæo* dicitur; nimirum, ut monuimus, in Occidente: VI. Quod additur *ad hanc neceſſe eſſe omnem convenire Eccleſiam*, videri perinde eſſe ac, ſi qua naſceretur controverſia, [21] conſulendam fuiſſe, non quaſi aliorum Chriſtianorum fidei dominam, ſed ut ejus conſilium audiretur, conferretúrque cum omnium ſententiis; quod contigit in controverſia de Paſchate, in qua tamen omnibus Eccleſiis eam ſequi neceſſe non fuit: VII. *Qui ſunt undique fideles*, eſſe totius terrarum Orbis Chriſtianos, qui vocantur in ſequentibus *qui ſunt undique*, dicuntúrque, in omni Eccleſia, *conſervaſſe eam, quæ eſt ab Apoſtolis, traditionem*: VIII. Si quid ſit minùs adcuratum, in *Irenæi* ratiocinatione, memores nos eſſe oportere, Patrum argumentationes non eſſe Demonſtrationes Mathematicas, quæ ſemper & per omnia, ſine exceptione ulla, ſunt veræ, ſed ſatis eſſe aliquo ſenſu eſſe veras; [22] quod & in omnium Scriptorum interpretatione obſervandum norunt Critici. ANN. CLXXX.

XV. 5. Si quæratur quænam fuerit *Irenæi* de S. Trinitate ſententia, quamvis nuſquam datâ operâ de ea egerit, ſed tantùm prout neceſſe erat ad confutandos Valentinianos; attamen ſatis liquet eum credidiſſe, antequàm Jeſus è Virgine Maria naſceretur, adeóque ab initio Mundi, [23] fuiſſe Filium Dei, quod eſt ſententiæ, quæ Paulo Samoſateno & Photino tribuitur, prorſus contrarium. Idem etiam de Spiritu Sancto adfirmat. Loca non proferam, quia jam ſunt ab aliis congeſta. Nec tamen ſat perſpicuè quid de diſtinctione Patris & Filii ſentiret, ex ejus verbis, intelligere licet. Multis [24] Libro IV. & alibi docet Deum Patrem inconſpicuum ſemper fuiſſe, ſed Filium ſe conſpiciendum præbuiſſe, primùm Patriarchis, deinde cùm carnem humanam ſibi adſumſit. Ut intelligeremus quæ fuerit *Irenæi* hac de re ſententia, ánve nobiſcum per omnia fecerit; ante omnia rogandus eſſet, an crederet Filium fuiſſe unius ejuſdémque *numero* Eſſentiæ cum Patre participem; tum etiam quî intel-

parere, ut liquet ex controverſia hîc memorata.

22 *Quod & in omnibus*] Vide hac de re *Artis Criticæ* poſtremam Edit. P. II. Sect. I. Cap. IV, 15. & ſeqq. Ceterùm optandum eſſet locum hunc *Irenæi* Græcè exſtare, nam barbarus Interpres mentem ejus fortè non ſatis eſt adſequutus, & fortè etiam librarii in verſione ejus exſcribenda peccarunt; niſi ſit hîc peccatum *majoris abollæ* ut ille loquitur, quo factum ſit ut legatur in *Irenæo*, quod ab eo ſcriptum non ſit.

23 *Fuiſſe Filium Dei*] Loca ejus collegit *Ren. Maſſuetus* Diſſert. III. præviæ in *Irenæi* Lib. Art. 5. quem Lectores adire poterunt.

24 *Libro IV. & alibi*] Cap. XX. ſed & à Cap. V. ſæpiùs. Vide *Maſſuetum* Diſſert. eadem num. 57.

ANN. CLXXX. intelligeret ſubſtantiam *numero* unicam, eámque ambobus ex æquo communem conſpicuam, factam eſſe, quatenus *Filius* eſt; inconſpicuam verò eſſe perrexiſſe, quatenus eſt *Pater*. Ex ejus reſponſione intelligeremus, an *unitatem numericam* Eſſentiæ Patris Filii, quemadmodum nos, admitteret; quam ſi negaret, jam ſciremus magnopere errare eos, qui putant virum optimum idem ac nos ſenſiſſe. Sin verò adfirmaret, meritò quæreremus, cur ita loquatur de Patre & Filio, ut diſtinctas utrique Eſſentias tribuere videri poſſit. Certè Valentiniani, quos potiſſimùm confutat, non unam eſſe ſubſtantiam quæ ſemper eſt inconſpicua, & quæ conſpicua ſæpiùs facta eſt, putare poterant; indéque *Irenæum* ſecum ſentire de diverſitate ſubſtantiæ ſummi Numinis, Rationis & Chriſti colligere.

XVI. Idem etiam [25] ſæpe à Filio & Spiritu, Patre jubente, hominem eſſe factum docet. Sic Lib. IV. c. 7. aut 15. „ Filius, *inquit*, qui eſt Verbum Dei, ab initio præſtruebat, non indigente „ Patre Angelis, uti faceret conditionem & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat; neque rurſus indigente miniſterio, ad „ fabricationem eorum, quæ facta ſunt, ad diſpoſitionem eorum negotiorum, quæ ſecundùm hominem erant; ſed habente copioſum & „ inenarrabile miniſterium. Miniſtrat enim ei ad omnia ſua progenies „ & figuratio ſua, id eſt, Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus ſerviunt & ſubjecti ſunt omnes Angeli. Similiter & c. 38. ſeu 73. ait hominem factum „ [26] Patre volente & jubente, Filio verò faciente & creante, ac Spiritu alente & augente. Quam in rem, redeunt eædem, quas antea propoſuimus, interrogationes, ſi ſit *una numero*, è ſententia *Irenæi*, Eſſentia Divina, quî potuerit, quatenus Pater, jubere ſemet ipſam, quatenus Filium? ſin verò plures *numero* Eſſentiæ ab eo intelligerentur, unde hoc haberet, & quî nobiſcum ſenſiſſe dici poſſit? Novi eſſe qui dicant [27] Patrem Filio & Spiritui Sancto imperare tamquam ſibi ipſi. Sed quis umquam dixit unam eumdémque Naturam ſibi, ut quidpiam faciat, imperare? Certè nuſquam talia leguntur in Scriptura, quam in re ejuſmodi præſtitiſſet ſequi, non tantùm docentem, ſed etiam loquentem; quàm ea dicere quæ intelligi nequeunt, ſúntque ab omnium Linguarum uſu aliena. Si Valentiniani hæc legerunt, facilè ſibi perſuaſerunt tres eſſe diſtinctas, *numero* certè, Divinas eſſentias, ex ſententia *Irenæi*.

XVII.

25 *Sæpe à Filio*] Lib. III. c. 8. Lib. IV. c. 38. & alibi, præter locum qui hîc profertur.

26 *Patre volente*] Græca habent: τοῦ μὲν πατρὸς εὐδοκοῦντος καὶ κελεύοντος, τοῦ δὲ υἱοῦ πράττοντος καὶ δημιουργοῦντος, τοῦ δὲ πνεύματος τρέφοντος καὶ αὔξοντος.

27 *Patrem Filio* &c.] Vide *Maſſuetum* Diſſert. II. in *Irenæum* Art. V. num. 59. Dixit quidem Deus *faciamus hominem*, ſed hoc non eſt *ſibi imperare*, verùm exſequi conſilium. Vide quæ notavimus ad Gen. I, 26. Nihil adtinebat loquendi genera invenire, quæ rem arduam obſcurarent, aut ita exprimerent, ut res Scripturæ contraria dici videretur.

28 *Docti viri*] *Georg. Bullus* Defenſionis Fidei Nicænæ Sect. II. c. V.

XVII. Sed nec diſſimulandum *Irenæum* ita loquutum, ut τὸ ὁμοούσιον admiſiſſe dici debeat, ſi probè intellexerit quid diceret; nam Lib. IV. c. 30. vel 55. ubi de Deo Patre, „ ipſe à ſemet ipſo, *inquit*, fecit libere & ex ſua poteſtate & diſpoſuit & perfecit omnia & eſt ſubſtan„ tia omnium voluntas ejus. Solus hic Deus invenitur, qui omnia fe„ cit, ſolus omnipotens & ſolus Pater, condens & faciens omnia & vi„ ſibilia, & cœleſtia & terrena, *Verbo virtutis ſuæ*, & omnia diſpoſuit & „ aptavit Sapientiâ ſuâ. Quæ ſi bene penſitentur, τῷ ὁμοϩσίῳ favent, ut & alia loca, de quibus [28] viri docti egere. ANN. CLXXX.

XVIII. Sed eſt locus Lib. II. c. 28. aut 57. qui moleſtiam viris eruditis faceſſit, ubi *Irenæus* ſic Gnoſticos adloquitur: „ irrationabiliter „ autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei myſteria ſcire vos dicitis, „ quandoquidem & Dominus ipſe, Filius Dei, ipſum judicii diem & „ horam conceſſit ſcire ſolum Patrem, manifeſtè docens: *de die autem* „ *illa & hora nemo ſcit, neque filius, niſi Pater.* Si igitur ſcientiam „ diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, ſed dixit aliquid quod „ verum eſt; neque nos erubeſcamus quæ ſunt in quæſtionibus majora, „ ſecundùm nos, reſervare Deo. Hanc ignorantiam [29] multi eruditi Interpretes ad Naturam Humanam Chriſti retulerunt; verùm [30] alii de Divina intelligi voluerunt, itáque Chriſti verba interpretantur, ut exiſtiment eum, OEconomiæ, ut loquuntur, causâ, judicii diem & horam conceſſiſſe ſcire ſolum Patrem; non quòd ipſe neſciret, ſed quòd ejuſmodi ſcientiam ad Patrem, à quo ipſe eam cum ipſa Divinitate acceperat, referendam eſſe vellet, atque ab eo dumtaxat exſpectandam diei illius notitiam. Quamvis enim eam Filius haberet, cum aliis tamen communicare noluiſſe; idve explicare, quod Pater taceri voluerat. Sed, ſi ita res haberet, Chriſtus potiùs dixiſſet, ſibi non licere hoc Apoſtolis revelare, neque fas eſſe talia ab hominibus ſciri. Ambiguitate alioqui non tantùm parum decora, ſed quæ errorem parere poſſet, uſum hîc eſſe *veracem Magiſtrum* ut credam in animum non induco; nec, ſi contortæ ejuſmodi interpretationi locus daretur, quidquam eſſet in Scriptura ſatis exploratum, quod non poſſet ad aliam quamvis ſententiam trahi.

XIX. Verum in ſequentibus *Irenæus*, ea habet, quæ non minùs negotii crearunt cognoſcendæ ejus doctrinæ & cum hodierna in concordiam redigendæ ſtudioſis. „ Si quis exquirat cauſam, *inquit*, propter

29 *Multi eruditi*] Non tantùm recentiores, ne quis iis invidiam propterea creet, ſed etiam Veteres, quos laudat *Joan. Maldonatus* ad Matth. XXIV, 36.

30 *Alii de divina*] Eumdem vide, qui his adſentitur, ſed contortam rationem reddit dicti Chriſti dicentis, ut putat, *ſe non ſolùm ut hominem, ſed etiam ut Deum, quodam modo* diem *judicii* ignorare; *non quòd ignoret, ſed quòd non ipſius ſit officium ſcire.* Quæ an intelligeret ipſe *Maldonatus* neſcio. Certè Chriſtum ambiguitate Apoſtolos ludificantem inducit. Rem aliter adgreditur *Ren. Maſſuetus* in ſequentibus verbis.

ANN. CLXXX. „ ter quam in omnibus, Pater communicans Filio, ſolus ſcire horam „ & diem à Domino manifeſtus eſt; neque aptabilem magis, neque „ decentiorem, quàm hanc inveniat in præſenti (quoniam enim ſolus „ verax magiſter eſt Dominus) ut diſcamus per ipſum ſuper omnia eſſe „ Patrem. Etenim, *Pater* ait, *major me eſt*. Ii qui volunt Chriſtum loqui, non ut Hominem, ſed ut Deum, hîc mirum in modum æſtuant; ut oſtendant, quî hæc cum ſententia de *unitate numerica* naturæ Patris & Filii conſentiant, nec ſe ſe ſatis expediunt. Natura enim *una numero*, quomodo quatenus Pater ipſa ſecum, quatenus eſt Filius, dici queat *communicare omnia*, & *ſola ſcire diem & horam* judicii, etiam excluſo Filio, nemo umquam intellexerit. Sed non difficulter, ex ſententia, quæ invaluerat, tres eſſe ſubſtantias, ſolâ exſiſtendi ratione diſtinctas, res intelligi poteſt. Una enim ſubſtantia, ex qua omnia ſunt, etiam Filius, potuit ei hoc occultaſſe. Si ad Naturam Divinam Chriſti etiam referas, eámque *unam numero* cum Natura Patris, ut ii quos diximus faciunt, hæc verba *Pater major me eſt*; non ſatis erit dicere [31] Patrem primùm omnium, ipſius Filii principium eſſe, cui omnia, ut naturam, ſic & ſcientiam accepta refert Filius; nam voces *Pater* & *Filius* complectuntur [32] Eſſentiam, non tantùm illius Eſſentiæ modos, quorum unus alteri originem debeat. Sequuntur quidem, in hiſce loquendi generibus, Veteres; ſed Veteres, à quibus primis inventa ſunt, numquam ita eſſent loquuti, niſi plures Naturas Divinas æquales eſſe credidiſſent. Certè ſi aliter ſenſiſſent, imprudentes & Hæreticis ſuorum temporum & toti Poſteritati juſtam rationem credendi eam, quam diximus, eorum ſententiam fuiſſe, ſine ulla eorum injuria, ſuppeditaſſent.

XX. Non eſt tamen omittendum quod de generatione Filii habet, eodem loco, *Irenæus*, cujus hæc ſunt verba: „ Si quis itaque nobis „ dixerit: quomodo ergo Filius prolatus eſt à Patre? Dicimus ei, quia „ prolationem iſtam, ſive generationem, ſive nuncupationem, ſive „ adapertionem, aut quolibet quiſquis nomine vocaverit, generationem „ ejus inenarrabilem exſiſtentem nemo novit; non Valentinus, non „ Marcion, neque Saturninus, neque Baſilides, neque Angeli, neque „ Archangeli, neque Principes, neque Poteſtates, niſi ſolus qui ge- „ neravit Pater & qui natus eſt Filius. Inenarrabilis itaque generatio „ ejus cùm ſit, quicumque nituntur generationes & prolationes enar- „ rare, non ſunt compotes ſui, ea, quæ inenarrabilia ſunt, enarrare „ promittentes. Non ergo magnum quid invenerunt, qui [33] emiſſiones

31 *Non ſatis erit dicere*] Ut facit *Maſſuetus*, Differt. memoratæ num. 62.

32 *Eſſentiam* &c.] *Pater* enim vox eſt, ut Logici loquuntur, concreta, ut & vox *Filius*. Ex ſententia recepta, dicendum eſſet à *Paternitate* genitam *Filietatem*, ut loqui amant Scholaſtici; aut Eſſentiam ab Eſſentia genitam fatendum. Sic ſanè veteres eſſe loquutos oſtendit *Petavius* de Trinitate Lib. VI. c. 10. & ſeqq. nec rem improbat *Bullus* Defens. Fidei Nicænæ Sect. IV. c. 1.

33

„ nes excogitaverunt, neque abſconditum myſterium, ſi id, quod ANN.
„ ab omnibus intelligitur, tranſtulerunt in unigenitum Dei Verbum &c, CLXXX.
„ quem inenarrabilem & innominabilem vocant, hunc, quaſi ipſi obſtetricaverint, primæ generationis ejus prolationem & generationem enunciant, adſimilantes eam hominum verbo emiſſionis. Quibus verbis facilè omnes ſubſcribent, qui rem probè expenderint; de re enim, quam omnes ab hominibus capi poſſe negant, ſilendum prorſus, vel circumſpectiùs loquendum. Hinc *Irenæus* non admodum probat loquendi genus inventum, ad generationem exprimendam voce *emiſſionis*; quâ emiſſus à Patre Filius ſtatuitur, ut verbum ore *emitti* ſolet. Nec profectò ulla vox apta eſt ad deſcribendam rem, quam animo ſe concipere nemo dicere ſuſtineat; imò verò facilè fallere incautos poteſt, qui è vocis ſolito ſignificatu de re prorſus ignota judicium ferunt. Ideóque, quod ſæpe monuimus, multò prudentiùs ſe geſſiſſent, ſi in verbis Apoſtolorum adquieſcentes, nihil præterea addidiſſent.

XXI. 6. De conjunctione duarum Chriſti naturarum, quæ habet *Irenæus* non adtingam, cùm ſint tantùm Valentinianis deliriis oppoſita, nec quidquam ſit quod Lectores moretur. Sed eſt locus de S. Virgine, de quo cum Eccleſiæ Romanæ Theologis ii certant, qui ab ea ſeceſſere. Exſtat Libro V. c. 19. ubi κατ' ἀντίθεσιν Virgo, & bona quæ ex ejus partu Humano Generi obtigerunt opponuntur Evæ, calamitatibúsque ex ejus peccato ortis. Inter quæ, ſic habet *Irenæus*: „ Et ſi ea „ (*Eva*) inobedierat Deo; ſed hæc (*Virgo*) facta eſt obedire Deo, ut „ Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata. Non agam de controverſia ipſa, utrum Maria *advocata* hominum poſſit dici; hoc tantùm dicam, cùm Græca verba *Irenæi* deſint, quæri quâ voce Græca uſus videatur *Irenæus*. Ii, quorum aures ferre non poſſunt Virginem *advocatam* hominum dici; cùm altum ſit de eo Mariæ munere, in Novo Teſtamento, atque in primævis Scriptoribus Chriſtianis, ſilentium; 34 ſuſpicantur habuiſſe Lugdunenſem Epiſcopum vocem παράκλητος, quam *conſolatricem*, non *advocatam* vertendam cenſent. At qui poſteriorem vocem probant, contendunt potuiſſe aliam vocem in Græcis eſſe, qualis eſt vox συνήγορος, aut alia ſimilis. Verùm cùm unus è Valentinianis Æonibus vocaretur *Paracletus*, è quo, ut & è ceteris, prognatum Chriſtum Valentiniani aiebant; potuiſſet *Irenæus* breviter indicaſſe ejuſmodi elogio digniorem S. Virginem fuiſſe. Attamen cùm reputo eo ævo inuſitatam planè fuiſſe hanc loquendi rationem, eò inclinat animus, ut putem potiùs mendum eſſe in voce *advocata*, ſcribendúmque *adver-*

33 *Emiſſionem*] Hoc eſt, προβολήν, quam vocem invenerant Valentiniani; quam ob rem primùm rejecta, deinde admiſſa eſt. Vide *Dionyſ. Petavii* de Trinitate Lib. V. c. 8.

34 *Suſpicantur*] Vide *Joan Dallæum* adversùs Latinorum Traditionem de Religioſi Cultûs Objecto Lib. I. c. 8. unde ſumſit *Grabius*, quæ ad *Irenæum* habet, licèt diſſimulet.

ANN. CLXXX. *adverſaria*; quod cùm à Librariis non intelligeretur, mutatum ſit in *advocata*, cui meliùs, ut opinabantur, cum re conveniebat & cum opinione vulgò recepta, de Sanctorum fato functorum invocatione, & apud Deum, etiam pro mortuis, deprecatione. Quærentibus quid ſibi velit hîc *adverſaria*, facilè ſatisfiet; ſi reputent rei, de qua agit *Irenæus*, aptiſſimam eſſe vocem ἀντίστοιχον, hoc eſt, *ex adverſo oppoſitam*; ſique inter ſe Evam & Mariam opponi ab *Irenæo* recordentur, velléque eum quantùm mali pepererat prima Parens hominibus; tantùm boni ei Mariam, edito in lucem Chriſto, adtuliſſe. In ejuſmodi comparatione & oppoſitione, quæ ſibi invicem membra reſpondent dicuntur συστοιχεῖν, & quæ adverſantur viciſſim ἀντιστοιχεῖν, vel σύστοιχα & ἀντίστοιχα, [35] ut viri docti oſtenderunt ad Gal. IV, 25. qui poterunt conſuli.

XXII. 7. Viri eruditi, [36] *Irenæo* aliàs æquiſſimi, verè notarunt eum Lib. II. c. 22. erraſſe cùm in calculo annorum, quos Chriſtus in terris vixit; tum etiam in adprobatione Traditionis, quæ ſtatuebat Chriſtum quadraginta annis ſeniorem mortuum; nec ipſum ſecum conſentire. Rectè confutat Valentinianos, qui Chriſtum non modò triginta annos natum, baptiſmum ſuſcepiſſe aiebant, ut Æonum numerum effingeret, ſed & anno pòſt mortuum; eò quòd [37] tria Paſchata, dum Evangelium prædicat, celebraſſe, poſt baptiſmum, memoretur, & poſt tertium demum in crucem ſublatus ſit. Verùm cùm hinc colligere debuiſſet Chriſtum, anno ætatis trigeſimo tertio, vel quarto mortuum eſſe; attamen, quaſi, antequàm cœpiſſet Evangelium prædicare, effluxiſſet minimùm decennium, vult *Irenæus* Chriſtum non docuiſſe niſi provectiore ætate, invehitúrque in Valentinianos, quaſi ei *provectiorem ætatem auferentes, illam, inquam, provectiorem, quâ præerat univerſis. Quomodo enim*, inquit, *habuit diſcipulos, ſi non docebat, Magiſtri ætatem non habens?* Atqui [38] nullo Scripturæ loco, nullâ Judæorum conſuetudine, conſtat Magiſtrum eſſe non potuiſſe trigeſimum annum agentem; nec Spiritus Prophetiæ, quo agebatur Chriſtus, certis annis adſtrictus eſſe poterat. Ut autem ſcias, quam *provectiorem ætatem* intelligat *Irenæus*, audi

35 *Ut viri docti*] Vide præſertim *Theodorum Bezam*, ad locum Pauli, & *Robert. Conſtantinum*, in Lexico, ad verbum συστοιχεῖν.

36 *Irenæo aliàs* &c.] Vide *Ren. Maſſuetum* Differt. Præviâ in *Irenæum* III. num. 70.

37 *Tria Paſchata*] Minimus hic eſt numerus, nam quatuor celebrata, ex ordine hiſtorico, ſatis liquere adtento lectori putamus, & in quatuor poſtremis vitæ Chriſti in terris oſtendimus.

38 *Nullo Scripturæ loco*] Levitæ inſerviebant Tentorio, aut ab anno trigeſimo, ut eſt Num. IV, 3. vel etiam vigeſimo quinto, Ib. c. VIII, 25. citiùs quoque in Templo, ex Davidis Regis edicto; nempe, vigeſimo 1. Par. XXIII, 27. Nec ratio ulla eſt, cur triginta annos natus, ſi modo alioqui neceſſariâ eruditione inſtructus ſit, docere non poſſit. Vide *Joan. Seldenum* de Succeſſione in Pontif. Lib. II. c. 4. & *Camp. Vitringam* in Prolegom. ad Synagogam Veterem Cap. V, 4.

39 *Tota ferè* &c.] Vereor ut Papias, aut ſimilis commentorum conſarcinator, ex hoc loco malè ratiocinatus, de ætate Chriſti hanc fabulam confinxerit, ut pravum calculum tueretur. Certè Apoſtolici viri vix in ejuſmodi rebus peccare poterant.

40 *Sub*

audi eum poſtea loquentem: „ Quia autem, *inquit*, triginta annorum ANN. CLXXX.
„ prima indoles eſt juvenis & extenditur uſque ad quadrageſimum an-
„ num omnis quilibet confitetur; à quadrageſimo autem & quinqua-
„ geſimo anno, declinat jam in ætatem ſeniorem, quam habens Domi-
„ nus noſter docebat; ſicut Evangelium & omnes Seniores teſtantur,
„ qui in Aſia apud Joannem Diſcipulum Domini convenerunt, id ipſum
„ tradidiſſe eis Joannem. *Tum paullò pòſt*: ſed & ipſi, qui tunc diſpu-
„ tabant cum Domino Jeſu Chriſto, Judæi apertiſſimè hoc ipſum ſigni-
„ ficaverunt, quando enim eis dixit Dominus: *Abraham pater veſter*
„ *exſultavit, ut videret diem meum, & vidit & gaviſus eſt*; reſponde-
„ runt ei: *quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidiſti.* (Joan.
„ VIII, 57, 58.) Hoc autem conſequenter dicitur ei, qui jam quadra-
„ ginta annos exceſſit, quinquageſimum autem annum nondum adtigit;
„ non tamen multùm à quinquageſimo anno abſiſtat. Ei autem, qui ſit tri-
„ ginta annorum, diceretur: utique quadraginta annorum nondum es.

XXIII. Ut à poſtremis ordiar, à quibus [39] tota fortè hæc Traditio originem duxit, I. ſi recta eſſet hæc ratiocinatio *Irenæi*, Chriſtus eo tempore, non multùm à quinquageſimo anno remotus, debuiſſet circiter quadraginta quinque annos natus eſſe; quod ſi verum eſſet, Chriſtus neque [40] ſub Tiberio, neque [41] ſub Pilato, mortem eſſet perpeſſus, quod abſurdum eſt: II. quod cùm ita ſit, non fuerunt ad vivum reſecanda verba Judæorum, Chriſto triginta duos annos nato, dicentium eum nondum quinquageſimum annum adtigiſſe; nam & hoc verum erat, & annorum numerum datâ operâ auxerunt, ne juniorem, quàm re verâ fuit, ſtatuere viderentur; ad quod acceſſit quòd durior vita, quam in terris agebat, vultum ejus ita emaciaſſet & mutaſſet, ut jam annos natus plus quadraginta videri poſſet: III. indidem etiam ſequitur traditioni Seniorum aures non fuiſſe præbendas, ſi modò ulla ejuſmodi fuit traditio; nam ad me quidem quod adtinet, homines, qui Joannem conſulere potuerunt, [42] tam fœdè erraſſe à me non impetro ut credam: IV. nec ulla ratio fuit *Irenæo* ſuſpicandi aut Chriſtum per decen-

40 *Sub Tiberio*] Non natus eſt Chriſtus, niſi biennio ante mortem Herodis, ex calculo *Henr. Dodwelli*, qui I. Diſſ. Irenaïca, quâ ut poteſt *Irenæum* tuetur, ſeu anno U. C. DCCXLVIII. à quo ad DCCXC. quo mortuus eſt Tiberius, ſunt anni tantùm XLII.

41 *Sub Pilato*] Nam anno & fortè paullò plus, ante mortem Tiberii, à Vitellio Syriæ Præſide, Provincia Judæâ abire juſſus eſt.

42 *Tam fœdè erraſſe*] Omnem lapidem movit *Henr. Dodwellus*, Irenaïcâ Diſſert. I. ut errorem minuat. Diſtingui vult factum ipſum à ratiocinatione *Irenæi*; & factum quidem ait eſſe verum, ſed ratiocinationem minùs rectam. Factum verò eſt, ut putat, Chriſtum *declinaſſe in ætatem ſeniorem*; quod iis videbatur qui Chriſtum viderant, è vultu conjectantibus, quamvis Chriſtus anno, ex ejus ſententia, ætatis ſuæ trigeſimo octavo cruci adfixus fuerit. Verba verò illa ita interpretatus eſt *Irenæus*, quaſi ſignificarent eum propiorem fuiſſe anno quinquageſimo, qua in re erravit. Ingenioſa eſt ratio tutandi Traditionem, ſed quàm fallax ſit ex eo ipſo intelligere licet, cùm tam citò hæc Traditio ſit in alienum ſenſum detorta. Deinde ipſe *Dodwellus* communi Traditioni con-

ANN. CLXXX. decennium, poſt baptiſmum, ſiluiſſe, aut in hiſtoria tredecim annorum, quatuor tantùm Paſchatum ſummùm mentionem ab Evangeliſtis factam eſſe. Pluribus hæc perſequuti ſumus, ut etiam hinc liqueret, quàm infirmo fundamento nitantur, qui Sæculi Secundi Traditiones, ore propagatas, Apoſtolicis Scriptis æquant.

XXIV. 7. Viri docti, [43] è Pontificia Schola, contendunt eſſe apud *Irenæum*, quæ ſuadeant arcanam Confeſſionem, apud Sacerdotes, jam tum fuiſſe in uſu. Sed nituntur, eam in rem, loco Epiſcopi Lugdunenſis, de quo jam egimus ad Ann. CXLV, 5. ubi oſtendimus nihil eſſe in iis verbis, quod eò pertineat. Iidem putant colligi poſſe, ex eodem loco *Irenæi*, Hæreticis illius ævi creditam *Transſubſtantiationem*; ſed adeò levi conjecturâ ducuntur, ut nihil neceſſe ſit nos rei immorari.

XXV. 8. Irenæi noſtri [44] poſteriores duo Interpretes exiſtimarunt ab eo Euchariſtiam, inſtar ſacrificii Evangelici, habitam. Verùm ante omnia nobis conſtat, ex ipſa Euchariſtiæ prima à Chriſto inſtitutione, eam ſacrificium non eſſe; nec additamentis poſteriorum ætatum fidem nos habere neceſſe eſt. Profectò ritum peragere, eò inſtitutum ut memoria ſacrificii celebretur, non eſt ſacra facere. Ideò mors & effuſio ſanguinis Chriſti ſolæ ſacrificium, propriè certè dictum, & quod peccata expiat, vocantur, idque ſacrificium ſemel tantùm peractum eſt. Nihil Deo, in Euchariſtia, à Chriſtianis offertur, præter gratiarum actiones, preces, & alios religioſi animi, ejúſque memoriâ Sacrificii Chriſti perculſi motus. Si quid Patres, de ſuo, huic Euchariſtiæ notioni addiderunt, quod præfractè inficiari nolim, síque Panem & Vinum Dona atque Oblationem vocitarunt; aut, pro more ſuo, proprietatis verborum parum obſervantes fuere; aut ſunt adventiciæ notiones, quæ ſenſim primæ inſtitutioni non ſatis intellectæ adjectæ ſunt. Audiamus ipſum *Irenæum*, [45] rem his verbis deſcribentem: „ ſuis, *inquit*, Diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, „ eum qui ex creatura panis eſt accepit & gratias egit, dicens: *hoc eſt* „ *meum corpus*; & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt „ ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & Novi Teſtamenti „ novam docuit oblationem; quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo

contradixit, dum mortem Chriſti ad Ann. XXXIII, diſtulit; cùm ſit à pleriſque Conſulatui duorum Geminorum, ſeu An. Æræ Vulgaris XXIX. adſignata.

43 *E Pontificia Schola*] *Maſſuetus* Diſſert. III. n. 74. Artic. VI.

44 *Poſteriores duo* &c.] *Joan. Erneſtus Grabius* & *Ren. Maſſuetus*. Ibid. n. 76.

45 *Rem his verbis*] Lib. IV, c. XVII, 5. Edit. *Maſſuetianæ*.

46 *Uſui Judæorum* &c.] Vide ad Ann. XXIX, 36. & Intt. ad Matth. XXVI, 26. & ſeqq.

47 *Menſæ imponere* &c.] Vide ad Ann. CXXXIX, 29. & 31. ubi è *Juſtino* celebratio Euchariſtiæ deſcribitur. Adi etiam *Joan. Caſp. Suiceri* Theſaurum, in voce θυσία col. 1422. T. I. & *Chriſtoph. Matthæum Pfaffium* ad II. *Irenæi* Fragmentum & Diſſert. de Oblatione Euchariſtica Veterum §. XXVII.

48 *Non eſſe oblationem*] Nam hæc oblatio demum fit, ut putant, poſtquàm conſecratio facta eſt. Vide etiam de Oblat. *Gabriel.*

„ univerſo mundo, offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primi- ANN.
„ tias ſuorum munerum in Novo Teſtamento &c. Ad quæ verba CLXXX.
animadvertere poſſumus I. in inſtitutione Cœnæ Domini, ne verbum quidem eſſe de oblatione panis & vini, primitiarum inſtar, nec credibile eſſe ea de re nec tres Evangeliſtas, nec Paulum, qui iiſdem fermè verbis hujus ritûs deſcriptionem ediderunt, quidquam quod eò pertineat dicturos fuiſſe, ſi ejuſcemodi finem ſibi, in hoc ritu, propoſuiſſet Chriſtus. Eos tamen aliud nihil dicere, niſi Chriſtum, ſumto in manum pane & mox calice, *bene dixiſſe*, Deo nempe, aut *ei gratias egiſſe*; quod conſentaneum erat [46] uſui Judæorum in Cœna Paſchali, nec oblatio, aut ſacrificium habebatur, uti nec erat, niſi ſacrificium voces gratiarum actiones: II. Nec quemquam jure contendere poſſe rem innotuiſſe *Irenæo*, aliiſque ejus ævi Chriſtianis, inſtitutione Apoſtolicâ, quæ ab iis ſcripto numquam mandata fuerat; neque enim hoc ipſi teſtantur, & *Irenæus* præſertim ſolis Chriſti verbis nititur; præter quàm quòd tam facilè res negari poſſet, quàm adfirmaretur: III. Verba, *hoc eſt corpus meum*, non poſſe haberi gratiarum actionis loco; nec etiam ea quæ de calice prolata ſunt: *hoc eſt ſanguis meus*, *ſanguis Novi Fœderis* &c. IV. Veteres Chriſtianos ſolitos eſſe ſacræ [47] menſæ imponere panem & vinum, quorum pars in Euchariſtiæ celebrationem abſumebatur, eáque Deo, gratiis ob ejus beneficentiam actis, veluti offerre; quò reſpicit hîc *Irenæus*: V. Nec vituperari poſſe ejuſmodi inſtitutum, cùm nihil in eo eſſet, quod cum Euchariſtiæ prima inſtitutione non poſſet conſiſtere; verùm eam [48] non eſſe oblationem, quâ peccatum expiaretur; qua de re, conſentiunt etiam ii, qui Euchariſtiam propriè dictam expiationem eſſe putant: VI. Euchariſtiam ipſam eſſe dumtaxat ſacrificii Chriſti [49] commemorationem, nec poſſe, ſi propriè loquamur, pro ullo offerri; ſed tantùm invocari Deum, ut ignoſcat peccatis eorum, pro quibus oratur, propter ſacrificium ſemel Deo oblatum, à Jeſu-Chriſto, cujus ſacrificii memoria quidem celebratur, ſed ipſum nequaquam iteratur: VII. Non videri nos plura, hac de re, dicere poſſe, niſi inſtitutioni Domini ex ingenio ipſi noſtro addere velimus, quod in ea non fuit. Si autem poſſint dicta Veterum Chriſtianorum è primæva inſtitutione intelligi, ita intelligenda, ne videantur Chriſto adverſari; &

Gabriel. Albaſpinæum, Obſervat. Lib. I. c. 5.

49 *Commemorationem* &c.] Sic ſenſere etiam ii è Veteribus, qui frequentiſſimè Euchariſtiam θυσίαν vocitarunt. Ita *Chryſoſtomus* Hom. XVII. in Ep. ad Hebræos, p. 523. Tomi IV. Ed. Etonienſis: Ὁ ἀρχιερεὺς ἡμῶν ἐκεῖνός ἐστιν ὁ τὴν θυσίαν τὴν καθαίρουσαν ἡμᾶς προσενεγκών· ἐκείνην προσφέρομεν καὶ νῦν, τὴν τότε προσενεχθεῖσαν, τὴν ἀνάλωτον, τοῦτο εἰς ἀνάμνησιν γίνεται τοῦ τότε γενομένου· τοῦτο γὰρ ποιεῖτέ, φησιν, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· οὐκ ἄλλην θυσίαν καθάπερ ὁ ἀρχιερεὺς τότε, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν· μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας: *Pontifex Maximus noſter ille eſt, qui ſacrificium, quod nos purgat, obtulit. Illud offerimus & nunc, quod tunc oblatum eſt, nec abſumi poteſt. Hoc in commemorationem fit ejus, quod tunc factum eſt*; hoc enim facite, *inquit*, in mei commemorationem. *Non aliud ſacrificium, quemadmodum tunc Pontifex Maximus, ſed idem ſemper facimus; aut potiùs commemorationem ſacrificii peragimus.*

ANN. CLXXX. & poſſe hoc fieri, quantacumque tandem emphaſis primâ ſpecie inſit eorum verbis, quæ parum propria, & hyperbolica ſæpe ſunt. Quòd ſi minùs fieri poſſet, ex legitimæ interpretationis legibus, ſatius futurum eſſe dicere eos erraſſe, quàm eorum causâ ſententiam indubitatam verborum Chriſti torquere.

XXVI. Adferunt etiam [50] viri docti quædam *Irenæi* loca, ex quibus putant colligi poſſe præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, aut etiam Tranſſubſtantiationem. Verùm qui iis dogmatibus fidem non habent, quia conſtat nihil eſſe in Scriptura, quibus defendi queant, cùm repugnantias multas complectantur, numquam ejuſmodi locis quidquam ſimile reperient. Ac ſanè & Scripturis & primævis Chriſtianis is honos habendus, ne, in re ejuſmodi, ea quæ nullo modo eſſe poſſunt, quippe repugnantia, admiſiſſe videantur. Sic ergo verba Scripturæ & Veterum interpretari nos par eſt, quod in aliis rebus Interpretes omnes omnium Scriptorum ſolent, ut ne palam falſa iis tribuamus, niſi res ipſa nos eò adigat. Si reliquum totum Humanum Genus (qnod fieri nequit) adfirmaret, unum idémque corpus pluribus locis ſimul præſens eſſe; non eſſet in eorum poteſtate, qui talia audirent, eis adſentiri; nec ii ipſi, qui ſe credere aiunt, magis credere poſſunt, ſi rem probè expendamus, quàm qui negant; quamvis bonâ fide multi ſe credere putent, quia verba recitare, quibus dogma confitentur, à pueris ſolent. Ratio ejus rei clara eſt; quod, nimirum, nemo credat quod nullo modo intelligit. Si millies quis dixerit ſe exiſtimare *eſſe circulum quadratum*, fieri tamen non poteſt ut credat, ſique ex animi ſententia loqueretur, [51] verbis inanibus ſibi fucum fieri pateretur. Itaque, ſi qua eſt Antiquitatis Chriſtianæ reverentia, multò ſatius eſt verba ejus interpretari, quæcumque ſint, in eam ſententiam, quæ vera eſſe queat; quàm repugnantia loquentem, in re clara, inducere.

XXVII. 9. Credidit quidem *Irenæus* Angelos eſſe *ſine carne*, ſeu craſſiore corpore, ut ait Lib. III. c. XX, 4. ſed, ut vulgò Veteres, vehiculo eos ſubtilioris corporis induebat. Hi verò cùm peccaſſent, in terras detruſos, amore mulierum captos ex iis liberos genuiſſe; quæ communis, iis temporibus, fuit ſententia, ut jam monuimus ad Ann.

50 *Viri docti* &c.] *Ren. Maſſuetus* Diſſert. III. Art. VII. n. 76. & *ſeqq.* quem partim confutat *Chr. Matth. Pfaffius* in II. Fragm. *Irenæi.*

51 *Verbis inanibus* &c.] Quî hoc fiat oſtenſum eſt *Artis Criticæ* Parte II. S. I. c. 9.

52 *Poſtremus* &c.] Diſſert. III. Art. 9.

53 *Doctiſſimi Hiberni*] *Henr. Dodwelli* in libro Anglico *de Mortalitate naturali Animi*, aliiſque qūos, hujus tuendi gratiâ, ſcripſit.

54 *Dogmata Philoſophica* &c.] Putabat non tantùm Judæos Helleniſtas vulgò Platonica decreta eſſe amplexos, ſed ea etiam comprobata ab Apoſtolis, qui paſſim ad ea reſpicerent, & ad poſteros quaſi vera tranſmiſſa. Qua de re, vide Opus ejus Anglicum *de Schiſmate* Cap. XVII. & alterum *de Uno Altari & Uno Sacerdotio* Cap. VIII. Ubi, & poſtea etiam frequentiùs in Scriptis *de Mortalitate naturali Animi*, aliiſque, non tantùm placita philoſophica Platonicorum, ſed & eorum religioſa commenta Chriſtianis dogmatibus, miro auſu, miſcet. Atqui ſi ea à poſteris interdum miſta,

Ann. CI, 11. ex Gen. VI, 2. malè intellecto orta. Mirum ſanè eſt tam parum probabilem ſententiam, nec ullâ ullius momenti ratione nixam, potuiſſe ita invaleſcere, ut ab aliis ſuper alios defenderetur. Verùm, ut Veritas fructum aliquem ex Errore capiat, hinc colligamus oportet, conſenſum Veterum certum Veritatis indicium nequaquam eſſe. Credebant tamen iidem Angelos naturâ ſuâ immortales eſſe, idémque ſentiebant de animis humanis; quamvis iis quoque ſubtilioris corporis perpetuum vehiculum adſignarent. Quod ex *Irenæo* multis, nec ambiguis locis, probat [52] poſtremus ejus operum editor, confutátque ſimul [53] doctiſſimi Hiberni ſententiam; qua contendebat Mentem Humanam, ſuâ naturâ, mortalem eſſe, ex *Irenæi* aliorúmque Veterum doctrina, & mori reverâ; niſi Spiritum, immortalitatis cauſam, homo in Baptiſmo, à legitimo Miniſtro adminiſtrato, accepiſſet; aut niſi, præter ordinem, Mentem Deus immortalem præſtet, qua de doctrina plures libellos ſcripſit. Delapſus erat Vir alioquin Eruditiſſimus in tam abſonam ſententiam, dum [54] dogmata, etiam philoſophica, Secundi Sæculi, amplectitur quaſi Traditiones Apoſtolicas; dúmque nimis argutatur è loquendi generibus parum adcuratis, quibus Scriptores illius ævi ſcatent, quod [55] à viris doctis in Anglia jam obſervatum erat. Magni errores naſci queant è ſubtilioribus æquo interpretationibus Veterum, quorum nec ſtylus magnopere eſt elaboratus, nec ratiocinationes ad rectæ Rationis & veræ Criticæ normam exactæ, nec notiones ſatis perſpicuæ, aut per omnia inter ſe conſentientes, nec principia uſquequaque vera. Quod iis, qui Scriptores Eccleſiaſticos legunt, perpetuò animo obverſari oportet, nî in frequentes & graves errores incidere velint. ANN. CLXXX.

XXVIII. 10. Docet *Irenæus* non tantùm Adamum ante peccatum, libero arbitrio, ut tam poſſet non delinquere, quàm delinquere, præditum fuiſſe; ſed & ejus poſteros, quamvis peccato inquinatos. „ [56] Poſuit, *inquit*, „ *nimirum Deus*, in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & „ in Angelis (etenim Angeli rationabiles) uti hi quidem, qui obediſ- „ ſent, juſtè bonum ſint poſſidentes, datum quidem à Deo, ſervatum „ verò ab ipſis. Qui autem non obedierunt juſtè non invenientur cum bono,

miſta, ejuſmodi miſturæ rei non fuerunt Apoſtoli; nec ſi quæ hîc illic verba ſimilia Platonicis ſunt, continuò urgeri per omnia poſſunt; quaſi Platonica ab iis admiſſa eſſent principia, & conſectaria omnia, quæ ex iis deduci poſſent. Quod ſtatuit *Dodwellus*, qui non modò pro exploratis ſumit, aut ſibi concedi poſtulat quæ ſunt incertiſſima; ſed & ſubtilia paſſim deducit ex iis conſectaria, quorum nexus cum principiis negari omnino poteſt, unde naſcitur conjecturarum incertarum aut falſarum incredibilis numerus. Hæc paucis dicenda fuere, ne cum Viro Doctiſſimo minùs cauti, non tantùm Sæculi Secundi Patres, ſed & ipſos Apoſtolos Platonicos fuiſſe exiſtimarent, ejus auctoritate tranſverſi acti. Ceteroqui nec ingenium, nec eruditionem viri à nobis ſperni, in Chronologicis præſertim, hoc ipſum Opus ſatis probat.

55 *A viris doctis*] Qui in ejus ſententiam *de Animi Mortalitate* ſcripſerunt, ut Vir Eruditiſſimus & rectioris Philoſophiæ peritiſſimus *Samuel Clarke.*

56 *Poſuit* &c.] Lib. IV. c. 37.

ANN. CLXXX. „ bono, & meritam pœnam percipient; quoniam Deus quidem dedit „ benignè bonum, ipſi verò non cuſtodierunt diligenter illud, neque „ pretioſum arbitrati ſunt, ſed ſupereminentiam bonitatis contemſerunt. Plura non addam, quæ apud ipſum *Irenæum* meliùs legentur; in quibus probat homines non naturâ, ſed electione, bonos eſſe, aut malos; abſque quo eſſet, nec laudari, nec vituperari jure poſſent: Chriſti præcepta & adhortationes, quorum aliquot proferuntur, liberum & ſuæ poteſtatis hominem fuiſſe oſtendere: Niſi liber eſſet, Chriſtum & Apoſtolos quædam facere, ab aliis abſtinere, fruſtra juſſuros: Nec tantùm in factis, ſed etiam in fide, quam Revelationi habere, aut negare poteſt, liberum eſſe: Qui liberum hominem negant, ab iis aut Deum minùs potentem, aut naturæ humanæ minùs gnarum ſtatui: Denique, ut ex propoſita victoribus corona probatur hominis libertas, ſic è certaminis labore gloriam victoriæ augeri.

XXIX. Deinde [57] ſibi proponit *Irenæus* objectionem eorum, qui contendebant, ſi factus à Deo eſſet ab initio homo, perfectum fuiſſe futurum, non qui labi poſſet & re verâ eſſet lapſus, reſpondétque „ à „ Deo quidem, in ſe ſpectato, qui ſemper idem & ingenitus eſt, omnia „ poſſe fieri; ea verò, quæ orta ſunt, cùm poſtea productionis initium „ habuerint, ideò eſſe eo, qui illa fecit, inferiora; non enim, *inquit*, „ poterant ingenita eſſe, quæ nuper genita erant; quia autem non ſunt „ ingenita, ideò deeſſe iis perfectionem. Quibus verbis, ut & ſequentibus, innuere videtur *Irenæus* creata omnia eſſe mutationi obnoxia, nec homines fuiſſe majoris perfectionis capaces. Tum addit, in eorum quoque creatione, potentiam, ſapientiam & bonitatem Dei elucere; qui iis etiam paullatim perfectionem largietur. Quæ omnia ſunt veriſſima, ſed Gnoſticorum objectioni non omnino ſatisfaciunt. Quid verò nobis ea de re videretur diximus ad Ann. CXLI, 7.

XXX. Pergit [58] in ſequentibus oſtendere, culpâ hominis, fieri ne ad perfectionem naturæ ſuæ perveniat, nam Deum effeciſſe ut bonum & malum homines ſecernerent, cujus cognitionis ope, bonum ſectati malum refugerent: Eos, qui Dei voluntati non obſiſtunt, ab eo perfici: Lucem denique requirentibus æternum lumen, fugientibus æternas tenebras à Deo datum iri. Nonnulla etiam eodem pertinentia addit,

57 *Sibi proponit*] Capite XXXVIII. cujus Græca, quæ vertimus, è *Joannis* Damaſceni Parallelis proferuntur.

58 *In ſequentibus*] Cap. XXXIX.

59 *Irenæus*] *Auguſtinus* contra Julianum Lib. I. c. 7. num. 5. Operum Tomo. X.

60 *Non aliter ſervari* &c.] Locus exſtat, Lib. IV. c. 5. pro vulgari diviſione, Cap. II, 7, pro Maſſuetiana.

61 *Quemadmodum* &c.] Lib. V. c. 19.

62 *Viros doctos* &c.] *Gerardum Joannem Voſſium*, in Hiſt. Pelagiana Lib. II. Part. I. ad Theſin VI. ubi & alia *Irenæi* verba profert, quæ magis ad rem non faciunt. Sed vir egregius Humaniorum Litterarum longè peritior erat, quàm Theologicarum.

63 *Poſtea etiam loquutos*] Idem de Hiſtoricis Latinis Lib. 4. c. 17. ubi non tam ſuam ſententiam profert, quàm quod oportebat à ſe dici, ut iram eorum deprecaretur, qui ei malè volebant, quòd plura in Hiſtoria Pelagianiſmi protuliſſet, quæ Auguſtinianis dogmatibus minimè favebant,

addit, quibus non immorabimur. Ex iis omnibus ſatis liquet *Irenæum* non crediliſſe ideò damnari malos, quòd naturæ corruptionem vincere non poſſint, quia à Deo neceſſaria eam in rem auxilia non accipiunt; aut ſervari bonos, quòd, acceptâ à Deo ineluctabili gratiâ, ad meliorem frugem redeant. Quæ fuit Africanarum Eccleſiarum, poſt *Auguſtini* Hipponenſis tempora, ſententia; quæ numquam tamen, apud Græcas & Orientales alias Eccleſias, obtinuit. ANN. CLXXX.

XXXI. Attamen *Auguſtinus*, dum undique conquirit antiquiorum teſtimonia, quibus novitatis invidiam placitis, quæ primus in Chriſtianas Eccleſias invexit, detraheret, *Irenæum* quaſi ſibi faventem citat. [59] *Irenæus*, inquit, *Lugdunenſis Epiſcopus, non longè à temporibus Apoſtolorum fuit: iſte ait*, [60] non aliter ſalvari homines ab antiqui Serpentis plaga, niſi credant in eum, qui, ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatus à terra, omnia traxit ad ſe & vivificavit mortuos. *Item idem ipſe*, [61] quemadmodum, *inquit*, adſtrictum eſt morti Genus Humanum per Virginem, ſalvatur per Virginem, æquâ lance diſpoſitâ, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplaſti peccato, per correptionem primogeniti emendationem accipiente, Serpentis prudentiâ devictâ, per ſimplicitatem columbæ, vinculis illis reſoluti ſumus, per quæ adligati eramus morti. *Vidéſne antiquum hominem Dei, quid de antiqua Serpentis plaga ſentiat; quid de ſimilitudine carnis peccati, per quam ſanatur plaga Serpentis, in carne peccati; quid de Protoplaſti peccato, per quod adligati fueramus?* Fateor me nihil videre in verbis *Irenæi*, quod *Auguſtino* faveat; nam *plaga ſerpentis* non neceſſariò eſt peccatum originis, nec *Protoplaſti peccato* nos *adligatos* ait, quaſi mortis rei ſimus ob illud ſingulare delictum; ſequatúrque inde ea Generis Humani depravatio, quam nemo vincere queat, præter eos qui ſalutarem gratiam à Deo accipiunt. Nec tamen miror ab *Auguſtino* confidenter hunc locum, quaſi ſecum facientem proferri; nondum enim erat ejus tempore nota ars è teſtimoniis rectè ratiocinandi, & Scripturam ipſam, pro ſuo arbitratu, in quoſvis ſenſus torquet. Sed mirum eſt [62] viros doctos ejuſmodi locis eamdem in ſententiam eſſe uſos, iis temporibus, quibus adcuratæ idgenus ratiocinationes frequentiores erant, & [63] poſtea etiam, de ſententia primævo-

vebant; quamvis reverâ *Auguſtino* plus ſatis faviſſet. Liquet hoc ex ejus Epiſtolis, ut ante plures annos oſtendimus, cùm Gallico ſermone de iis ageremus, in *Bibliotheca Univerſali* Volumin. XVII. Art. I. Sæpiùs etiam audivimus à viris fide digniſſimis, *Iſaaco Pontano* & *Philippo Limburgio*, Remonſtrantium Amſtelodamenſium, dum vixerunt, columinibus; qui eum Amſtelodami docentem audiverant, ſæpiúsque cum eo privatim colloquuti fuerant, virum eruditiſſimum ſibi dixiſſe debere eos legere Patres; plura enim apud eos eſſe, quæ Remonſtrantium, ut in Belgio Fœderato vocantur, placitis manifeſtò conſentanea eſſent. Quæ obiter hîc dixi, ne *Voſſii* auctoritas iis objiceretur, quibuſcum ſentiebat; quamvis aliunde ſtaret, ut familiæ ſuæ conſuleret. Quod ceteris eruditiſſimi viri meritis, & humanæ infirmitati libentiſſimè condonamus; nedum ut ei exprobratum velimus.

ANN. mævorum Scriptorum, quaſi Auguſtinianæ eſſet conſentanea, loquutos.

CLXXX. XXXII. Si *Irenæus* ſecum ipſe conſenſit, nec improbavit alibi quod de libero arbitrio Hominis ſentiebat, neceſſe eſt eum credidiſſe, per peccatum, nemini libertatem ſublatam fuiſſe: aut certè Deum corruptioni ita obſtitiſſe, ut conceſſerit omnibus auxilia neceſſaria, ut, recuperato libero arbitrio, officio ſuo poſſint defungi. Nec certè poterat ſatisfacere objectionibus Gnoſticorum incuſantium Creatorem, eò quòd malum hominem feciſſet; niſi liberè peccare homines docuiſſet. Fateor cùm Lugdunenſem Epiſcopum, tum etiam alios Veteres, cùm de hodiernis noſtris controverſiis cogitare non poſſent, aut prorſus tacuiſſe: aut non ſatis perſpicuè multis de rebus eſſe loquutos, de quibus eorum ſententiam audire percuperemus. [64] Multa proferuntur *Irenæi* loca, in quibus Adamo Chriſtum, Evæ Mariam opponit; quod cùm peccatum, & mortem Adamus & Eva intromiſiſſent, Chriſtus contrà & Maria ea feciſſent, quibus & peccatum & mors vincerentur. Verùm cùm omnes ſimilia dicant, nihil eſt quod ex iis colligi poſſit.

XXXIII. Iis locis addit vir doctus duo alia, ex quibus contendit liquere *Irenæum* credidiſſe omnibus hominibus & ipſis infantibus neceſſarium eſſe baptiſmum, ut eo regeniti nativæ ſuæ depravationis ſordes eluant. „ [65] Omnes, *ait Irenæus*, venit (*Chriſtus*) per ſemet ipſum „ ſalvare; omnes, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & „ parvulos & pueros & juvenes & ſeniores. Ideò per omnem venit „ ætatem, & infantibus infans factus, ſanctificans infantes &c. Verùm de baptiſmo hîc nihil videmus, neque quidquam in proximè antecedentibus præceſſit, aut in ſubjectis legitur verbis. Itaque verba *per eum* non video cur non ad Chriſtum referantur. Sed quomodo, inquies, *renaſcuntur*, aut *ſanctificantur* infantes, niſi per baptiſmum? Atqui hoc non à me, ſed ab *Irenæo* petendum, qui reſpondeat, quî à ſe res intelligeretur; non enim neceſſe habeo omnia, quæ ſcripſit, intelligere, cùm fortaſſe ne ipſe quidem ſatis adſequutus ſit quid vellet. Si tamen interpretari obſcura, aut ambigua nitar; honoris ejus causâ, conabor ita ea elucidare, ut ne cum ejùs notis placitis pugnent, ac ludibrio Hæreticorum, quos in hoc opere oppugnat, eum exponam. Si autem dicerem, veluti ex *Irenæi* ſententia, infantium naturam eſſe, ſine ullâ ipſorum culpâ, corruptam, decreto Creatoris, qui Adami poſteros omnes peccati & mortis reos naſci voluit; adderémque ſine baptiſmo remitti eis peccatum non poſſe, aut labem nativam elui, quamvis baptiſmo, nullâ ſuâ culpâ, careat longè maxima pars infantium, qui in

Humano

64 *Multa proferuntur*] Vide ea apud *Maſſuetum* Diſſert. III. num. 115.

65 *Omnes* &c.] Lib. II. c. XXII, è nova diſtinctione, è veteri Cap. XXXVIII.

66 *Diſertè oppugnat*] Verba ejus Græca ſic habent: Εἰ φύσει οἱ μὲν φαῦλοι, οἱ δὲ ἀγαθοὶ γεγόνασι, οὐθ' οὗτοι ἐπαινετοὶ ὄντες ἀγαθοὶ, τοιοῦτοι γὰρ κατεσκευάσθησαν· οὔτ' ἐκεῖνοι μεμπτοὶ οὕτως γεγονότες· ἀλλ' ἐπειδὴ οἱ πάντες τῆς αὐτῆς εἰσὶ φύσεως, δυνάμενοί τε κατασχεῖν καὶ πρᾶξαι τὸ ἀγαθὸν, καὶ δυνάμενοι πάλιν ἀποβαλεῖν αὐτὸ, καὶ μὴ ποιῆσαι. δικαίως καὶ παρ' ἀνθρώποις εὐνομουμένοις, καὶ πολὺ πρότερον παρὰ Θεῷ οἱ μὲν ἐπαινοῦνται

καὶ

Humano Genere naſcuntur & in infantili ætate intereunt; ſi talia, inquam, quaſi ex *Irenæi* ſententia, proferrem, pedibus & manibus conſtrictum mihi tradere viderer Gnoſticis, Valentinianis & Marcionitis; qui à cæco, ac malo Principio creatum Humanum Genus dictitabant. Quid enim deterius poſſet fieri, quàm innoxios infantes, ordine à Creatore inſtituto, ita naſci, ut nec peccatum, nec æternas pœnas evadere quirent? Nimis malè de *Irenæo* ſentire mihi viderer, ſi ejuſmodi repugnantias ei tribuerem. Itaque ſi neceſſe ſit dicere quid *regeneratio* & *ſanctificatio infantium*, per Chriſtum, apud eum eſſe poſſint, malim iis verbis intelligere, quaſi diceret, naſci infantes in fœdere gratiæ, per Chriſtum, Deóque conſecrari; ita ut, ſi in infantili ætate moriantur, à liberalitate Dei, qui eis alioqui nihil debet, æternam beatitudinem, propter Chriſtum, accipiant. ANN. CLXXX.

XXXIV. Alter *Irenæi* locus habet: „ Quoniam in illa plaſmatione, quæ ſecundùm Adam fuit, in transgreſſione factus homo, indigebat lavacro regenerationis; poſtquàm linivit lutum ſuper oculos ejus, dixit ei: *vade in Siloam & lavare*; ſimul & plaſmationem & eam, quæ eſt per lavacrum, regenerationem, reſtituens ei. Hîc non video cur de labe nativa agatur, cùm ſermo ſit de viro adulto, qui ſat peccatorum admiſerat, ut regeneratione indigeret. Nemo poſſit negare homines ex Adamo peccatore ortos, & ipſos peccatores, cùm adulti ſunt, regeneratione opus habere; quamvis argumentum, quo utitur *Irenæus*, è cæco nato, de quo Joan. IX, 7. deductum non ſatis firmum videatur. Verùm vir eruditus vult verba *in transgreſſione factus*, perinde eſſe ac, *in transgreſſione genitus*. At minimè neceſſe eſt, cùm ἐν παραβάσει γενόμενος, ut videtur habuiſſe *Irenæus*, dici queat qui transgreſſus eſt, ut Apoſtolus 1. Tim. II, 14. de Eva, quæ peccato originis ſine dubio caruit, habet deceptam ἐν παραβάσει γεγονέναι *fuiſſe in transgreſſione*, hoc eſt, transgreſſa eſſe. Ac ſanè remotiſſimus fuit *Irenæus*, ab eorum ſententia, qui putabant homines eſſe à natalibus malos, nec poſſe ad ſaniorem mentem redire; cùm eam [66] diſertè oppugnet Lib. IV. c. 37. Verùm hac de re plus ſatis.

XXXV. Irenæus in homine, præter Corpus, ſeu Carnem, ait [67] duo eſſe, nimirum, Spiritum & Animam, quæ conjuncta cum Corpore Hominem conflant; Corpus ſolum mortale eſſe vult, Spiritum & Animam res incorporeas & immortales; quæ omnia habentur Lib. V. c. VI & VII. Videtur ergo idem ſenſiſſe ac *Tatianus*, de hominis partibus tribus; ſed ab eo diſſenſiſſe de Anima, [68] quam mortalem

καὶ ἀξίας τυγχάνουσι μαρτυρίας καὶ τοῦ καλοῦ καθ' ὅλου ἐκλογῆς καὶ ἐπιμονῆς· οἱ δὲ καταιτιῶνται, καὶ ἀξίας τυγχάνουσι ζημίας τῆς τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἀποβολῆς. Quæ, brevitatis causâ, non vertam, cùm ſint ſat clara.

67 *Duo eſſe*] Utitur hanc in rem 1. Theſſ. V, 23. ubi *ſpiritus, anima & corpus* hominis ſeorſim memorantur. Sed vide quæ ad *Henr. Hammondi* Adnot. ad eum locum diximus.

68 *Quam mortalem*] Vide dicta ad Ann. CLXXII, 6.

ANN. CLXXX. lem *Tatianus* vult. Sed hæc omittimus, neque enim poſſent, niſi ſat longâ digreſſione, in meliore luce collocari; & quamvis adtentè expenderentur, multa ſupereſſent obſcura, ex prava philoſophandi ratione orta, quâ in rebus parum compertis adquieſcebant & vocibus, quibus aut nulla, aut perobſcura quædam poteſtas ſubjecta erat, utebantur.

XXXVI. 10. Credebat etiam *Irenæus* Juſtorum Animos, poſt diſceſſum à Corpore, non admitti continuò in conſpectum Dei; ſed „ [69] abire in inviſibilem locum, definitum iis à Deo, & illic uſque ad „ reſurrectionem, quam exſpectant, manere; tum receptis corporibus „ & poſtquàm perfectè reſurrexerint, hoc eſt, modo corporeo, ſicut „ & Dominus reſurrexit, ſic demum venturos in conſpectum Dei. Quin & aſperiùs invehitur [70] in rectè alioqui ſentientes, qui eum locum non agnoſcebant, quaſi Gnoſticis faverent, nec ſatis adtenderent ſortem ipſius Mentis Chriſti, inter mortem ac reſurrectionem Corporis. „ Si „ hæc ita eſſent, *inquit*, quemadmodum dicunt, ipſe utique Domi- „ nus, in quem ſe dicunt credere, non in tertia die feciſſet reſurrectio- „ nem; ſed ſuper crucem exſpirans confeſtim utique abiiſſet ſeorſum, „ relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus converſatus eſt, „ ubi erant mortui, quemadmodum Propheta ait de eo: [71] *commemo-* „ *ratus eſt Dominus ſanctorum mortuorum ſuorum, eorum qui ante dormierant in terra ſepelitionis & deſcendit ad eos, extrahere eos & ſalvare eos.* Animus Chriſti fuit in *Paradiſo*, hoc eſt, loco beato, eâ temporis intercapedine, ut ipſe docuit in Cruce; ſed Paradiſum eſſe ſub terra nullus umquam Sacrorum Scriptorum dixit. Figmenta hæc ſunt, ab aliis ad inſtar Camporum Elyſiorum excogitata. Locus qui profertur, ab *Irenæo*, nuſquam exſtat, videtúrque imprudenter ab eo è *Juſtino* Martyre exſcriptus, qui temerè invehitur in Judæos; quaſi eum è Libris Sacris deleviſſent, ut vidimus ad Ann. CI, 8. Fateor ab *Irenæo* adferri præterea Matth. XII, 40. Epheſ. IV, 9. & Pſ. LXXXV, 13. ubi dicitur Chriſtus *fuiſſe in corde terræ*, *deſcendiſſe ad inferiora terræ*, ejúsque anima erepta à Deo *inferno inferiori.* Verùm hæc, ex uſu Linguæ Hebraïcæ, de ſepulcro intelligenda oſtendêre doctiſſimi quique Scripturæ Interpretes; neque id Sacræ Linguæ idioma Veteres fugiſſet, ſi in ea verſati fuiſſent. Pluribus hallucinationem *Irenæi*, qui, ut *Juſtinum* ſequutus eſt, ita & ipſe ſequaces multos habuit, non proſequemur; cùm præſertim [72] ab aliis ſat copioſè res ſit demonſtrata.

XXXVII.

69 *Abire in inviſibilem*] Lib. V. c. 31.

70 *In rectè ſentientes* &c.] Initio Capitis: „ Quidam, *inquit*, ex his, qui pu- „ tantur rectè crediđiſſe ſupergrediuntur „ ordinem promotionis juſtorum & motus „ meditationis (*hoc eſt*, *exercitationis in* „ *altero genere vitæ gradus*) ad incorrupte- „ lam ignorant, hæreticos ſenſus in ſe ha- „ bentes &c.

71 *Commemoratus* &c.] Mirum eſt non timuiſſe *Irenæum*, ne rectè illi ſentientes, quos oppugnat, objicerent hæc nuſquam in Scriptura legi, & conficta eſſe à neſcio quo, qui deſcenſum Chriſti ad mortuos probare non poterat, ad eos ſervandos, niſi adulterino ejuſmodi loco. Sed bonâ fide ſequutus eſt *Juſtinum*, quaſi veriſimile non eſſet tantum virum erraſſe, in ea re.

XXXVII. Præter ſtatum hunc animorum piorum, ante reſurrectionem Christi, tres alios commemorat ſtatus hominum, poſt ſuam ipſorum reſurrectionem, Lugdunenſis Epiſcopus; nam Jeroſolimæ vult primùm regnaturos, aut fruituros deliciis Paradiſi, denique in conſpectum Dei admiſſum iri, quod his verbis exprimit Cap. XLVI. poſtquàm in quatuor antecedentibus omnem lapidem movit, ut probaret non eſſe ſpirituali ſenſu intelligenda, de regno Chriſti Jeroſolimæ, vaticinia: „ Prætereunte autem, *inquit*, figurâ hac & renovato homine, & vigente ad incorruptelam, ut non poſſit jam veteraſcere, erit cœlum novum & terra nova, in quibus novus perſeverabit homo, ſemper nova confabulans Deo; & quoniam hæc ſemper perſeverabunt, ſine fine, Eſaias ait (Cap. LXVI, 22) *Quemadmodum enim cœlum novum & terra nova, quæ ego facio, perſeverabunt in conſpectu meo, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum.* Et, quemadmodum Presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint Cœlorum converſatione illuc tranſibunt, id eſt, in Cœlos; alii tutò Paradiſi deliciis utentur; alii ſpecioſitatem urbis poſſidebunt. Ubique autem Deus videbitur, & quemadmodum digni erunt videntes eum. Eſſe autem diſtantiam habitationis eorum [73] qui centum fructificaverint; & eorum, qui ſexaginta. Quorum quidam in Cœlum adſumentur, alii in Paradiſo converſabuntur, alii in Civitate inhabitabunt; & propter hoc dixiſſe Dominum, *multas eſſe, apud Patrem, manſiones.* Omnia enim Dei ſunt, qui omnibus habitationem præſtat, quemadmodum Verbum ejus ait, omnibus diviſum eſſe à Patre; ſecundùm quod quis eſt dignus, aut erit. Et hoc eſt triclinium, in quo recumbent ii qui epulantur vocati ad nuptias. Hanc eſſe adordinationem & diſpoſitionem eorum, qui ſalvantur, dicunt Presbyteri Apoſtolorum diſcipuli. Quæ omnia conjecturæ ſunt, ex Apocalypſi præſertim deductæ & ſomniis adauctæ, à quibus ſatius multò fuiſſet abſtinuiſſe, nedum ut Apoſtolicarum traditionum inſtar venditarentur.

ANN. CLXXX.

XXXVIII. II. Ad pœnas quod adtinet, ex eadem quidem doctrina ſatis liquet, pro gravitate delictorum, graviores aut leviores futuras, *Irenæo* creditum. Æternitatem verò earum pœnarum an crediderit non ita manifeſtum eſt. Sic enim de animorum duratione [74] alibi loquitur: „ Si qui autem hoc loco dicant, non poſſe animas eas, quæ paullò antè eſſe cœperint, in multum temporis perſeverare; ſed oportere eas aut innaſci-

re. Sæpe animadvertent harum litterarum ſtudioſi antiquiores à poſterioribus ἀβασανίστως exſcribi. Varias ſententias Veterum, hac de re, congeſſit *Joan. Pearſonius* ad V. Symboli Apoſtolici Articulum, ubi palpantium in tenebris conjecturas mirari licet. Sunt hæ quidem traditiones, ſed traditiones ſomniantium. Adeatur & *David Blondellus* Lib. II. de Sibyllis.

72 *Ab aliis*] Præſertim *Davide Blondello* de *Sibyllis* Lib. II. c. 9.

73 *Qui centum* &c.] Adludit ad Matth. XIII, 8.

74 *Alibi loquitur*] Lib. II. c. 34. ex nova, & 64. è vetere diſtinctione.

ANN. CLXXX.

„ innaſcibiles eſſe, ut ſint immortales; vel, ſi generationis initium ac-
„ ceperint, cum ipſo corpore mori; diſcant quoniam ſine initio & fi-
„ ne, verè & ſemper idem, & eodem modo ſe habens ſolus eſt Deus,
„ qui eſt omnium Dominus: quæ autem ſunt ab illo omnia, quæcum-
„ que facta ſunt & fiunt, initium quidem ſuum accipiunt generationis,
„ & per hoc inferiora ſunt eo, qui ea fecit, quoniam non ſunt ingenita.
„ Perſeverant autem & extenduntur in longitudinem ſæculorum, ſe-
„ cundùm voluntatem factoris Dei; ita ut ſic ab initio fierent, & poſ-
„ tea ut ſint eis donet. Pluribus idem poſtea confirmat, & inter alia
ſic infit: „ Non enim nobis, neque ex noſtra natura vita eſt, ſed ſe-
„ cundùm gratiam Dei datur, & ideò qui ſervaverit datum vitæ &
„ gratias egerit ei qui præſtitit, accipiet & in ſæculum ſæculi longitu-
„ dinem dierum: qui autem acceperit eam & ingratus exſtiterit facto-
„ ri, ob hoc quòd factus eſt, & non cognoverit eum qui præſtat, ipſe
„ ſe privat in ſæculum ſæculi perſeverantia. Ideò Dominus dicebat
„ ingratis exſiſtentibus in eum: *ſi in modico fideles non fuiſtis, quod mag-*
„ *num eſt quis dabit vobis?* ſignificans quoniam qui, in modica tempo-
„ rali vita, ingrati exſtiterunt ei, qui eam præſtitit, juſtè non perci-
„ pient ab eo in ſæculum ſæculi longitudinem dierum. Ei præiviſſe
etiam [75] *Juſtinum* Martyrem, alioſque non omnino diſſimilia ſenſiſſe ob-
ſervarunt [76] viri docti. Nemo quidem diffiteatur quæcumque facta
ſunt, id eſt, omnia præter Deum, poſſe interire, ſi Deus velit; hoc
eſt, quamvis mutationem in natura ſua, proprietatibúſque pati; quod
Corporibus videmus fieri, & Spiritibus quoque, quamvis res oculos noſ-
tros fugiat, contingere queat; aut prorſus etiam, ſi ita Deo videatur, in
nihilum recidere. Verùm Spiritus, aut quamvis aliam ſubſtantiam in
nihilum à Deo redigi, neque exemplo, neque revelatione ullâ conſtat;
& Spiritus quidem, ſeorſim ſpectatos, ita mutari aliquando ut Spiritus
eſſe deſinant; hoc eſt, intelligere, velle, & cogitationum ſuarum ſibi
conſcii eſſe, nemo umquam probavit. Itaque, quamvis Deus ſolus &
neceſſariò ſit, & ſemper idem eſſe ſuâ naturâ perſeveret; poſſunt ta-
men, immutabili Dei voluntate, & quia à ſolo Deo pendent, rerum
corporearum, ſpiritualiúmque ſubſtantiæ, quæcumque in proprietatibus
mutatio fiat, in æternum ſupereſſe. Sed de futuro, poſt hanc vitam
mortalem, animorum ſtatu, nihil adfirmare præter id, quod à Deo re-
velatum eſt, licet.

XXXIX.

75 *Juſtinum Martyrem*] Pag. 223. Dialogi cum Tryphone, ubi ſenem à quo ad Religionem Chriſtianam adductus fuerat, loquentem inducit: *Verùm enim verò non mori omnes animos dico; re verâ enim lucroſum hoc eſſet malis. Quid igitur? piorum quidem in meliore loco manere, injuſtos verò & improbos in deteriore, judicii tempus aliquando exſpectantes. Sic ii quidem qui Deo digni viſi ſunt non moriuntur ampliùs: illi autem excruciantur, quod eos & eſſe & excruciari vult Deus.* Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀποθνήσκειν φημὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἐγώ· ἑρμαῖον γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς τοῖς κακοῖς· ἀλλά τι; τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονί που χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως

XXXIX. Possemus & alia addere, quæ ad *Irenæi* doctrinam, & ratiocinationes pertinerent; ſed nimia tandem digreſſio hæc noſtra fieret, & quæ cùm hîc, tum antea ex eo adlata ſunt, ſatis eſſe videntur, ut judicium de iis ferri queat. Ut capita omnia fidei Chriſtianæ neceſſaria conſtanter ab eo credita & defenſa, rejectáſque contrarias iis Hæreſes adparet: ſic ſunt varia in aliis, quæ hodie nemini fermè probantur; ſed & quædam etiam, in quibus meliùs ſenſit, quàm multi è poſteris; qualia quæ de libertate Hominis docuit, ſine quibus nec vitia, delictáque hominum damnari: nec Sanctitas, Juſtitiáque Dei, adversùs veteres Hæreticos, defendi olim potuiſſent, aut contra malè de Religione ſentientes propugnari hodie queant. Ad interpretationem Scripturæ quod adtinet, eamdem viam ingreſſus eſt, quam ceteri Veteres, proprii verborum & loquendi generum ſignificatûs, quod & Linguæ Hebraïcæ & Artis Criticæ imperiti eſſent, parum curioſi, allegoriciſque & dubiis, aut etiam manifeſtò futilibus interpretationibus, conjecturiſque referti. Hoc unum ſui eſſe officii putabant, ut dogma nullum niſi verum, aut quod verum eſſe putabant, adferrent; quamvis ſingularium locorum ſententiam non adſequerentur, imò & interdum torquerent, dum vera quidem, ſed quæ iis non inſunt, licèt alibi inveniantur, fruſtra quærunt. *Irenæus* hoc quoque cum ſæculo ſuo commune habuit, quòd faciliùs æquo Traditionibus crediderit, ut cùm iis quæ à *Papia*, & Senioribus de regno terreſtri Chriſti dicebantur, fidem habuit. Qua tamen in re, longè abfuit à Cerinthi ingenio carnali, qui homines, in eo regno, libidini ſervituros turpiter mentiebatur, ut ad Ann. LXXX, 2. diximus. Obſervarunt [77] viri docti ab *Irenæo mille annorum*, quibus regnum illud florere oportere aiebant Chiliaſtæ, eo nomine propterea dicti, mentionem nullam fieri; ſed cùm Joannes ipſe Apoc. XX, 4. eum annorum numerum ediderit, cúmque cetera propriè intellexerit *Irenæus*, ab eo caſu potiùs, quam de induſtria, omiſſa videtur.

L. Aurelio Commodo Aug. III. Antiſtio Burrho II. COSS. Commodi Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXI.

ANN. CLXXXI.

I. Nonnulli [1] ad hæc tempora referunt Lucium, quem primum, in Britannia Regem Chriſtianum fuiſſe aiunt & Romam legatos miſiſſe, ad Epiſcopum, qui hiſce temporibus in Urbe ſedebat, quem Eleuthe-

κρίσεως ἐνδεχομένως χρόνον τότε· οὕτως αἱ μὲν ἄξιαι τοῦ Θεοῦ φανεῖσαι οὐκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι· αἱ δὲ κολάζονται, ἔς' ἂν αὐτὰς καὶ εἶναι καὶ κολάζεσθαι ὁ Θεὸς θέλῃ. Poſtea ex *Platone* ratiocinatur de rerum genitarum naturali mortalitate, ut *Irenæus*.

76 *Viri Docti*] *Pet. Daniel Huëtius* Origenianorum Lib. II. Cap. II. Quæſt. IX *de pœnis & præmiis.*

77 *Viri docti*] *Maſſuetus* ad calcem Diſſert. III. in *Irenæum.*

1 *Ad hæc tempora*] *Cæſar Baronius*, de quo vide *Ant. Pagium*, ad Ann. CLXXXI, 3.

ANN. CXXXII. Eleutherum fuiſſe volunt. Alii citiùs rem contigiſſe, alii ſeriùs prodiderunt. Sed cùm nullus teſtis producatur fide dignus, & qui non aliquot ſæculis poſtea vixerit, cúmque hiſtoria referta ſit fabulis, à quibus Verum, ſi quod ei narrationi inſit, vix ac ne vix quidem ſecerni poteſt; rem in medio relinquemus, Lectorémque amandabimus ad eruditiſſimos Præſules duos Britannos, *Jac. Uſſerium* & *Eduard. Stillingfleetum*; qui, honoris Britanniæ causâ, nihil omiſerunt ut in rem inquirerent, prior quidem in *Britannicarum Eccleſiarum Antiquitatibus* Cap. III & IV. alter verò in *Originum Britannicarum* Cap. II.

Petronio Mamertino, Trebellio Rufo COSS. *Commodi Imp. III. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXXII.

I. SCRIPSIT *Irenæus*, [1] hiſce temporibus, Epiſtolam ad Florinum quemdam, quem viderat olim in Aſia, apud Polycarpum, cui ut ſe adprobaret magnopere laborabat; quamvis ceteroquin, in aula Imperatoris, gratiâ & honoribus floreret. Is verò cùm poſtea factus eſſet Romanæ Eccleſiæ Presbyter, in tetrum dogma eſt lapſus & propterea de gradu dejectus, diſcidium, cum Blaſto quodam, in ea Eccleſia, creavit, multóſque ſecum in eamdem perniciem traxit. Diu tamen non videtur eo malo vexata Eccleſia, cùm ne ſententiam quidem eorum nunc nobis ſcire liceat, unde latè ſparſam non fuiſſe intelligimus; alioquin enim ad poſteros perveniſſet, pluréſque excitaſſet, qui eam confutare adgreſſi eſſent, quorum ad nos nonnulla cognitio perveniſſet; cùm ſolus *Irenæus* in eam ſcripſiſſe dicatur. Brevi autem exſtinctam crediderim, ob impietatem quâ priorum Hæreticorum dogmata ſuperabat; nam qui in eam ſcripſit, ait ejuſmodi fuiſſe ut ne ipſi quidem Hæretici, qui extra Eccleſiam erant, eam proferre auſi ſint doctrinam. Inſcripta erat *Irenæi* Epiſtola, *de Monarchia, ſive Deum non eſſe malorum auctorem.* Hinc conjecerunt viri doctiſſimi à Florino duo Principia invecta, & dogma Cerdonis & Marcionis, qui ita ſentiebant, defenſum; & hoc quidem innuere videtur vox *Monarchia*, quâ unum unius Dei regimen [2] ſignificare ſolebant Chriſtiani. Sed cùm non dubitaſſet Marcion tetrum hoc dogma libris editis tueri, quod & antiquiores Gnoſtici & Valentiniani fecerant, neſcio quid aliud à Florino invectum eſſe neceſſe eſt, quod tamen non facilè eſt expiſcari. Quandoquidem verò ſimul contendebat *Deum eſſe mali auctorem*, ut ex inſcriptione Epiſtolæ *Irenæi* colligere eſt; fortè duo quidem ille Principia, ut Marcion &

1 *Hiſce temporibus*] Vide *Henr. Dodwellum* Diſſert. Irenaïcâ III, 24. Diſſert IV, 5, 7.

2 *Significare ſolebant* &c.] Hinc *Juſtinus* librum ſcripſit *de Monarchia*, & *Tatianus* ſe ad fidem Chriſtianam adductum ait, cùm aliis de cauſis, tum etiam quod in Scripturæ Libris animadvertiſſet τῶν ὅλων τὸ μοναρχικὸν, *monarchicum* (unius, nempe, Dei) *regimen omnium.* Vide & *Joan. Caſparum Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico, ad vocem Μοναρχία.

3 *Vole-*

& alii eſſe contendebat; verùm cùm illi alterum Principium Bonum, alterum Malum eſſe ſtatuerent, [3] volebat Florinus utrumque malum fuiſſe & mali auctorem; quod priorum omnium Hæreticorum deliriis deterius erat. Hinc factum videri queat, ut *Irenæus* contra eum, in eadem Epiſtola, unum eſſe Monarcham, eúmque ſanctiſſimum, & ab omni vitio alienum oſtenderit. Certè inſcriptio Epiſtolæ ſuadere hoc videtur. ANN. CLXXXIII.

II. Quæ ſi fuerit ejus ſententia, ut videtur, non immeritò ita commotus eſt *Irenæus*, ut dixerit „ ſe coram Deo, adfirmare poſſe, beatum illum & Apoſtolicum Senem Polycarpum, ſi quid ejuſmodi umquam audiſſet, exclamaturum continuò, & obturatis auribus dicturum fuiſſe: *ô Deus bone, in qua tempora me ſervaſti, ut hæc ferrem?* atque ex ipſo loco fugiturum, in quo ſeu ſtans, ſeu ſedens, hujuſmodi ſermones audiſſet. Poſtea cùm in Valentini dogma prolapſus eſſet Florinus, ejus cauſâ ſcripſit *Irenæus* Librum *de Ogdoade*; nempe, Principiorum, vel Æonum, primi ordinis. In eo libro, addiderat *Irenæus* adjurandi formulam, ex qua videre licet non *Dionyſii* tantùm Corinthii, de quo diximus ad Ann. CLXXI, 3. ſed Epiſcopi etiam Lugdunenſis adulterata fuiſſe ſcripta, dum etiamnum viveret. Certè nullam aliam rationem comminiſci poſſumus, cur hæc verba adjeciſſet ei opuſculo: „ Adjuro te, qui transſcripturus es hunc librum, per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos, ut conferas quod transſcripſeris & diligenter emendes, ad exemplar quo uſus fueris. Scripſit etiam *Irenæus* Epiſtolam ad Blaſtum, quam inſcripſerat *de Schiſmate*, nam hic quoque ſeorſim cœtus habebat. Hæc *Euſebius*, H. E. Lib. V. c. 15. & 20. qui ceteroqui nihil de *Florini*, *Blaſtique* ſententia habet.

L. Aurelio Commodo Aug. IV. Victorino II. COSS. Commodi Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXIII.

I. Multi ad hæc tempora *Theodotionem*, Veteris Teſtamenti Græcum Interpretem, *Symmachum* verò ad M. Aurelii principatum retulerunt. Quos cùm erraſſe conſtet, ut oſtendimus ad Ann. CLXXIII, 3. eorum inter ſe tempora permutanda cenſuimus; ita ut *Theodotion* verſionem ſuam ediderit eo tempore, quo putabatur ſuam emiſiſſe in lucem Symmachus, & viciſſim.

II. Symmachus, [1] ſi *Epiphanio* credimus, Samarita fuit, & quidem

3 *Volebat Florinus*] Fortè etiam voluit eſſe quidem Monarchiam, ſed ipſum Monarcham nequaquam eſſe ſanctum; peccati, quippe, auctorem; unde factum ſit ut *Irenæus* oſtenderit non tantùm Monarcham eſſe, in rerum Univerſitate, agnoſcendum, ſed etiam eum eſſe ſanctum, nec peccata hominum ei adſcribenda. Sed nihil definio.

1 *Si Epiphanio credimus*] Lib. de *Menſuris & Ponderibus* p. 172. Ed. Petavianæ cujus libri partem emendatiùs edidit *Bern. Mon-*

ANN. CLXXXIV. dem è Gentis illius eruditorum numero. A ſuis verò, ut putabat, ſpretus, apud quos ſibi primum locum deberi cenſebat, nec tamen quod cupiebat conſequebatur, ad Judæos defecit, à quibus iterum circumciſus eſt. Hoc enim ſolitum fieri ait *Epiphanius* iis, qui à Samaritis ad Judæos, & viciſſim à Judæis ad Samaritas transfugiebant. Is igitur *Symmachus*, quò [2] Samariticam verſionem Græcam, ut videtur, erroribus laborare oſtenderet, [3] tertiam tranſlationem edidit. *Hieronymus* non unius ſed [4] duplicis Editionis *Symmachi* meminit; quo credibile fit *Symmachum* priorem verſionis ſuæ editionem emendaſſe, atque alteram in lucem emiſiſſe; ſi tamen varietates interpretationum, quas profert *Hieronymus*, tamquam *Symmachi*, Librariis aut Criticis non debeantur.

III. Is interpres [5] omnium elegantiſſimus erat, cùm nec Hebraïſmos verbotenus redderet, ut *Aquila*; nec pravum LXX. Intt. ſtylum nimiùm imitaretur, ut *Theodotion*; ſed ita loqueretur, ut à Græcè tantùm doctis facilè intelligi poſſet. Sequebatur quidem conſtanter Hebræum Archetypum, quantum ad ſententiam ipſam adtinet, ſed Græci ſermonis majorem rationem habebat; ut intelligimus è teſtimoniis Veterum, éque fragmentis ejus quæ ſuperſunt. Attamen potuit interdum fieri, ut dum perſpicuitatem ſectatur, & Græcè tantùm ſcientibus dictionem ſuam adtemperat, aliquando, in locis obſcurioribus veram Hebraïcarum vocum ſententiam non expreſſerit. Sed [6] uſque adeò difficile eſt, ea in re, id adhibere temperamentum, quo licentia, non minùs quàm obſcuritas, vitetur; ut vituperari nequeat, qui interdum ad alterutrum plus ſatis inclinat. Utinam verò ea verſio exſtaret, cujus loco futiles multos commentarios periiſſe ſatius eſſet!

M. Eggio Marullo, Cn. Papirio Æliano COSS. *Commodi Imp. V. Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXXIV.

I. Quamvis à fine Principatûs M. Aurelii, initióque Commodi, pace, ut antea diximus, fruerentur Eccleſiæ Chriſtianæ; contigit tamen Romæ Apollonium quemdam, è fidelium numero, in jus vocari, Religionis causâ, ab homine perdito, ſed ejuſmodi flagitiis idoneo. Erat Apollonius litteris humanioribus, & Philoſophiæ ſtudiis excultus; quamobrem ſibi Ethnicorum invidiam, qui non libenter viros doctos ſe ſe Chriſtianis adgregare patiebantur, concitavit. Auditus ergo eſt accuſator, comprehenſúsque Apollonius. Verùm cùm, ut aiunt, M. Aurelii

Montefalconius, & fragmentis Hexaplorum præfixit.

2 *Samariticam*] Epiphanius: ὁ Σύμμαχος πρὸς διαστροφὴν τῶν παρὰ Σαμαρείταις ἑρμηνευτῶν ἑρμηνεύσας τὴν τρίτην ἐξέδωκεν] ἑρμηνείαν. Quod tamen de ſolo Pentateucho intelligendum, cùm reliquos Veteris Teſtamenti Libros non admitterent. Samaritæ autem Græcè interpretati Pentateuchum videntur, ut oſtendit *Montefalconius* Præliminar. in Hexapla Cap. I, 9.

3 *Tertiam*] Poſt LXX. Intt. & Aquilam, nam ſi numeretur verſio Theodotionis, dicenda eſſet quarta. Sed *Epiphanius* perpe-

relii edicto, de quo diximus ad Ann. CLXXIV, 16. in eos qui Chriſtianos detuliſſent, eſſet pœna capitis conſtituta, extemplo fractis cruribus, juſſu Perennis Præfecti Prætorio, eſt occiſus. Apollonius verò, ſpretis Perennis non imperio tantùm, ſed & [1] precibus, quibus ſe à Chriſtiana Religione abducere conabatur, ab eo petiit ut coram Senatu fidei ſuæ rationem reddere ſibi liceret. Quo impetrato, eleganti oratione, coram omnibus, fidem Chriſtianam defendit, nec eo ſeciùs capitis à Senatu damnatus eſt; quòd Trajani & Hadriani Reſcriptis, Chriſtianos in jus vocatos, nec fidei ſuæ nuncium remittentes, capite pœnas dari ſancitum eſſet. Exſtabant olim Acta, in quibus perſcripta erant quæcumque in eo judicio dicta fuerant, quæ rogaſſet Perennis, quæ reſpondiſſet Apollonius, & oratio, quam coram Senatu habuerat; eáque omnia Collectioni ſuæ Martyriorum inſeruerat *Euſebius*, qui hæc habet H. E. Lib. V. c. 2. ANN. CLXXXIV.

II. Utinam ea exſtarent Acta, è quorum fortè lectione intelligere liceret, an rem ſatis adcuratè & cum ea fide, quæ eum decuit, expreſſerit *Euſebius*! Permirum enim videtur Edictum, quo Chriſtiani fatentes morti damnabantur, dum delatores tetrius ſupplicium, ob delationem patiebantur. Si ſcelus Chriſtiana Religio etiamnum habebatur, quod nonniſi morte reorum piari poſſet; difficile eſt intellectu ejus delatores eodem, aut majore etiam ſupplicio, fuiſſe adfectos: aut ſi poſteriores capite pœnas luerent, priores non fuiſſe dimiſſos. Pugnant hæc inter ſe, nec Edictum ejuſmodi, ſine omnium ludibrio, proponi à M. Aurelio potuiſſet. Multò convenientius fuiſſet Trajani Reſcriptum, quo delati Chriſtiani morti damnabantur, abrogare. Ad hæc accedit quod ne hæc quidem conſentiant cum eorum ſententia, qui M. Aurelium, non ſine grati animi teſtificatione, agnoviſſe volunt exercitum ſuum in bello cum Quadis, Chriſtianorum precibus, ſervatum fuiſſe, anno LXXIV. Quî poterant morti damnari, qui Chriſtianiſmi rei fiebant, poſtquàm M. Aurelius, cujus memoria Romanis ſemper venerationi fuit, Chriſtianorum precibus ſe cum exercitu ſervatum palam, in litteris ad Senatum, teſtatus fuerat? Sunt quidem viri doctiſſimi, qui Edictum, de quo hîc *Euſebius*, volunt id eſſe, quod recitavimus ad Ann. LXIX, 10, 11. Sed id eſt propoſitum, quinquennio antequàm Marcus à Quadis circumventus fuiſſet; nec proinde adſignari poteſt grato ejus animo, erga Chriſtianos, ob eam liberationem; ut credidit *Tertullianus*, ſicut diximus ad Annum memoratum, num. 16. Quare

perperam Symmachum eo priorem eſſe ſtatuerat.

4 *Duplicis Editionis*] Exempla vide apud *Montefalconium* Cap. V, 4.

5 *Omnium elegantiſſimus*] Vide Ibid. n. 5.

6 *Uſque adeò difficile eſt* &c.] Ea de re, multis egimus in Diſſert. de Optimo Genere Interpretum S. Scripturæ, Pentateucho præfixa.

1 *Precibus*] Solebant enim Judices, quaſi ſe Chriſtianorum miſereret, eos orare ut rationem haberent ſui. Vide *Henr. Valeſium* ad hunc locum.

ANN. CLXXXIV. Quare non poteſt non eſſe ſuſpectum, quod de pœna delatorum, in hac Hiſtoria, habemus; donec ipſum illud Edictum alicunde proferatur, quod numquam futurum putamus.

III. Hieronymus, Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ait *Apollonium, Romanæ Urbis Senatorem, à ſervo Severo proditum, quod Chriſtianus eſſet; impetrato, ut rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuiſſe, quod in Senatu legit; & nihilominùs, ſententiâ Senatûs, pro Chriſto capite truncatum eſſe; vetere, apud eos, obtinente Lege, abſque negatione, non dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum judicium pertracti eſſent.* I. Credidit, nec ſanè abſurdè, [2] vir doctiſſimus quod habetur hîc de Senatoria Apollonii dignitate, id *Euſebio* de ſuo admenſum eſſe *Hieronymum*; qui certè mos ejus eſt, & fortè ideò factum, quòd Apollonius coram Senatu cauſam ſuam egiſſe dicatur ab *Euſebio*, cujus rei facultatem nonniſi Senatori conceſſam eſſe à Præfecto Prætorio putavit: II. Dixerat *Euſebius*, à Dæmone *excitatum fuiſſe quemdam miniſtrorum ad hæc idoneorum, ad viri accuſationem*: ἕνα γάρ τινα τῶν εἰς ταῦτα ἐπιτηδείων αὐτοῦ διακόνων ἐπὶ κατηγορίᾳ τ'ανδρὸς ἐγείρας. Ait tamen *Hieronymus* à *ſervo Severo proditum*, quod niſi ex Actis habuerit, ejus eſt commentum. Crediderim *Hieronymum* voculam αὐτοῦ retuliſſe ad Apollonium, quaſi ageretur de ſervo Apollonii, non Dæmonis, qua in re erravit; deinde cùm bis ſcriptum eſſet *ſervo*, à Librario oſcitante, alterum mutatum in *Severo* quod ſervi nomen non eſt.

IV. III. Si Senator fuiſſet Apollonius, non potuiſſet ad Præfectum Prætorio deferri, ſed ad Præfectum Urbi, qui de cauſis Senatorum cognoſcebat, [3] ut obſervarunt viri eruditi: IV. [4] De volumine ab Apollonio ſcripto, nihil habet *Euſebius*; qui hoc tantùm prodidit, Apollonium λογιωτάτην παρασχεῖν ἀπολογίαν, quod non librum, quem recitarit, ſed apologeticam orationem ſignificat. Qua in re erravit etiam *Rufinus*. V. Ex Senatûs ſententia nemo damnabatur, niſi quatenus Senatus reum aliquem & dignum qui è legibus puniretur cenſebat, ſed ſententia ab alio pronunciabatur. VI. *Vetus lex* eſt Reſcriptum Trajani, ab Hadriano etiam confirmatum. Hæc obſervanda duximus, ut hinc quoque intelligeremus rem unam, dum à pluribus narratur, paullatim mutari, noviſque circumſtantiis veſtiri, & ad fontem ipſum ſemper eſſe confugiendum, ut puriùs habeatur.

Triario

2 *Vir doctiſſimus*] *Henr. Valeſius* ad *Euſebium* Lib. V. c. 21.

3 *Ut obſervarunt* &c.] Valeſius ad eumdem *Euſebii* locum. M. Aurelius petierat ne *quis Senator, tempore Principatûs ſui, occideretur*, ne ejus pollueretur Imperium, apud *Capitolinum*, in vita Marci, C. XXV. & *Vulcatium Gallicanum* in vita Caſſii C. VIII, & XII. Negavit etiam *ullum Senatorem, ſe ſciente, occiſum.* Quin & Severus fieri etiam Senatuſconſultum coëgit, *ne liceret Imperatori, inconſulto Senatu, occidere Senatorem.* Si quos occidit Commodus, id aliis de rationibus, quæ ad Religionem non pertinebant, factum; nec Religioni Chriſtianæ infenſus fuit.

4 De

ANN. CLXXXV, & CLXXXVI.

Triario Materno, M. Atilio Metilio Bradua COSS. Commodi Imp. VI. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXV.

I. Hisce temporibus, vixiſſe [1] à nonnullis putatur neſcio quis *Leucius Charinus*; qui Marcionis, aliorúmque dogmata, ſuis ipſius figmentis aucta tuebatur. Scripſerat itinera Apoſtolorum, quibus Acta Petri, Joannis, Andreæ, Thomæ & Pauli, ab ipſo conficta, continebantur, ut docet *Photius*, qui ea legerat, Cod. CXIV. Præter pravum ſtylum, impia multa iis inerant dogmata; qualia ſunt alium eſſe Judæorum Deum, quippe malum, & cujus Simon Magus miniſter fuiſſet; alium Chriſtum, qui eſt bonus, & cum quo Patrem confundebat. Filium verè factum hominem negabat, viſum dumtaxat hominem aiebat; adparuiſſe enim eum Diſcipulis juvenem & mox ſenem, modò puerum, modò majorem & minorem, interdum tantæ proceritatis, ut cœlum vertice adtingeret; non fuiſſe eum crucifixum, ſed alium ejus loco, & crucifixores ab eo irriſos. Conjugium vituperabat, omnémque prolis procreationem malam & à malo contendebat. Creator Dæmonum alius ei erat, quàm Deus. Mortuorum non tantùm hominum, ſed & boum & jumentorum abſurdæ ab eo narrabantur reſurrectiones, multáque alia, ut ait *Photius*, delira & repugnantia docebantur.

II. Hæc de *Leucio* omnium copioſiſſimè *Photius*, ſed & alii ejus meminerunt, ut [2] *Auguſtinus*, *Pacianus*, *Innocentius* I. & alii. Fuit & quidam *Lucianus* Marcioniſta, ante hæc tempora, qui fortè idem fuit, cùm non abſimilia dogmata defenderit. Meminit ejus Epiphanius Hæreſ. XLIII. Sed obſcuro Hæretico, &, ſi vera de eo narrantur, planè inſanienti, diutiùs immorari nihil adtinet.

Commodo Aug. V. M. Acilio Glabrione COSS. Commodi Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXVI.

I. Venit Romam, [1] hiſce temporibus, Praxeas, contra quem ſcripſit *Tertullianus*, ut viri docti ex hujus Libro contra Praxeam Cap. I. collegerunt. [2] *Homo* (inquit ille, Praxeæ offenſior, quòd Montaniſtas oppugnaſſet, ideóque non temerè credendus) *& aliàs inquietus, inſuper de jactatione Martyrii inflatus, ob ſolum & ſimplex & breve carceris tædium; quando, etſi corpus ſuum tradidiſſet exurendum, nihil profeciſſet, dilecti-*

4 *De volumine*] Vide *Valeſium* ad *Euſebium* & *Joſ. Scaligerum* in Chron. *Hieronymianum* ad num. MMCCIII. Sed prior erravit, in eo quod putavit ab *Hieronymo* hauſtum errorem è prava verſione *Rufini*, cùm hic ſeriùs ſcripſerit, ut obſervavit *Ant. Pagius* ad Ann. CLXXXVII, 4.

1 *A nonnullis*] A *Guil. Caveo*, Hiſtoriæ Litterariæ Tom. 2. Vide ad Ann. CLIX, 2.

2 *Auguſtinus* &c.] Vide *Caveum*.

1 *Hiſce temporibus*] Vide *Ant. Pagium* ad Ann. CLXX, 3.

2 *Homo, inquit*] Cap. I. adverſus Praxeam.

ANN. CLXXXVI. *dilectionem Dei non habens, cujus chariſmata quoque expugnavit. Nam idem* [3] *tunc Epiſcopum Romanum, agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando &* [4] *prædeceſſorum ejus auctoritates defendendo, coëgit & litteras pacis revocare jam emiſſas & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare. Ita duo negotia Diaboli*, ut loquitur homo naturâ vehemens, & præterea iratus, *Praxeas Romæ procuravit, Prophetiam expulit, & Hæreſin intulit, Paracletum fugavit & Patrem crucifixit.*

II. Vult, nimirum, *Tertullianus*, Praxeam hanc hæreſin docuiſſe, quòd [5] *ipſum diceret Patrem deſcendiſſe in Virginem, ipſum ex ea natum, ipſum paſſum, denique ipſum eſſe Jeſum Chriſtum.* Ita mentem Praxeæ acerrimus adverſarius, & Montaniſmi deliriis jam infectus, expreſſit. Sed & [6] alii, eum ſequuti, Praxeæ Noëtum & Sabellium, qui ſeriùs vixerunt, unitatémque Dei ita defendiſſe dicuntur, ut Perſonas confunderent, adſenſiſſe exiſtimant. Vereor tamen ut eorum verba ſatis intellecta fuerint, útque conſectaria iis ſint adtributa, quæ ex eorum ſententia duci poſſe videbantur, quamvis fortè ea negarent. Sic in pleriſque ejuſmodi controverſiis fieri amat, in quibus invidioſiſſimè adverſariorum ſententia proponitur, omniáque ſenſiſſe dicuntur, quæ ex eorum doctrina, vi conſequentiarum, interdum violenter detortarum, elici poſſe videntur. Ad quod accedebat propria rei, quæ agebatur, difficultas, orta cùm ex re ipſâ, quæ captum noſtrum ſuperat, tum ex vocibus obſcuris, quibus exprimi ſolebat. Diſſenſum hominum in tenebris micantium ſequebantur iræ, anathemata, vexationes; quibus ita exardeſcebant animi, ut jam ſe invicem ſatis non intelligerent, imò nec intelligere vellent.

III. Contendebat Praxeas *unicum Dominum omnipotentem mundi conditorem* eſſe; nec quiſquam hoc negare poterat. Patrem, Filium & Spiritum Sanctum eſſe non videtur inficiatus, ſed improbabat (quoad è *Tertulliano* mentem ejus adſequi licet) id quod ab aliis de eorum diſtinctione vulgò dicebantur; unde putabat ſequi tres eſſe Deos, ſeu tres Subſtantias numero, atque proprietatibus diſtinctas. Alii verò negabant ex ſua ſententia ſequi tres eſſe Deos, propter unitatem Patris & ſubſtantiæ, quæ in tribus erat, parem præſtantiam, & arctiſſimam conjunctionem. Quòd ſi in Scripturæ loquendi generibus adquieviſſent, numquam dixiſſet Praxeas, ſi modò ita loquutus eſt, Patrem eſſe natum è Virgine Maria, & poſtea paſſum, eumdémque eſſe ac Jeſum, Mariæ filium,

3 *Tunc Epiſcopum Romanum*] Victorem, quem *Victorinum* vocat Scriptor antiquus additamentorum ad Præſcriptiones Hæreticorum Tertullianeas. Vide *Pagium*, loco indicato.

4 *Prædeceſſorum*] Soteris, qui contra Montaniſtas ſcripſerat, ut diximus ad Ann. CLVII, 1. & Eleutheri, qui iis minimè faverat, nec ſine ratione.

5 *Ipſum diceret*] Initio Cap. I. adversùs Praxeam.

6 *Alii*] *Auguſtinus* de Hæreſibus, ubi de

lium; neque alii ita eſſent loquuti, ut tres eſſe Deos, ſi hac in re auſi eſſent loqui, ut in aliis, ſtatuere viderentur. Neutras loquendi rationes uſurparunt Apoſtoli, neutri memoratarum doctrinarum faverunt, ut in *Prolegomenis* noſtris, ubi hac de re egimus, ſatis oſtendimus. ANN. CLXXXVI.

IV. Tertullianus Praxeæ opponit hanc fidei confeſſionem quam ab omnibus admitti ait: [7] *Unicum quidem Deum credimus, ſub hac tamen diſpoſitione, quam OEconomiam dicimus, ut unici Dei ſit & Filius, ſermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil; hunc miſſum à Patre in Virginem & ex ea natum Hominem & Deum, filium Hominis & filium Dei & cognominatum Jeſum Chriſtum; hunc paſſum, hunc mortuum & ſepultum, ſecundùm Scripturas, & reſuſcitatum à Patre & in cœlos reſumtum ſedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos; qui exinde miſerit, ſecundùm promiſſionem ſuam, à Patre Spiritum Sanctum Paracletum, ſanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurriſſe* vult, nec falsò, ſi in loquutionibus Scripturæ adquieſcamus. Sed in ſequentibus, ubi Praxeæ ſententiam apertiùs & pleniùs confutare adgreditur; iis loquendi generibus utitur, quæ ſi quid ſignificant, tres eſſe Divinas Subſtantias ſignificant. Quod multis docuerunt [8] viri doctiſſimi, qui conſuli poterunt, quamvis omnes idem non ſentiant.

V. Plura paullò verba *Tertulliani*, quia primus, qui quidem ſuperſit, copioſiùs ea de re egit, ſubjiciam; ex quibus liquebit verum eſſe, quod de ejus ſententia dixi. Poſtquàm rejecit ſententiam Praxeæ, gloriantis à ſe unitatem Dei propugnari: [9] *quaſi*, inquit, ex ſententia vulgari ejus ævi, *non ſic quoque unus ſit omnia, dum ex uno* (Patre) *omnia* (etiam Filius & Spiritus S.) *per ſubſtantiæ, ſcilicet, unitatem, & nihilo minùs cuſtodiatur OEconomiæ ſacramentum, quæ unitatem in trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Tres autem non* ſtatu, *ſed* gradu; *nec* ſubſtantiâ, *ſed* formâ; *unius autem* ſubſtantiæ, *& unius* ſtatûs, *& unius* poteſtatis; *quâ unus Deus, ex quo &* gradus *iſti &* formæ *&* ſpecies, *in nomine Patris, Filii & Spiritûs Sancti deputantur. Quomodo autem numerum, ſine diviſione, patiantur procedentes retractatus demonſtrabunt.* Hæc ad Praxeam nihil facerent, niſi tres ſubſtantias numero intelligas; libenter enim ille tres aut *relationes*, aut *modos*, in Eſſentia numero una, admittebat.

VI. Postea Filii generationem ſic deſcribit: [10] *Ante omnia enim Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus & locus & omnia. Solus autem, quia nihil*

de Sabellianis & Auctor Prædeſtinati, num. XLI. Ad Græcos Praxeæ nomen pervenisse non videtur, cùm Epiphanius eum non memoret.

7 *Unicum* &c.] Cap. II. adversùs Praxeam.

8 *Viri doctiſſimi*] *Dionyſ. Petavius* Dogm. Theol. Tomo II. De Trinitate Lib. I. c. 5. &, qui eum confutare conatus eſt, eſt, *Georg. Bullus* Defens. Fidei Nicænæ, Sect. III. c. 10.

9 *Quaſi*] Cap. II. adversùs Praxeam.

10 *Ante omnia*] Ibidem, c. V. Fermè ex-

ANN. CLXXXVI.

nihil aliud extrinſecus præter illum. Ceterùm ne tunc quidem ſolus. Habebat enim ſecum, quam habebat in ſe ipſe; Rationem ſuam, ſcilicet. Rationalis etiam Deus, & Ratio in ipſo priùs, & ita ab ipſo omnia. Quæ Ratio ſenſus ipſius eſt. Hanc Græci Λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam Sermonem adpellamus. Ideóque jam in uſu noſtrorum, per ſimplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuiſſe; cùm magis Rationem competat antiquiorem haberi, quia non ſermonalis à principio, ſed rationalis Deus, etiam ante principium; & quia ipſe quoque ſermo ratione conſiſtens priorem eam ut ſubſtantiam ſuam* (nam ſermo eſt accidens; quod eſt rationis, quæ ſubſtantia eſt, effectus) *oſtendat. Tamen & hîc nihil intereſt. Nam etſi Deus nondum Sermonem ſaum miſerat, proinde eum cum ipſa, & in ipſa Ratione, intra ſemet ipſum habebat, tacitè cogitando & diſponendo ſecum, quæ per Sermonem mox erat dicturus. Cum Ratione enim ſua, cogitans & diſponens, Sermonem eam efficiebat, quam Sermone tractabat.* Tum poſtea: [11] *Ut primùm*, inquit, *Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ Ratione & Sermone diſpoſuerat intra ſe, in ſubſtantias & ſpecies edere; ipſum primùm protulit Sermonem, habentem in ſe individuas* (comites) *Rationem & Sophiam, ut per ipſum fierent univerſa; per quem erant cogitata atque diſpoſita, imò & facta jam, quantùm in Dei ſenſu — Tunc igitur etiam ipſe Sermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, ſonum & vocem, cùm dicit ipſe Deus:* fiat lux. *Hæc eſt nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit; conditus ab eo primùm ad cogitatum, in nomine Sophiæ:* Dominus condidit me initium viarum. *Dein generatus ad effectum:* cùm pararet cœlum, aderam ei ſimul. *Exinde eum parem ſibi faciens, de quo procedendo Filius factus eſt primogenitus, ut ante omnia genitus* &c.

VII. Neve Sermonem *modum* alterum unius numero Eſſentiæ Divinæ, quem Pater genuerit, quis putaret, ſibi ipſe objicit: *Ergo*, inquit, *das aliquam ſubſtantiam eſſe Sermonem, ſpiritu & Sophiæ traditione conſtructam.* Tum reſpondet: *planè; non vis enim eum ſubſtantivum* (ὑφιϛάμενον) *habere in ſe, per ſubſtantiæ proprietatem, ut res & perſona quædam videri poſſit* (nam perſona eſt ſubſtantia, quæ per ſe eſt, non res quæ ſubſtantiæ inhæret) *& ita capiat ſecundus à Deo conſtitutus duos efficere, Patrem & Filium, Deum & Sermonem.* Ne quis etiam Filium exiſtimaret eſſe inſtar ſermonis hominum, qui eſt, ut loquitur, [12] *aër offenſus; at ego*, inquit, *nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuiſſe; ut non de inani & vacuo prolatum, nec carere ſubſtantia, quod de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit, fecit enim & ipſe, quæ facta ſunt per illum. Quale eſt, ut nihil* (hoc eſt, merum accidens, quod non eſt, niſi in ſubſtantia) *ſit ipſe, ſine quo nihil factum eſt? ut inanis ſolida & vacuus plena & incorporalia ſit operatus. Nam etſi poteſt aliquan-*

exſcribit hîc *Tertullianus Tatianum*, cujus verba protulimus & expendimus ad Ann. CLXXII, 1. Hinc verò intelliges *Tatiani* verborum veram ſententiam à nobis eſſe traditam.

11 *Ut primùm* &c.] Ibidem C. VI, & VII.

12 *Aër offenſus*] Hoc eſt, motus aëris, qui

aliquando quid fieri diverſum ejus quod ſit, nihil tamen poteſt fieri per id, quod vacuum & inane eſt. Memores nos eſſe oportet, hæc ſcribi contra Praxeam, qui unam numero ſubſtantiam divinam agnoſcebat, & Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum, modos tantùm illius, ut videtur, ſubſtantiæ, propria ὑπάρξει carentes, eſſe putabat; ſi ex objectionibus, reſponſionibusque *Tertulliani* de ejus mente judicium ferre licet. Is verò multò prudentiùs ſe geſſiſſet, ſi diſtinctione Patris, Filii & Spiritûs Sancti è Scripturis admiſſâ, rationem ejus diſtinctionis ſibi ignotam eſſe faſſus eſſet, & Apoſtolicis verbis ſemper loquutus, clariora non temerè quæſiviſſet. Quod autem de eo dico, idem de *Tertulliano* dictum velim, qui dum idem arcanum humanæ Menti prorſus inacceſſum, interpretari conatur, tres Deos, ſi quæ ſententia ſit ejus verborum, obſcuris & perplexis ratiocinationibus, inducit. ANN. CLXXXVI.

VIII. JAM ſatis è dictis adparet, à nobis ei nihil falsò adfingi. Sed & ſequentibus in clariore luce res collocabitur: [13] *Protulit*, inquit, *Deus Sermonem, quemadmodum etiam Paracletus* (Montanus) *docet, ſicut radix fruticem & fons fluvium & fax radium. Nam & iſtæ ſpecies* [14] *probolæ* (προβολαὶ emiſſiones) *earum ſubſtantiarum, ex quibus prodeunt. Non dubitaverim Filium dicere & radicis fruticem & fontis fluvium & ſolis radium; quia omnis origo parens eſt, & omne, quod ex origine profertur, progenies eſt; multò magis Sermo Dei, qui etiam propriè nomen Filii accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à ſole diſcernitur* (diverſitate ſubſtantiæ) *ſicut nec à Deo Sermo. Igitur ſecundùm horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipſius. Nam & radius & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ; & fons & fluvius duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ; & ſol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes. Omne autem, quod prodit ex aliquo, ſecundum ſit ejus neceſſe eſt, de quo prodit; non ideò tamen eſt ſeparatum. Secundus autem ubi eſt, duo ſunt; & ubi tertius eſt, tres ſunt. Tertius enim eſt Spiritus à Deo Filio, ſicut tertius à radice fructus ex frutice; & tertius à fonte, rivus ex flumine; & tertius à ſole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates ſuas ducit. Ita Trinitas, per conſertos & connexos gradus, à Patre decurrens, & Monarchiæ nihil obſtrepit & OEconomiæ ſtatum protegit.* Hinc & ſequentibus liquet I. *Tertullianum*, niſi ſit quidquid habet merus ſine mente ſonus, in perſonis unam ſubſtantiam ſpecie agnoſcere, ſed numero non unam, quod & totus liber oſtendit; adeóque τὸ ὁμοούσιον ab eo creditum, quod in paritate naturæ, non in numerica unitate ſitum eſt: II. Nec tamen eum voluiſſe dicere *tres eſſe Deos*, propter naturæ in tribus paritatem, cujus unus eſt fons, & propter arctiſſimam

qui motus eſt accidens, & ut dicit *Tertullianus*, *vacuum neſcio quid & inane & incorporale.*

13 *Protulit* &c.] Ibidem c. XIII.

14 *Probolæ*] Valentinianos hac voce uſos fatetur *Tertullianus*, in antecedentibus, ſed à rectiùs ſentientibus mutuatos contendit.

ANN. CLXXXVI. tiſſimam eorum conjunctionem; ſed &, ut opinor, ob uſum perpetuum Scripturæ, de unico Deo conſtanter loquentis, & ne cum Ethnicis loqui videretur. Sic & [15] in ſequentibus, poſtquàm, more ſuo, plures perſonas eſſe probavit, è plurali numero, quo Deus loquens interdum utitur, & quia quod Pater fieri jubet, id exſequitur Filius: *Habes duos*, inquit, *alium dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam profeſſus ſum; perſonæ, non ſubſtantiæ nomine* (quia paris ſubſtantiæ utrumque ſtatuit) *ad diſtinctionem, non ad diviſionem. Ceterùm etſi ubique teneo unam ſubſtantiam, in pluribus cohærentem; tamen alium dicam oportet, ex neceſſitate ſenſûs,* [16] *eum qui jubet & eum qui facit. Nam nec juberet, ſi ipſe faceret, dum juberet fieri per eum. Tamen jubebat, haud ſibi juſſurus ſi unus eſſet; aut ſine juſſu facturus, quia non exſpectaſſet, ut ſibi juberet. Ergo, inquis* (tu Praxea) *ſi Deus dixit & Deus fecit; ſi alius Deus dixit, & alius fecit,* DUO DII *prædicantur.* Reſpondet verò Tertullianus: *Si tam durus es* (ut velis à nobis apertè dici duos eſſe Deos) *puta interim; & ut adhuc ampliùs hoc putes, accipe & in Pſalmo duos Deos dictos:* Thronus tuus, Deus, in ævum, virga regni tui; dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus. *Si ad Deum loquitur & unctum Deum à Deo adfirmat; ſcilicet,* DUOS DEOS *hîc proponit.* Addit loca, ut putabat, idem comprobantia, iterúmque Praxeæ objectionem ſic exprimit: *Ergo, inquis, provocabo te, ut hodie quoque, ex auctoritate iſtarum Scripturarum, conſtanter* DUOS DEOS & DUOS DOMINOS *prædices.* Cui reſpondet: *Abſit! nos enim, qui & tempora & cauſas Scripturarum, per Dei gratiam, inſpicimus, maximè Paracleti, non hominum, diſcipuli, duos quidem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto; ſecundùm rationem OEconomiæ, quæ facit numerum; ne* (*ut veſtra perverſitas infert*) *Pater ipſe credatur natus & paſſus; quod non licet credi, quoniam non ita traditum eſt.* DUOS *tamen* DOMINOS *&* DUOS DEOS *numquam ex ore noſtro proferimus.* Hinc ſatis liquet non tam rem, quàm verba, exhorruiſſe *Tertullianum*; cujus rationem aperit, ut diſtinguerentur Chriſtiani ab Ethnicis: *ut quia Nationes à multitudine Idolorum tranſierunt, ad unicum Deum & differentia conſtitueretur inter cultores unius & plurimæ Divinitatis.* Poſtea etiam ait alium Patrem, & alium Filium intelligi; quòd Pater quidem inconſpicuus remanſerit, Filius verò ſe conſpiciendum præbuerit: *Alius erit, qui videbatur, quia non poteſt idem inviſibilis definiri qui videbatur, & conſequens erit ut* [17] *inviſibilem Patrem intelligamus, pro plenitudine majeſtatis, viſibilem verò Filium agnoſcamus, pro modulo derivationis.*

IX. TOTUS fermè eſſet Liber exſcribendus, ſi quæcumque ad hanc rem

15 *In ſequentibus*] Cap. XII.

16 *Eum qui jubet* &c.] Vide dicta de loco *Irenæi*, ſic loquentis, ad Ann. CLXXX, 16.

17 *Inviſibilem Patrem*] Simile quid jam dixerat *Juſtinus*, ut oſtendimus ad Ann. CXL, 12.

rem faciunt præ oculis Lectorum ponenda eſſent. Legent verò moniti ipſum, nec de ſententia *Tertulliani* dubitare poterunt; quæ fuit etiam ſequentium temporum, quamvis ab iis, qui ab aliquot ſæculis Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribunt, res alto ſilentio prematur. Unde intelligere licet I. cavendum ne putemus nobiſcum Patres, de quovis dogmate, ſenſiſſe, quia interdum eodem modo ac nos loquuntur: II. Rectiùs facturos nos, ſi interpretari non adgrediamur, quod revelatum non eſt, præſertim in re ſupra omnium captum poſita, ne commenta noſtra Revelationi adſuamus & pro divinis obtrudamus. II. Eſſe tamen naturæ humanæ imbecillitati, in ejuſmodi rebus, ignoſcendum, ſi modò unitas & cultus Dei incolumes maneant, virtutúmque Chriſtianarum uſus illibatus ſit; ſin minùs fore, ut Chriſtiani, per aliquot ſæcula, excepto Apoſtolico & poſtremis, licèt indoctis, orco ſint addicendi; quod neminem religioſum virum vel auribus admiſſurum puto: IV. Eadem æquitate, quâ Patribus ignoſcimus, in re difficili errantibus, dum Revelationis limitibus imprudentes excedunt, utendum eſſe erga alios, ſi qui ſunt, qui in ſimilibus rebus à nobis diſſentiunt. Quæ hîc monenda cenſuimus, quia in Hiſtoria III & IV. Sæculi ea narrabuntur, quæ præmonitis minùs mira videbuntur, nec nocere ampliùs poterunt. Atque is uſus eſt potiſſimus Hiſtoriæ, ut dum rectè dicta, aut facta, vel ſecus luſtramus, æquiores in dies & meliores fiamus.

ANN. CLXXXVII.

Criſpino & Æliano COSS. Commodi Imp. VIII. *Æræ Vulgaris Chriſti* CLXXXVII.

I. Circa hæc tempora, vixit Sarapion, Antiochenæ Eccleſiæ, poſt Maximinum, Epiſcopus; qui Epiſtolam ad Caricum & Ponticum ſcripſit, contra Montaniſtas; ubi Claudii Apollinaris Hierapolitarum Epiſcopi meminerat, qui & ipſe Montaniſtis adverſatus fuerat, ut & ſubſcriptionum aliorum Epiſcoporum, in Epiſtolis adversùs Montaniſtas ſcriptis. Hæc *Euſebius*, H. E. Lib. V. Cap. 9. Præterea addit *Hieronymus*, undecimo Commodi Imp. anno, Antiochiæ Epiſcopum Sarapionem ordinatum; qui annus ſi deducatur à priore initio Commodi, quo Collega Imperii fuit, antecedens annus erit; ſi à poſteriore, res erit in tertium abhinc annum differenda. Ad Domnum quoque, qui, perſequutionis tempore, ad Judæos declinaverat, volumen, ut idem *Hieronymus* prodidit, compoſuerat, & alium de Evangelio, quod ſub nomine Petri ferebatur, librum ad Rhoſenſem Ciliciæ Eccleſiam, quæ in Hæreſin, ejus lectione, diverterat. Legebantur olim & variæ ejus Epiſtolæ, aſceticæ Auctoris vitæ congruentes.

ANN. C-LXXXVIII, & C-LXXXIX.

C. Allio Fuſciano II. Dullio Silano II. COSS. Commodi Imp. IX. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXVIII.

I. Quandoquidem nec hujus anni, nec ſequentium aliquot, eventus ulli ad Eccleſias Chriſtianas pertinentes, ad nos pervenerunt, de Scriptoribus, qui circa hæc tempora vixerunt, ad ſingulos agere pergemus; cùm ceteroquin ad nullum certum annum, tacente priſcâ Hiſtoriâ, à nobis referri poſſint. Fuit ergo, hac tempeſtate, Aſterius Urbanus, cui tribuuntur Libri contra Cataphrygas; de quibus Libris egit *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 16. ubi multa ex iis verba profert, primùm ſine nomine Scriptoris, deinde addito nomine *Aſterii Urbani*, [1] ſi modò ea verba ſint à manu *Euſebii*. Quædam ex eo opere verba jam protulimus, cùm de Montaniſtis ageremus ad Ann. CLVII.

Servilio Silano, Dullio Silano COSS. Commodi Imp. X. Æræ Vulgaris Chriſti CLXXXIX.

I. Vivebat his temporibus Rhodon, Aſiâ oriundus, qui Romæ audivit Tatianum, Juſtini diſcipulum, dum is in Urbe moratus eſt. Scripſerat Rhodon contra Marcionem, ubi Marcionitas in plures ſectas diviſos aiebat, & „ propterea, *inquiebat*, inter ſe ipſi diſſentiunt, „ quia doctrinam tuentur, quæ omnino ſtare non poteſt. Nam ex „ illorum grege Apelles quidam, moribus & ſenectute gravis, unum pro- „ fitetur eſſe Principium, Prophetias verò à contrario ſpiritu ortas di- „ cit, virginis cujuſdam Dæmoniacæ reſponſis adſenſus. Alii verò, „ quemadmodum & ipſe nauta Marcion, inter quos ſunt Potitus & „ Baſilicus, duo Principia inducunt. — Alii rurſus ab his, tamquam „ tempeſtate in deteriora abrepti, non duas tantùm, [2] ſed tres Natu- „ ras (*ἀρχικὰς, nempe*) poſuerunt; quorum, ut diſciplinæ illius ſecta- „ tores memorant, princeps & anteſignanus fuit Syneros.

II. Idem etiam colloquii, quod cum Apelle, de quo diximus ad Ann. CLX. habuit, ſummam ſic narrabat: „ Senem quidem Apellem, qui „ nobiſcum colloquium iniverat, multorum pravè dictorum arguimus. „ Quamobrem etiam dicebat ad examen non eſſe revocandam doctri- „ nam, ſed unum quemque in eo, quod ſemel credidiſſet, perſtare opor- „ tere; ſervatum enim iri eos, qui in Crucifixo ſpem ſuam collocaſ- „ ſent, ſi modò in bonis operibus (*à morte*) deprehenderentur. [3] Rem verò

1 *Si modò ea verba* &c.] Vide *Henr. Valeſii* adnotationes, ad *Euſebii* locum.

2 *Sed tres naturas*] Ideò Marcioni tria Principia nonnulli tribuerunt. Vide ad Ann. CXLI, 5.

3 *Rem verò omnium obſcuriſſimam*] Sic Simonides, de quo Cotta apud *Ciceronem* de Nat. Deorum Lib. I. c. 22. *Roges me quid, aut quale ſit Deus; auctore utar Simonide, de quo cùm hoc quæſiviſſet Tyrannus Hiero, deliberandi causâ, ſibi unum diem poſtulavit; cùm idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petivit; cùm ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiránsque Hiero requireret,*

„ verò omnium obſcuriſſimam ſtatuebat eſſe quæſtionem de Deo. Aie- „ bat enim unum eſſe Principium, ut noſtra fert doctrina — Cùm „ verò ab eo quærerem unde hoc demonſtraret, & quî poſſet dicere, „ unum eſſe Principium; reſpondebat Prophetias, eò quòd nihil om- „ nino verum dicant, ſe ipſas confutare. Sunt enim, ajebat, diſſo- „ nantes & falſæ, ac ſibimet ipſis contrariæ. Porrò quomodo ſit uni- „ cum Principium ſe ſcire negabat, ſed tantùm ſe moveri ita, *ut cre-* „ *deret*. Poſthac, *inquit Rhodon*, cùm eum jurejurando adegiſſem, ut „ vera diceret; juravit ſe verè dicere, nec ſe omnino ſcire quomodo „ unus ſit ingenitus Deus, attamen ita credere. Ego verò in riſum ſo- „ lutus, hominem reum peregi, quod cùm ſe Doctorem diceret, id, „ quod docebat, confirmare neſciret. Quæ protulimus, ut Marcioni- tarum imperitiæ argumentum eſſent.

ANN. CXC.

III. In eodem Libro, quem Calliſtioni cuidam nuncupaverat, Romæ à Tatiano ſe eruditum eſſe teſtabatur. Aiebat etiam à Tatiano collectas varias de Scriptura quæſtiones, quaſi iis reſponſuro, verùm à ſe ſolutas fuiſſe. Scripſerat & in Hexaëmeron commentarium. Hæc de *Rhodone* *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 13.

L. Aurelio Commodo Aug. VI. Petronio Septimiano. COSS. Commodi Imp. XI. Æræ Vulgaris Chriſti CXC.

I. Hoc tempore floruit Theophilus, Cæſareenſis, in Palæſtina Epiſcopus. Auctor habetur Epiſtolæ ſcriptæ nomine Synodi, in Palæſtina coactæ, de controverſia Paſchali, de qua ad Ann. XCIV dicemus. Ei coetui præfuit, cum Narciſſo Jeroſolimæ Epiſcopo, ut habet *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 23. Latinè creditur exſtare, apud *Bedam* de Æquinoctio.

II. Putatur circa hæc tempora vixiſſe *Ezekielus*, Poëta Judæus, qui dicitur Hiſtorias Judaïcas carmine Tragico ceciniſſe. Exſtat fragmentum CCLXIX verſuum Dramatis, quod inſcripſerat ἐξαγωγὴν, *eductionem*; nempe, Iſraëlitarum ex Ægypto. Editum eſt id fragmentum ad calcem Poëtarum Græcorum Dramaticorum, Genevæ in lucem emiſſorum Ann. MDCXIV. [1] Quidam citiùs vixiſſe volunt, ſed nullo certo argumento. At conſtat eum ante *Clementem* Alexandrinum vixiſſe, qui hiſce temporibus vivebat, ejúſque, [2] Stromat. I. verſus XXXVIII. profert,

ret, *cur ita faceret*; quia quantò, *inquit*, diutiùs conſidero, tantò mihi ſpes videtur obſcurior.

1 *Quidam* &c.] *Stephanus le Moine*, qui, in Notis ad Varia Sacra p. 336. conjicit Poëma compoſitum ab Ezekielo, poſt exſcidium Jeroſolimitanum & Gentis Judææ diſperſionem, vel paullò poſt tempora *Barcozbæ*, ut Judæos ſolaretur, & eorum animos erigeret, ſpe futuræ liberationis. Quæ mera eſt ſuſpicio.

2 *Stromate I.*] Pag 344. ubi vocatur ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής.

ANN. profert, qui exſtant in Fragmenti memorati Prologo, in quo loquens CXCI, & inducitur Moſes. Stylus eſt humi repens. Sed plures habet *Euſebius* CXCII. Præp. Evangelicæ Lib. IX. c. 28 & 29. unde deſumtum editum Fragmentum.

Caſſio Aproniano, Valerio Braduâ Maurico COSS. Commodi Imp. XII. Æræ Vulgaris Chriſti CXCI.

I. Æqualis horum temporum fuit *Apollonius*, qui Cataphrygarum Sectam, etiam ſuâ ætate, in Phrygia florentem refutare adgreſſus peculiare Opus, adversùs eos, conſcripſerat; in quo cùm eorum falſa vaticinia, quæ circumferebantur, verbatim expenderat; tum etiam pravam eorum, qui Hæreſis auctores fuerant, vitam arguerat; ut habet *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 18. ubi aliquot ejus verba profert. *Tertullianus*, ſex voluminibus, pro Montaniſtis, editis, quæ ſcripſit [1] περὶ ἐκστάσεως, ſeptimum propriè adversùs Apollonium elaboraverat, in quo omnia, quæ ille arguerat, conabatur defendere. Quod debemus *Hieronymo*, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui & *Apollonium* ſub Commodo, Severoque principibus floruiſſe ait.

II. Creditur etiam, his temporibus, aut etiam citiùs vixiſſe Scriptor perſonatus *Teſtamentorum XII. Patriarcharum*, quæ ſunt non ita pridem Græcè & Latinè edita. Hoc conſtat, vixiſſe eum ante *Origenem*, qui Teſtamenta hæc laudat Homil. XV. in Numeros. Sunt autem prophetiæ & adhortationes ad virtutem, quas Patriarchæ morientes finguntur edidiſſe, audientibus poſteris. Videtur eſſe figmentum Chriſtiani cujuſdam otio ſuo abutentis, qui tamen more Judaïco ſæpe loquitur; ut quæ dicit de Chriſto majoris ſint ponderis. Sed Patriarcharum perſonas ſatis aptè agere neſcivit. Dignum non eſt opuſculum, quod nos diutiùs moretur; cùm præſertim [2] viri docti pluribus de eo egerint, qui adiri poterunt.

L. Aurelio Commodo Aug. VII. P. Helvio Pertinace II. COSS. Commodi Imp. XIII. Æræ Vulgaris Chriſti CXCII.

I. Commodus [1] ultimo Anni hujus die occiſus eſt, conſpiratione Marciæ pellicis, Electi Cubicularii & aliorum, cùm regnaſſet annos XII. menſes IX. dies XIV. Patri fuit diſſimillimus, & gladiatorio ludo dignior, quàm Imperio.

Q. Soſio

1 Περὶ ἐκστάσεως] Cùm Montaniſtæ, veluti in Ecſtaſin rapti, multa effutirent, quæ nec ipſi intelligebant; rectè ſentientes negabant umquam ſic eſſe veros Prophetas vaticinatos, ut diximus ad Ann. LVII, 5. Contra hanc ergo ſententiam ſcripſerat *Tertullianus*, in hoc opere, quod periit.

2 *Viri Docti*] Vide *Joan. Erneſt. Grabii* Præfationem iis præfixam, in Sæculi II. fragmentis.

1 *Ultimo Anni die*] Vide *Antonium Pagium*

ANN. CXCIII, & CXCIV.

Q. Soſio Falcone, Julio Erutio Claro COSS. Severi Imp. I. Æræ Vulgaris Chriſti CXCIII.

I. Ei ſuffectus eſt P. Helvius Pertinax, operâ Læti Præfecti Prætorio. Sed cùm multam exſpectationem de ſe moviſſet, [1] occiſus eſt LXXXVIII. diebus, poſtquàm imperare cœperat, die XXVIII. Martii. Succeſſit Didius Julianus, ſed poſt dies LXVI. pariter occiſus eſt, Calendis Junii, à quibus cœpit Imperium L. Septimius Severus.

L. Septimio Severo Aug. II. Clodio Septimio Albino Cæſare II. COSS. Severi Imp. II. Æræ Vulgaris Chriſti CXCIV.

I. Fuerat [1] à multis annis nonnulla controverſia, apud Chriſtianos, de die, quo Paſcha Chriſtianum, ſeu celebratio temporis quo Chriſtus mortuus erat, obſervari oporteret; ſed nondum eò devenerat, ut cuiquam moleſtia propterea crearetur. Omnes per Aſiam Minorem Eccleſiæ, veluti è vetuſta quadam traditione, quartadecimâ Lunâ primi menſis Judaïci feſtum, ut ſuum Paſcha Judæi, celebrabant, eâque omnino Lunâ, in quemcumque diem Hebdomadis incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe exiſtimabant. Nam quamvis à Chriſto & Apoſtolis nulla ſtata jejunia conſtituta eſſe videamus, attamen vel ex hac controverſia, ante Paſcha jejunia obſervari ſolita, jam à ſecundo ſæculo liquet; quamvis nonnulla fuerit, in eo more, varietas. Verùm de re non agemus, quæ [2] à viris doctiſſimis dudum excuſſa eſt; præterquàm quòd nulla eſſet, eo tempore, de jejuniis contentio, niſi cum Montaniſtis.

II. Contra reliquæ totius ferè orbis Eccleſiæ, alio more utebantur, qui poſtea, quaſi ex Apoſtolica traditione invaluit; & quo, non alio quàm Dominicæ reſurrectionis die, hoc eſt, die Dominico, qui quartam decimam Lunam proximè ſequitur, jejunia ſolvi licebat. Cùm ergo orti eſſent ea de re cum Aſiaticis ſermones, & deinceps, ut fit, rixæ; convenerunt variarum Provinciarum Synodi, quæ litteris circummiſſis vetuerunt, ne ullo alio, quàm Dominico die, reſurrectio Chriſti celebraretur. Memorat *Euſebius*, cui hæc omnia debemus, Epiſtolam Epiſcoporum Palæſtinæ, quibus præerant Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ, & Narciſſus Jeroſolimæ Epiſcopi; & alteram Synodi Romanæ, cui

gium, ad hunc Annum.

1 *Occiſus eſt* &c.] Vide eumdem, ad hunc annum.

1 *A multis annis*] Adi dicta ad Ann. CLII, 3.

2 *A viris doctiſſimis.*] *Joan. Dallæo*, opere de Jejuniis & Quadrageſima, & *Gul. Beveregio* Codicis Canonum vindicati Lib. III. quem legiſſe non pœnitebit. Vide & quæ obiter diximus ad Ann. CLVIII, 4.

ANN. CXCIV. cui nomen Victoris Epiſcopi præfixum erat. Fuere præterea, ut ait, Litteræ Epiſcoporum Ponti, quibus Palma vetuſtiſſimus præfuit; Eccleſiarum Galliæ, quarum præſes fuit Irenæus; Oſdroënæ Provinciæ; Bachylli, Corinthiorum Epiſcopi & aliorum plurium. Quorum omnium eadem fuit ſententia, de Paſchate Chriſtiano, die demum Dominico Judaïcum Paſcha proximè ſequente, celebrando. Vide *Euſebium* Lib. V. c. 23, & 25.

III. Episcopis verò Aſiæ, qui contrà ſentiebant, Polycrates Epheſiorum Epiſcopus præerat, & ut alii Traditione Apoſtolica nitebantur, ſimilem quoque Traditionem ei contrariam jactabat, qua de re Litteras ad Victorem & Eccleſiam Romanam dedit; in quibus viros magnos, qui in Aſia vixerant, commemorabat. Ordinem ducunt [3] Joannes & Philippus Apoſtoli; quorum poſteriori tres filias à Spiritu Sancto adflatas fuiſſe dicit; cum quo tamen videtur Philippum Diaconum, cui Prophetides filiæ fuerunt, ut docemur Act. XXI, 8, 9. perperam confundere. Sequuntur Polycarpus Smyrnenſium, idémque Martyr, Thraſeas Eumeniæ Epiſcopus & Martyr, Sagaris Epiſcopus & Martyr, Papirius & Meliton Sardenſis Epiſcopus. Addit Polycrates hos omnes conſtanter Paſchatis diem, quintadecimâ Lunâ, ſecundùm Evangelium, obſervaſſe. Denique, „ Ego quoque, *inquit*, omnium veſtrûm „ minimus Polycrates, ex Traditione cognatorum meorum, quorum „ etiam nonnullos adſectatus ſum; fuerunt enim ſeptem omnino è cognatis meis Epiſcopi, quibus octavus acceſſi. Qui quidem omnes Paſchatis diem celebrarunt, cùm Judæorum populus fermentum abjiceret. Ego, inquam, fratres, quinque & ſexaginta annos natus in „ Domino, qui cum fratribus toto orbe diſperſis ſermones ſæpe contuli, qui totam Scripturam Sacram perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis [4] ad formidinem intentantur. Etenim ab iis, qui me longè potiores erant, dictum ſcio: *Præſtat parêre Deo, quàm hominibus* —— „ Poſſem etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, „ quos petiiſtis ut convocarem, quemadmodum feci. Quorum nomina „ ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur. Hi, cùm me puſillum hominem inviſiſſent, Epiſtolam noſtram adſenſu ſuo comprobarunt &c.

IV. Hæc ſatis clarè Traditionem Aſiaticam confirmare videntur, quam ad Joannem Apoſtolum, qui ceteris omnibus ſuperſtes fuit, Philippúmque Diaconum, ut puto, virum Apoſtolicum, referebant; cui Traditioni vix ulla alia opponi poſſe videbatur; cùm propiùs deduceretur ab Apoſtolo, qui triginta annis, poſt Petrum & Paulum, vitam produxerat, Eccleſiáſque Aſianas rexerat, & ordinarat. Huc accedebat exemplum ipſius Chriſti, qui novum Paſcha, ipsâ quartadecimâ Lunâ

3 *Joannes*] Geſſiſſe eum πέταλον dicit *Polycrates*; qua de re, vide dicta ad Ann. XCIX, 3.

4. *Ad formidinem*] Excommunicationis, ut videtur, quæ iis intenta fuerat, niſi, cum ceteris Eccleſiis, Paſcha Chriſtianum Domi-

Lunâ, veteri ſubſtituerat. Aliæ tamen Eccleſiæ ſuperioris Aſiæ & Occidentales, ac præſertim Romana, aliter ſentiebant, Apoſtolicáque traditione etiam fretæ erant. Ac ſanè ſi continuâ obſervatione, ex quo conditæ erant, ut putabant, proximo die Dominico, celebratum ſemper fuerat Paſcha, in iis Eccleſiis; hujus ſui moris originem non minùs ad Apoſtolos auctores referre poterant. Præterea, nulla erat ſat firma ratio, cur Judaïcam conſuetudinem ſequerentur, quam ſervari non juſſerat Chriſtus. Imò deſerenda fuit, eò quòd Paſchali feſto reſurrectionem Chriſti, quæ Die Dominico contigerat, celebrarent Chriſtiani. Quibus de cauſis, videtur is mos Aſiatico tandem, ſi excipias pertinaces Quartodecimanos, ab omnibus prælatus. Quid ergo nos ad hæc dicemus? Primùm nullum exſtare præceptum Chriſti, aut Apoſtolorum, de quo omnino conſtet; quo Chriſtiani jubeantur mortem, aut reſurrectionem Chriſti certo die, eóque feſto celebrare. Imò Paulus eos diſertè caſtigat, qui *propter diem feſtum, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum* alios minimè eorum obſervantes damnabant, Coloſ. II, 16. Nec fortè initio ejus diei obſervantes fuerant, quamquam, cùm res per ſe mala non eſſet, fieri eam minimè vetuerunt; unde factum ſit, ut nonnulli quartam decimam Lunam, alii ſequentem Diem Dominicum, cum bona Apoſtolorum gratia, conſecrarint. Quare non erat, cur eam diſſentionem magni facerent Chriſtiani, quod etiam eo ævo ſapientibus viris viſum eſt, ut ad alterum ab hoc annum dicemus. Nam res, dum Litteræ Româ mittuntur in Aſiam & ex Aſia Romam, dum Synodi convocantur, conſuluntúrque Eccleſiæ, ad id tempus dilata eſt. ANN. CXCV.

Scapula Tertullo, Tineio Clemente COSS. *Severi Imp. III.* *Æræ Vulgaris Chriſti* CXCV.

I. Hisce temporibus, vixit, ſi Vetuſto Scriptori, qui laudatur ab *Euſebio* Lib. V. c. 28. credimus, Theodotus quidam Coriarius, qui Chriſtum merum hominem eſſe docuit, proptereáque à Victore Eccleſiæ communione ejectus eſt. Auctor additamentorum ad Librum *Tertulliani* de Præſcriptionibus Hæreticorum, Cap. ult. Byzantium fuiſſe narrat, qui poſtea quàm ab Ethnicis captus, Religionis causâ, Chriſtum abnegaſſet, non deſiiſſet de eo blaſphemare; introduxiſſe enim doctrinam, quâ Chriſtum hominem tantummodò diceret, Deum autem illum negaret; ex Spiritu quidem Sancto natum è Virgine fateretur, ſed merum hominem, nec ceteris hominibus, ſi ſanctitatem excipias, præſtitiſſe contenderet.

II. Paullo plura habet *Epiphanius*, Hæreſ. LIV. ſed quibus an fides

Dominicâ ſequente Quartam decimam Lunam celebrarent. Itaque Synodum convocare juſſus erat Polycrates, ut Romanum inſtitutum acciperet; non ut expenderet, an accipiendum eſſet. Quod ſatis pro imperio factum erat.

ANN. CXCVI.

fides haberi queat neſcio. Ait Theodotum arte quidem Coriarium, ſed litteris adprimè eruditum fuiſſe, quod in vili ejuſmodi artifice mirum erat. Is ergo ineunte perſequutione, quæ quo tempore contigiſſet ignorabat *Epiphanius*, cum multis aliis comprehenſus, dum ceteri conſtanter mortem pro Chriſto pertulerunt, Chriſtum abnegavit. Poſtea cùm Byzantii, apud Chriſtianos, infamiâ propterea laboraret, Romam aufugit; ubi à nonnullis agnitus, in eumdem contemtum recidit, quod vir multâ eruditione inſtructus, veritati nuncium remiſiſſet. Quare ut factum excuſaret, *Deum*, inquiebat, *non negavi*, *ſed hominem*. Rogatus verò quemnam hominem intelligeret, reſpondit Chriſtum, atque exinde nudum hominem fuiſſe, & è virili ſemine natum docuit.

III. Postrema videntur eſſe, ut major Theodoto invidia conflaretur, ſcripta; neque enim Evangelio crediddiſſet, qui Jeſum ex intacta Virgine natum negaſſet; neque ei hanc hæreſin adſcribit, qui *Tertulliano* additamenta, de quibus diximus, adſuit. Non difficile quidem intellectu eſt, fuiſſe ab eo tempore homines, qui cùm animadverterent de Divinitate Chriſti vulgò loquutos eſſe [1] viros doctos, non verbis Apoſtolicis, prout par fuerat, rémque adgreſſos interpretari quæ ſupra captum noſtrum eſt, & quidem eo modo qui duos Deos pares, niſi verba in alienam ſententiam torqueantur, eſſe ſtatuit; fuiſſe, inquam, homines qui nimiùm in contrariam partem tetenderint, útque Dei unitatem tuerentur, nihil in Chriſto fuiſſe præter humanitatem perperam docuerint; ſi tamen eorum ſententia ab adverſariis rectè eſt intellecta, ac eâ fide, quæ eos decuiſſet, expoſita.

Cn. Domitio Dextro II. L. Valerio Meſſalla COSS. Severi Imp. IV. Æræ Vulgaris Chriſti CXCVI.

I. Postquam Victor Polycratis & Aſianorum Litteras, de obſervatione Paſchatis quartadecimâ Lunâ, accepiſſet, illico, ut ait *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 24. Aſiæ omnes Provincias, unà cum finitimis Eccleſiis, quæ iis adſentiebantur, è Communione, tamquam aliter quàm par erat ſentientes, abſcindere [1] conatus eſt; datisque litteris omnes, qui illic erant, fratres proſcripſit, indignóſque prorſus, quibuſcum Communio coleretur pronunciavit. Qui primus inſignis eſt excommunicationis abuſus, quâ poſtea frequentiùs abuti Chriſtianarum Eccleſiarum Rectores, præter jus & fas, perrexerunt.

II.

1 *Viros doctos*] Cujus rei exemplum eſt *Tertullllianus*, in libro adverſus Praxeam de quo vide dicta ad Ann. CLXXX.

1 *Conatus eſt*] Verba *Euſebii* hæc ſunt H. E. Lib. V. c. 24. Ὁ μὲν τῆς Ῥωμαίων προεστὼς Βίκτωρ ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης, ἅμα ταῖς ὁμόροις Ἐκκλησίαις, τὰς παροικίας ἀποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξούσας τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται. Ex quibus verbis collegit *Valeſius* nondum Eccleſias Aſiæ à Victore è communione fuiſſe abſciſſas. Sed fallitur vir doctiſſimus, nam excommunicatione ipſâ *conatus eſt* eos abſcindere, ſed non potuit; quia injuſtæ excommunicationis pleræque Eccleſiæ rationem nullam habuerunt, eáſque Litteras ad Victorem dederunt, quibus temerariam excommunicationem revocare coactus eſt. Emiſſam etiam clarè oſten-

II. Excommunicatio, ſi propiùs ſpectetur, aliud nihil eſt, præter Rectorum Eccleſiæ publicam declarationem, quâ homines graviorum delictorum, aut errorum reos, indignos pronunciant, qui à Chriſtianis, nî emendentur, ad Euchariſtiam, tamquam fratres, admittantur. [2] A Judæis manaſſe id inſtitutum, & quidem è Captivitate Babylonica reverſis, aut fortè etiam poſterioribus ſæculis, videtur. Certè nullum eſt ejus rei, ſtante Judæorum regno, imò neque ante Scriptas Thalmudicas Pandectas, ſatis clarum veſtigium. Quin etiam à réditu Captivitatis, dum Templum ſtetit, à Phariſæis numquam ſacrorum Communione excluſi ſunt Sadducæi; qui tamen graviſſimè errabant, cùm immortalitatem animorum, pœnáſque & præmia, poſt hanc vitam, negarent: aut à Sadducæis Phariſæi, quamvis impias multas traditiones Legi adjeciſſent. ANN: CXCVI.

III. Aliter tamen ſe geſſerunt Chriſtiani, qui ejuſmodi erroribus inquinatos numquam pro Chriſtianis agnoverunt, aut ad Euchariſticam Menſam admiſerunt. Verùm res ipſa docet non omnium delictorum, aut errorum eamdem eſſe oportere rationem. Delicta leviora ejuſmodi non ſunt, ut eorum reos ex albo Chriſtianorum delere neceſſe ſit; cùm alioqui nemo eſſet Chriſtianus habendus, quandoquidem nullus eſt, qui non ſubinde aliqua in re delinquat. Quod de erroribus etiam dictum habendum eſt, quia nemo eſt, qui, in rebus ad Religionem pertinentibus, omnis erroris immunis ſit, aut immunem ſe, ſine intoleranda ſuperbia, habere poſſit. Sunt vitia & delicta, quæ cum ſumma ſanctitatis Chriſtianæ conſiſtere poſſunt: quemadmodum ſunt leviores multi lapſus, erroréſque & hallucinationes, quæ cum capitibus neceſſariis doctrinæ Chriſtianæ ita non pugnant, ut propterea homines Chriſtiani eſſe deſinant. Nemo eſt Patrum, rectâ de rebus divinis ſententiâ omnibus probatorum, & morum ſanctitate venerabilium, qui non aliqua in re aliquando deliquerit, aut errarit. Ergo non poſſunt communione ejici, propter mores, niſi qui ſunt flagitioſæ vitæ, aut ſcelus admiſerunt, quod cum ſanctitate Chriſtiana prorſus pugnet; nec propter dogmata, niſi quæ fundamenta Chriſtianiſmi pravis opinionibus evertunt; quales erant Gnoſticorum veterum, eorúmque multiplex propago Valentinianorum, Marcionitarum & aliorum ejuſmodi hominum, qui nec Deum, nec Chriſtum admittebant, quales in Libris Apoſtolicis deſcribuntur, & flagitioſis moribus erant, ſi Veteribus certè credimus.

IV. Ne-

oſtendunt ſequentia verba: καὶ ςηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων ἀκοινωνήτȣς ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς. Ideóque & olim *Socrates* Lib. V. c. 22. ita rem cepit, ut à Victore excommunicatos Aſianos, intelligeret, & doctiſſimi inter recentiores viri. Vide *Ant. Pagium* ad hunc annum & *Ren. Maſſuetum* in Diſſert. II. de Vita *Irenæi*, n. 22.

2 *A Judæis manaſſe*] Vide *Joan. Seldenum* de Synedriis Judæorum Lib. I. Cap. VIII. & ſeqq. Ceterùm de re adcuratè & ſubtiliùs agere hîc non adgreſſi ſumus, uti nec expendere quæ nobis minùs in ſententia *Seldeni* adrident.

ANN. CXCVI. IV. Necessaria erat Eccleſiis Chriſtianis ea diſciplina, qua iis graviorum delictorum, vel errorum rei ejiciebantur, duplici de ratione. Prior fuit, ut homines emendati, eo Eccleſiarum judicio, ad caſtigatiores mores, aut ſaniorem doctrinam redirent, ſi qua ſupereſſet iis amoris Probitatis, aut Veritatis ſcintilla; néve alii eorum exemplo delinquerent, aut errarent, unde ſequeretur æternæ ſalutis jactura. Altera ratio erat, ne ob pravitatem morum, aut opinionum infamaretur, apud Ethnicos, Eccleſia Chriſtiana; facilè enim fieri potuiſſet, ut propter propudioſos quorumdam errores, aut flagitioſam vitam, malè audiret tota Eccleſia Chriſtiana. Imò verò quantamcumque adhibuerit, ea in re, curam, non potuit omnino Ethnicorum calumnias vitare, [3] ut alibi animadvertimus.

V. Sed in re tam gravi, magna diligentia adhibenda fuit, ne plus noceret, quàm prodeſſet diſciplinæ ſeveritas. Si propter levia peccata, aut errata, exercita nimis imperiosè fuiſſet; potuiſſent inde naſci offenſiones & diſſidia, quibus lacerata fuiſſet Eccleſia, non ſine Ethnicorum irriſione, & caritatis Chriſtianæ detrimento; cùm ſeveriorum hominum, tum etiam delinquentium culpâ. Quod ſi probè penſitetur, & ad tempora Chriſtiana, ſeu quibus Summæ Poteſtates Chriſtianam fidem amplexæ ſunt, nec ab Ethnicis quidquam periculi fuit, referatur; intelligemus neceſſariò remittendum aliquid fuiſſe de ſummo rigore antiquioris ævi, ne majus damnum inde, quàm emolumentum, caperet Eccleſia. Ab eo tempore, cùm fuerint Chriſtianæ Poteſtates, Legéſque civiles, cúmque à ſingulorum moribus, aut opinionibus nequaquam pependerit Religionis Chriſtianæ exiſtimatio; rariùs & cautiùs ſacris interdictos oportuit homines, quibus antea hujuſmodi infamiæ notam inuri neceſſe erat. Acceſſit & alia magni momenti ratio, petita ex eo quòd non raro ii, qui ſummâ poteſtate in Republica inſtructi ſunt, aliique è primoribus, in opiniones, aut flagitia incidant, quæ ſacrorum interdictione digna eſſent; nec tamen vibrari in eos Eccleſiaſticum id fulmen poſſit, ſine Eccleſiaſticæ & Civilis Societatis gravi periculo, propter auctoritatem reorum. Nec ſanè auſi ſunt ii, qui ſacris præſunt, eos Eccleſiaſtica ſocietate propterea excludere. Quamobrem etiam minoribus reis parcere neceſſe fuit, ne, omiſſis *corvis*, ſolas *columbas cenſura vexare* videretur, quod iniquiſſimum fuiſſet. Quare ſatis habitum eſt delicta & errores palam, & publico conſenſu damnari, eóſque, qui iis laborarent, indignos Euchariſtica Cœna pronunciari, quamvis nominatim nemo eâ interdiceretur. Iis permiſſum eſt, ſuo ipſorum periculo, ejus participes fieri, poſtquàm de ſententia Rectorum Eccleſiæ dubitare nemo potuit. Neque hæc eorum prudentia vituperata eſt, cùm ſint vitia & delicta homine Chriſtiano prorſus indigna & quorum rei gratiâ divinâ excidunt, ut ambitio, ſuperbia, avaritia, imperitia &

3 *Ut alibi* &c.] Ad Ann. CXX, 5.

& negligentia in defungendo muneribus maximi momenti; quæ tamen reis, etiam iis qui ſacris præerant, numquam Eccleſiaſticas pœnas, quas meriti erant, contraxerunt; propter gravia incommoda, quæ inde ſequerentur, difficultatémque quæ in earum inflictione exoriretur. ANN. CXCVII.

VI. Eadem prudentia uſi erant antea Judæi, qui non dubitabant de æterna vita & reſurrectione, erga Sadducæos, quos numquam ſacrorum communione excluſerunt. Nec ipſe Chriſtus propterea Phariſæos damnavit, aut ipſe à Templi communibus ſacris abſtinuit. Phariſæos quoque, quibus multos & graves errores, ſine diſſimulatione, exprobravit, ſacris Templi publicis exterminandos nuſquam docuit; nec ea ipſe, quaſi ab ejuſmodi hominibus polluta, propterea fugit. Satis ei erat vitia & errores utrorumque propalam & ſine ulla indulgentia notaſſe, ut liqueret ipſum eorum reum non eſſe, neque ullâ ratione ea probare; nec timuit ne labem aliquam contraheret, communione ſacrorum cum ejuſmodi hominibus. Inquinari ſacra ab iis ſciebat, Deique juſtitiam graviter provocari; ceteroqui poſt ejuſmodi monitiones, patiebatur eos ſuo ipſorum periculo ſacra facere, quemadmodum ſolebant. Nulla mandata contraria diſcipulis ſuis reliquit, nec ipſe aliter ſe, quàm ſanctiſſimus Magiſter fecerat, geſſerunt. Paulus quidem Apoſtolus 1. Cor. XI, 27. *quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reum corporis & ſanguinis Domini* ſpretorum pronunciat; ſed uniuſcujúsque arbitrio proprium de ſe ipſo judicium reliquit. *Probet*, inquit, *ſe ipſum homo & ſic de pane illo edat & de calice bibat*; nec ſic monitorum Chriſtianorum erroribus, aut delictis inquinari exiſtimavit alios, qui eidem Euchariſticæ Cœnæ adſiderent. Nefandi inceſtûs reum, ut vidimus Ann. LVII, 3. Hymenæúmque & Philetum, ut ait 1. Tim. I, 20. Satanæ tradidit; quod genus pœnæ, præter excommunicationem, morbum divinitus immiſſum adjunctum habebat. Quæ breviter hîc dicenda fuerunt, ut judiciorum, quæ de excommunicationibus ferentur, ratio conſtaret.

VII. Satis liquet, propter diem alium celebrationi Paſchatis adtributum, quàm ſolebat Romæ, aut alibi, Aſianas Eccleſias, aliorum Chriſtianorum communione non fuiſſe arcendas; quòd inſtitutum hoc celebrandi quocumque die Paſchatis, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis manaſſe ita dici poſſet, ut neceſſariò obſervandum judicarent; imò de die res obſcura eſſet, cùm conſuetudo, quæ ſola hîc, quaſi argumentum priſcæ inſtitutionis, proferebatur, non eſſet ubique eadem. Ideóque quod fecerat Victor omnibus Epiſcopis non probabatur. Plures eum è contrario hortati ſunt, ut ea potiùs quæ paci, conjunctionique animorum, & caritati erga proximum convenirent reputaret. Erant, *Euſebii* ævo, plures eorum Epiſtolæ, quibus hominem acerbiùs perſtringebant; nec rationem ullam Eccleſiæ Romanæ *potioris principalitatis*, de qua *Irenæus*, habebant.

VIII. Profert etiam H. E. Lib. V. c. 24. partem Litterarum,

ANN. CXCVI. quæ ab *Irenæo*, nomine fratrum, quibus in Gallia præerat, ſcriptæ ſunt. Quamvis eſſet in eadem ſententia ac Victor, ſolo die Dominico, quo Chriſtus reſurrexit, Paſcha eſſe celebrandum; eum tamen decenter, pro ſua æquitate, admonebat ne integras Dei Eccleſias, vetuſtum morem ſibi traditum cuſtodientes, à Communione abſcinderet, atque hæc inter alia addebat: „ Neque enim de die ſolùm controver-„ ſia eſt, ſed etiam de forma ipſa jejunii (*quod Paſcha antecedebat*) „ Quidam enim, unico die, ſibi eſſe jejunandum, alii pluribus exiſti-„ mant. Nonnulli etiam quadraginta horis, diurnis atque nocturnis „ computatis, diem ſuum metiuntur. Atque hæc, in obſervando je-„ junio, varietas non noſtrâ primùm ætate nata eſt, ſed longè antea „ apud Majores noſtros fuit; qui negligentiùs, ut videtur, [4] (*rem*) „ obſervantes ex ſimplicitate & imperitia ortam conſuetudinem poſte-„ ris reliquerunt. Ego verò, cum bona optimi viri venia, prudentiæ potiùs eorum hoc tribuerim, quâ intelligebant nihil eſſe quaſi neceſſarium præſcribendum, quod ab Apoſtolis impoſitum non eſſet; ſed rem cujuſque arbitrio permittendam, cùm longius, aut brevius jejunium nihil ad pietatem faceret. Quod ſatis perſpicuum videtur, ſed obſcuriora ſunt antecedentia *Irenæi* verba, nec levem viris doctis controverſiam, inter ſe, crearunt *quadraginta* illæ *horæ*, *diurnæ & nocturnæ*, quibus nonnulli *diem* jejunii *metiebantur*. Poſt vocem τετταράκοντα, *quadraginta*, alii punctum, aut comma addunt; alii delent, quòd in MSS. Codicibus non conſpiciatur. Attamen, ſi res probè penſitetur, horas quadraginta uni diei adtributas, aut etiam jejunio conſecratas, nullo exemplo quiſquam probavit, éſtque contra naturam tot horarum diem conſtitui, [5] ut viri doctiſſimi rectè obſervarunt. Quod cùm animadverteret *Valeſius*, pro ἡμέραν, *diem*, in ſequentibus verbis, legi voluit νηστείαν, *jejunium*, ſed contra omnium MSS. Codicum, etiam ejus quo uſus eſt olim, in hac Hiſtoria, *Rufinus*, auctoritatem. Itaque adſentimur iis, qui diſtinctionem poſt τεσσαράκοντα, ponunt, & hoc velle *Irenæum*, [6] ut iidem eruditiſſimi viri cenſuerunt, putamus: varietatem fuiſſe in jejunii, quod Paſchali ſollemnitati præmittebatur, obſervatione, quoſdam enim ξηροφαγίαν, vel arctius jejunium, quo ſicca tantùm comedebantur, *per diem unum*, *alios per duos & plures*, *alios per quadraginta*, & quidem *horis nocturnis*, *æquè ac diurnis*; ne quis putet eos, exactâ die, veſperi quovis genere ciborum uſos, quod in aliis jejuniis non raro fiebat. Fateor tamen eſſe neſcio quid aſperum, in oratione *Irenæi*

4 *Rem obſervantes*] Eſt tantùm κρατούντων, quod *Valeſius* intepretatur *præſidentes*. Verum quidem eſt κρατεῖν· ſimpliciter eſſe *rerum potiri* & *ſummam auctoritatem obtinere*, quod multis oſtendit idem *Valeſius* ad *Euſebii* H. E. Lib. IV. c. 7. Sed cùm agat *Irenæus* de conſuetudine à Majoribus tradita, de ejus obſervatione res intelligenda videtur, ut Marc. VII, 3, 4. ubi κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων dicuntur Phariſæi, traditionum priſcarum obſervantes. Vidit hoc *Guilielm. Beveregius* Cod. Canonum Vindicati Lib. III. c. VIII, 3. & poſt eum, quamvis omiſſo ejus nomine

Irenæi dicentis, *alios per dies duos*, *alios etiam plures*, *alios per quadraginta* jejunaſſe; qui dicere aptiùs potuiſſet, *alios per plures*, *ad totos quadraginta uſque* ἕως τεσσαράκοντα ὅλων. Atque hinc factum ut viri magni verba *alii per quadraginta*, conjunxerint cum ſequentibus, quamvis ſententiâ incommodâ. Sed *Irenæus* non ita eſt adcuratus in dictione, ut in mente ejus intelligenda non ſæpe major ſit rerum, quàm verborum, ratio habenda. Hinc autem intelligere eſt [7] ab antiquiſſimis temporibus jejunia obſervata ante Paſcha, veluti è traditione Apoſtolica; ſed cùm geminam traditionem Apoſtolicam de die Paſchatis repugnantem, non minore fiduciâ protulerint, quàm jejunia; non ſatis grave eſt hoc Veterum teſtimonium ut facilè fides ei habeatur. Si rem etiam penitiùs introſpiciamus, comperiemus quidem jejunia, calamitate quadam publicâ, aut privatâ, vel ratione quadam ſingulari expreſſa, poſſe pietatem aliquo modo juvare; ſed ſtata jejunia vix umquam profuiſſe. Phariſæi & Eſſeni [8] frequenter jejunabant & quidem certis temporibus, ſed nihilo propterea meliores erant; quod Phariſæis etiam exprobravit Chriſtus. Ideóque non ipſe, nec Apoſtoli uſquam, in Scriptis ſuis, ſtata jejunia Chriſtianis impoſuerunt; ne Religio in Phariſaïcam quamdam oſtentationem paullatim converteretur, quemadmodum factum eſt. Sed & ipſa experientia hodierna oſtendit eos, qui Quadrageſimam obſervant, & quidem adcuratiſſimè omnium, veræ Virtutis amantiores non eſſe, quàm qui negligunt; quod videre licet in Ordinibus quibuſdam Religioſis Occidentis, & clariùs etiam in Orientalibus Chriſtianis, ſive ad auſtrum, ſive ad ſeptemtriones ſpectantibus, Græcis & Moſcovitis, quorum longiora & auſteriora multò ſunt jejunia, quàm Occidentalium; ſed quorum nequitia, cum ipſa illa auſteritate, propemodum augeri videtur. Nihil mirum ergo eſt, ſi auctoritatem Chriſti & certam experientiam longè præferamus prudentiæ Veterum, quam res & eventus arguunt. Sed ad *Irenæum* redeundum eſt. ANN. CXCVI.

IX. Prolata ergo varietate temporis, quo arctiùs jejunabant Vetuſtiores; „ Nihilo minùs tamen, *inquiebat*, hi omnes pacem inter ſe habuerunt, & nos invicem habemus, ac jejunii diverſitas conſenſum fidei commendat —— Sed & Presbyteri (*aut Seniores*) illi, qui ante Soterem Eccleſiam, cui nunc præes, rexerunt; Anicetum dico, & Pium, & Hyginum, cum Teleſphoro & Xyſto; neque ipſi umquam obſervarunt (*Paſcha*, *inſtar Aſianorum*) neque eos qui cum ipſis erant obſervare paſſi ſunt. Ipſi tamen, cùm minimè obſerva-

ne, *Ren. Maſſuetus* Diſſert. II. in *Irenæum* num. 27.

5 *Ut viri doctiſſimi*] Præ ceteris *Gulielm. Beveregius* Ibid. Cap. VIII, 1. quem ſequutus eſt non nominatum *Ren. Maſſuetus* Ibid. num. 22.

6 *Ut iidem*] *Beveregius* & *Maſſuetus*, quamvis poſterior priorem nominare non dignetur.

7 *Ab antiquiſſimis temporibus*] Copioſiſſimè hac de re egit *Guil. Beveregius* Cod. Can. Vindicati Lib. III.

8 *Frequenter jejunabant*] Vide Prolegom. Sect. II. c. II, 11. & c. V, 10.

ANN. CXCVI. „ ſervarent, nihilo ſecius pacem colebant cum iis, qui ad ſe veniſſent „ ab Eccleſiis, in quibus obſervabatur. Atqui obſervatio, apud eos „ qui nequaquam obſervabant, tantò magis contraria videbatur; nec „ tamen ulli umquam, ob ejuſmodi formam (*jejunii*) rejecti ſunt. „ Verùm illi ipſi, qui prædeceſſores tui fuerunt, Seniores, quamvis „ minimè obſervarent, Eccleſiarum Presbyteris, qui obſervabant, [9] Eu- „ chariſtiam transmiſerunt. Tum profert exemplum Aniceti, qui honorificentiſſimè Polycarpum excepit, ut diximus ad Ann. CLII, 3. Nec verò ad Victorem ſolum, ſed & ad multos alios Eccleſiarum Antiſtites, de quæſtione propoſita, Litteras in eamdem ſententiam dedit. Quibus omnibus, factum eſt ut Victor temerè emiſſam excommunicationem revocarit; cùm videret, ſi Aſianos ſacris apud ſe & ſuos arceret, decretum hoc ſuum apud pleraſque omnes Eccleſias nullius fore ponderis. Convenerat jam eo tempore, ut videtur, inter Epiſcopos, [10] ſi quis ab uno excommunicaretur, fore ut apud omnes alios Communione ejectus haberetur, donec in gratiam ejus, ſeriâ pœnitentiâ, rediiſſet; ſi tamen meritò Eccleſia ejectus videretur, nam temerariorum Anathematum rationem habere nemo neceſſe habuit, [11] ut hæc hiſtoria ſatis docet. Quo pacto, fiebat ut ſibi magis caverent Epiſcopi, ne Eccleſiaſtico illo fulmine abuterentur.

X. Episcopi Aſiæ, ut prodidit *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 25. in ſua interim remanſerunt ſententia, Litteráſque dederunt, ea de re; quarum exemplaria per omnes Eccleſias circummitti jubebant, ne rei haberentur ab iis, qui facilè à recto veritatis tramite aberrabant. Addebant ſe omnibus ſignificare eodem die, quo apud ſe, Paſcha Alexandriæ celebrari; à ſe enim ad illos, & ab illis ad ſe Litteras perferri, ut uno conſenſu ſacrum diem celebrarent. [12] Res itaque manſit, prout erat, ante motam controverſiam; donec Nicæna Synodus ſtatuit, more Romano, hac in re, ſtandum eſſe. Nec ratio ulla erat cur quiſquam, in re media & adiaphora, ſe ſe à Chriſtianorum aliorum ſententia & uſu ſejungeret; quamvis pertinaciter contrà ſenſerint Quartodecimani, à facto hoc ſuo nomen nacti.

Clau-

9 *Euchariſtiam transmiſerunt*] Vide *Henr. Valeſium* ad hunc locum.

10 *Si quis excommunicaretur*] Vide Canones Apoſt. XXIV. & XXV. in Græcis XXXII & XXXIII. in Verſione *Dionyſii Exigui*, Nicænum Canonem V. & ad eum *Balſamonem* & *Zenaram*.

11 *Ut hæc hiſtoria*] Canon Nicænus V. Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν κλήρῳ, εἴτε ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι· ἐξεταζέσθω δὲ μὴ μικροψυχίᾳ, ἢ φιλονεικίᾳ, ἤ τινι τοιαύτῃ ἀηδίᾳ τοῦ ἐπισκόπου ἀποσυνάγωγοι γένωνται: *de iis qui à communione ſegregati ſunt, ſive Clericorum, ſive Laïcorum ſint ordinis, ab Epiſcopis, qui ſunt in*

ANN. CXCVII. & CXCVIII.

Claudio Laterano, Titio Ruſino COSS. *Severi Imp. V.* *Æræ Vulgaris Chriſti* CXCVII.

I. Cum poſtea, in hoc Sæculo, memorabile nihil contigerit, quod ad univerſam Eccleſiam Chriſtianam pertineat; paucis agemus, more noſtro, de Scriptoribus Eccleſiaſticis quibuſdam, ſeu rectè, ſeu ſeciùs ſentientibus, quorum Scripta interciderunt. Sunt quidem duo inſignes Scriptores, qui his temporibus floruere, & quorum plura monumenta etiamnum habemus, de quibus multa dici poſſent, *Clemens* Alexandrinus & *Tertullianus* Carthaginienſis; ſed ad finem Sæculi & Voluminis feſtinantibus eos ad initium III. Sæculi, quo etiamnum vixerunt, differre viſum eſt.

II. Harmonius, *Bardeſanis* Syri, de quo ad Ann. CLXXV, 1. filius, vixit his temporibus; qui cùm in patria ſtudiis operam dediſſet, Athenas ſe contulit, ubi Linguam Græcam didicit. Is Græcâ Linguâ varia ſcripſit, ut & Syriacâ; in quibus erant elegantia Cantica, quæ feſtis Martyrum diebus cani ſolebant, ſed Valentinianorum erroribus contaminata. De quo *Theodoritus* Hæret. Fabul. Lib. I. c. 22. & H. E. Lib. IV. c. 29.

III. Hoc anno ſedere cœpit [1] Zephyrinus, Victoris ſucceſſor.

Ti. Saturnino, C. Gallo COSS. *Severi Imp. VI.* *Æræ Vulgaris Chriſti* CXCVIII.

I. Ad hæc tempora refertur Artemon quidam, qui, ut aiunt, Chriſtum merum hominem eſſe docebat. Ait *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 28. in libro Scriptoris horum temporum, quem nomine non adpellat, narratam hiſtoriam de iis, qui cum Artemone ſentiebant. Adfirmabant, ut aiebat Scriptor Anonymus, „ priſcos quidem omnes & ipſos Apoſ„ tolos ea, quæ à ſe dicebantur, accepiſſe & docuiſſe; ac prædicatio„ nis quidem Veritatem eſſe ſervatam, uſque ad Victoris tempora, qui „ tertius decimus à Petro Romæ Epiſcopus fuerat; à ſucceſſore verò „ ejus Zephyrino adulteratam fuiſſe. Ac fortaſſe, *inquiebat*, id quod „ dicunt credibile videretur; niſi ei refragarentur primùm Divinæ Scrip-

in unaquaque provincia valeat ſententia, ſecundum Canonem, qui pronunciat eos, qui ab aliis ejecti ſunt, non ab aliis admittendos. Examinetur autem numquid vel ſimultate, vel contentione, vel aliquâ ejuſmodi Epiſcopi acerbitate, congregatione pulſi ſint. Refertur ad Can. Apoſtolicos XXIV & XXV.

12 *Res itaque* &c.] Non habet hæc *Euſebius*, ſed res ipſa oſtendit ita factum. Verùm vide Vit. Conſtantini Lib. III. c. 5. ejusque Epiſtolam, apud Theodoritum Lib. I. c. 10.

1 *Zephyrinus*] Sequuti ſumus ſententiam *Joan. Pearſonii* & *Ant. Pagii*, non *Henr. Dodwelli*; qui ut antiquiorem faceret *Irenæum*, quàm erat, etiam Victoris tempus ad anteriora retraxit.

ANN. CXCIX. „ Scripturæ, deinde fratrum quorumdam Scripta, quæ illi contra Gentes & temporis ſui Hæreſes exararunt. *Juſtini* dico & *Miltiadis* & *Tatiani* & *Clementis* & aliorum quamplurimorum, in quibus de Chriſto, quaſi de Deo, ſermo eſt. Nam *Irenæi* quidem & *Melitonis* & reliquorum quis ignorat libros Chriſtum Deum & Hominem eſſe nunciantes? Pſalmi verò & Cantica fratrum, ab initio à fidelibus conſcripta, Verbum, (*aut Rationem*) Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cùm igitur, tot abhinc annis, Eccleſiaſtica doctrina prædicata ſit; quî fieri poteſt, ut uſque ad Victorem, ſicut iſti dicunt, (*omnes*) prædicaverint? Quomodo eos non pudet hujuſmodi calumniam adversùs Victorem comminiſci; cùm certò ſciant Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis dux & auctor fuit, & primus Chriſtum nudum eſſe hominem dixit, à Victore communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe? Si enim Victor eadem ſentiebat, quæ horum docet impietas, cur Theodotum, opinionis causâ, ab Eccleſia removit? Hæc ſcriptor ab *Euſebio* laudatus, qui verè dixit *Juſtinum*, *Tatianum*, *Irenæum* & alios alienos fuiſſe à ſententia Artemonis, qualis ab eo deſcribitur; quod etiam in ſuperiore Hiſtoria, ſuis locis, oſtendimus. Verùm de Artemone ipſo vix ſatis certò judicare licet, cùm nihil ex ejus Scriptis, ſi quæ fuerint, proferatur; nec tutum ſit infenſiſſimis adverſariis, per omnia credere, quamvis nec eos malæ fidei arguere velimus.

P. Cornelio Anullino II. M. Aufidio Frontone COSS. Severi Imp. VII. Æræ Vulgaris Chriſti CXCIX.

I. Narravit idem Scriptor, ut prodidit *Euſebius* H. E. Lib. V. c. 28. ſub Zephyrino, quemdam Confeſſorem, cui Natali nomen erat, ab Aſclepiodoto & altero quodam Theodoto, qui ambo Theodoti Coriarii diſcipuli fuerant, adductum ut, accepto centum quinquaginta denariorum menſtruo ſalario, eorum Hæreſeos Epiſcopus fieret. Eum verò ſæpiùs à Domino in ſomnis propterea correptum, primùm neglexiſſe, deinde per totam noctem ab Angelis flagris cæſum, primo diluculo ſaccum induiſſe & cinere conſperſum confeſtim, multis cum lacrimis, ad pedes Zephyrini ſe ſe abjeciſſe, nec tantùm Cleri, ſed ſæcularium etiam veſtigiis advolutum; tum enixis precibus, oſtenſiſque vibicibus plagarum, quas ob Chriſti confeſſionem acceperat, vix tandem ad communionem admiſſum.

II. Addebat Theodotianos diligentem operam dediſſe Logicæ, ut ejus ope opiniones ſuas confirmarent, & ſi quis Scripturæ locum eis objiceret, expendiſſe utrum connexum, an disjunctum Syllogiſmi genus confici poſſet; tum etiam eos, abjectis Scripturis, Geometriæ ſedulam operam dediſſe, & *Euclidis* libros diligenter lectitaſſe, *Ariſtotelem* verò, *Theophraſtum*, & *Galenum* in admiratione apud nonnullos eorum fuiſſe.

fuiſſe. Atqui Logica & Geometria eæ ſunt diſciplinæ, ut ſi quis, ex earum legibus, ratiocinetur, non poſſit errare; quippe quæ perſpicua veritate & legibus, quæ fallere nequeunt, nituntur. E contrario ſi quis eas negligat, non poteſt ad Veritatem pervenire, niſi caſu; nam ſi quis ea ſumat quaſi vera, quæ non ſunt; aut ex iis conſectaria ducat, quæ iis non ſunt connexa, poteſt quidem contingere ut vera quædam, ratiocinandi imperitiâ, è falſis perperam deducat, ſed in perpetuo errandi periculo verſabitur. Satius ergo fuiſſet, quod & poſtea factum, à rectè ſentientibus eas artes ſtudiosè excoli, earúmque ope, quod facile fuit, ſophiſmata errantium ſolvi; quàm iis optimarum & utiliſſimarum diſciplinarum cultum exprobrari. Eadem operâ, vitatæ fuiſſent innumeræ inanes ratiocinationes, quibus Scripta Veterum ſcatent, & quæ aliunde ortæ non ſunt, niſi ex Logicorum, Mathematicorúmque Canonum neglectu. ANN. CXCIX.

III. Sed exprobrat præterea Scriptor Anonymus Theodotianis adulterationem Scripturarum, quas à ſe emendari falsò dictitabant. Ait verè hæc à ſe iis objici, quemvis cognoſcere poſſe; nam ſi quis exemplaria eorum undique conquiſita conferret, quod facilè fieri poterat, cùm multa ab iis, priùs à Magiſtris emendata, exſcripta fuiſſent, deprehenſurum ea inter ſe plurimùm diſſidere. Erant autem, ut dicit, exemplaria ab Aſclepiodoto, à Theodoto & ab Hermophilo variè corrupta, inter ſe pugnantia. Sed & quæ Apollonidis vocabantur ne ſecum quidem, ſi ei credimus, concordabant; nam quæ priùs ediderat ab iis, quæ ſecundis curis recenſuerat, diſſentiebant. Si quid illi pro arbitrio atque ex conjectura mutarant, id verò nullo modo ferri potuit; ſed ſi è veteribus exemplaribus ea quæ ſeriùs exſcripta, nec ſine mendis (certè nulla hodie ſuperſunt, in quibus permulta non ſint, [1] queruntúrque, ea de re, Veteres) correxerunt, minimè propterea fuere vituperandi. Verùm de re, quæ nonniſi per vehementem adverſarium innotuit, nullum certum ferri à nobis poteſt judicium; cùm nec inimico Scriptori credere, nec abſolvere adulterationis inſimulatos, niſi re introſpectâ, liceat. Tam enim potuere hi peccare, quàm illi.

IV. Ipsum dogma Theodoti, quod idem fuiſſe dicitur, ac Pauli Samoſatenſis, probari quidem id nullo modo poteſt, ſi idem reverâ fuit. Sed nec calculum adjicere hodie poſſunt Chriſtiani iis, qui ita de Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſunt loquuti, quaſi tres eſſent ſubſtantiæ numero diſtinctæ; ſive pares, ſive impares deſcriptæ fuerint. Quod ſi incommodis loquutionibus idem voluerint, quod nos hodie meritò verum eſſe contendimus; ne id quidem probari à nobis queat, cùm non liceat de re ardua ita loqui, ut è poteſtate nativa verborum, error naſci videatur. Quinimò non abſurdè quis collegerit cauſam præbuiſſe eas perperam ſentientibus, more ingenii humani modum tenere neſcii, id quod

1 *Queruntúrque*] Vide *Artis Criticæ* Part. II. Sect. 1. c. II.

ANN. CC. quod verum erat, unà cum pravo ſenſu, rejiciendi, & in contraria omnia, nimiâ repugnandi libidine, tendendi.

Ti. Claudio Severo III. C. Aufidio Victorino COSS. Severi Imp. VIII. Æræ Vulgaris Chriſti CC.

I. Veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui hac ætate vixerunt, plura exſtabant, tempore *Euſebii*, ut ipſe teſtatur, H. E. Lib. V. c. 27. monumenta, quæ ad nos non pervenerunt. Erant *Heracliti* Commentarii in Paulum; *Maximi* volumina de quæſtione celebri, *unde ſit malum*, déque creatione Materiæ; *Candidi* & *Apionis* in Hexaëmeron; *Sexti* liber de reſurrectione & *Arabiani* opus quoddam, aliorúmque complurium. Eorum nec tempora adcuratè litteris mandare, quorum nullum in eorum Scriptis occurrebat indicium; nec narrationem ullam, cùm de dogmatibus non de factis agerent, libris ſuis inſerere potuit *Euſebius*. Multorum etiam lucubrationes ſuperſtites erant, quorum ne ipſa quidem nomina addi potuerunt. Qui quidem, ut ait *Euſebius*, rectè ſenſerant, ut Scripturæ interpretationes à ſingulis adlatæ teſtabantur; obſcuri tamen, quòd libri ipſi auctorum nomina non præferrent, eíque ignota eſſent. Nos verò an eorum jactura deflenda nobis ſit definire non poſſumus, cùm tot alia, ſæpiùs exſcripta, ad nos transmiſſa ſint, quibus ſine detrimento ullo careremus.

II. Historiam hujus Sæculi claudemus, ſi adjecerimus hîc ex iis quæ ſuperſunt, éque *Euſebio* liquere invigilaſſe Divinam Providentiam, hiſce temporibus; primùm ne Libri Sacri interciderent, quibus incolumibus, doctrina Chriſtiana, ſi quam labem quandoque pateretur, ſemper in lucem revocari aliquando poſſet & ab erroribus hominum vindicari; deinde ne apud Chriſtianos quidem pleroſque quidquam innovaretur, quod cum Fidei Chriſtianæ ſumma pugnaret. *Veritati*, ut rectè *Tertullianus* his temporibus ſcribebat, initio Libri de Velandis Virginibus, *nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum. Ex his enim ferè Conſuetudo, initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corroboratur & ita adversùm Veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus* VERITATEM *ſe, non* CONSUETUDINEM, *cognominavit. Si ſemper Chriſtus, & prior omnibus, æquè Veritas ſempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus novum eſt, quod eſt. Hæreſes non tam novitas, quàm Veritas revincit. Quodcumque adversùs Veritatem ſapit, hoc erit Hæreſis, etiam vetus Conſuetudo. Ceterùm ſuo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur fuit tam exquirendum, quàm recipiendum quod agnoſcitur. Regula quidem Fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis; credendi, ſcilicet,* IN UNICUM DEUM OMNIPOTENTEM, MUNDI CONDITOREM, ET FILIUM EJUS JESUM CHRISTUM, NATUM EX VIRGINE, CRUCIFIXUM SUB PONTIO PILATO,

TER-

TERTIA DIE RESUSCITATUM A MORTUIS, RECEPTUM IN COELIS, SEDENTEM NUNC AD DEXTERAM PATRIS, VENTURUM JUDICARE VIVOS ET MORTUOS, PER CARNIS ETIAM RESURRECTIONEM. [1] *Hac Lege Fidei manente, cetera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis; operante, ſcilicet, & perficiente uſque ad finem, gratiâ Dei.* In quæ verba deſinemus, cedro quippe digna; quamvis *Tertullianus*, jam Montani deliriis faſcinatus, inanem in Religione emendationem animo agitaret. ANN. CC.

1 *Hac lege* &c.] Non ſunt tantùm intelligenda dogmata, quæ diſertè expreſſa ſunt, ſed & ea quæ cum iis claro & neceſſario nexu conjuncta ſunt. Sin minùs, admiſſo hoc ſymbolo, graves errores ſimul defendi poſſent.

SECUNDI SÆCULI
FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
in Sæculi I & II. Hiſtoria.

P. S. C. Prolegomena ſignificant, eorúmque Sectiones & Capita, quorum Paragraphi adduntur. In ceteris numerus Romanus annum, ante & poſt Chriſtum, Barbarus Paragraphum indicat.

A.

Abgarus, hiſtoria de litteris ad Chriſtum ab eo ſcriptis exploſa. *Hiſt. de adſcenſu Ch.* 12 *& ſeqq.*

Abnegatio ſui ipſius quid ſit. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 11.

Academicorum de Religione, Moribus & ſummo Bono ſententia. P. S. 2. C. VI, *per totum.* Chriſtianis profuerunt. *Ib.* 8.

Adoratio Dei, qualis eſſe debeat. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 3.

Ægyptia Sacra *Româ* pulſa. XIX, 3, 4.

Ægyptiorum Idololatria, quàm turpis P. S. 2. C. I. p. 2. & ſeq. Symbola non erant in eorum cultu. *Ib.* 3.

Æſculapii ficta miracula P. S. 2. C. I, 10, 13.

Æones Valentinianorum. CXXI, 7. eorum conjugia. Ib. *ubi vide notas.*

Æquitas Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 2.

Ætatum diſtinctio in criminibus. CXI, 4. *ubi vide notas.*

Agabus famem prædicit. XLIII, 1.

Agnus Paſchalis Chriſti crucifixi figura, quâ ratione, ex ſententia *Juſtini.* CXL, 6.

Agrippa Senioris, Herodis M. nepotis, fata. XXXVI, 3. auctus honoribus à *Caligula.* XXXVIII, 3. XL, 3. XLI, 2, 3. Jeroſolimæ muros inſtaurat. XLII, 2. Beryti ſpectacula, more Ethnico, exhibet. XLIII, 2. Tiberiade varios Reges excipit. Ib. 3. Chriſtianos vexat & Petrum in carcerem conjicit; unde ab Angelo liberatur. XLIV, 1. Cæſareæ legatos *Phœnicum* excipit. Ib. 4. adclamatione impiâ auditâ, nec repudiatâ, moritur. *Ib.* liberi ejus. *Ib.* 5. Claudium colit. *Ib.* 6.

Agrippa junior patri in regnum non ſuccedit. XLIV, 7. poteſtatem in Templum Jeroſolimitanum accipit. XLV, 5, ſuccedit Herodi Chalcidis Regi. XLIX. 8. præterea imperio à Claudio auctus. LIII, 3. à Nerone. LIV, 4. contumelia ei à Jeroſolimitanis illata. LXI, 6. ea de re legatio ad Cæſarem. LXII, 1. Judæos ad pacem fruſtra hortatur. LXVI, 7. Regum è proſapia Herodis ultimus, quando mortuus. C, 7.

Agrippa Caſtor, qui contra *Baſilidem* ſcripſit. CXXIII, 2.

Albinus ſucceſſor *Feſti*, in procuratione Judææ. LXII, 2, 4. LXIV, 5.

Allegoriæ unde ortæ. P. S. 1. C. IV, 7, 8. *ubi vide notas.* earum abſurditas. *Ibid.*

Ambivius Procurator Cæſaris in Judæa. X, 1.

Amor Dei, quanam in re ſitus. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 2.

Ananias & *Sapphira* pœnas avaritiæ dant. *Hiſt. ab Adſcenſu Ch.* 7.

Andreas & *Petrus* primi omnium Jeſum inviſunt. XXVI, 10 *& ſeqq.* tum *Philippus* & *Nathanaël. Ib.* 12.

Anencletus, vivis Petro & Paulo, Romæ Epiſcopus. LXVIII, 5.

Angeli, de bonis & malis Chriſtianorum doctrina. P. S. 3. C. I, 18. *& ſeqq.*

Angeli mali omnium malorum cauſæ, è ſententia *Athenagoræ.* CLXVI, 9.

Angeli mulieres amarunt, ſi credimus *Irenæo.* CLXXX, 27.

Anianus, primus Alexandriæ Epiſcopus. LXXXIV, 1.

Anicetus Pio, in Romana ſede, ſuccedit. CXLII, 1.

Animam pro anima dare quid. P. S. 3. C. III, 11. *& ſeq.*

Animus qualis, ex ſententia *Irenæi.* CLXXX, 27, 35.

Alexander Euareſto ſuccedit, in Sede Romana. XC, 2.

Alexander Martyr. LXVII, 11.

Animalium ſuffocatorum caro Gentilibus vetita. XLIX, 5.

Anna Chriſto teſtimonium perhibet, ante Ch. IV, 5.

Annius Rufus Procurator Cæſaris in Judæa. XII, 2.
Antiocheni Chriſtianam Religionem admittunt. XXXVIII, 1. liberalitas erga Chriſtianos Judæos. XLIV, 2.
Antiochenarum mulierum quinque Martyria. CXVI, 9.
Antiochenæ Eccleſiæ regimen quale initio fuerit. XLV, 1.
Antiochiæ terræ motus ingens. CXV, 1.
Antoninus Pius Proconſul in Aſia, quî ſe erga Chriſtianos geſſerit. CXXI, 1. ſuccedit *Hadriano*. CXXXVIII, 6. Fauſtinam filiam collocat M. Aurelio. CXXXIX, 1. moritur CLXI, 1. eo imperante, Chriſtiani vexati in Aſia. CLIV, 1. ſedatur perſequutio. CLV. 1.
Apion, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.
Apollonides, Theodotianus. CXCIX, 4.
Apollonius Martyr. CLXXXIV, 1. *& ſeqq.*
Apollonius Tyaneus impoſtor Chriſto ab Ethnicis oppoſitus. LXXXV, 1. *Damis* & *Philoſtratus* laudatores ejus fide indigni. *ib.* 2.
Apollonius Tyaneus, quî ſe Romæ apud Domitianum geſſerit. XCII, 4. Epheſi. XCVI, 3. moritur. *Ib.* 4.
Apollonius, qui contra Cataphrygas ſcripſit. CXCI, 1.
Apollos fit Chriſtianus. LIV, 2.
Apoſtoli quinam propriè. LVII, 8.
Apoſtolos cur tales elegerit Jeſus, quales elegit. XXVII, 14, 15.
Apoſtoli de primo dignitatis loco inter ſe contendentes à Chriſto caſtigantur. XXVIII, 24 *& ſeqq.* XXIX, 10, 38, 82.
Apoſtolorum, eorúmque ſcriptorum præſtantia. XXIX, 91. verè ſcripſerunt libros, qui eorum nomina præferunt. XXIX, 92. *& ſeqq.* Spiritum S. accipiunt. *Hiſt. ab Adſcenſu Ch.* 1. prædicatio die Pentecoſtes. Ib. 2. *& ſeqq.* Eccleſiæ Chriſti incrementa. *Ib.* 3. *& ſeqq.*
Apoſtolorum præſtantia, præ omnibus aliis ſequentium ætatum doctoribus. CI, 2. *& ſeqq.*
Apoſtolicorum temporum pravi homines. LXV, 2. LXVII, 4.
Apoſtoli, pro Scriptis Apoſtolicis. CXVI, 24.
Aquila & *Priſcilla* ſe adjungunt Paulo. LII, 6.
Aquila Ponticus. CXXVIII, 1. ejus verſiones. Ib. *& ſeqq.*
Arabianus, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.
Arbitrii libertas defenſa à *Juſtino* & aliis. CXXXIX, 14. *ubi vide notas. Athenagoræ* credita. CLXVI, 7. *Irenæo* defenſa. CLXXX, 28. *& ſeqq.*
Arcani diſciplina unde orta. CI, 20. CXVIII, 3. *ubi vide notas.*
Archelaus patri *Herodi* juſta facit, ante Ch. III, 1. regium nomen adſumere non audet. *Ibid.* ſeditioſos opprimit. *Ib.* 2. Romam it, regnum ab Auguſto petiturus. *Ib.* 2. oppugnatur à conſanguineis & Ethnarchia ab Auguſto donatur. Ib. 4. eâ exutus in exſilium mittitur, Ær. Vulg. VI, 1.
Archelaus Cappadociæ R. Romam evocatus ibi moritur. XVI, 2.
Archonticorum dogmata. CLI, 1.
Ariſtides Philoſophus Chriſtianus. CXXIV, 3.
Ariſto Pellæus. CXXXV, 2.
Ariſtotelis ſententia de Deo, Religione, Moribus, & Summo Bono. P. S. 2. C. III. *per totum.* Ejus primum Mobile. *Ib.* 3. Deos fabulares ridet. *Ib.* 5. coli eos volebat. Ib. 9. Providentiam ſub Luna negabat. Ib. 10.
Artemon, ejus hæreſis. CXCVIII, 1.
Aſclepiodotus Theodotianus. CXCIX, 1, 3.
Aſterius Urbanus. CLXXXVIII, 1.
Atheïſmi crimen Judæis & Chriſtianis objectum. XCV, 2.
Athenagoræ Apologia ad M. *Aurelium* CLXVI, 1. in eam obſervationes. 2. *& ſeqq.* ejus ſententia de Patre, Filio & Spiritu S. *Ib.* 6. liber de reſurrectione. Ib. 12.
Attalus, Martyr. LXVII, 3, 9.
Auguſtus Domini vocabulum reſpuit. IV, 3. moritur. XIV, 1.
Aurelius (M.) collega Imperii. CXLVII, 1. ſuccedit *Antonino*. CLXI, 1. perſequitur Chriſtianos. CLXII, 2, 8. CLXVI, 1. CLXVII, 1. *& ſeqq.* ejus judicium de Martyribus confutatum. CLXV, 4. *& ſeqq.* Aſianos Chriſtianos perſequitur. CLXIX, 1. *& ſeqq.* litteræ, quibus perſequutionem revocat, ad examen revocatæ. *Ib.* 10. *& ſeqq.* pluvia in ejus exercitum demiſſa. LXXIV, 2. *& ſeqq.* 15. moritur. CLXXX, 1. Epiſtola de accuſatoribus Chriſtianorum plectendis. CLXXIV, 15, 16.
T. *Aurelius Fulvius* idem ac Antoninus Pius. CXX, 1.

B.

BAptiſmi inſtitutio. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 8.
Baptiſmus collatus iis, qui Chriſtiani fieri volebant, antequàm prorſus de Religione inſtituti eſſent. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 3.
Baptiſmus, an neceſſarius ſit etiam infantibus, ex ſententia *Irenæi.* CLXXX, 33, 34.

Baſilidis

Baſilidis dogmata. LXXIX, 2. *& ſeqq.*
Barchochba, impoſtor Judæus. CXXXII, 2.
Bardeſanes Syrus. CLXXV, 1.
Bar-Jeſu impoſtor Cyprius. XLV, 3.
Barnabas Antiochiæ Chriſtianos inviſit. XXIX, 4. ibique commoratur. XL, 1. Jeroſolimam venit. XLIV, 2. redit Antiochiam. *Ib.* 3. it Jeroſolimam, tum redit Antiochiam. XLIX, 1. *& ſeqq.* ab Antiochenis miſſus, Evangelii prædicandi causâ. XLVI, 2. eò redit. XLVIII, 1. ſeorſim à *Paulo* Evangelium prædicat. L, 2.
Barnabæ Epiſtola. LXXI, 2. interpolata. *Ib.*
Baſilidis Evangelium. CXVIII, 2. arcana. CXXIII, 2.
Beneficentia Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 3.
Berenice, ſoror *Agrippæ* Junioris, quo anno nata. XXVIII, 1.
Biblias Martyr. LXVII, 5.
Blandina, Martyr. LXVII, 3, 4, 9, 12.
Britannia, in ea non prædicaſſe Paulum. LXIII, 1.

C.

CÆſar (Cajus *Auguſti* N.) Jeroſolimæ ſacra non facit, ante Ch. 1, 2. in Syria Conſulatum init, anno Ch. 1, 2. vulneratur. III, 1. moritur. IV, 1.
Cæſares C. & L. honores in eos collati, ante Ch. II, 1, 3. prioris proconſulare imperium in Oriente ante Ch. II, 3. 1, 2.
Cæſar (*Lucius* Aug. N.) moritur, an. Ch. II, 3.
Cæſarea, quæ & *Paneas*, à Philippo inſtaurata, ant. Ch. 1, 4.
Cæſareæ contentio inter Judæos & Ethnicos. LIX, 1.
Cæſareenſes Ethnici Judæos, qui apud ſe erant, occidunt. LXVI, 9. & alibi. *Ibid.*
Caiaphæ vaticinium. XXIX, 8.
Cainianorum dogmata. CL, 1. *& ſeq.*
C. Caligula Tiberio ſuccedit. XXXVII, 1, 2. vult ſtatuam ſibi Jeroſolimæ poni. XXXIX, 3. XL, 4, 5. moritur. XLI, 1.
Candaces Reginæ Eunuchus ad fidem Chriſtianam converſus. XXX, 5.
Candidus, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.
Canon Librorum Scripturæ unde colligatur. CLXXX, 7.
Canon Evangeliorum, quando conſtitutus. C, 3. & Epiſtolarum. *Ib.* 4.
Caritas Chriſtiana, quanti momenti ad Religionis propagationem. XCIX, 2. *& ſeq.*
Caritas erga proximum quæ. P. S. 3. C. IV, 4. n. 1.
Carpocratiani cauſa calumniarum in Chriſtianos jactarum. CXX, 5. pravi eorum mores. *Ib.* 6.
Carpocratis dogmata. CXX, 2. *& ſeqq.* mores. *Ibid.*
Caſſius Longinus, Syriæ Præſes. XLIV, 8.
Cataphrygæ. CLVII, 1. *& ſeqq.*
Catullus, Libyæ Pentapolitanæ præfectus, crudeliter Judæos habet. LXXIV, 1. moritur. *Ib.*
Caulacau abſurda vox Baſilidianorum. LXXIX, 7.
Celer Tribunus Judæis traditus. LIII, 2.
Celſus Epicureus, qui ſcripſit contra Chriſtianos. CXXII, 3. ejus de credulitate objectioni non ſatis commodè reſpondet *Origenes. Ibid.*
Cenſus in Judæa quando primùm factus. VII, 1.
Cerdo Romam venit. CXXVII, 2. ejus dogmata *Ibid.*
Cerinthi dogmata. LXXX, 1, 2.
Ceſtius Gallus Præſes Syriæ. LXIV, 5. querelæ apud eum, de Geſſio. LXVI, 3. eſt Jeroſolimæ. *Ibid. & ſeq.* cædem ibi facit. *Ib.* 5. *& ſeq.* redit in Syriam. Ib. 6. Jeroſolimam exercitum ducit, fruſtra. Ib. 10. vincitur. *Ib.* moritur. *Ib.* 12.
Chriſti propheticum munus expoſitum. P. S. 3. C. III, 2. *& ſeqq.* quantò ſublimius munere veterum Prophetarum. *Ib.* 5. *& ſeqq.* Sacerdotale. *Ib.* 8. *& ſeqq.* Mediatorium. *Ib.* 13, 4. Regium. *Ib.* 16. *& ſeqq.* præſtantius eo quod exſpectabant Judæi. Ib. 17, 18. cœleſte. *Ib.* 22. *& ſeqq.*
Chriſtum non verè paſſum docebant veteres hæretici. LXXIX, 4.
Chriſtianæ Eccleſiæ in Aſia primùm formatæ. XLVII, 2.
Chriſtiani initio communia omnia habent. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 4, 7.
Chriſtianorum è Gentilibus cum Chriſtianis è Judæa Gente, de ritibus controverſia. XLVIII, 1. de ea conſulitur Eccleſia Jeroſolimitana. XLIX, 1. ejus Judicium. *Ib.* 2. *& ſeqq.* Antiochiam mittitur. XLIX, 7.
Chriſtiani cur vexati ab Ethnicis, qui Philoſophos non meliùs de ſua Religione ſentientes & loquentes ferrent. P. S. 2. C. VI, 7.
Chriſtiani nullo Edicto, Religionis cauſâ, damnati, ante *Trajanum*. LXI, 2. *& ſeqq.* cur vexati, cùm nec Judæi, nec Epicurei vexarentur. CXI, 3. nomen punitum. CXI, 6. nequaquam pervicaces. *Ib.* 8. eorum Religio, ex *Plinio. Ib.* 10.
Chriſtiani æquiores ſibi quoſdam Magiſtratus habuerunt. CXXI, 2.

Chriſtiani pro poteſtatibus Deum orabant. LXV, 2. *ubi vide notas.*
Chriſtianorum cœtus à *Juſtino* deſcripti. CXXXIX, 28. *& ſeqq.*
Chriſtiani Apoſtolicorum temporum non tam periti Religionis & obſervantes, quàm vulgò cenſentur. LII, 8. LVII, 4. *& ſeqq. Ib.* 6. *& ſeq.* initio aut è Judæis, aut ex eorum Proſelytis. Ib. LVIII, 6.
Chriſtiani Judææ per vicinas oras ſparſi. XXX, 2. pace fruuntur. XXXIII, 1.
Chriſtiani 2. Sæculo quàm latè ſparſi. CXL, 23. *ubi vide notas.*
Chriſtiani pauperes ſtudiosè ſublevabant. CLXV, 10.
Claudius Caligulæ ſuccedit. XLI, 1. Judæis favet. XLI, 2. moritur. LIV, 4.
Claudius Apollinaris. CLXX, 2. ejus ſcripta *Ib.*
Clementis Alexandrini de Philoſophia ſententia. P. S. 2. VII, 5. *& ſeqq.* contra *Caſaubonum* defenſa. Ib. 11.
Clemens Romanus, vivis Petro & Paulo, Romæ Epiſcopus. LXVIII, 5. ejus Ep. ad Corinthios. LXIX, 6. *& ſeqq.* additamentis commaculata. Ib. *num.* 2. cur, in ea, V. T. frequentiùs citetur, quàm N. *Ib. num.* 4. ratio citationum. *Ib. num.* 5. quò ſpectet. *Ib. num.* 7. additamentum de Sibylla. CXXXI, 3. martyrium Clementis. LXXXI, 3. Ep. publicè lecta. CLVI, 2.
Cleopatra agros ab Antonio accipit, ante Ch. XXXIII.
Coba pagus, in quo Nazaræi. LXVII, 1. ubi *vide notas.*
Cœlibum officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 8.
Cœnæ Dominicæ Inſtitutio. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 8.
Cœnâ Dominicâ non temerè excludendi peccatores. CXCVI, 5, 6.
Collegæ Imperii dignitas. XI, 1.
Colorbaſi Valentiniani dogmata. CXLIV, 1.
Coloſſenſes, *Pauli* ad eos Epiſtola. LXII, 10.
Comitas, virtus Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 4.
Commodus, Auguſtus ſalutatus. CLXXVI, 1. ſuccedit M. Aurelio. CLXXX, 1. an faveret Chriſtianis. *Ib.* occiditur. CXCII, 1.
Concordiæ amor. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 5. in Eccleſia. *Ibid.*
Confeſſio auricularis, temporibus Apoſtolicis, ignota. LV, 9. ejus an meminerit *Irenæus.* CXLV, 5.
Confeſſores, Chriſtianorum erga eos caritas. CLXV, 8, 9. inviſebantur in carcere *Ib.* 8.
Conjugia Gnoſticorum. LXXVI, 5. LXXIX, 2.
Conjugum officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 9.
Conſenſus Patrum non eſt nota veritatis. CLXXX, 8.
Conſtantia in pietatis officiis. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 7.
Conſuetudinis, ſi cum divinis legibus pugnet, nulla ratio eſt habenda. P. S. 3. C. IV. 4. *num.* 10. *in notis.*
Converſio ad Chriſtianiſmum, quomodo in Scriptura deſcribatur. P. S. 3. C. IV, 5.
Coponius, Procurator Cæſaris in Judæa. VIII, 2.
Corinthii ad Paulum ſcribunt. LVII, 1. ad eos 1. Ep. Pauli. LVII, 3. altera. *Ib.* 13. *& ſeq.*
Corinthiæ Eccleſiæ prima conſtitutio. LII, 7.
Cornelius Centurio convertitur. XXXVI, 1. *& ſeqq.*
Corporis macerationes Evangelium non impoſuit. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 9.
Creſcens Cynicus, Juſtini M. inimicus. CLXII, 5.
Creatorem mundi, malum & cœcum Principium veteribus Hæreticis fuiſſe. LXXVIII, 2. confutatur is error. *Ibid.*
Cultus ſpontanei minimè laudandi. P. S. 3. C. IV. 2. *num.* 10.
Cumani Præfecti Judææ avaritia. LII, 2. V. *Ventidius.* pœnæ de eo ſumtæ. LIII, 1.
Cuſpius Fadus, Procurator regni *Agrippæ* ſenioris. XLIV, 7. Judæos, trans Jordanem, tumultuantes compeſcit *Ib.*
Cyrenæi Judæi ſeditioſi deleti. LXXIV, 1.

D.

D*Avidis* poſteri à *Domitiano* inquiſiti. XCV, 4.
Demetrius, faber argentarius Epheſi. LVII, 2.
Deus, ejus natura deſcripta P. S. 3. C. I, 2. *& ſeqq.* bonitas ejus. *Ib.* 3. *in notis.* beneficentia. 5. *Ib.* etiam erga Ethnicos. *Ib.* 6.
Dei cultus quibusnam in rebus ſitus. P. S. 3. C. IV, 2. *& ſeqq.*
Diaconi primum electi. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 9.
Diaconorum origo & munera. LXVIII, 7.
Diaconiſſæ, earum munera. LXVIII, 7.
Didius Julianus Imp. CXCIII, 1.
Dionyſii Corinthii Epiſtolæ. CLVI, 1. *& ſeq.* CLXXI, 1. vitiatæ eo vivo. *Ib.* 3. ad *Pinytum* de cœlibatu. *Ib.* 2.
Divitiarum contemtus à Chriſto impoſitus. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 10. qualis ſit. *Ibid.*
Divortii, apud Judæos & Ethnicos, incommoda. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 9.

Dominici diei antiquiſſima mentio LVIII, 5. conventus à *Juſtino* deſcriptus. CXXXIX, 30. *& ſeqq.*
Domitianus Tito Fratri ſuccedit. LXXXI, 1. vult ſe Dominum &Deum vocari LXXXVII, 1. ſæculares ludos celebrat. LXXXVIII, 1. ſævit in viros illuſtres. LXXXIX, 1. vexat Chriſtianos, ſed non diu. XCIII, 1. XCV, 4. occiſus. XCVI, 1. *Apollonius* rem eodem momento, quo fiebat, aperuiſſe dicitur Epheſi. *Ib.* 3.
Donorum & munerum, in Eccleſiis Apoſtolicis varietas. LVII, 8.

E.

E*Bionitæ* antiquiores iidem ac Nazaræi. LXXII, 1. juniores alii. Ib. 3.
Ebionitæ poſteriores. CIII, 4. *& ſeqq.*
Eccleſiæ condendæ ratio. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 7.
Eccleſiarum prima conſtitutio. LII, 7.
Eccleſiæ regimen nullum certum in Scriptis Apoſtolicis inſtitutum. LXVIII, 8.
Eccleſiâ ſine ſpe veniæ excluſi, qui. CLVIII, 6.
Efficacia illuſionis, quid apud Paulum. LIII, 5.
Elehazarus Sacerdos Jeroſolimæ ſeditioſus. LXVI, 8.
Eleemoſynæ Chriſtianorum in cœtibus publicis. CXXXIX, 32.
Eleutherus, in ſede Romana, *Soteri* ſuccedit. CLXII. 1.
Elxai Hereticus quis. CIII, 2. *& ſeqq.*
Enumeratio familiarum in Imp. Romano, & apud amicos Reges, ante Ch v, 8. diverſa à cenſu à *Quirino* facto. *Ibid.*
Ephemereutæ Therapeutarum. P. S. 1. C. V, 13.
Epheſi mota ſeditio in Chriſtianos. LVII, 2.
Epheſii, *Pauli* ad eos Epiſtola. LXII, 8, 9.
Epictetus, quæ habet, de Chriſtianis, ad examen revocata. CIV, 2. *& ſeqq.*
Epicuri ſententia de Religione, Moribus & Summo bono. P. S. C. V. *per totum.*
Epicurei, quî Religioni Chriſtianæ profuerint. P. S. 2. C. V, 7.
Epiphanes Valentinianus. CXXXVII, 2. ejus dogmata. *Ibid.*
Epiſcoporum inſtitutio Apoſtolica. LV, 7. ſingulares Eccleſiis à temporibus Apoſtolicis præfecti. LXVIII, 6. *& ſeqq.*
Epiſcopi & Presbyteri initio utriuſque ordinis poteſtate inſtructi. LXVIII, 8. poſtea diſtincti à temporibus Apoſtolicis. *Ibid. ubi vide notas.* à Presbyteris diſtincti, tempore *Ignatii* CXVI, 15. iis ſtipes credebatur. CLXV, 10. *ubi vide notas.*
Epiſtola ad Hebræos, à *Paulo* nequaquam ſcripta. LXIX, 5. non fuit Hebraicè ſcripta. Ib. *num.* 2. videtur eſſe *Apollo* Alexandrini. *Ibid.* quinam Hebræi ad quos data eſt. Ib. *num.* 3. confutantur rationes eorum qui à Paulo ſcriptam volunt. *Ibid.* quo tempore ſcripta ſit. Ib. *num.* 5. materies & finis Epiſtolæ. Ib. *num.* 5.
Errorem puniri non poſſe. CXI, 5. *ubi vide notas.*
Eſſeni, cur in Evangeliis non memorati. P. S. 1. C. IV, 1. unde dicti. *Ib.* 2. *& ſeqq.* quando orti. *Ib.* 5. duplices. *Ib.* 6. Practicorum opiniones & inſtituta. *Ib.* 7. *& ſeqq.* Therapeutæ eorúmque mores & inſtituta. C. V, 2. *& ſeqq.* non erant Chriſtiani. *Ib.* 15. fuiſſe Eſſæos. *Ib.* 16.
Ethnicum quantopere mutari oporteret, ut fieret Chriſtianus. P. S. 3. C. IV, 5. eorum fraudes in Religione. P. S. 2. C. I, 11. *& ſeqq.* virtuti quid deeſſet. P. S. 2. C. I, 12. *& ſeqq.* de futura vita dubitabant. *Ib.* 18. Idololatria & depravatio morum. P. S. 2. C. 1. *per totum.*
Evangeliſtæ qui. LVII, 8.
Evangelium, pro quatuor Evangeliis, apud *Ignatium.* CXVI, 25.
Evangelio qui aures præbeant, qui non. P. S. 3. C. IV, 5.
Euareſtus in ſede Romana Clementi ſuccedit. LXXXI, 2.
Euchariſtiæ celebratio deſcripta à *Juſtino.* CXXXIX, 29. *& ſeqq.* an prædicta à Malachia. CXL, 23.
Euchariſtia, Docetæ, tempore *Ignatii* ea abſtinebant. CXVI, 28.
Euchariſtia, an *Irenæo* ſit inſtar ſacrificii. CLXXX, 25. an conjuncta cum præſentia reali corporis Chriſti. *Ib.* 26.
Excommunicatio, obſervationes de ejus origine, neceſſitate & uſu. CXCVI, 2. *& ſeqq.* Uſus ejus apud Judæos. *Ib. &* 6.
Exorciſtæ Chriſtianorum, inter ſacros ordines. LV, 8.
Exorciſtæ apud Judæos & Chriſtianos. XXVII, 25. *etiam in notis.* Judæi à Cacodæmone male habiti. LV, 3.
Expiatio alicujus eſſe quid. P. S. 3. C. III, 11.
Ezekielus Poeta. CXC, 2.

F.

F*Elix* Samariæ præfectus. XLIX, 8.
Felix Samariæ præfectus Judææ & Galilææ præterea præficitur. LIII, 2. duarum Reginarum maritus *Ib.*

Felix irritat Judæos. LII, 3. fovetur à Quadrato. LIII, 1.
Felix diſplicet Judæis. LV, 1. Jonatham Pontificem occidit per ſicarios. LV, 1.
Felix à Cæſareenſibus Judæis, apud *Neronem*, accuſatus & abſolutus. LX, 4.
Felix Chriſtianus, qui ſe caſtravit. CXXXIX, 15.
Fides cur laudata. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 1.
Fidem Chriſtianam non eſſe cæcam. CLXVIII, 3.
Fiducia in Deo. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 4.
Filius Dei Judæis non ſatis notus. P. S. 3. C. I, 7.
Filii incarnatio deſcripta. P. S. 3. C. I, 14. *& ſeqq.* cur incarnatus. *Ib.* 17.
Flavia Domitilla, an propter fidem Chriſtianam occiſa. XCV, 1, 2.
Flavius Clemens, an propter Chriſtianiſmum occiſus. XCV, 1, 2.
Flavius Silva, legatus Cæſaris in Judæa. LXXIII, 1.
Florini errores. CLXXXII, 1.
Fornicatio Gentilibus vetita. XLIX, 5.
Fraudes piæ ſecundi ſæculi. CXXII, 1.

G.

G*Alatæ*, ad eos ſcribit Paulus. LVIII, 6. *& ſeqq.*
Galba ſuccedit *Neroni*. LXVIII, 11. occiditur. LXIX, 1.
Galilæa, nullus Propheta Galilæus. XXVIII, 32. Galilæi in Templo occiſi. *Ib.* 45.
Galilæi, Chriſtiani interdum dicti. CIV, 6.
Galilæorum cum *Samaritis* rixa & prælium. LII, 2.
Gallia, in ea non prædicaſſe *Paulum*. LXIII, 1.
Gallus & Galla, Græcus & Græca à Romanis defoſſi. LXXXVI, 2.
Germanicus in Orientem miſſus. XVII, 1. res illic ordinat. XVIII, 1. Ægyptum viſit. XIX, 1. moritur. *Ib.* 6.
Germanicus, Martyr. CLXIX, 1.
Geſſius Florus, Procurator Judææ. LXIV, 4. gentem vexat. 4. accuſatur, ſed fruſtra. LXVI, 3, 4. belli Judaïci cauſa. *Ib.* cædem Jeroſolimæ facit. Ib. 5. *& ſeqq.* moritur. LXVI, 12.
Gnoſtici, quî in hæreſin inciderint. LXXVI, 3. eorum dogmatum inſania. *Ibid.* dogmata ipſa. *Ib.* 4. *& ſeqq.* vocibus Hebraïcis ineptias ſuas incruſtabant. *Ibid. &* 6, 7.
Gnoſticorum ſcelera. LXXVI, 10. quædam vix credibilia. *Ibid.*
Græcorum Theologia quàm abſurda. P. S. 2. C, 1, 4, 5, 6. quî eam defenderent. *Ib.* 10. *& ſeqq.* 15. *& ſeqq.*
Gratiarum actiones Deo debitæ. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 5.
Gratus animus. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 7.
Gubernationes, in Eccleſia, quid. LVII, 8.

H.

H*Adrianus Trajano*, ab eo adoptatus, ſuccedit. CXVII, 2.
Hadrianus Jeroſolimam inſtaurare incipit. CXIX, 1. ejus reſcriptum de Chriſtianis, ad *Minutium Fundanum*. CXXVI, animadverſiones in reſcriptum. *Ib.* 2, 3.
Hadrianus it in Ægyptum. CXXIX, 1. ubi amittit *Antinoum*. Ib. Ejus Epiſtola de Ægyptiis. *Ib.* 2. cum animadverſionibus. *Ib.* an Templa Chriſto ædificare voluerit. Ib. 3. Jeroſolimam inſtaurat & Æliam Capitolinam vocat. CXXX, 1. adoptat Ælium Verum. CXXXVI, 1. qui moritur. CXXXVIII, 1. Antoninum adoptat. *Ib.*
Hadriani cauſâ, miracula conficta. CXXXVIII, 2. moritur. *Ib.* 6.
Hæretici, non ſunt de iis per omnia credendi eorum adverſarii. LXXVI, 1.
Hæreſes & *Hæretici* temporum Apoſtolicorum. LXXXIII, 5. *& ſeq.* non ſunt æquanda iis, quæ ſic hodie vocantur. *Ibid.* 6. qui Hæretici vitandi. *Ibid.*
Hæreſes oriri cur paſſus Deus. LXXXIII, 8.
Hæretici nocuerunt rectè ſentientibus Chriſtianis, apud Ethnicos. LXXXIII, 8.
Harmonius Bardeſanis F. CXCVII, 2.
Hegeſippi narratio, de morte *Jacobi*, ad examen vocata. LXII, 3. *in notis.* verba de ſtatu Eccleſiæ Chriſtianæ, ſæculo ſecundo. CXVI, 4 & 5. Scripta & ætas. CXLVI, 1. CLXIII, 9.
Helena Adiabenorum Regina. XLVI, 6.
Helena, Simonis Magi uxor. XLII, 5.
P. Helvius Pertinax Imp. CXCIII, 1.
Heracleon Valentinianus. CXLVII, 1.
Heraclitus, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.
Hermæ Paſtor. LXIX, 6. cur non citet Scripturam. *Ib. num.* 3.
Hermetis Triſmegiſti *Pœmander*, *Iſ. Caſauboni* de eo judicium. CXXII, 2.
Hermias Philoſophus. CLXXVIII, 1.
Hermogenis dogmata. LXVIII, 12, 13. confutata. CLXVIII, 14.
Hermophilus, Theodotianus. CXCIX, 3.
Herodiani, qui P. Sect. 1. C. III, 12.
Herodis Magni Hiſtoria, ante Ch. XL. *& ſeqq.*

ſeqq. Rex Romæ ſalutatur. *Ibid.* bene rem gerit in Galilæa, ante Ch. XXXIX. & *ſeq.* Jeroſolimam capit, & mortem Antigoni ab Antonio impetrat, ante Ch. XXXVII. Hyrcanum à Parthis recipit, ante Ch. XXXVI. Ariſtobulum ejus nepotem Pont. Max. creat & natantem ſuffocari curat, ante Ch. XXXV. Ad Antonium proficiſcens commendat Mariamnen Joſepho patruo, quem redux occidit, ante Ch. XXXIV. Arabas vincit, ante Ch. XXXII. Cæſaris ſibi gratiam conciliat, ante Ch. XXX, 1. & *ſeqq.* Mariamnen occidit, ante Ch. XXIX. tum Alexandram ejus matrem, ante Ch. XXVIII. Salome ejus ſoror Coſtobaro nupta, ante Ch. XXVII. ei repudium Salome mittit, ante Ch. XXVI, 1. Herodes ludos Gymnicos in honorem Auguſti inſtituit. *Ib.* 2. conjuratio in Herodem, & arces quas in regno condidit. ante Ch. XXV, 1, 2. egenos tempore famis alit, *Ib.* & *ſeqq.* Zenodori agros accipit, ante Ch. XXIV, 2. Regiam Jeroſolimæ ædificat, *Ib.* 3. Sebaſten & Cæſaream condit, ante Ch. XXII, 1. filios Mariamnæ Romam mittit. *Ib.* 2. Agrippam inviſit. *Ib.* 3. à Gadarenſibus accuſatus abſolvitur. *Ibid.* fruſtra ab iiſdem accuſatur, ante Ch. XX, 2. ab Auguſto amicè exceptus templum ei condit. Ib. 3. infenſos habet ſibi Judæos. *Ibid.* Munificus in urbes Ethnicas, ante Chriſtum, XIX, 1. XIV, 1. Templum condere adgreditur. *Ibid.* & XX, 4. quando abſolverit, ante Ch. XVII. 1. XVI, 2. Agrippam excipit Jeroſolimæ, ante Ch. XV, 2. ſequitur in expeditionem Ponticam, ante Ch. XIV, 1. Judæos Aſianos apud Agrippam defendit. *Ib.* 2. filiis Mariamnes infenſus, ante C. XIII. Antipatro Doridis filio reconciliatur. *Ibid.* qui Romæ amicè excipitur, ante Ch. XII, 2. Romæ Mariamnes filios accuſat, & cum iis reconciliatur, ante Ch. XI, 1. Archelaum inviſit. *Ibid.* Cæſaream dedicat, ante Ch. X. Davidis ſepulcrum aperit, ante Ch. IX, 2. Antipater calumniatur fratribus, apud patrem, ante Ch. IX, 4. à Pherora fratre ſpernitur. *Ibid.* liberis infenſus & inviſus, ante Ch. VIII, 1. Trachonitas domat. Ib. 2. VII, 1. Templum dedicat, ante Ch. VIII, 2. cum Syllæo diſſidet, ante Ch. VII, 1. VI, 1. & *ſeqq.* Mariamnes filios Beryti accuſat & occidit. *Ibid.* 3. diſſidia in ejus familia, ante Ch. V, 2. Pheroræ fratris mors. *Ibid.* Salome ſoror Alexæ collocatur. *Ibid.* ejus uxores & liberi. *Ib.* 3. ſeditio in illum. *Ib.* 4. Antipatri filii inſidiæ. *Ib.* 5. Magos vocat ad ſe & Chriſtum interficere fruſtra conatur, ante Ch. IV, 2, 7. Antipatrum revocat ex Italia, accuſat & in carcerem conjicit, ante Ch. IV, 8. & *ſeqq.* in morbum incidit & ſeditionem compeſcit. Ib. 10. ultimus morbus. *Ib.* 11. & *ſeq.* ſe occidere vult & teſtamentum condit. *Ib.* 13. Antipatrum occidi jubet. *Ibid.* Moritur. *Ib.* 14. Indoles ejus & ſævitia. *Ibid.* litteræ ejus ad exercitum. *Ib.* 15.

Herodis teſtamentum Auguſtus exſequutioni mandat, ante Ch. III, 4.

Herodes Agrippa Ariſtobuli F. Herodis M. N. Agrippam juniorem ſuſcipit. XXVII, 40.

Herodes Antipas Herodis M. filius, Romam it regnum ab Auguſto petiturus, ante Ch. III, 2. accipit Ethnarchiam. *Ib.* 4. ejus bellum cum Areta. XXXVI, 4. XXXVII, 2. it Romam, ubi damnatur exſilio. XXXVIII, 1.

Herodes, Chalcidis Rex. XLI, 1.

Hominis creatio & peccatum. P. S. 3. C. II, 1, 2.

Hominis corruptio. P. S. 3. C. II, 5. auxilia ad eam vincendam. *Ib.* 7. & *ſeqq.*

Homini quanta mutatio contingat, quando fit verè Chriſtianus. P. S. 3. C. IV, 5.

Honeſtum & inhoneſtum à natura, non ab inſtituto. P. S. 3. C. II, 7, 8. experientiâ confirmatur. *Ib.* 9.

Humilitas Chriſtiana, quanam in re ſita. P. S. 3. C. IV, 3. n. 2.

Hyſſopum cum ſale comedebant Ægyptii. P. S. 1. C. V, 11.

Hyſtaſpis libri & *Sibyllarum* interdicti, ſi *Juſtino* credimus. CXXXIX, 24.

I.

Jacobi Epiſt. Catholica. LXI, 7.

Jacobi, Jeroſolimitani Epiſcopi, mors, prout ab *Hegeſippo* narratur, exploſa. LXII, 3. *ubi vide notas.*

Jaſonis & *Papiſci* diſceptatio. CXXVI, 3.

Idololatria & mores depravati Ethnicorum. P. S. 2. C. I. per totum.

Idolothyta Gentilibus vetita. XLIX, 5. quo modo licita. LVII, 3.

Idumæi, intra Jeroſolimam admiſſi, multos occidunt, & excedunt. LXVII, 7.

Jejunia ante Paſcha, qualia ſecundo ſæculo. CXCVI, 8.

Jeroſolimitana Eccleſia it Pellam. LXVI, 13.

Jero-

Jeroſolimæ muri inſtaurati ab Agrippa. XLII, 2.

Jeroſolimæ, inchoato bello, calamitates. LXVII, 7. & *ſeqq.* LXIX, 1.

Jeroſolimæ, tempore obſidionis, innumeri moriuntur. LXX, 4. miſeriæ quas perpetiuntur eá clauſi *Ibid.* & *ſeqq.* deletur. *Ib.* 7.

Jeroſolimitana Eccleſia, poſt urbis everſionem, ubi fuerit. CXXX, 1, 2. & *ſeqq.*

Jeroſolimam inſtauratum iri non omnes Chriſtiani credidere. CXL, 19.

Jeſu, *Anani* F. prædictio. LXII, 5.

JESUS-CHRISTUS naſcitur, ante Ær. Vulg. V, 9. primus annus numeratur, ante eamdem. IV, 1. fertur Jeroſolimam. *Ib.* 3. in Ægyptum. IV, 6. reducitur in Judæam, ante eamdem. III, 1.

Jeſus-Chriſtus XII. annos natus in Templo docet. VIII, 3. baptizatur à Joanne. XXVI, 1. tentatur à Cacodæmone. Ib. 2. & *ſeqq.* teſtimonium de eo Joannis. Ib. 6. & *ſeqq.* Andreas, Petrus & Philippus primi ejus diſcipuli. *Ib.* 10. & *ſeqq.* cum Nathanaële colloquitur. *Ib.* 12. Canæ in Galilæa miraculum edit. *Ib.* 13. it Jeroſolimam ad Paſcha. *Ibid.* 14. prædicit mortem & reſurrectionem ſuam. *Ib.* colloquitur cum Nicodemo. *Ib.* 15. incipit & ipſe baptizare. *Ib.* 16. Joannes eum ſibi præfert. *Ibid.* colloquitur cum Samaritide. *Ib.* 19. à Samaritis oppido ſuo excipitur. *Ib.* 20. Nazarenos fruſtra ad ſaniorem mentem vocat. *Ib.* 21. Capernaümi Herodis miniſtri filium curat. *Ib.* 22. ibi plurimum moratur, compluráque facit miracula & populum docet. *Ib.* 23. & *ſeqq.* Andream, Petrum, Joannem & Jacobum ſe jubet adſectari. *Ib.* 26.

Jeſus-Chriſtus, anno II. Prædicationis, leproſum in Galilæa curat, multáque alia miracula facit. XXVII, 1, 2. & *ſeqq.* Matthæum vocat, & cum publicanis convivatur. *Ib.* 2. Jeroſolimam it ad Paſcha, & cæcum natum curat. *Ib.* 3. ira Judæorum in eum concitata. *Ib.* & *ſeq.* oratio ejus ad Judæos. *Ib.* 5. & *ſeqq* redit in Galilæam, mirabiliáque illic facit. *Ib.* 9, 10. & *ſeqq.* duodecim Diſcipulos ſibi adſciſcit, quos Apoſtolos vocat. *Ib.* 13. Centurionis ſervum paralyticum Capernaümi curat. *Ib.* 19. Naïmenſis viduæ filium è mortuis excitat. *Ib.* 20. Joannes ad eum diſcipulos ſciſcitatum mittit. *Ib.* 21. ab eo laudatur. *Ib.* 22. dum Judæi caſtigantur. *Ib.* abluuntur ei pedes lacrimis mulieris parum caſtigatæ vitæ. *Ib.* 23. à Cacodæmone inleſſum curat. *Ib.* 24. quod cùm Cacodæmoni tribuerent Judæi, eos peccati numquam expiandi reos peregit. *Ibid.* Concionatur ad lacum Genneſareticum *Ib.* 26. tempeſtatem verbo ſedat. *Ib.* 31. duos homines à Cacodæmone obſeſſos, in Gadarenſi agro, curat Dæmonáſque porcos invadere patitur. *Ib.* 32. & *ſeqq.* mulierem profluvio ſanguinis laborantem curat. *Ib.* 35. filiam Jaïri mortuam excitat. *Ibid.* alia miracula perpetrat. *Ib.* 36. Nazarethæ fruſtra concionatur. *Ib.* 37. Apoſtolos prædicatum mittit. *Ib.* de Chriſto Herodis Antipæ & aliorum opiniones. XXVIII, 3.

Jeſus-Chriſtus III. anno prædicat. XXXVIII, 1. & *ſeqq.* redeunt Apoſtoli ad Chriſtum. Ib. 4. multitudini ingenti, inſigni miraculo, cœnam exhibet. *Ib.* 4. eam ipſum regem ſalutare cupientem eludit. Ib. 5. aquæ, ſicco pede, inambulat. *Ib.* multos ægros curat. *Ib.* increpat eos, qui ſuum Regem creare voluerant. *Ib.* 6. & oratione figuratâ à ſe abigit. *Ib.* 7. Apoſtoli Jeſum Meſſiam eſſe agnoſcunt. Ib. 8. tertium Paſcha ab initio prædicationis Chriſti. *Ib.* 9. redit in Galilæam. *Ib.* defendit Apoſtolos illotis manibus adcumbentes *Ib.* in Phœniciam ſe confert & Phœniſſæ mulieris filiam curat. *Ib.* 10. Redit ad lacum Genneſareticum. 11. ad quem iterum magnam multitudinem cœnâ, ingenti miraculo, excipit. Ib. 12. à Petro Meſſias prædicatur. *Ib.* 16. cur ſe eum eſſe palam dici nollet. *Ib.* 17. mortem ſuam prædicit. *Ibid.* transfiguratio ejus in monte. Ib. 18. reſurrectionem ſuam prædicit, ſed Apoſtoli verba ejus nequaquam adſequuti. *Ib.* 19, 23. Dæmoniacum curat, quem curare non potuerant. *Ib.* 21. differt adventum ſuum ad feſtum Tabernaculorum. *Ib.* 26. per Samariam tranſiens hoſpitio non excipitur, nec tamen de Samaritis ultionem ſumit. *Ib.* 27. mittit ſeptuaginta duos diſcipulos, ad Evangelium prædicandum. *Ib.* 28. adeſt Feſto, ubi varios ſermones ad Judæos habet, qui non idem de eo ſentiunt. 29 & *ſeqq.* ſermones in Templo. *Ib.* 33. cæci nati die Sabbathi curatio. *Ib.* 34. & *ſeqq.* redeunt ſeptuaginta diſcipuli. *Ib.* 38. Miracula Jeſu & ſermones varii. *Ib.* 39. & *ſeqq.* Hydropicum curat die Sabbathi. Ib. 40. in avaritiam invehitur. Ib. 44. 53. mulierem die Sabbathi curat *Ib.* 46. profligatæ vitæ homines non aſpernatur,

natur, ut eos emendet. *Ib.* 52. leproſi decem ab eo curati. *Ib.* 56. varia de regno Dei & precibus docet. *Ib.* 57. & *ſeq.* feſto Dedicationis adeſt; ſermonesque in eo habet de operibus ſuis, deque Patre. *Ib.* 58. & *ſeq.*

Jeſus-Chriſtus anno IV. prædicationis baptizat in Judæa & docet. XXIX, 1. Chriſto vocante, divitias abjiciendas. *Ib.* 4. Lazarum è mortuis excitat. *Ib.* 6. de eo occidendo conſilia agitant Judæi. Ib. 7. & *ſeq.* Prædicit Chriſtus mortem & reſurrectionem, non intelligentibus Apoſtolis. Ib. 9. cæcos duos curat. *Ib.* 12. Apologus de regno cœleſti. *Ibid.* Bethaniam ſe confert, magnúsque ad eum fit concurſus. *Ib.* & *ſeqq.* Aſino vectus Jeroſolimam ingreditur, & avidè à plebe excipitur. Ib. 15. & *ſeq.* vox è cœlo teſtimonium ei perhibet. *Ib.* 17. urbe egreditur, ob Judæorum inſidias. *Ib.* 19. eò redit, Judæósque hortatus egreditur. *Ib.* 20, 22, 23. miraculum edit in ficu. *Ib.* 21. mercatores è templo ejicit, & interrogatus à proceribus, de poteſtate ſua, reſpondet. *Ib.* 23. Phariſæorum & Sadducæorum quæſtiones inſidioſas retundit. *Ib.* 24. & *ſeqq.* Templi & Gentis Judææ exſcidium prædicit. *Ib.* 28. & *ſeqq.* Paſchatis celebrationi ſe parat. *Ib.* 32. apud Simonem cœnat. *Ib.* 33. Paſcha celebrat. *Ib.* 35. & *ſeqq.* Cœnam Euchariſticam inſtituit. *Ib.* 36. Judæ proditionem prædicit. *Ib.* 38. item Petri abnegationem. *Ib.* 41. ad hortum Gethſemanes pervenit. *Ib.* 42. quæ illic contigerint. *Ibid.* capitur. *Ib.* 44, 45. ducitur ad Annæ ædes. *Ib.* 46. Petrus eum abnegat & abnegatum dolet. *Ibid.* à Synedrio interrogatur & damnatur. *Ib.* 47. & *ſeqq.* Ad Pilatum ducitur, & accuſatur. *Ib.* 49. & *ſeqq.* ad Herodem mittitur. *Ib.* 52. Pilatus fruſtra eum ſervare conatur. 53. & *ſeqq.* 58. à militibus flagellatur & ludibrio habetur. *Ib.* 57. damnatur. *Ib.* 60. Judas ex deſperatione ſe ſuſpendit. *Ib.* 61. ducitur ad ſupplicium, cum latronibus, & in crucem tollitur. *Ib.* 62. & *ſeqq.* miracula & mors ejus. *Ib.* 67. & *ſeqq.* prodigia quæ tum contigerunt. Ib. 70. ſepelitur. 71. & *ſeqq.* cuſtoditur ſepulcrum. *Ib.* 74. reſurgit. 75. ſepulcrum à mulieribus & diſcipulis vacuum deprehenditur. *Ib.* & *ſeqq.* adparet Mariæ. *Ib.* 77. item diſcipulis. 78. & *ſeqq.* mandat Apoſtolis prædicationem Evangelii, atque in cœlum adſcendit. 83. & *ſeq.* ejus elogium. *Ib.* 86. Religionis ejus veritas demonſtrata. 87. & *ſeqq.*

Ignatius Antiochenus à Trajano ad feras damnatus. CXVI, 7. lentis itineribus Romam ductus. *Ib.* 8. *Ignatii* ſcripta. *Ib.* 10. & *ſeqq.* Obſervationes in ſingulas ejus Epiſtolas. CXVI, 13. & *ſeqq.* quantâ cupiditate martyrii flagraret. *Ib.* 23. ab eo Chriſtum non viſum. *Ib.* 27. Epiſcopis, ut Deo, eſſe parendum quo ſenſu dicat & ſimilia. CXVI, 15, 16, 19, 20, 29.

Inferi, errores circa hanc vocem. CI, 12. deſcenſus Chriſti ad inferos malè intellectus. CI, 14. *ubi vide not.*

Injuriam qui intuliſſet monitus aliquoties pro Ethnico habendus, niſi ſatis feciſſet. XXVIII, 25. injuria quoties ignoſcenda. *Ibid.*

Injuriis ignoſcere quatenus debeamus. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 6.

Inſcriptio Hiſpanica de perſequutione *Neronis* ſuſpecta. LXIV, 10.

Interpolationibus frequentibus cautiores fieri oportet eos qui Patres legunt. CXVI, 31.

Joannes Baptiſta munere ſuo fungi incipit. XXV, 2, 3. baptizat Chriſtum. XXVI, 1. teſtimonium ei perhibet. Ib. 6. & *ſeqq.* ab Herode in carcerem mittitur. *Ib.* 17. occiditur. XXVIII, 2. Eliæ nomine à Propheta deſignatus. Ib. 20.

Joannis Baptiſtæ diſcipuli Epheſi baptizantur. LIV, 3.

Joannis & *Jacobi* ambitio à Chriſto caſtigata. XXIX, 10.

Joannes Evangeliſta, teſtimonium Jeſu perhibet Romæ & in Patmon relegatur. XCIV, 1. Apocalypſin ſcribit. XCVI, 1. ejus libri auctoritas. *Ib.* ſententia obſcuriſſima. XCVI, 6. Epheſi Evangelium edit. XCVII, 1. ad quem reſpiciat initio. *Ibid.* & 2. judicium de eo *Hieronymi.* *Ib.* 8.

Joannis 1. Epiſtola, quo tempore ſcripta. XCI, 1. contra quos hæreticos. *Ib.* 2. antichriſti in ea dicti. *Ibid.* altera ejus Epiſtola. XCII, 1. tertia. *Ibid.* 2.

Joannes, ſingularis de eo hiſtoria. XCVIII, 2. cur ad caritatem tantùm Chriſtianos hortaretur. XCIX, 1. & *ſeqq.* moritur. C, 1.

Joannis Giſcalenſis improbitas. LXVII, 7.

Joannes Templo interiore expulſus. LXX, 1. quod Eleazaro occiſo recuperat. *Ib.* 2.

Joannes Gioræ F. latro Acabatenam & Idumæam vaſtat. LXIX, 1. vincit Zelotas. *Ib.* in Jeroſolimam recipitur. *Ib.*

Jonathas Judæus impoſtor in Cyrenaïca. LXXIV, 1.

Joſephus, Matthathiæ filius, Galilææ præfectus. LXVI, II. Jotapatæ captus à Veſpaſiano. LXVII, 4.
Joſepho adſutus locus de Chriſto. XXV, 4. alius de Jacobi Jeroſolimitani Epiſcopi morte. LXII, 2.
Irenæus Orator, *Herodis Antipæ* amicus, ante Ch. III, 2.
Irenæus, Lugdunenſis Epiſcopus. CLXXIII, 2. Opera. *Ib.* 3. CLXXX, 2. variæ obſervationes in ejus opiniones. *Ib.* 7. *& ſeqq.* ſententia de Trinitate. Ib. 15. *& ſeqq.* de Chriſto neſciente diem judicii. *Ib.* 18. de ætate Chriſti. *Ib.* 22, 23. ſententia de animis juſtorum poſt mortem. CLXXX, 36. poſt reſurrectionem. *Ib.* 37. de pœnis. *Ib.* 38. judicium de ejus doctrina. *Ib.* 39. ejus Epiſt. ad Florinum. CLXXXII, I.
Irenæum non ſenſiſſe cum *Auguſtino* de corruptione naturæ. CLXXX, 31.
Iſidis ficta miracula. P. S. 2. C. I, 10, 13.
Judæ Epiſtola, quo tempore ſcripta. XC, 2. ejus auctoritas. *Ib.* 3. ad quos & qua de cauſa ſcripta. *Ib.* 4.
Judas Galilæus, vel Gaulanita. P. S. I. C. VI, 8. ſeditionem movet. VII, 2, 3.
Judæa ab impoſtoribus turbata. LXI, 5. ejus inchoato bello, diſſentiones & calamitates. LXVII, 6, *& ſeqq.*
Judæorum hiſtoria ab anno ante Chriſtum. 78. ad *Judam Gaulanitam.* P. S. I. C. VI, Sectæ P. S. I. C. I, I. potiſſimarum trium ſententia communis. *Ib.* 3. *& ſeqq.*
Judæi, controverſiæ Chriſtianorum cum illis. LVIII, 2. 7. inter ſe, de neceſſitate circumciſionis diſſident. XLIX, I. Chriſtianam Religionem amplexi, quibus vitiis laborarent. LX, 7. iis quæ ab Ethnicis poterant objici. P. S. I. C. VIII, *per totum.* Judæi ægrè tuebantur hiſtoriam ſuam. Ib. 3. *& ſeqq.* Legem. *ib.* 10. *& ſeqq.* Judæum quantopere mutari oporteat, ut fiat Chriſtianus. P. S. 3. C. IV, I.
Judæorum mores depravatiſſimi. P. S. I. C. IX. *per totum.* à Claudio abſoluti. LIII, 2. Româ pulſi. XIX, 3, 5. multi Romæ. LVIII, 2. *ubi vide notas.* de excutiendo jugo cogitant, & latrocinia exercent. LII, 2. Syrorum urbes vaſtant. LX, 9. iis impoſitum à Veſpaſiano tributum. LXXI, 4. ſublatum à Nerva. *Ibid.*
Judæorum defectio & clades ſub *Hadriano.* CXXXII. *& ſeqq.* iis ingredi Jeroſolimam non licuit ſub *Hadriano.* CXXXIV, 2. poſtea, per unum diem, datâ pecuniâ, ut eam lugerent, licuit. *Ib.*
Judæi Alexandrini à Flacco decepti. XXXVII, 4. graviter eos vexat. XXXVIII, 2. ab Ethnicis malè habiti. XL, 2. eorum anxietas. XL, 5.
Judæorum in Aſia ſingularia jura, ante Ch. XIV, 2. IX, I. Aſiatici Chriſtianis quàm adverſarentur. XLVI, 5. *& ſeqq.* Ethnicos impellunt ad vexationem Chriſtianorum. CLXIX, 4.
Judæi in Cyrenaïca rebellant. CXV, 2. in Ægypto. CXVI, I. pœnas dant. *Ibid.* in Cypro inſula. CXVI, 2.
Judæi, judicium de iis *M. Aurelii.* CLXXVII, I.
Julias ab *Herode Antipa* condita, ante Ch. I, 4.
Julias à *Philippo* inſtaurata, ante Ch. I, 4.
Julii Caſſiani errores. CLXXXVI, 2.
Julius Severus Judæos adterit & vincit. CXXXIII, I. CXXXIV, I. *ſeq.*
Juſtificatio Evangelica, quanam in re ſita. P. S. 3. C. IV, 7.
Juſtificatio, diſceptatio ea de re cum Judæis. LVIII. 2.
Juſtinus Martyr, ejus converſio ad Chriſtianiſmum. CXXXIX, 2. antea Platonicus. *Ib.* 3. Apologiæ ejus I. epitome. *Ib.* 4. *& ſeqq.* in eam animadverſiones. *Ib.* locus de cultu Dei. *Ib.* 6. error hiſtoricus. *Ib.* 17. nimis ſecurè Scripturam citat. *Ib.* 18. *& ſeqq.* 26. alius error hiſtoricus. *Ib.* 21. violenta interpretatio Prophetarum. *Ib.* 22. 26. ſententia de Philoſophis, qui bene vixerunt. *Ib.* 25. emendatus. *Ib.* 27.
Juſtini cum *Tryphone* colloquium, & in id animadverſiones. CXL, 2. *& ſeqq.* regnum millenarium credidit. CXL, 19. Hebraicè neſciebat. *Ib.* 22, 24. ſententia de iis qui Chriſtum credebant hominem de hominibus fuiſſe. *Ib.* 9. de Patre & Filio. CXL, II, 12, 14. de iis qui Angelos ſeorſim exſiſtere non putabant. *Ib.* 13.
Juſtini 2. Apologiæ occaſio. CLXIII, 2. *& ſeqq.* Martyrium ejus. CLXV, I. Scripta. *Ib.* 2.
Juſtinus, Martyr, quî de Philoſophia ſentiret. P. S. 2. C. VII, 3. *& ſeq.*
Juſtini Martyris hallucinatio de corruptis à Judæis Scripturis. CI, 5. *& ſeqq.* loca eam in rem ab eo adlata. *Ib.* 6. *& ſeqq.*
Juſtitia quid. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 2.
Juſtus Tiberiadenſis, quo tempore ſcripſerit. C, 7.
Juvenum officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 8.

Izates Adiabenorum Rex, Judæus. XLVI, 6. circumciditur. XLIX, 1.

K.

K*Araïtæ*, qui. P. S. 1. C. III, 13.

L.

L*Aodicenſes*, *Pauli* ad eos Epiſtola. LXIII, 10.

Latronis in cruce pendentis oratio ad Chriſtum. XXIX, 65.

Legionis *Fulmineæ*, quæ & *Melitina*, precibus an pluvia impetrata. CLXXIV, 2. & *ſeqq.*

Lex Naturæ Ethnicis lata. P. S. 3. C. II, 10. ejus effectus. *Ib.* 11. & *ſeqq.*

Legem Moſaïcam malis Angelis tribuebant veteres Hæretici. LXXVIII, 3.

Legum auxilium quatenus implorare liceat. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 6.

Liberius Maximus, Judææ Procurator, agros ejus vendit. LXXI, 4.

Liberorum erga parentes officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 10.

Linus, vivis Petro & Paulo, Romæ Epiſcopus. LXVIII, 5.

Lucas Paulo comitem ſe adjungit. LI, 2.

Lucæ Evangelium, quando ſcriptum. LXIV, 11. non viderat Evangelium Matthæi. *Ibid.*

Lucæ Hiſtoria Apoſtolica. LXI, 4.

Lucianus Marcionita. CLX, 2. CLXXXV, 2.

Luciani liber de *Peregrino* examinatus. CLXV, 6. & *ſeqq.*

Lucilius Baſſus, legatus Cæſaris in Judæa. LXXI, 4. ejus res geſtæ. *Ibid.*

Lucius, an 2. ſæculo Britanniæ rex Chriſtianus. CLXXXI, 1.

Lucius, Chriſtianus Martyr. CLXII, 2.

Lugdunenſis perſequutionis hiſtoria. CLXVII, 2. & *ſeqq.*

Lydia ad fidem converſa. LI, 3.

M.

M*Agi* ex Arabia ad viſendum Chriſtum, ante Ch. IV, 2.

Magi in Judæa. LV, 2.

Magiſtratuum officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 12.

Magiſtratibus quæ cives debeant. P. S. 3. C. IV, 4. n. 12. quomodo à Deo ſint, & propter conſcientiam iis ſit parendum. *Ibid.*

Magiſtratus Romani, qui æquiores Chriſtianis fuerunt. CXXI, 2.

Manſuetudo Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 4.

Marcion quis eſſet. CXLI, 1. dogmata ejus CXLI, 3. & *ſeqq.* eorum confutatio. *Ib.* 7. & *ſeqq.* quædam de ejus vita. Ib. 9.

Marcionitæ concubitûs promiſcui & Thyeſtearum cœnarum accuſati. CXXXIX, 13.

Marcoſii in Lugdunenſi provincia. CXLV, 7.

Marci Evangelium quando ſcriptum. LXIII, 4.

Marci Valentiniani dogmata. CXLV, 1. & *ſeqq.* ſuperſtitioſi ritus & flagitia. *Ib.* 3. & *ſeqq.*

Maria Virgo, an *advocata* hominum ab *Irenæo* dicta ſit. CLXXX, 21.

Mariæ virginitas ignorata Diabolo, ex ſententia *Ignatii*. CXVI, 17.

Martyres, qui propriè dicti. LXVII, 13.

Martyrii natalis dies. CLXIX, 10.

Martyrum honor 2. Sæculo. CLXIX, 10. reliquis. *Ibid.*

Matthæi Evangelium, quando editum. LXI, 9. confutantur qui nimis ſerò factum putant. *Ib.*

Maturus, Martyr. LXVII, 3, 9.

Maximus, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.

Melitina Legio. CLXXIV, 11, 13.

Melitonis Apologia pro Rel. Chriſtiana. CLXIX, 8. liber ejus de generatione Chriſti. *Ib.* 9. *in notis.* Deum corporeum ab eo creditum. *Ibid.*

Menander primus Simonis Magi diſcipulus. LXXVII, 1. ejus dogmata. *Ibidem.*

Miltiades. CLXX, 1. ejus ſcripta. *Ib.*

Minæi hæretici quivis à Judæis dicti. LXXII, 1.

Miracula ſecundi ſæculi. CLVII, 10.

Montanus, ejuſque ſecta. CLVII, 1. & *ſeqq.* ejus & ſectatorum vaticinia. *Ib.* 5. & *ſeqq.* ejus dogmata ex *Hieronymo* expenſa. CLVIII, 1. & *ſeqq.*

Montaniſtas damnat Eccleſia Lugdunenſis. CLXVII, 16.

Mors æterna quæ. P. S. 3. C. IV, 8. *num.* 3, 4.

Moſis lex accuſata à *Ptolemæo* Valentiniano & defenſa. CXLIII, 4. & *ſeqq.*

Moſis Legum brevis deſcriptio. P. S. 3. C. II, 15. & *ſeqq.* duro Iſraëlitarum ingenio adcommodata. *Ib.* 20. & *ſeqq.* minùs perfecta quàm Religio Chriſtiana. *Ib.* 26. & *ſeqq.*

Mucianus (*P. Licinius*) Syriæ à Nerone præficitur. LXVI, 12.

Muſanus. CLXXIII, 1.

Myſteria, unde dicta Baptiſmus & Euchariſtia. CI, 20.
Myſterium iniquitatis, quid apud *Paulum*. LIII, 5.

N.

NAtalis Confeſſor, fit Theodotianorum Epiſcopus. CXCIX, 1. eum pœnitet. *Ibid.*
Nazaræi antiquiores, qui & quales. LXXII, 1. & *ſeqq.* expenſa quæ de iis *Hieronymus* & *Epiphanius* habent. *Ibid.*
Nazaræi poſteriores. CIII, 4. & *ſeqq.* eorum dogmata. *Ibid.* confudit & diſtinxit eos *Epiphanius* ab antiquioribus Ib. 12. & *ſeqq.*
Nero ſuccedit *Claudio*. LIV, 4. in deſperationem incidit, & occiditur. LXVIII, 2, 11.
Nero Romam incendit, & Chriſtianos, quaſi incendii reos, ſubjicit. LXIV, 6, 7. primus in eos ſæviit, ſed nullo Edicto, quo damnarentur, ut Chriſtiani, propoſito. *Ib.* 8. & *ſeqq.* Romæ tantùm in eos ſævit. *Ibid.* in Achaïam it. LXVI, 12.
Nerva Domitiano ſuccedit. XCVII, 3. moritur. XCVIII, 1.
Nicolaïtæ, eorum dogmata. LXXXII, 1. an *Nicolaus* Diaconus eorum conditor fuerit. *Ib.* 2.
Nicolaus Damaſcenus, Herodis amicus & in ſtudiis magiſter, ante Ch. XI, 1. Syllæum, apud Auguſtum, accuſat, & Herodem defendit, ante Ch. VI, 2. Archelaï amicus, ante Ch. III, 2.
T. Numidius, Præſes Syriæ. LI, 1. ejus iniquitates. LIII, 1.

O.

OBedientiam filiorum, non ſervorum Deo præſtare debemus. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 6.
Odiſſe vitia licet, non homines. P. S. 3. C. IV, *num.* 15.
Onieum in Ægypto clauſum. LXXIII, 3.
Ophitarum deliria. CXLIX, 1. & *ſeqq.*
Opitulationes, in Eccleſia, quid. LVII, 8.
Ornamentorum in veſtibus, aliiſque mediocritas, qualis & quanti momenti. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 9.
Oſſeni Hæretici. CIII, 2, 3.
Otho imperium capeſſit. LXIX, 2. victis copiis, ſe occidit. *Ib.*
Otium à Chriſtiana Religione damnatum. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 5.

P.

PAcis amor. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 5.
Pantænus, Scholæ Alexandrinæ præfectus. CLXXIX, 1. & *ſeqq.* an Matthæi Evangelium Hebraïcum retulerit Alexandriam. *Ib.* 2. an fuerit præceptor *Clementis*. *Ib.* 3.
Papia Poppæa Lex, à ſuffectis Coſſ. dicta. IX, 1.
Papias Hierapolita, *Euſebii* de eo judicium. CXVI, 32. aliud ejus Hiſtoriæ ab interpolatore inſertum. *Ib.* 32.
Parentum erga liberos officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 10.
Paſcha, de die quo celebrandum controverſiæ. CLII, 3. CXCIV, 1. & *ſeqq.*
Patres ſecundi, & ſequentium ſæculorum, quanto Apoſtolis inferiores. CI, 4. & *ſeqq.*
Patres ſæculi ſecundi Logicæ imperiti. CI, 17. Criticæ. *Ib.* 18. Ethnicis nimiùm ſe ſe adcommodant. CI, 16, 17.
Patribus debitam reverentiam non exigere. ut eorum errores tueamur. CXXXI, 8.
Paulus, (Vide *Saulus*) unde dictus. XLV, 3. Per Aſiam cum Barnaba, Evangelium prædicat. XLVI, 1. & *ſeqq.* XLVII, 1. & *ſeqq.* Antiochiam redit. XLVIII, 1. inde it Jeroſolimam. XLIX, 1. & *ſeqq.* redit Antiochiam. XLIX, 7. caſtigat diſſimulationem Petri. L, 1. diſcedit à Barnaba & ſeorſim in Aſia Evangelium prædicat. L, 1. Timotheum abducit & circumcidit. L, 3. prædicat in Aſia, itque Troadem. LI, 2. it Philippos. *Ib.* 3. ubi prædicat & Pythoniſſam curat. *Ib.* 3, 4. in carcerem flagris cæſus conjicitur. *Ib.* Commentarienſem ad fidem adducit. *Ib.* 5. dimittitur. Ib. 6. Theſſalonicam it, ubi ei Judæi adverſantur. LI, 7. it Berœam. LII, 4. Athenas ubi Evangelium prædicat. LII, 4 & 5. it *Corinthum* ubi prædicat Evangelium. LII, 6. tentoria conficit, ut ſine ſumtu Eccleſiæ Evangelium prædicet. *Ibid.* 1. ad Theſſalonicenſes ſcribit. LII, 9. ad Tribunal Gallionis accuſatus à Judæis dimittitur. LIII, 4. ſcribit 2. Ep. ad Theſſalonicenſes. Ib. 5. in Aſiam navigat. LIV, 5. ubi quædam fecit, quæ non habet Lucas. *Ib.* Epheſum venit. LIV, 3. ubi docet ſeorſim à Synagoga. LV, 3. cum magno fructu. *Ib.*4. LVI, 1. ſcribit ad Corinthios Epiſtolam quæ periit. LVI, 2. ſeditio Epheſi, ejus occaſione orta. LVII, 2. ad Corinthios 1. Ep. ſcribit. LVII, 3. alteram. *Ib.* 13. multa paſſus,

quæ

quæ non narrantur à Luca. *Ib.* 14. it in Macedoniam. LVIII, 1. inde Corinthum. *Ib.* ſcribit ad Romanos. *Ib.* & *ſeqq.* in Aſiam redit. LVIII, 4. miraculum inſigne edit. *Ib.* 5. ſcribit ad Galatas. LVIII, 6. & *ſeqq.* Aſiæ oram legit. *Ib.* 9. Miletum Chriſtianos è vicinia convocat, & adloquitur. *Ibid.* inde it in Phœniciam. *Ib.* 10. & Jeroſolimam. *Ib.* 11. ubi ſe Judæis adcommodat. *Ib.* occidere eum volunt, ſed rapitur à Tribuno Lyſia. *Ib.* 12. & *ſeq.* civem Romanum ſe profitetur. *Ib.* 13. Synedrio ſiſtitur. *Ib.* 14. eripitur inſidiis Judæorum & ducitur Cæſaream. *Ib.* 15. accuſatur ab iis, apud Felicem. *Ib.* 16. coram eodem & Druſilla cauſam agit. *Ib.* 17. apud Feſtum, à quo ad Cæſarem provocat. LIX, 2. coram eodem & Rege Agrippa cauſam ſuam agit, & innocens judicatur. *Ib.* 3. traditur Centurioni, ut in Italiam mittatur. *Ib.* 6. ejus iter Melitam uſque, ubi naufragium patitur. *Ibid.* Romam pervenit, ubi ſeorſim habitat, cum milite. LXI, 1. Judæos fruſtra ad Chriſtianam Religionem vocat. LXI, 2, 3. Qui ei Romæ adfuerint. *Ibid.* multos ad Chriſtum adducit. LXII, 6. ſcribit ad Philippenſes. *Ib.* 7. ad Epheſios. *Ib.* 8, 9. ad Coloſſenſes. *Ib.* 10. ad Laodicenſes. *Ibid.* ad Philemonem. *Ib.* 11. in Britannia aut in Gallia eum non fuiſſe. LXIII, 1. in *Cretam* navigat. *Ib.* 2. in Aſiam. LXIV, 1. ſcribit ad *Titum.* LXIV, 4. Nicopoli in Epiro moratur. LXV, 1. ſcribit 1. Ep. ad *Timotheum.* *Ib.* 2. it Corinthum. LXVI, 1. in Aſiam. *Ib.* 2. Romam. LXVII, 1. ubi auditus & re prolatâ liberatus. *Ib.* & *ſeqq.* alteram ad Timotheum ſcribit. *Ib.* 4, moritur. LXVIII, 2. cujus rei accuſatus. *Ib.* 3.

Pauli Actus Apocryphi. LXIX, 3.

Pauli Epiſtolæ, variæ de iis obſervationes. LVII, 4. & *ſeq.* ſtylus idioticus. LVII, 9. & *ſeqq.*

Peccatum Originis quale. P. S. 3. C. II, 3. *ubi vide & notas.* actuale. *Ib.* 5.

Peregrini hiſtoria è *Luciano* ad examen revocata. CLXV, 6. & *ſeqq.*

Peregrini ſcriptores Ethnici & Chriſtiani, qui meminerint. CLXV, 12, 13.

Peripateticorum ſententia de Religione, Moribus & Summo Bono. P. S. 2. C. III. *per totum.*

Pertinaciam, niſi in flagitio, non poſſe plecti. CXI, 8.

P. Petronius Syriæ Præſes. XXXIX, 3. mandata accipit de ſtatua Caii Jeroſolimæ ponenda. *Ib.* 3. XL, 4.

Petrus & *Joannes* in carcerem conjiciuntur. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 6. dimittuntur. *Ibid.* flagris cæduntur. *Ib.* 8.

Petrus Joppæ ad Cornelium Centurionem mittitur. XXXVI, 1. & *ſeqq.*

Petri diſſimulatio, erga Judæos, caſtigata à Paulo. L, 1.

Petrus, an. II. *Neronis*, Romam non ivit. LV, 5. neque Corinthum. *Ib.* non fuiſſe Romæ ante Pauli adventum. LXI, 4. LXII, 11. Corinthi. LXVI, 1. Romæ eſt. LXVIII, 1. ibi moritur. *Ib.* 2. & *ſeqq.*

Petri Actus, *Prædicatio* & *Apocalypſis* Apocrypha. LXIX, 4.

Petri 1. Epiſtola quando & unde ſcripta. LXI, 7. quid contineat. *Ib.* 8. Altera. LXVII, 5.

Phariſæi unde dicti. P. S. 1. C. II. 1, 2. eorum dogmata peculiaria. *Ib.* 4. & *ſeqq.* in nonnullis ſimilia philoſophicis. *Ib.* Religio & mores. *Ib.* 10. & *ſeqq.* auſteritas. *Ib.* 23. auctoritas apud plebem. *Ib.* 24.

Philemon, ad eum *Pauli* Epiſtola. LXII, 11.

Philippenſes, *Pauli* ad eos Epiſtola. LXII, 7.

Philippus, Herodis M. filius, Tetrarchiam accipit ab Auguſto, ante Ch. III, 4. moritur. XXXIII, 2.

Philippus Samariæ Evangelium prædicat. XXX, 3.

Philippus Gortynenſis. CLXIV, 1.

Philo pro Alexandrinis Judæis legatus in Romam ad Caium. XL, 2.

Philoſophia, quid conduxerit ad Religionem Chriſtianam. P. S. 2. C. II, 1.

Philoſophi unum Deum ſummum agnoſcebant, ſed nihilo ſeciùs inferiores colebant. P. S. 2. C. II, 5. 10. leges patrias in Religionis cultu ſequebantur. *Ib.* 9.

Philoſophorum pravi mores. P. S. 2. C. VII, 13.

Philoſophiam, quamvis utilem non potuiſſe ad certam & plenam Veritatis cognitionem deducere. P. S. 2. C. VII. *per totum.*

Philoſophi, ab iis cavendum. LXII, 10.

Phlegon Trallianus. CXL, 1. *ubi vide notas.*

Phœnix è cineribus naſci non poteſt. LXIX, 6. *num.* 2.

Pius ſuccedit *Hygino*, in ſede Romana. CXXVII, 1.

Plato magno in pretio apud Chriſtianos veteres. P. S. 2. C. II, 1. tria Principia admiſit. *Ib.* & *ſeqq.*

Platonicorum dogmata ad Religionem, Bonos Mores & ſummum Bonum perti-

nentia. P. S. 2. C. II. *per totum.*
Plinius junior, quo anno fuerit Conſul. c, 8.
Plinii relatio ad *Trajanum* multis examinata. CXI, 2. *& ſeqq.* iniquitas & ſævitia. *Ib.* 6. *& ſeqq.*
Pœnæ æternæ. P. S. 3. C. IV, 8. *num.* 3, 4.
Pœnæ divinitus immiſſæ non ſemper in homines. XXVIII, 45.
Pœnitentia quotuplex. P. S. 3. C. IV, 6.
Pœnitentiæ an ſit tempus præſtitutum. LXIX, 7. *num.* 2.
Polycarpus Romæ. CLII, 2, caſtigat *Marcionem. Ibid.*
Polycarpi Epiſtola ad Philippenſes. CXVIII, 3. *& ſeqq.* Martyrium. CLXIX, 2. *& ſeqq.* poſtrema ejus verba interpolata. 5.
Polycrates Epheſius. CXCIV, 3.
Pontificis Maximi veſtis à Romanis ſervata priùs, & Judæis conceſſa repetitur. XLV, 4.
Pontius Pilatus Procurator Judææ. XXV, I. Judæos offendit. *Ib.* 6. Galilæos in Templo occidit. XXVIII, 45. procuratione exutus Romam it. XXXV, 3. ſibi manus adfert. XXXIX, 2. ejus Acta ſuppoſita. XXIX, 94. *& ſeqq.*
Porcius Feſtus Felici, in procuratione Judææ, ſuccedit. LX, I. audit Paulum. *Ib.* 2.
Potentia numeri quid. P. S. I. C. V, 12. *ubi vide notas.*
Poteſtas ſumma cum alia item ſumma colliſa, quî debeat injurias ferre & quatenus. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 6.
Pothinus, Lugdunenſis Epiſcopus, Martyr. LXVII, 5.
Praxeas, error quem ei tribuit *Tertullianus.* CLXXXVI, I, 2. vera ejus ſententia. *Ib.* 3.
Preces ad Deum fuſæ quales eſſe debeant. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 5.
Presbyteri, nomine cum Epiſcopis confuſi. LXVIII, 6.
Prodigia Jeroſolimæ, ante obſidionem. LXV, 3.
Prophetæ 2. ſæculo rari. CLVII, 8. *& ſeqq.*
Prophetæ qui, temporibus Apoſtolicis. LVII, 8.
Proteus idem ac *Peregrinus.* CLXV, II. *ubi vide notas.* à Demonacte caſtigatur. *Ib. ubi vide notas.*
Proximus quis dicatur in Evangelio. P. S. 3. C. IV, 4.
Proximos omnes habendos. XXVIII, 39.
Proverb. VIII, 22. de Chriſto non intelligendum. CLXVIII, 6.
Prudentia Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 5.
Pſalm. XLV, I. perperam de Chriſto intellectus. CLXVIII, 6.
Ptolemæus Herodis M. procurator, ante Ch. III, 2. Antipæ amicus. *Ibid.*
Ptolemæus, Chriſtianus Martyr. CLXII, 2.
Ptolemæi Valentiniani dogmata. CXLIII, 2. *& ſeqq.* confutata. *Ibid.*

Q.

QUadratus, Athenarum Epiſcopus, qui Hadriano Apologiam pro Religione Chriſtiana obtulit. CXXIV, I. *& ſeq.*
Quinctus temerè Martyrio ſe offert & deficit. CLXIX, I.
Quirinus (*P. Sulpicius*) Cenſum in Judæa agit. VII, I.

R.

RAtioni rectæ conſentanea Religio Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 15.
Rectores Eccleſiarum initio utriuſque Ordinis poteſtate inſtructi. CXVI, 19.
Religionis Chriſtianæ veritas demonſtrata. XXIX, 87. *& ſeqq.*
Religionem non eſſe Dei, ſed hominum causâ, inſtitutam. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* II.
Religio communis omnibus & ſingulis hominum ordinibus peculiaris. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 13.
Religio Chriſtiana ſuperſtitioſi nihil, aut fanatici complectitur. P. S. 3. C. IV, 9. nihil ei jure objici poſſe, ſi modò è N. T. petatur. *Ibid.* C. V, I, 2. nec errores, aut vitia Chriſtianorum ei objici poſſe. *Ib.* 3. *& ſeqq.*
Religio inter plebem meliùs conſervata, quàm inter eos qui docti putabantur. CI, 21. quî ſæculo ſecundo propagata. *Ib.* 22.
Religionis Chriſtianæ ſumma ſemper illibata. CC, I.
Reliquiæ Sanctorum temporibus Apoſtolicis ignotæ. LV, 6.
Repudium uxoris illicitum. XXIX, 2.
Reſurrectio *Philoni* & *Joſepho* dubium an credita. P. S. I. C. III, 7.
Rhodon, *Tatiani* diſcipulus. CLXXXIX, I. ejus cum *Apelle* colloquium. *Ib.* 2.
Ritus Judaïci Gentilibus Chriſtianis nequaquam impoſiti. XLIX, 2. *& ſeqq.* quænam ab iis poſtulata fuerint. *Ib.* 5. *Vide notas.*
Romæ Chriſtiani habitantes, ante adventum Pauli, Judæis illic degentibus ignoti. LXI, 2.

Romani, Epiſtolæ ad eos Pauli analyſis. LVIII, 3.
Romanorum Chriſtianorum caritas. CLVI, 1.
Romanæ Eccleſiæ quæ ſit *potior principalitas*, apud *Irenæum*. CLXXX, 14.
Romanæ Eccleſiæ primordia. LXXVIII, 5.
Romanorum victimæ Jeroſolimæ repudiantur. LXVI, 8.

S.

S*Abbatho* quid facere liceat. XXVII, 9, 10.
Sacerdotum Judæorum, inter ſe diſſidia. LX, 3.
Sacrificiorum expiatio, qua in re ſita. P.S. 3. C. III, 10. *& ſeqq.*
Sadducæi unde dicti. P. S. 1. C. III, 1. peculiaria eorum dogmata. *Ib.* 3. *& ſeqq.* admiſerunt omnes libros V. T. *Ib.* 9. mores. *Ib.* 10.
Sale & thymo veſcebantur Athenienſes. P. S. 1. C. V, 4.
Samaritarum Schiſma, doctrina & mores. P. S. 1. C. VII.
Samaritæ Templum Jeroſol. polluunt. VIII, 2.
Samaritarum cum *Galilæis* rixa & prœlium. LII, 2. querelæ. *Ib.* 3. Romæ damnati. LIII, 2.
Sampſæi Hæretici qui. CIII, 2.
Sanaballetus duplex. P. S. 1. C. VII, 5.
Sanctificatio nominis Dei, à quibus negligatur. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 2.
Sanctus, Martyr. LXVII, 3, 4, 9.
Sanguis Animalium vetitus Gentilibus. XLIX, 5.
Sarapion Antiochenus. CLXXXVII, 1.
Saturnini, vel *Saturnili* errores. LXXVIII, 1. *& ſeqq.*
Saulus, Tarſenſis veſtes ſervat Stephanum lapidibus obruentium. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* II. XXX, 1. vexat Chriſtianos. XXX, 1. *& ſeqq.* à Chriſto ad Apoſtolatum vocatus. XXXI, 1. mandata eundi in Arabiam accipit. *Ib.* 2, 3. Damaſcum redit, unde clam fugit. XXXII, 1. & Jeroſolimam it. XXXIII, 1, 2. Antiochiæ verſatur. XXXIX, 4. XL, 1. in tertium cœlum raptus. XLIII, 1. Jeroſolimam venit. XLIV, 2. redit Antiochiam. *Ib.* 3. unde mittitur ad Evangelium prædicandum. XLV, 2. *& ſeqq.* It Cyprum. *Ib.* unde Paulus dictus. *Ib.* Vide *Paulus*.
Scriptura an obſcura ex ſententia *Irenæi*. CLXXX, 9, 10.
Secundi Valentiniani dogmata. CXXXVII, 1.
Sejani flagitia. XXIII, 1.
Semo Sancus, idem ac Hercules apud Sabinos. XLII, 7.
Seniores, dignitatis nomen. XLIV, 2.
Sentius Saturninus cenſum Judææ non egit, ante Ch. VI, 6.
Senum officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 8.
Septuaginta Intt. perperam ab imperitis Linguæ Hebraïcæ crediti adflati. CI, 10. unde graviter decepti. *Ib.* 11. *& ſeqq.* 17.
Serenus Granius ad Hadrianum ſcribit in gratiam Chriſtianorum. CXXV, 1.
Sergius Paulus, Cypri Proconſul, Paulum audit. XLV, 7.
Servitus contra jus naturæ. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 11.
Servorum erga heros officia. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 11.
Sethitarum deliria. CXLIX, 1. *& ſeqq.*
Severus (L. Septimius) ſuccedit Juliano. CXCIII, 1.
Sextus, Scriptor Eccleſiaſticus. CC, 1.
Sibyllini libri à Chriſtiano conficti. CXXXI, 2. *& ſeqq.* an Judæi ante Chriſtum ejuſmodi oracula confinxerint. *Ib.* 6. Sibylliſtæ dicti Chriſtiani. *Ib.* 7. quamvis omnes eos libros non admiſerint. *Ib.* & 8. *ubi vide notas.* quid ſpectarit auctor eorum librorum. *Ib.* 9.
Sibyllini verſus, quos habemus, Patrum in manibus fuerunt. CLXV, 3.
Sibyllina oracula de duratione Romæ. XIX, 2.
Sicariorum audacia, in Judæa. LV, 1.
Sicarii Judææ Meſſadæ caſtellum invadunt. LXVI, 8. urbem Jeroſolimam. *Ibid.*
Sicarii in Judæá & Ægypto deleti. LXXIII, 1, 2.
Silentium, *à ſilentio non progreſſum* de Verbo, quid apud *Ignatium*. CXVI, 20.
Siloënſis turris, in aliquot homines prolapſa. XXVIII, 45.
Simon, quam partem Jeroſolimæ teneret. LXX, 1. captus. LXX, 7.
Simon Magus baptizatur. XXX, 3.
Simonis Magi prava dogmata. XLII, 5. *& ſeq.* ſtatuam Romæ non eſſe ei collocatam. XLII, 7. *& ſeq.* fictum certamen cum Petro. *Ib.* 8. *& ſeq.*
Simonianorum dogmata. LXXV, 4. *& ſeqq.*
Simoniani ad ævum uſque *Origenis*, ſed pauci. XLII, 6. eorum impoſturæ. *Ib.* 7.
Sixtus, *Alexandri*, in Romana ſede, ſucceſſor. CII, 1.
Socrates cur occiſus. CXXXIX, 6.
Socratis ſententia de Religione, Moribus & Summo Bono. P. S. 2. C. II. *per totum.*

Soter,

Soter Aniceto, in ſede Romana, ſuccedit. CLIII, I.
Spiritus Sanctus, quid de eo doceat Scriptura. P. S. 3. C. I, 8.
Spiritus, an diſtinctus ab Anima. CLXXX, 35.
Statuæ Deorum, qui defenſæ à *Juliano*. P. S. 2. C. I, 8. *in notis.*
Stephanus primus martyrium patitur. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 10.
Stoicorum ſententia de Deo, ejuſque cultu, moribus & Summo Bono. P. S. 2. C. IV. *per totum.* Qui profuerint Religioni Chriſtianæ. *Ib.* 11.
Summum bonum ubi quærendum. P. S. 3. C. IV, 8. *num.* I. *& ſeqq.*
Symbolum Irenæi expoſitum. CXLII, 2. *& ſeqq.*
Symbolum fidei, tempore *Tertulliani*. CC, I.
Symeon Chriſto teſtimonium perhibet, ante Ch. IV, 4.
Symeonis Jeroſolimitani Epiſcopi mors. CXVI, 3.
Symmachus V. T. interpres. CLXXXIII, I. *& ſeqq.*

T.

T*Atianus* Syrus. CLXXII, I. Oratio ejus ad Græcos illuſtrata. *Ib.* 2. *& ſeqq.* ſententia de Patre & Filio. *Ib. & ſeqq.* libertatem Angelorum & hominum credidit. *Ib.* 5. ſententia de anima. *Ib.* 6 & 7. Platonicus. *Ib.* 7, 9. ejus errores. *Ib.* 11.
Teleſphorus, in ſede Romana, Sixto ſuccedit. CXII, I.
Teleſphorus Hygino, in Romana ſede, ſuccedit. CXXIII, I.
Temperantia Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 9. *num.* 4.
Terminus Occidentis, quid apud *Clementem*. LXIII, I.
Tertullianum ita loquutum contra *Praxeam*, ut tres Deos eſſe crediidiſſe videatur. CLXXXVI, 5. *& ſeqq.*
Teſtamenta XII. Patriarcharum. CXCI, 2.
Thaddæus, an Edeſſæ Evangelium prædicarit. *Hiſt. ab adſcenſu Ch.* 13. *& ſeqq.*
Theodotion, quando verſionem ſuam ediderit. CLXXIII, 3. qualis fuerit. *Ib.* 4, 5.
Theodotiani, quæ iis exprobrarentur. CXCIX, 2, 3.
Theodotus Coriarius. CXCV, I, 2. Ejus dogmata. *Ib.* & 3. XCIX, I, 4.
Theodotus Theodoti Coriarii diſcipulus. CXCIX, I.
Theophilus Antiochenus. CLXVIII, I. Opus ad Autolycum & ad id animadverſiones. CLXVIII, 2. *& ſeqq.* ſententia ejus de Verbo. *Ib.* 6, 8.
Theophilus Cæſareenſis. CXC, I. CXCIV, 2.
Theſſalonicenſes, I. Pauli ad eos Epiſtola. LII, 9. altera. LIII, 5.
Theudas Galilæus Pſeudopropheta. XXVIII, 60.
Timotheus ad Chriſtianam fidem adductus. XLVI, 5.
Timotheus, ad eum I. Ep. *Pauli*. LXV, 2. altera. LXVII, 4.
Tiberius Alexander, Judææ Procurator. XLVII, 3. Judæos ſeditioſos punit. *Ib.*
Tiberiani ficta relatio ad *Trajanum*. CXIII, I.
Tiberius in ſeceſſu Rhodio manere juſſus. ante Ch. I, I. revocatur, anno Ch. II, 2.
Tiberius Trib. Pot. particeps fit. IV, 3.
Tiberius Ædem Concordiæ dedicat. X, I. Collega Imperii renunciatur. XI, I. Auguſto ſuccedit. XIV, I. duplex ejus initium. *Ibid.* quindecimus annus Imp. proconſularis. XXVI, 2. moritur. XXXVII, I.
Tiberius an Chriſtum in Deorum numerum referre voluerit. XXIX, 96. *& ſeqq.*
Timor Dei quanam in re ſitus. P. S. 3. C. IV, 2. *num.* 6.
Tinius Rufus, legatus Cæſaris in Judæa. CXXXII, 2.
Titus in *Creta* à *Paulo* relictus. LXIV, I. an Inſulæ Epiſcopus. *Ib.* 3. Epiſtola ad eum Pauli. *Ib.* 4.
Titus Veſpaſianus Jeroſolimam obſidet & oppugnat. LXX, 2. *& ſeqq.* Templum incendit. *Ib.* 6. in eo ſacra, more Romano, facit. 7. reliquam urbem capit. *Ib.* abit relicto Præfecto *Rufo*. *Ib.* 8. ſupplicium de Judæis ſumit. *Ibid.* triumphat cum patre de Judæa. LXXI, 3. Berenices amore captus eam dimittit. LXXV, I.
Titus Veſpaſiano patri ſuccedit. LXXIX, I. moritur. LXXXI, I.
Traditiones inanes. CI, 15.
Traditioni an ſit credendum. CLXXX, II, 12.
Trajanus Nervæ ſuccedit. XCVIII, I. pons ejus in Iſtro. CVI, I. magnanimitas ejus. CIX, 2. optimus adpellatur. CXI, I. reſcriptum ejus iniquum contra Chriſtianos. *Ib.* 14, 15. eos perſequitur. CXVI, 3. *& ſeqq.* ſed non omnes Chriſtianos. *Ib.* 9. moritur. CXVII, I.
Trinitas Divina loquendi generibus è Scriptura deſcribenda. P. S. 3. C. I, 10. *vide notas.* Nicænorum de ea ſententia. *Ib.* 11.
Trinitas malè explicata errores peperit CXCIX, 4.

Tryphon

Tryphon Juſtini quis. CXL, 2. *ubi vide notas.*

V.

V*Alentinus* quis fuerit. CXXI, 3. *& ſeqq*, ejus dogmata. *Ib.* 7. *& ſeqq.*

Valentinianorum abſurda dogmata, de creatione & creatore mundi. CXXI, 11. *& ſeqq.* judicium de eorum doctrina. *Ib.* 15, 16.

Valentinianorum diſſentio de Servatore. CXLIV, 2.

Valerius Gratus, Procurator Cæſaris in Judæa. XV, 2.

Ventidius Cumanus, Procurator Judææ. XLVIII, 2. ſeditio Judæorum ſub eo excitata. *Ib. & ſeqq.* Vide *Cumanus.*

Verecundia Chriſtiana. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 8.

Veritatis amor, qualis. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 1.

Veſpaſianus (*T. Flavius*) Procurator Judææ. LXVI, 12. bellum infert Judæis. LXVII, 4. Galilæam ſubigit. LXVII, 4, 5. Peræam. *Ib.* 8. Judææ loca quædam occupat. LXVIII, 12. imperium capeſſit. LXIX, 2. it in Italiam, mandatâ Tito filio Judaïci Belli curâ. LXX, 1. moritur. LXXIX, 1.

Veſpaſiani causâ miracula confiċta. CXXXVIII, 3.

Vibius Marſus, Syriæ Præſes. XLII, 1, 2.

Veſtales defoſſæ. LXXXVI, 1.

Victor Eleuthero, in Romana ſede, ſuccedit. CLXXVII, 3.

Victor excommunicat Aſianos propter controverſiam de Paſchate. CXCVI, 1. qui tamen non mutant ſententiam. *Ib.* 10. vituperatur ab *Irenæo* & aliis *Ib.* 9. revocat excommunicationem. *Ibid.*

Virgo gravida futura apud Eſ. VII. quæ, ſecundùm Tryphonem. CXL, 16, 20.

Virtutis & Vitii cognitio unde oriatur, & quomodo perficiatur. P. S. 3. C. II, 7. *& ſeqq.*

Virtutis ſtudium, quale. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 1.

Virtutes, in Eccleſia quid. LVII, 8.

Vitellius Syriæ Præſes. XXXV, 1. *Pilato* adimit procurationem Judææ. *Ib.* 3. qui it Romam. *Ib.* Judæis parcit. XXXVII, 4.

Vitellius imperium capeſſit. LXIX. 2. Vitelliani ab *Antonio* & *Muciano* oppreſſi. *Ib.*

Ulpianus, liber ejus de Officio Proconſulis. CLXXXVII, 2.

Ultio vetita Chriſtianis. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 6. nec difficile eſt ab ea abſtinere. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 6.

Unitas Patris, Filii & Spiritûs S. contra Judæos, defenſa. P. S. 3. C. I, 9.

Z.

ZAchariæ promittitur Joannes, ante Ch. VI, 5. Joannes Baptiſta naſcitur, ante Ch. V, 1. Maria Chriſtum concipit, ante Ch. V, 1.

Zelus Chriſtianus, qualis. P. S. 3. C. IV, 4. *num.* 15.

Zelotarum ſcelera. LXVII, 7.

Zenodorus latro agris mulctatus, ante Ch. XXIV, 2. Auranitidem locat Arabibus, ante Ch. XXI. adeſt Gadarenſibus Herodem accuſantibus & interit, ante Ch. XX, 2.

INDEX

Vocum aliquot Græcarum quæ explicantur.

A.

Ἅδης, error circa hanc vocem. C. I, 12. & *ſeqq.*

Αἵρεσις & αἱρετικὸς quid propriè ſignificent. LXXXIII, 2, 3.

Αἰῶνες quid apud Valentinianos. CXXI, 7. *ubi vide notas.*

Ἀμφόδαρχοι, *Vici-magiſtri.* CXIX, I.

Ἀντίψυχον alicujus quid. CXVI, 17.

Ἀρχαῖα pro Scriptis Propheticis. CXVI, 26.

Αὐτάρκεια Chriſtiana, qua in re ſita. P. S. 3. C. IV, 3. *num.* 6.

Γ.

ΓΕ'νος pro ſecta. CXL, 10. CLIV, I. CLXIX, I.

Γνῶσις recondita Religionis cognitio. LXXVI, 2. inde γνωστικός, qui ea cognitione prædirus eſt. *Ibid.*

E.

Ἐξομολόγησις pro pœnitentiæ totius decurſu. CXLV, 5.

H.

Ἡρημένος, *qui ſectam elegit*, quid πάθος ἡρημένου. CIV, 4. *ubi vide not.*

Ἦτρον, quid ſit, ante Ch. IV, II. *in notis.*

Θ.

Θεοδρόμος quid apud *Ignatium.* CXVI, 31.

Θεοπρεσβύτης quid apud *Ignatium.* CXVI, 30.

I.

ἐν Ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ, quid apud *Athenagoram.* CLXVI, 6.

M.

ΜΕτανοεῖν, quid propriè ſit. P. S. C. IV, 5.

Π.

ΠΑραβαπτισταὶ, *perperam baptizati*, qui apud *Epictetum.* CIV, 5. *ubi vide not.*

Παραχρᾶσθαι σαρκὶ, *contemnere carnem.* LXXXII, 2.

Πάρεδροι, adjutores Dæmones. CXX, 4.

Περίψημα alicujus quid. CXVI, 17.

Πλήρωμα quid, apud Valentinianos. CXXI, 6. *in notis.*

Πνεύματος ὀρθία ἔντασις, *orthopnœa*, ante Ch. IV, II. *in notis.*

Πρόβλημα quid, apud Valentinianos. CXXI, 6. *in notis.*

Προύνικος, *virgo deflorata.* LXXVI, 8.

Σ.

ΣΥλλαβὴ pro complexione aliquot Syllabarum. CXLV, 2.

X.

Χαρίεια, *philtra.* CXX, 2.

CATALOGUS LIBRORUM

Qui proſtant in Officina

DAVIDIS MORTIER.

ALting (Menſonis) Notitia Germaniæ Inferioris Antiquæ, quæ hodie eſt in Ditione VII. Fœderatorum, repræſentata Tabulis Geographicis & Commentario fol. 2. vol. Amſtelodami. 1707

—— —— Idem Charta Magna. Fol. Amſtelod. 1707

Ayleworth (Guil.) Metaphyſica ſcholaſtica fol. Col. 1675

AUGUSTINI Appendix Auguſtiniana, ſeparément pour joindre à l'Edition de Paris, ſur de grand Papier. fol.

Allix (Petri) Diatriba de Anno & Menſe Natali Jeſu Chriſti. 8. Londini.

Auli Gellii Noctium Atticarum Libri XX. cum Notis & Emendationibus Joh. Frederici & Jacobi Gronovii 4. Lugd. Bat. 1706

Alpini

CATALOGUS LIBRORUM.

Alpini (Proſperi) de Præſagienda Vita & Morte Ægrotantium Lib. VII. cum Præfatione Herman. Boerhaave 4. Lugd. Bat. 1710
Aitſema Hiſtoria Pacis 4. 1654
Andala (Ruardi) Diſſertationum Philoſophicarum Pentas 4. Franequeræ. 1712
Apologia pro Joanne Gerſonio. 4.
Apologia pro Jul. Cæſare Vanino Neapolitano. 8. 1712
Albinovani (C. Pedonis) Elegiæ III. & Fragmenta cum Interpretatione & Notis Th. Goralli. Et P. Cornelii Severi Ætna & quæ ſuperſunt Fragmenta. 8. Amſt. 1714.
Alimari (Dorothei) Mathematici Veneti longitudinis aut Terrâ aut Mari inveſtigandæ Methodus. Adjectis inſuper Demonſtrationibus & Inſtrumentorum Iconiſmis. 8. Londini. 1715
Anacreontis & Saphonis Carmina. Notas & Animadverſiones addidit Tanaquillus Faber. 12.
Annotationes in Vetus Teſtamentum & in Epiſtolam ad Epheſios, incerto Auctore, E bibliotheca Joannis Archiep. Eboracenſis. 8. Amſtelæd. 1710
Ariſtotelis de Poetica liber ex verſione Theod. Goulſtoni, perpetuis notis Analyticis illuſtrata. Accedunt Integræ Notæ Frid. Sylburgii & Dan. Heinſii nec non ſelectæ aliorum. 8. Cantab. 1696
Bocharti (Samuelis) opera omnia. fol. 3 vol. Lugd. Bat. 1712
Baſnagii (Samuelis) Annales Politico-Eccleſiaſtici. fol. 3. vol. Roterd. 1706
Blanchini (Fran.) de Kalendario & Cyclo Cæſaris ac de Paſchali Canone S. Hippolyti Martyris. fol. Romæ. 1703
Baluzii (Steph.) Concilia Galliæ Narbonenſis, Edita & Notis Illuſtrata. 8. Paris. 1668
Baluzii (Steph.) Vita P. Caſtellani, auctore Gallandio. 8.
Baluzii (Steph.) Reginonis Libri duo de Relig. Chriſtianâ. 8.
Baluzii (Steph.) Sti. Agobardi Opera, Edita & Not. Illuſt. 8.
Baluzii (Steph.) Sti. Cæſarii Homiliæ, Edit. & Not. Illuſt. 8.
Baluzii (Steph.) Petri de Marca de Concordia Imperii & Sacerdotii, Lib. VIII. fol. Paris. 1704
Baluzii (Steph.) Miſcellaneorum Tomi VI. 8. 6. vol. Paris.
Baluzii (Steph.) Petri de Marca Diſſertationes. 3. 8. Paris.
Baluzii (Steph.) Salviani & Vincentii Lirinenſis Opera. 8.
Baluzii (Steph.) Marii Mercatoris Opera, 8.
Baluzii (Steph.) Opuſcula Petri de Marca. 8.
Baluzii (Steph.) Vitæ Paparum Avenionenſium. 4. 2 vol.
Baluzii (Steph.) Marca Hiſpanica, ſeu Limes Hiſpanicus, fol.
Baluzii (Steph.) Innocentii III. Epiſtolæ, fol. 2 vol.
Begeri (Nicolai) Numiſmata Pontif. Romanorum, ex Cimeliarchio Regis Boruſſiæ. Fol. Colon. 1704
Begeri (Nicolai) Numiſmata Cimeliarchii Lud. XIV. Galliæ Regis. Fol. Colon. 1704
Begeri (Nicolai) Florus recenſitus & emendatus. Fol. Colon.
Begeri (Nicolai) Spicilegium Antiquitatis Miſcellaneæ. Fol.
Begeri (Nicolai) Regum & Imperatorum Numiſmata, cum ejus Annotationibus. Fol. Colon. 1700
Begeri (Nicolai) Lucernæ Veterum Sepulcrales & Iconicæ. Fol. Colon. 1702
Begeri (Nicolai) Alceſtis pro Marito Moriens. Fol. Colon. 1703
Begeri (Nicolai) Ulyſſes Sirenes prætervectus. Fol. Colon. 1703
Begeri (Nicolai) Pœnæ infernales Ixionis, Siſyphi, & Danaidum. Fol. Colon. 1703
Begeri (Nicolai) Examen dubiorum quorumdam. Fol. Berol.
Barrelier (R. P. Jacobi) Plantæ per Galliam, Hiſpaniam & Italiam obſervatæ, Iconibus Æneis exhibitæ. Fol. 2 vol. Pariſiis. 1714
Batei (Georg.) Elenchi motuum Nuperorum in Anglia ſimul ac Hiſt. Regis Caroli II. Effugii Mirabilis. 12.
Balinghem (Antonii de) Scriptura Sacra in locos Communes Morum & Exemplorum Novo ordine diſtributa. Fol. Trivol. 1705
Bulli (Georg.) Opera Omnia. fol. Lond. 1703
Bullialdi Arithmetica Infinitorum. fol. Pariſiis. 1682
Blancardi (Steph.) Lexicon Medicum Græco-latinum. 8. Lugd. Bat. 1702

Belli (Lud.) Sancta Sedes Apoſtolica. fol. Genev. 1635
Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. & Clementis VIII. Pont. Max. auctoritate recognita, verſiculis diſtincta, unâ cum Selectis Annotationibus ex Optimis quibuſque interpretibus excerptis, Auctore J. B. du Hamel. Fol. Pariſiis. 1705
Biblia Septuaginta Interpretum. Ern. Grabe. fol. 2 vol. Oxoniæ. 1709
——— ——— Idem 8. 4 vol. Oxoniæ. 1709.
Biblia LXX. Interpretum ſecundùm Exemplar Vaticanum Romæ Editum. Summa Cura edidit Lambertus Bos. 4. Franeq. 1709
Biblia Hebraïca ab Everardo van der Hooght. 8. 2 vol. Amſtel. 1705
Biblia ſine Punctis ad Leuſdeniana. 12. 1701
Baglivi (Georgii) de Praxi Medica. 8. Lugd. Bat. 1704
Baglivi (Georgii) Canones de Medicina Solidorum. 8. 1707
Bohnii (Johan.) de Renunciatione vulnerum ſeu vulnerum Lethalium. 8. Amſtel. 1710
Boerhaave (Hermanni) de Uſu Ratiocinii Mechanici in Medicina. 8. Lugd. Bat. 1709
Barchuſen (J. Conr.) Hiſtoria Medicinæ. 8. Amſtelod. 1710
Barchuſen (J. Conr.) Compendium Ratiocinii Chemici more Geometrarum concinnatum. 8. 1712
Clerici (Joh.) in Pentateuchum Moſis Comment. folio 2 vol. Amſtelod. 1710
——— ——— Idem Charta Magna.
Clerici (Joh.) Libri Hiſtorici, fol. Amſt. 1708
——— ——— Idem Charta Magna.
Clerici (Joh.) Harmonia Evangelica, fol. Amſtelod. 1699
Clerici (Joh.) Opera Philoſophica, 12. 4 vol. 1710
Clerici (Joh.) Ars Critica, 8. 3 vol. 1712
Clerici (Joh.) De Præſtantia & Utilitate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. 4. Amſtelod. 1712
Clerici (Joh.) Oratio funebris in Obitum Phil. à Limborch. 4. Amſtelod. 1712
Clerici (Joh.) Philargyrii Cantabrigienſi Emendationes in Menandri & Philemonis Reliquias. 8. Amſtelod. 1711
Cyrilli Hieroſolymorum Archiepiſcopi Opera Omnia, Notis illuſtrata à Tho. Milles. fol. Oxoniæ 1703
Caramuelis (Joannis) Theologia Regularis, commentarii Hiſtorici, Scholaſtici, Morales, Judiciales, Politici. Fol. 2 vol. Lugduni 1665
Caramuelis (Joannis) Haplotes de Rectionibus Mentalibus Diſputans. 4. Lugduni. 1672
Caramuelis (Joannis) Apologema pro Antiquiſſima & Univerſaliſſima Doctrina de Probabilitate. 4. 1663
Controverſiarum de Religione breviſſima Synopſis. 12. 1709
C. Julii Cæſaris quæ extant, accuratiſſimè cum Libris Editis & MSS. optimis collata, recognita & correcta. Acceſſerunt Annotationes Samuelis Clarke S. T. P. item Indices locorum Rerumque & verborum Utiliſſimi. 80. Tabulis Æneis ornata. fol. Londini. 1712
C. Julii Cæſaris quæ Extant omnia, ex Recenſione Joannis Daviſii, cum ejuſdem Animadverſionibus ac Notis Pet. Ciacconii, Fr. Hotomanni, Joan. Brantii, Dionyſ. Voſſii. 4. Cantabrigiæ. 1706
Calderwood Altare Damaſcenum, ſive Ecclesiæ Anglicanæ Politia. 4. Lugd. Bat. 1708
Cheyne (Georgii) Fluxionum Methodus Inverſa, ſive quantitatum fluentium Leges Generaliores. 4. Londini. 1703
Cluverii (Philippi) Introductio in Univerſam Geographiam, tam Veterem quàm Novam, edita à Johanne Bunone. 4. Amſtelod. 1697
Cælius Aurelianus de Morbis Acutis & Chronicis. 4. Amſtelod. 1709
Camdeni (Gulielmi) & Illuſtrium virorum Epiſtolæ & Camdeni vita per T. Smith. 4. Lond. 1691
Cauſa Queſneliana ſive Motivum juris. 4. 1704
Coetier (Gulielmi) Laudatio funebris in memoriam Bernhardi Fullenii Matheſeos Profeſſoris. fol. 1708
Cicero (M Tullius) de Oratore ad Q. fratrem; ex MSS. recenſuit Tho. Cockman. 8. Oxoniæ. 1706
Cicero (M. Tullius) de Officiis cum Notis Pauli Manutii. 8.

Cicero

Cicero (M. Tullius) Opera Notis Grævi. 8. XI. vol. Amſtelod. 1710

Cenſorinus de Die Natali. Henricus Lindenbrogius recenſuit & Notis illuſtravit, Quibus acceſſerunt Nunneſii in fragmentum Notæ, cum Spicilegio Annotationum Doctiſſimorum virorum Salmaſii, Scaligeri &c. 8. Cantabrigiæ. 1695

De Luca (Cardinalis) S. Rotæ Romanæ Deciſiones & ſum. Pontificum Conſtitutiones recentiſſimæ & ſelectiſſimæ, TheatrumVeritatis & Juſtitiæ. fol. 2 vol. Lugd. 1700

De Luca (Cardinalis) Mantiſſa Deciſionum Sacræ Rotæ Romanæ ad Theatrum Veritatis & Juſtitiæ. fol. 2 vol. 1707

Dickinſon Phyſica Vetus & Nova. 4. Londini. 1702

De Dieu (Ludov.) Critica Sacra ſive Animadverſiones in loca quædam difficiliora Veteris & Novi Teſtamenti. fol. Amſtelodami. 1693

Damaſceni (S. Patris Joannis) Hieroſolimitani Opera omnia. Operâ & Studio P. Michaelis Lequien. Fol. 2 vol. Pariſiis. 1712

Dubois (Gerardi) Hiſtoria Eccleſiæ Pariſienſis. fol. 2 vol. Pariſiis. 1690

Diemerbroeck (Isbrandi de) Opera omnia Anatomica & Medica. fol. 2 vol. Utrajecti. 1685

Drelincurtii (Caroli) Diſſertatio Anatom. Practica de Lienoſis, accedit Laur. Bellinus. 8. 1711

Deſcartes (Renati) Opera Philoſophica. 4. 2 vol. 1692

Deſcartes (Renati) Epiſtolæ. 4. 3 vol. Amſtelodami. 1714

Du Hamel (Joan-Bapt.) Regiæ Scientiarum Academiæ Hiſtoria, ſecunda Editio priori longe auctior. 4. Pariſiis. 1701

Dodwel Exercitationes de Ætate Phalaridis & Pythagoræ Philoſoph. 8. Londini. 1714

Ennii (Q.) Poëtæ vetuſtiſſimi fragmenta quæ ſuperſunt, ab Hieron. Columna. 4. Amſtelod. 1707

Epigrammatum delectus ex omnibus Poëtis. 12. Londini. 1711

Forbeſii (Johannis) à Corſe Presbyteri & SS. Theologiæ Doctoris, ejuſdemque Profeſſoris in Academia Aberdonenſi Opera omnia, inter quæ plurima Poſtuma reliqua ab ipſo auctore interpolata, emendata atque aucta. fol. 2 vol. Amſtelæd. 1703

Fleury [Claudii] Catechiſmus Hiſtoricus. 12. Bruxel. 1705

Gardeboſch [Ambroſii] Hiſtoria Eccleſiaſtica. fol. Toloſæ. 1713

Gregorii [Sancti] Papæ I. cognomento Magni, Opera omnia, ſtudio & labore Monachorum ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri. fol. 4 vol. Pariſiis. 1705

Guicciardini Belgium univerſum, ſeu omnium Inferioris Germaniæ Regionum accurata Deſcriptio, cum Tabulis Geographicis. fol.

Gomari [Franciſci] Opera Theologica omnia. fol. Amſtelodami. 1664.

Gruteri [Jani] Inſcriptiones Antiquæ Totius Orbis Romani ex Recenſione & cum Annotationibus Joannis Georgii Grævii. fol. 2 vol. Amſtelod. 1707

Hofmanni [Joh. Jacobi] Lexicon Univerſale ad Hiſtoriam Sacram & Profanam. fol. 4 vol. Lugd. Bat. 1698

Horti Medici Amſtelodamenſis Rariorum tam Orientalis, quàm Occidentalis Indiæ Plantarum Deſcriptio & Icones, Auctore Joanne Commelino. fol. 2 vol. Amſtelod 1701

Huetii [Petri Daniel.] Origenis in Sacram Scripturas Commentaria quæcunque Græcè reperiri potuerunt. Fol. 2 vol. Rothomag. 1668. Charta Magna.

Hilarii [Sancti] Pictavorum Epiſcopi Opera ad Manuſcriptos Codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, ſtudio & labore Monachorum ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri. fol. Pariſiis. 1693

Heinſii [Dan.] Rerum ad Sylvam Ducis atque alibi in Belgio, aut à Belgis geſtarum Hiſtoria. fol.

Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum à D. Marco uſque ad finem Sæculi XIII. 4. Pariſiis. 1713

Habrechti [Iſaaci] Phil. & Med. Planiglobium Cœleſte. 4.

Horatius [Q.] Flaccus ex Recenſione & cum Notis atque Emendationibus Richardi Bentleii. 4. Amſtelodami. 1713

Horatius [Q.] Flaccus. 12. Trajecti. 1713

Homeri Ilias & Odyſſea & in eaſdem Scholia, ſive interpretatio Veterum, operâ, ſtudio & impenſis Joſuæ Barnes 4. 2 vol. Cantabrigiæ. 1711

Hugenii [Chriſtiani] opuſcula Poſtuma, quæ continent Dioptricam. 4. Lugd. Bat. 1703.

Huberi [Zachariæ] Oratio in Obitum G. ab Haren. fol. 1708
Hieroclis Philoſophi Alexandrini Commentarius in Aurea Carmina Græcè & Latinè. 8. Cantabrig. 1709
Homeri Opera quæ Exſtant omnia Græcè & Latinè. Curante Jo. Henr. Lederlino. 12. 2 vol. Amſtelod. 1707
Hoogſtraten [Davidis] Lib. Fabularum Æſopiarum. 12. Amſtelod. 1711
Horatii Turſellini Romani Hiſtoriarum Epitomæ. 12. Franeqner. 1695
Joſephi [Flavii] Antiquitatum Judaïcarum Libb. Gr. Lat. cum Exemplaribus MSS. collati & illuſtrati Notis ampliſſimis D. Eduardi Bernardi S. T. P. item hiſtoriarum de Bello Judaïco. fol. Oxoniæ. 1700
Irenæi [Sancti] Epiſcopi Lugdunenſis & Martyris detectionis & everſionis falsò cognominatæ agnitionis, ſeu contra Hæreſes libri quinque, ſtudio & labore Domni Renati Maſſuet, Presbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri. fol. Pariſiis. 1710
Julii Pollucis Onomaſticum Græcè & Latinè. fol. 2 vol. Amſtelod. 1706
Junii [Adriani] Opera Analytico-Practica in Jeſaiam, Luc. Corinth. Jeremiam. 4. Amſt. 1683
Inſtitutiones ſive Elementa D. Juſtiniani Sacratiſſ. Principis 12. Amſt. 1710
Kempis [Thomæ à] de Imitatione Chriſti 12. Cantabrig. 1685
Kempis [Thomæ à] Idem. 12. Bruxellæ 1709
Lemos [Thomas de] Acta omnia Congregationum ac Diſputationum, quæ coram SS. Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus ſunt celebratæ, in Cauſa & Controverſia illa Magna de Auxiliis Divinæ Gratiæ. fol. Lovani. 1702
Le Blanc [Auguſtini] Hiſtoria Congregationum Lat. de Auxiliis Divinæ Gratiæ, ſub Summis Pontificibus Clement. VIII. & Paulo V. fol. Lovani 1700
Limborch [Philippi à] Præſtantium ac Eruditorum Virorum Epiſtolæ Eccleſiaſticæ & Theologicæ. fol. Amſtelod. 1684
Limborch [Philippi à] Theologia Chriſtiana. Editio Quarta fol. Amſtelod. 1715
Limborch [Philippi à] Hiſtoria vitæ Simonis Epiſcopii. 8. Amſtelod. 1701
Lanciſii [Jo. Mariæ] de Subitaneis Mortibus libri duo. 4. Romæ 1707
Landi [Conſtantii] Selectiorum Numiſmatum præcipuè Romanorum Expoſitiones. 4. Lugd. Bat. 1695
Longini [Dionyſii] de Sublimitate Libellus cum Præfatione de vita & Scriptis Longini, Notis Indicibus & variis lectionibus. 8. Oxoniæ 1710
Miſchna ſeu totius Hebræorum Juris Syſtema, Heb. & Lat. ex Edit. Guill. Surenhuyſii. fol. 6 vol. Amſtel. 1703
Mills [Joannis] Novum Teſtamentum Græcum cum Lectionibus Variantibus. fol. Roterod. 1710
——— ——— Idem. 8. Amſtelod. 1711
Montfaucon [Bernardi de] Collectio Nova Patrum & Scriptorum Græcorum Euſebii Cæſarienſis, Athanaſii & Coſmæ Ægyptii. fol. 2 vol. Pariſiis 1706
Montfaucon [Bernardi de] Palæographia Græca, ſive de ortu & Progreſſu literarum Græcarum. fol. Pariſiis 1708
Montfaucon [Bernardi de] Diarium Italicum ſive Monumentorum Veterum Bibliothecarum, Muſæorum &c. Pariſiis 1702
Malpighii [Marcelli] Opera omnia Poſtuma. 4. 2 vol.
Mauriceau [Franciſci] Artium Magiſtri & Antiqui Præpoſiti Magiſtrorum Chirurgicorum Opera. 4. Pariſiis 1681
Minucii Felicis Octavius, cum Notis Daviſii &c. 8. Cantab. 1707
Morgagni [Joan. Bapt.] adverſaria Anatomica. 8. Lugd. Bat. 1714
Minellii [Joh.] L. Annæus Florus. 12. Rot. 1698
Minellii [Joh.] Horatius.
Minellii [Joh.] Publii Ovidii Naſonis Metamorphos. 12. Rotterd. 1710
Minellii [Joh.] P. Ovidii Epiſtolæ Heroidum. 12. Rotterd. 1698
Minellii [Joh.] P. Ovidii Triſtia. 12. Rotterd. 1713
Minellii [Joh.] Q. Curtius Rufus de Rebus Alexandri Magni. 12. Amſtel. 1702
Minellii [Joh.] C. Criſpus Salluſtius. 12. Rotterd. 1695
Minellii [Joh.] P. Terentii Comœdiæ ſex. 12. Roterod. 1702

Minellii [Joh.] P. Virgilii Maronis Opera. 12. Roterod. 1704
Minellii [Joh.] Valerius Maximus. 12. Rot.
Menandri & Philemonis Reliquiæ, Græcè & Latinè cum Notis Grotii & Clerici & Emendationes. 8. 2 vol. 1710
Muſgrave de Arthritide Anomala. 8. Amſt. 1710
Nicholſii [Guil.] Hiſtoriæ Sacræ Libri VIII. ex Antonii Coccei Sabellici Enneadibus concinnati. 12. Londini 1711
Niceronis [Joan. Franc.] Thaumaturgus opticus ſeu admiranda. fol. Pariſiis 1663
Numiſmatum Antiquiorum Sylloge à Populis Græcis, Municipiis & Coloniis Romanis cuſorum. 4. Londini 1708
Noodt Opera Omnia. 4. Lugd. Bat. 1713
Newton [Iſaac.] Philoſophiæ Naturalis Principia Mathematica. 4. Amſtelod. 1714
Newton [Iſaac.] Optice ſive de Reflexionibus, Refractionibus, Inflexionibus & Coloribus Lucis. 4. Londini 1706
Oweni [Joan.] Epigrammata. 18.
Opuſcula Martini Steyaert, quibus continentur Aſſertio Cenſuræ Lovanienſis, Annotationes omnes in Propoſitiones à ſummis Pontificibus damnatas, cum earum Aſſertione, Poſitiones de Pontifice ejuſque Auctoritate. 8. 15 vol. Lovanii 1703
Pitcarni [Archibaldi] Opuſcula Medica. 4. Roterod. 1714
Plumier Tractatus de Filicibus Americanis. fol. Pariſiis 1705
Puteani [Erycii] Bamelrodi Bruxella Imcomparabili Exemplo Septenaria, Gripho Palladio deſcripta. fol. Bruxel. 1646
Perizonii Diſſertatio de Ære Gravi ut & Reſponſio ad Epiſtolas Andr. Morellii de Variis familiarum Romanar. Nummis. 12. Lugd. Bat. 1713
Pitiſci [Samuel] Lexicon Antiquitatum Romanarum, in quo Ritus & Antiquitates Græcis & Romanis communes, cum figuris in æs inciſis. fol. 2 vol. Leovardiæ 1713
Petavii [Dionyſ.] Dogmata Theologica & Opuſcula. fol. 6 vol. Antw. 1700
Petavii [Dionyſ.] Doctrina Temporum. fol. 3 vol. Antw. 1703
Petavii [Dionyſii] Rationarium Temporum, ad noſtra uſque Tempora continuatum. 8. Lugd. Bat. 1710
Petavii [Dionyſii] Tabula Chronologica Regum, Dynaſtarum, Urbium, Rerum, Virorumque illuſtrium, à Mundo condito ad annum circiter 1636. Lugduni Bat. 1714
Petavii [Dionyſii] Tabulæ Chronologicæ Imperatorum, Regum, Dynaſtarum, Paparum, Rerum, Virorumque Illuſtrium à Chriſto Nato ad annum 1714
Potteri [Joannis] Archæologia Græca, ſive Veterum Græcorum præcipuè vero Athenienſium. fol. Lugd. Bat. 1702
Philoſtratorum quæ ſuperſunt omnia, cum Notis Gottfridi Olearii. fol. Lipſiæ 1709
Pufendorf [Samuelis] de Jure Naturæ & Gentium Libri octo, cum Annotatis Joannis Nicolai Hertii, Editio Nova. 4. Amſtelodami 1715
Petronii Arbitri Satyricon quæ ſuperſunt, cum integris Doctorum Virorum Commentariis & Notis Heinſii, Goeſii & Burmanni. 4. Trajecti 1709
Philargyrii Cantabrigienſis Emendatio in Menandri & Philemonis Reliquias cum Præfatione Clerici. 8. 1711
Pfaffii [Chriſt. Matth.] Diſſertatio Critica in N. Teſtament. Joannis Millii. 8. 1709
Raphſon Demonſtratio de Deo, ſive Methodus ad Cognitionem Dei Naturalem. 4. Londini 1710
Rohaulti [Jacobi] Phyſica cum Adnotationibus Iſaaci Newtoni & Samuel Clarke. 8. Londini 1710
Relandi [Hadriani] Palæſtina ex Monumentis Veteribus illuſtrata. 4. 3 vol. Traj. Batav. 1714
Roël [Herm. Alex.] Commentarius in Principium Epiſtolæ ad Epheſios. 4. Ultraj. 1715
Spanheimii [Frid.] Opera Omnia. fol. 3 vol. Lugd. Bat. 1703
Sylvii [Fran. Deleboe] Opera Medica. 4. Editio Nova. 1695
Scheuchzeri [Joh. Jacob.] Itinera Alpin Tria. 4. Londini 1708
Strykii [Samuelis] Annotationes ad Lauterbachii Compendium Digeſtorum. 4. Lipſiæ 1704
Smith [Thomas] Vitæ quorumdam Eruditiſſimorum & Illuſtrium Virorum, in quibus J. Uſſerius, Joannes Coſinus, Henricus Briggius, Joannes Bainbridgius, Joannes Gravius, Petrus Junius, Patricius Junius & Joannes Dee. 4. Londini 1707

Schee-

Schrevelii [Corn.] Lexicon Manuale Græco-Latinum. 8. Amſtelod. 1709
Sidobre [D. Antonii] Tractatus de Variolis & Morbillis. 12. Lugd. 1699
Sanctorii Sanctorii de Statica Medicina. 12. Lugd. Bat. 1713
Tacquet [R. P. Andreæ] Opera Mathematica. fol. Antwerp. 1707
Teſtamentum Græcum Joh: Leusden. 24. Amſtelod. 1701
Theodoſii Sphæricorum Libri Tres. 8. Oxon. 1707
Theatrum Fati ſive Notitia Scriptorum de Providentia, Fortuna & Fato, Auctore Petr. Frid. Arpe. 8. 1712
Tacitus [C. Cornelii] Opera, cum Notis Ryckii. 12. 2 vol. Lugd. Bat. 1687
Titii Livii Hiſtoriæ. Recenſuit & Notulis auxit Joannes Clericus. 8. 10 vol. Amſtelod. 1710
Theophraſtus Græcè & Latinè, ex Recenſione Needham. 8. Cantab. 1712
Voſſii [Gerardi Joan.] Opera Omnia fol. 6 vol. Amſtelod. 1701
Vrede [Franciſci] Theologia fundamentalis. fol. Lugd. 1662
Verheyen [Philip.] Corporis Humani Anatomia. 4. 2 vol. Bruxellis 1710
Vinnii [Arnold.] in quatuor Libros Inſtitutionum Imperialium Commentarius. 4. Lugd. Bat. 1709
Veſlingii [Joannis] Syntagma Anatomicum, cum Commentar. Gerardi Blaſii. 4. Ultraj. 1696
Valſechi [P. D. Virginii] de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V. Diſſertatio Hiſtorico-Chronologica. 4. 1709
Vallenſis [Andreæ] Paratitla Juris Canonici. 4. 1678
Varenii [Bernhardi] Geographia Generalis. 8. Cantabrigiæ 1721
Verwey [Joannes] Nova Via docendi Græca. 8. 1702
Vicofortii [Joach.] Epiſtolæ ad CaſparumBarlæum. 12. Amſtelod. 1626
Valerii Flacci Setini Baldi Argonautica N. Heinſii 1680
Vitriarii [Ph. Renhard.] Inſtitutiones Juris Publici Romano Germanici Selectæ. 8. Lugd. Batav. 1714
Wilde (Jacobi de) Selecta Numiſmata Antiqua. 4. Amſtelod. 1692
Whiſton Prælectiones Phyſico Mathematicæ. 8. Cantab. 1710

LIBRI ITALIANI.

L'Adone Poëma del Cavalier Marino. 12. 2 *vol.*
L'Ambaſciata di Romolo a i Romani. 12.
Leti Theatro Belgico. 4. 2 *vol.*
Leti Hiſtoria dell' Imperio Romano in Germania. 4. 2 *vol.* } 16 Vol.
Leti Hiſtoria della Caſa di Saſſonia. 4. 2 *vol.* }
Leti Hiſtoria della Caſa di Brandeburgo. 4. 2 *vol.* }
Leti Theatro Gallico con Poëma. 4. 8 *vol.* }
Leti Vita del Duca d'Oſſuna. 12. 3 *vol.*
Leti Vita del Carlo V. 12. 4 *vol.*
Leti Vita di Elizabetha. 12. 2 *vol.*
Leti Hiſtoria Genevrina. 12. 5 *vol.*
Leti Raguagli Hiſtorici, e Politici. 8. 2 *vol.*
Il Nuovo Teſtamento. 8. *Harl.*
Il Nuovo Teſtamento con gli Salmi da Diodati. 8. *Harl.*
Opere di Moliere. 12. 4 *vol.*
Opere delli Poëti Italiani. 32. 9 *vol.*
Paſtor Fido. 32.
Puttaniſmo Moderno. 12.
Ragguagli di Parnaſo del Signor Trajano Boccalino. 12. 2 *vol.*
Trattato di Litotomia. fol.

F I N I S.

2 - EBN